CODICIS THEODOSIANI LIBRI XVI.

Itémque Impp. Theodosij, Valentiniani, Martiani, Maioriani, Leonis, Seueri & Anthemij Nouellæ Constitutiones. Tituli etiam ex corpore Codicum Gregoriani & Hermogeniani: Adiectis suis quibusque locis Aniani V. S. interpretationibus.

Accesserunt præterea varia veterum Iuris Authorum Opuscula, quorum Elenchum octaua pagina complectitur.

Omnia ex veteribus libris auctiora aut emendatiora curante Iac. Cuiacio.



PARISIIS,
Apud Viduam SEBASTIANI NIVELLII, sub Ciconiis, via Iacobæa.
M. DC. VII.
Cum Priuilegijs Cæsareæ & Regiæ Majestatis.

SERENISSIMO FERDINANDO HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, &c. REGI HVIVS nominis primo, Infanti Hiſpaniæ, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Styriæ, Principi optimo, atque potentiſſimo, Io. Sichardus.

*B*ENE *mihi ac ſapienter feciſſe videtur M. Tullius, Sereniſsime Rex, qui de legibus dicturus, ne id illotis manibus facere videretur, à diis immortalibus tanquam iuſto exordio auſpicium ſumit. Hoc, opinor, conſilio, vt quarum inuentionem ſine cõtrouerſia diis ipſis deberemus, eas etiã hiis ipſis curæ eſſe ſignificaret. Nec enim aliud quicquam ſpectare aut debuit, aut potuit vir eloquẽtiſsimus, idémque legum conſultiſsimus, niſi vt vel hoc lenocinio leges nobis cõmendaret. Quod per ſeipſum, vt nihil aliunde accedat, cum omnino magnum ſit, tamen non ita multum momẽti habiturum erat, niſi alia ſint quæ prolixius etiam admirari nos conueniat: nempe commoda quæ inde ad nos tam benignè demanant. Si enim laudem meretur, eámque non poſtremam, qui rebus afflictis atque exulceratis viam circunſpicit, qua conſulatur Reipub. incolumitati, nec quidem longè duraturæ, quæ ferè cura tui ſimilibus, Maxime Rex, incumbit, quantum nos demum debere ipſis fatebimur legibus? quarum perpetuum eſt beneficium, quod in otio, atque Rerumpublicarum trãquillitate viuitur. Hæ enim tanquam vincula quædam & Reſp. continent, ſcopas alioqui futuras diſſolutas, & vt in ſpem profectus, adeóque immortalitatis venire poſsint, efficiunt. Hæ rudes homines etiamdum, atque ab omni ciuilitate alienos, in amicitiam primùm redegerunt: coniuncti, vt bene beatéque viuerent pepererunt. Poſtremò, vſqueadeo eſt neceſſarius earum vſus, vt è cœlo ſolem ſuſtulerit, qui eas è medio tollat, ſine quibus ne quidem momentum durare vita hominum queat. Etenim dum hoc nobis perſuaſum eſt, quod eſſe neceſſe eſt, Magiſtratum plebeis, legem autem Magiſtratui præeſſe atque dominari, fit vt officium ſuum omnes faciant: æqua videlicet omnibus parendi condicione propoſita. Nec enim eiuſmodi tragœdiarum, tumultuum, denique bellorum, quibus nunc omnia perſtrepunt, ne dicam capitaliter laborant, aliam cauſam vnquam in animum induxi, quàm quod fatali quodam huius ſeculi vitio legum nullus amplius, veluti Megarenſium reſpectus haberetur: per quas omnino ſtat, ne temere omnia permiſceantur. Cuius rei argumenta, ne longè exempla petãtur, non ita obſcurè videre licet, quoties vel leuis belli ſuſpicio increbeſcit. Tum protinus, tanquam legibus obliteratis, palámque nuntio remiſſo, audendi patrandíque, vt quidque in mentem venerit, magna homines libido inuadit. Vt documentis iam vtinam non tam multis conſtet, nec ſine legibus publicum otium, nec in bellis vllo pacto leges auctoritatem ſuam tueri poſſe. Cum enim lex ſit ratio ſumma, inſita in natura, quæ iubeat ea quæ facienda ſunt, prohibeátque contraria, neceſſe eſt male agi de rebus humanis, ſurſúmque ac deorſum omnia ferri, eo iuſſo valere, cuius eſt muneris, vt innocenter vitam tranſigamus, atque in vita quæ amplectenda ſint cognoſcamus. Exulantibus vero ab vſu hominum legibus quid prohibet ius fáſque omne ſemel abiici? quod à legibus tanquam capite quodam originem ducit. Contempto verò iure, quid eſt quæſo ſcelerus, quod deſignare quenquam tandem pudeat? An non ſatius ſic fuerat, omnino ne quidem nos in lucem editos, quàm in has hominum intemperies proſtitui verius quàm naſci? Vbi nec ſi velis temperare tibi à vitiis poſsis: nec ſi poſsis impune auſis, præſertim tam recepto delinquendi more, ac tanta ad quamlibet impetendorum hominum libidinem aperta feneſtra. At habent etiam belli homines quod dicant: Quid, inquiunt, Chriſtianis cum legibus? Quaſi verò eiuſmodi ſit eorum vita, qui hoc ſibi nomine præcipuè placent in quorum moribus nihil ſit relictum legibus, quod emendẽt. Cum ex magna parte tales ſint qui hoc titulo veluti triũphant, qui cum intercutibus vitiis madeant, ne deprehenſi pœnas legibus dare cogantur, Chriſtianiſmi neſcio cuius prærogatiuo freti, rem non minus quàm aquam ignémque neceſſariam vociferationibus ſuis apud vul-*

gum reddunt exosam. Quod tamen ipsum eram moderatè laturus, si eam libertatem hiis cogendis in ordinem sumerent, quos nullo linguarum præsidio, nullis literis, nulla antiquitatis cognitione huc fere operam videmus ponere, vt quamplurimæ serantur lites: quæ hominum sunt non rei ipsius vitia. Quòd si ea quam ex legibus speramus, nescio enim an aliundè, concordia paulo propius commendetur orbi, esurirent plane miseris modis, cogitarentque de stiua, quos nunc & in purpura nepotari, & in aulis Principum, absit inuidia verbo, fere primas tenere videmus. Nec dubito nunc futuros, Serenissime Rex, qui flagitium me facere clament, ferro igneque piandum, quòd veluti alter Gn. Flauius, cornicum oculos configere coner. Quibus sane aulœdis suas ego tricas, atque præstigiosam iuris professionem non inuideo, quam sine riuali & amplectantur, & manibus ferant. Hoc vicissim donent, vt leges ab iniuria, qua perpaucorum culpa laborant, liceat mihi asserere, eamque quam falsò legibus impingunt, in eos iure suo transferre, qui tum demum maiorum sibi gentium Iurisconsulti videntur, cùm meliorum literarum inopes, ad nescio quos Accursios, veluti scopulos consenescunt. Non quod in vniuersum damnem id genus scriptorum, quorum auctoritatem sine graui piaculo cōuelli posse non existimant. Sed quis feret præ illis legum germanarum studia & malè vulgo audire, & palam etiam sordere, abiicique. Non enim possum non ingemiscere, si quando in mentem subit, ad iustitiā nos esse natos, quæ cùm sit insita naturæ, naturæ autem ductū sequi sit bene beatéque viuere, Stoicorum sententia, pergere tamen porrò male feriatos quosdam, optimásque horas, quas non paulò consultius aliò locarent, in eo consumere, vt non naturæ ipsi, sed malitiæ ac fucis, non æquitati, sed quæstui seruisse videantur: tum se digitis cœlum existimantes attingere, si aliorum ineptias per se satis ac super orbi graues, aliqua adiectione locupletent. Vt eo iam planè ventum sit, vt quò quisque desipiat miserius, legésque rodat impudentius, quæ non ita multo negótio à quouis felicius erudito intelligi poterant, hoc fiat maioris apud eius farinæ hominibus pretij, quibus voluptas est non intellecta aliis atque aliis tenebris inuoluere. Vt rectissimè mihi Cicero dixisse videatur: Permulta præclarè legibus constituta fuisse, quæ Iureconsultorum ingeniis corrupta ac deprauata tandem sint. Quos & æquitatem reliquisse, verba verò retinuisse dolet. Quod & nobis dolendum, si vnquam aliàs, quis non videt, Serenissime Rex? Cùm optimas leges adeóque naturæ conuenientes huc loci quorundam, nescio dicam ne arrogantia, an extrema stultitia delapsas videmus, vt vel oculatissimis, emunctæque naris hominibus vix liceat per altissimas tenebras volūtatem legum, hoc est, medullam animámque introspicere. Id quod fieri necesse fuit, dum hic omnia tribuit Principi, putátque licere quod libeat. Alter hiis ad quæstum abutitur, putátque tum se deum, si plaustra legum integra vno spiritu euomat, eáque in re totius cognitionis ponit summam. Alter operam dat, lucello fortè adductus, vt miseris imponat tanquam nebulis quibusdam ob oculos sparsis: oppugnatis interim, atque non rarò constupratis etiam Iudicum animis. Cùm interim optimo cuique occurrat, natura nimirum magistra, in quam partem id totum accipere conueniat, de quo controuertunt, dissentiunt, ac tandem apertè in pugnam prouocant, non secus ac si res sit pro aris, aut magnopere digna, in qua sic neruos extendant. Si enim fundamentum iuris est DILIGERE HOMINES, id quod M. Tullio visum est, quid nō hac ceu regula leges metimur? Callidis interpretationibus, quibus funditus euersa sunt omnia, quid per deum relinquitur loci? Quibus rimas venamur, si quo modo elabi possimus, si stringimur, vel vrgemus, si causa casuros nos vereamur. Etenim si veritatis sermo simplex nihil offuciarum requirit, quo non mendacij imposturæque nomine rei agentur, qui in literarum minutiis, verborúmque interpunctionibus occupati, anxiè odorantur, ecquid præsenti occasioni momento esse queat? Inde vsuuenisse, prò deûm atque hominum fidem, videmus, Serenissime Rex, vt in locum Iurisperitorum, quos esse integerrimos, rectique tenacissimos oportebat, irrepserint vafri quidam pecuniarum aucupes, opinionibus, non ipsa natura ducentes ius constitutum. Quo sanè nescio an quicquam possit dici capitalius. Quòd si quis aliqua Dei benignitate queat è medio tollere quæstus gloriæque studium, atque id genus alias faces publicorum morum, non dubium est quin optimè consuleretur iuri, cuius ferè nihil ex tantis rerum humanarum cladibus præter ipsum tenemus nomen. Sed cùm non desint passim qui plus peruersorum iudiciis, quid autem iudiciis? imò affectibus, ac legum nundinationibus, quàm genuinæ æquitati tribuant: non est causa cur ad meliorem nos spem erigamus.

Natura enim recti cognitionem nobis inseuit, adeo vt quod non legerimus, non didicerimus, id aliquando multò rectissimè ipso naturæ ductu assequamur. Vnde non temerè hanc esse natam ex ipsis humanæ naturæ penetralibus vocem mihi persuaserim: QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. Qua non solum vnica, sed & absolutissima vsos antiquitus videmus, qui Christiano nomine censerentur. Quam si tenuerimus, quid superérit, nisi vt Commentariis illis prolixis laqueum mandemus? Quæ non raro cū ius ipsum obscurant, tum in eiusmodi versantur ineptiis, quas sit deploratas satius abiicere, quàm vel leuiter, ac per transennam attigisse. At non desinūt tandem odiosè in ore habere, Grammmaticos, sic enim vocant rectè eruditos, nihil cum legibus, veluti

luti prostanis, rei esse oportere. Cùm interim singulas ipsi voces, addo etiam syllabas sic prosequuntur, ac si rem habeant cum pueris, vixdum primis literis initiatis: id tamen totum tam pueriliter, vt à risu vix tibi temperes. Cuiusmodi enim sunt, cedo, voces à Decumanis illis, si diis placet, Doctoribus prolatæ? Hæ sunt literæ quæ legi non possunt: cùm videlicet in Græca incidunt. Aut, dic ego nescio. Vt reliqua taceam quæ sunt sane plurima, an non inscitiæ plenissimæ? Attamen ne nihil dicant, in hunc se modum ridendos vltrò propinant. Dum enim dictionis elegantiam, quæ legibus peculiaris est, assecuturos se desperant, inceptant, fingunt atque casus ponunt in terminis hæc est enim eorum oratio, vt auditorem inuitabili decipiendorum hominum arte imbuant. Vt hactenus dicam ingenuè, verè tamen, sub prætextu iuris non nisi corruptelæ morum, subterfugiendi, causandique technæ sint à plerisque eius ordinis Iureconsultis inuectæ. Atque vt quisque magis hiis sutelis præstitit, ita vulgo habitus est maioris loci, legúmque doctior. Quam publicam nostri seculi labem, Serenissime Rex, nescio an non iure in IVSTINIANVM referas, cuius quidem animum in abolendis veterum scriptis, vt non fumo exagitandum, ita melius iudico de rebus humanis meriturum fuisse, si ne has quidē, quas nunc manibus terimus reliquias veteris ruinæ, in tantam studiorum & æquitatis perniciem reliquas esse voluisset. Extinctum autem properasset haud dubiè, si diuinare potuisset paulo post exorituros, qui contra sententiæ suæ, atque adeo edicti auctoritatem, quo tot præclaros veterum labores, tanquam iniquus orbi ingulauit, prolixitatem illam veterem & eruditam, essent næniis quibusdam nō modo indoctis, sed etiam tranquillitati publicæ obfuturis superaturi. Sed dixerit aliquis occurrendum fuisse opinionum fluctibus, qui tum in ius ipsum exundabant. Occurreret sanè, fungeretúrque Imperatoris officio in legibus purgandis, sed nostro commodo: alioqui quid interierit quo animo incōmodes?? Et quantulo exagitabitur magis C. Caligula, quem auctores de abolendis Homeri, Vergilij, & T. Liuij scriptis cogitasse commemorant, quàm hic Iustinianus, qui dum prodesse cupit, studetque præposteræ breuitati, in has nos angustias redegit, vt malè consutum nobis obtruderet centonem, in quo nec satis pes, nec caput appareat. Quid autem aliud faceret Princeps ἀναλφάβητος: Ne quid interim de Triboniano dicam. THEODOSII ergo exemplum, eius dico cuius hunc nos Codicem sub tui nominis auspicio, proferimus veluti ex orco, Sereniss. Rex, non possum non probare, qui alia via ingressus gregarios quosdam iuris ciuilis auctores in ordinem coēgit, nonnullorum autem dignitatem pretiumque suspiciendum in sublimi constituit: omnium tamen scriptis nihilominus in medio relictis. Ne tamē pleraque in incerto posita huc illuc pro ingeniorum varietate torquerentur, Cōstitutiones istas, vt in quaque re quod intuerentur Iudices paratum haberent, ob oculos positas, velut oraculum quoddam esse voluit, quod publicè respōsa ederet. Cuius quidem benemerēdi de nobis studium, vt iure extollimus, ita culpæ eximere Iustinianum non possumus, si vel obnixè studeamus. Atque hoc minus, quo factum ipsius ex Theodosii collatione magis magisque nunc est in aperto. Quem cum superiore anno sacris tuis diplomatis fretus, è situ, vt pleraque alia, primùm eruissem Argentorati, eūque beneficio amicorum facilè obtinuissem, lectus per otium tantum edendi sui desiderium incussit, vt nulla re interim maiorem me apud nostræ ætatis eruditos gratiam initurum confiderem, nisi vt editionem toto, vt sic dixerim, pectore vrgerem. Sed voluntati huic sic publicis studiis gratificari æstuanti, repugnabat liber ita scriptus, vt præter mendas, quibus planè scatebat, id tamen quod est in vetustis solenne, maximam iusto libro deprehenderemus deesse partem, atque id nec obscurè ex Datis, quæ cum titulorum essent vice satis accuratè apposita, legibus omissis scriptor in Interpretationes solas incubuerat, quippe clariores aliquanto. Quas non possumus equidem aliàs nobis in animum inducere, quàm Principum auctoritate loco paratitlorum adiectas fuisse, quorum in edicto suo Iustinianus quoque meminit. Effecit hæc incommoditas, vt de ablegando rursum libro cogitarem. Commodum verò dum sic animi pendeo, è Mogontia ad me exemplar aliud Io. Cochlæus, ne quidem præmonitus misit, vir eruditus apprimè, & humanitate incredibili præditus: vt non possim aliud dicere, quàm deos mihi hoc agenti adfuisse. Paulò post facta est & copia Morpacensis, beneficio Bonifacij Amorbachij, viri ad omnia summa nati, amici nostri, diligentissimi quidem illius, & quod vel solū poterat ad hoc quod agerem satis videri, nisi duobus primis libris mutilum, fine quoque caruisset. Quæ verò Caij, Pauli, Gregoriani. Hermogeniani adiecimus, ea coniunctim quoque in omnibus, quos in hunc diem vidimus codicibus legebantur, quæ sunt haud dubiè à Theodosio in vnum cumulum cōgesta hoc animo, vt esset quasi promptuarium, vnde Præfecti iudiciorum, si res postularet, haurirent, quæ in quauis causa ad dirimendas lites adferrent momentum. Maluit enim pudentissimus Princeps aliena legi, quàm hiis loco motis sua substitui. Cuius quidem exemplum si Iustinianus esset secutus, non foret, cur tot clariss. auctorum vicem doleremus quos decreto suo tanquam fulmine perpetuæ adiudicauit abolitioni. Vt præter ea quæ nunc nos, Sereniss. Rex, tibi inscribimus, ac per hoc postliminio in vsum vendicamus, vix putem quicquam in hoc genere extare, quod saltem sine fastidio rectè eruditi legere sustineant. Hæc quoque fuit causa, cur L. Volusium Metianum de Asse, cuius passim in

Pandectis responsa visuntur, & quo Hadrianus multum fertur in consiliis usus, & quem M. Antoninum Philosophum Iulius Capitolinus sollicitè audisse scribat, è bibliotheca Laurissensi: Et Iulium Frontinum de qualitate agrorum & limitum controuersiis, cum Aggeno Vrbico adnexuerimus, vt simul haberentur, quæ reliqui nobis tot clades, atque rediuiui quidam Gothæ fecere, non tam hominibus, quàm ipsis studiis exitiales. Præterea Siculum Flaccum, & Innocentium de Notis iuris, quem Ammianus Agrimensorem sub Constantio fuisse commemorat, fueramus adiecturi, nisi tempore otioque exclusis aliud in manus non minus è re studiosorum venisset. Hos tibi, Sereniss. Rex, magna à me sumptuum & vigiliarum impensa erutos, deinde excusos, nominatim inscripsimus, maximos & elegantissimos auctores, maximo ætatis nostræ Regi, atque literarum amantissimo. Cùm enim vnus sis inter nostræ tempestatis Heroës, quem dij magnæ orbis parti præesse voluerint, cùm ob mitissimum ingenium illud tuum, atque tale quod agnoscas profectum ex AVSTRIÆ familia, tùm ob administrandarum rerum diuinam quandam dexteritatem, eamque planè dignam hiis maioribus, eoque fratre germano, CAROLVM dico Cæsarem Rom. tot nunc victoriis inclytum, dignus es, vt optimi quique apud te studia voluntatesque suas declarent, editisque libris fateantur, quantum tibi debeant. Nec enim vacat nunc dicere, quàm soleas libenter post statas illas tot regnorum curas, in erudita quædam tanquam per otium animum recepturus, diuertere, & præter voluptatem, quæ vel maxima & honestissima ex literis petitur, etiam rationem circunspicere, qua Augustos illos, Vespasianos, Traianos, Pios, Seueros si non vincas, saltem adæques: quorum vt es iam præcipuas dotes consecutus, eas maxime quæ à naturæ bonitate pendent, sic studio publicæ tranquillitatis, clementiæ, liberalitatis in doctos, literarum, cum optimis etiam quibusque certas. Quis enim Seuerus Alexander sic ingeniis fauit, allexit, liberaliter aluit, benignè tractauit, adulatoribus non patuit, ac tu Maxime Rex, in hoc humanæ sortis fastigio non sine omnium votis collocatus? Frugi sine contumacia, verecundum sine ignauia, grauem sine tristitia. Sed inter verè regias dotes cùm sit longe maxima BENE IMPERARE, confidimus nos ista editione, tot annis desiderata, ad eam rem non modò allaturos operæpretium apud Clementiam tuam, verumetiam dum hic nomen profitemur, vt situ squaloreque obsiti tot veteres auctores per nos in lucem asserantur, assecuturos tandem, quia tuæ Celsitudinis auspiciis id sumus ingressi facere, vt nos inter clientes saltem tuos numeres. Id vt facias etiam atque etiam rogo, Maxime Rex: & munus nunc recens editum, quo Hungariæ Bohemiæque regnorum accessionem tibi gratulamur, amplectere. Tot regnis, atque Christiano orbi superstitem dij te perpetuent. Basileæ, mense Martio, Anno 1528.

IO. TILIVS ENG. IO. BERTRANDO V. C. REGIS CONSILIARIO ET SVMMÆ CVRIÆ PRÆSIDI S.

SI vetusta monumenta tam diligenter exquiruntur, inuentáque tanto precio habentur, quòd diuturnitas temporis id fere ad nos transmittat quod & perfectius & melius est, imprimis mihi videntur magnifacienda, quæ præter pulchritudinem & inuentionis elegantiam, vtilitatem & fructum secum coniunctum habent: in quorum numero primum locum veteres doctorum hominum libros tenere puto, quanto magis ad Remp*ub. tuendam valent. Prætermissis enim hac in re libris sacris de nostra religione rebúsque diuinis, quibus primus honos debetur, quid commodius vtiliúsque ad hanc vitam nostram, aut iucundius quàm ista veterum monumenta, quæ vel sola secum nobis adferunt rerum præteritarum cognitionem, philosophiæque de moribus vsum, quem in politicarum rerum administratione maximi quique & sapientissimi hominum experti sunt, ac literis mandare studuerunt? Quemadmodum enim* Rom. *imperio nullum maius, nullum florentius vnquam fuit, ita & à viris ingenio iudicióque præstantissimis in Rerumpub. gubernatione, & tractatum est & administratum. Verum enimuero infelicium temporum iniuria bona pars rerum earum nobis desideratur, scriptis veterum amissis, quorum iacturam nemo doctorum non deplorat, resarciríque magnopere exoptat. Ceterum superioribus his diebus in manus meas inciderunt posteriores integri libri magni illius Codicis Theodosij Imperatoris, quo eius aliorúmque Rom. Imperatorum Constitutiones, vt ille colligendas ac disponendas statuerat, continebantur: & ex cuius fontibus Iustinianus Codex ferè totus confectus est & expletus. In hoc quidem præter quàm quòd leges multò sunt auctiores plenioresque, & non paucæ etiam integræ, tãquam in ipso fonte ac ipsa origine, inuenias & propemodum infinitas, quas omnino in nostris ingentibus voluminibus iuris non habemus: quæque multorum locorum tùm in historiarum scriptoribus, tùm in aliis veteribus auctoribus sensum intelligentiámque patefacient, & verborum innumerorum, formularum, atque magnarum & difficilium alioqui rerum, in quibus torquentur bona Iurisconsultorum ingenia, copiam suppeditabunt, vberémque supellectilem. Nam & illic abundè res fisci tractantur: in quo genere multum sudantes, ne docti quidem sese hactenus possunt extricare, nec suo satisfacientes iudicio rem ad exitum certámque definitionem perducere.* Ad *finem quoque de rebus Ecclesiasticis decreta statutáque dignissima cognitione habentur. Inuento igitur tanto thesauro, equidem qui ea semper religione fui, vt minimè occulendum reseruandúmque quod è Repub. sit, crediderim in meos solius priuatos vsus, quod plerique solent: quique hinc propter editionem in meis studijs nihil vel incommodi vel detrimenti passurum me spero, libros eos in lucem emittere constitui: tametsi mihi paratum magnum laborem videam, quantum eiusmodi veterum codicum restitutio requirit: ac huius quidem potissimum, cuius senio iam multis in locis erat species deformata, & penè deleta. Literis autem grandioribus liber erat descriptus, vt ferè solebant, cùm quid magnifaciendum, dignúmque iudicabant, in quo labor esset & opera diligentior ponenda. Quamquam autem tecum non magna mihi esset necessitudo, ac vitæ coniunctio, non propterea tamen non hoc, quicquid est, tibi dedicatum volui, apud me reputans id tibi imprimis deberi, tùm propter doctrinam, qua in hoc aliarúmque disciplinarum genere polles, tùm propter eius loci dignitatem, quem apud* Regem *atque in summa Curia tenes.* Accedit etiam quod *E. Ranconetus, cum quo mihi à puero communia semper fuerunt studia, tecúmque familiaritate & officiis coniunctus est, affirmauit opus tibi gratum fore. Quod autem ad me attinet, satis mihi factum existimabo, si in tuo nomine liber apparens placeat, tibique omnes studiosi legum debere concedant, quod ad eorum & tuenda & amplificanda studia pertineat. Vale Lutetiæ Parisiorum* II. *Kalend.* Decemb. 1545.

Io. Tilius Engolis. Lectori.

QVia posteriores octo libros Theodosij Augusti Constitutionum, qui soli in manus nostras peruenerunt, vt in lucem proferremus Io. Bertrandus V. C. Curiæ Parisiorum Præses voluit, visum est eadem opera priores reliquias librorum, quos Alaricus Gotthorum Rex olim contraxerat, vt mutilas partes integris membris adiungere. Ceterum hoc quicquid est, ex magno reliquum opere, cum antiquis manu scriptis exemplaribus diligenter collatum, magna ex parte correximus, & præstantius quam Germanica editio haberet, reddidimus. Porrò autem Alaricus Gotthorum Rex ex omnibus Rom. legibus quod commodum videbatur, selegerat: nec is solum, sed studiosi plerique ex iisdem compendiis excerpserunt quæ vsui futura existimabant: vnde nata est ista in veteribus libris varietas. In hac autem nostra editione (iis enim qui parum in antiquis huiusmodi reliquiis versati sunt, error obiici fortasse possit) antiquam secuti sumus orthographiam, ne quis prima inspectione erratum putet: id enim citra rationem factum non est, suósque habent singula quibus se tueantur auctores. Rescidimus præterea illas interpretationes, quas Alaricus, aut certè Anianus quidam eius Cancellarius, qui has leges componebat, adiecerat: quòd parum vtiles visæ fuerint, aut aliis è locis repeterentur. Quamquam autem quicquid hoc est operæ à præcipuis nostris sacrarum literarum studiis semotum est, speramus tamen nos edituros aliquando propter summum in bonas literas studium, adnotatiunculas quasdam non inutiles, cùm in has Constitutiones, tum in ipsum Iustiniani Augusti codicem, quem longè integriorem quàm adhuc erat, breui reddemus, vt post Florentinas Pandectas his diebus publicatas, Cōstitutiones itidem imperatorias in melius restitutas habere possis. Et si per otium liceat, vna Consulum catalogum multò certiorem & instructiorem edemus, virorum doctorum exemplo, quos isthic operam & studium posuisse haud pœnituit. Nec verò hanc primam vetustissimi libri editionem prorsus erratis carere affirmare ausim. Si quæ erunt, optimus quisque ea æquo animo tolerabit. Hoc volumine veterum Imperatorum quod reliquum est, totum complexi sumus: alterum tibi de veterum Iurisc ōsultorum scriptis paramus. Vale Lutetiæ Parisiorum XV. Kal. Maias, M. D. L.

PETRVS PITHOEVS IACOBO CVIACIO I. C. S.

ECce tibi Nouellas ipsas quarum ob solum Indicem, quem ex meo libro cum quibusdam aliis Imperatorum legibus acceperas, profusissimè pro tua gratia me honorasti. Vnde verò, inquies? Ex eodem ipso Copiæ cornu ex quo & Index prodierat, id est ex bibliotheca patris mei V. C. quem quoties post tot infelicium Doctorum deuoratas, & , quod nō cuiusuis stomachi est, bene concoctas ineptias, inter tātas támque serias occupationes, eo sæculo, ea ætate, in ea vrbe, ad hæc demum studia animum reuocasse cogito, toties intelligo, quæ Dei summa benignitas est, nullo vnquam sæculo defuisse qui in tenebris solem, vt dicitur, id est, quæ recta essent perspicerent, inuestigarent, colerent, amplecterentur. Hoc ego tanto patre si non indignus filius videor, satis me magnum hactenus studiorum meorum fructum consequutum arbitror. Sed vt ad Nouellas, eas pater cum per otium, quod vix ferè illi vllum fuit, ipse non posset, ab amanuensi suo ex veteri quodam exemplari describendas curauerat. Qua in re vir alioqui Reipublicæ iuuandæ natus eiúsque amantissimus sibi tantùm fortasse laborasset, ni post eius luctuosissimum obitum Ioannes & Nicolaus filij illi gemini, mihi consanguinei fratres (de quorum ingeniis virtutibus plura dicere cùm meus pudor, tum ipsorum verecundia prohibet) in magno librorum chartarúmque cumulo, me tum quidem vix pubere & studiorum causa absente, has quasi è naufragio tabulas excepissent, & inter Gallicos istos tumultus diligentissimè adseruassent. Nuper autem cum de tuo Codice Theodosiano mentio incidisset, & à me harum Nouellarum, vt tum quidem putabam, amissio bona fortuna deploraretur, dixerunt illi habere se carè repositas, atque etiam vltrò obtulerunt. Eas ego tādem à fratribus acceptas, vix grauissimo morbo recreatus, & auidissimè perlegi, & quæ in eis vel antiqui scriptoris, vel amanuensis paterni negligentia aut imperitia errata erant, religiosè, vt par est, & quasi suspensa manu, emendaui. Statim autem ad te misi, qui iure quodam tuo hæc tibi vindicare potes, vt reliqua, si qua sunt, à me deposita persanares, & hoc iam Theodosiani potius quàm Theodericiani corporis membrum reliquo, si tibi ita videretur, aliquando adiungeres. Prodibunt igitur hæ Nouellæ multis nominibus obæratæ, Patri, quod è tenebris erutæ, fratribus, quod adseruatæ, tibi verò quod multis vulneribus sanatæ tandem cōmuni omnibus sole fruentur. Mihi sanè nihil adrogo, satísque erit si & studiis nostris aliquantulum profuero, & tibi hac in parte satisfecero. Vale. Lutet. Parisior. Kal. Aug. CIↃ. IↃ. LXVI.

Almaricus

ALMARICVS BOVCHARDVS ANTONIO PRATENSI GALLIARVM CANCELLARIO.

SCripta est in veteribus commentarijs Theodosij principis querela illa litterarum omnium beneficio insignis: qua non parum miratur innumeros homines iuris ciuilis cultu & commendatione ditatos, oppido tamen paucos qui syncerae doctrinae huius latices imbiberint, aut soliditatem artis ex puris fontibus haurire conentur. Querelam verò nobilem & grauem, ingenuóque homine, immo ipso principe dignam eam autumo, & quae posteris prodesse sui memoria iure poterat. Sed aliarum quidem calamitatum viuax est per se recordatio, ingenij vero non perinde iactura tenax hebetiore conniuentia languescit. Etenim iam inde à Theodosij memoria, liquet qua Caesarei iuris ignoratione nullo numero auctores scripserint innumeri, quibus portentis, immo funeribus iurisprudentia confossa sit, quibus laruis sacrosanctae personatae sint leges, vt non temere crediderim Papinianum si à manibus euocetur aut se inter suos non agniturum, aut Gothicis interpretamentis obrutum infelicem putaturum se, quod scripserit. Nempe si id quod res est fateri non pudet, omnia deprauata, omnia adulterinis coloribus illita sunt, nihil prisci characteris, nihil saliuae Romanae, nihil veteris succi, nihil antiquae eruditionis, nihil solidae germanaeque iurisprudentiae superest. Adscita pro natiuis, aduentitia pro castrensibus, succisa pro integris elaborantur. Eóque malo natum est vt ius illud vere Romanum numeris omnibus absolutum, cunctarum fere gẽtium consensu receptum, & satis sua mole laborans, in eruditorum vota transire desierit quod maiestatem, aequitatem, grauitatémque ciuilem, in ciuilibus vmbris & fumosis imaginibus immutauerimus, iactura non hercle paulo minore quam quae Glauco Homerico fuit, dũ χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων permittat. Queritur itaque idque non iniuria Theodosius princeps, defunctum iuris corpus, ossa & cineres eius in vtentium admiratione deridet. Semper dolendo huic funeri qui iusta soluerunt, horum malorum potissimam causam vnam esse non temere prodidere interpretum nostratium catalogum, illegitimum & ignauum ordinem. Quorum ignoratione atque etiam veneratione, eò miseriarum res progressa est, vt à concepta expectatione Iustinianus ἀναλφάβητος σὺν τῷ πεντηκοντάδι πολυμαθεῖ, ceciderint, & omnia confusa in antiquum chaos & veterem syluam prodierint. Summaria pro iuris speciebus, & mortua glossaria pro iureconsultis in ore habentur, nec iam quisquam in honore est nisi Ludouici Romani singularia ad manum habeat cum nil in rebus humanis Romanum sit aut singulare minus. Iam vero & si quid eodem luto factum imbiberint, aut quos vocant legum flores ex Adonidis hortulis collegerint inter Pomponios & Scaeuolas succenturiari desiderãt, & coactis vtcunque versibus ponderatísque, vt aiunt, voculis & versiculis, in verbo, volumina conflant non solum eruditorum oculis, sed & imperitorum manibus grauissima. In ijs enim cum plura congerantur quam digerantur extra chartaceam molem spectabilem nihil aspicies, sed ex hac ipsa vnice pendentia videbis. Verum eò magis animi pondeo maiorique rubore suffundor, quod cum id temporis in Iustiniani, non item in Christi verba iurarint, eò tamen loci auctoritati principis illudere, eiúsque sancitis ac placitis illos sycophantari non pudet. Quippe cum Iustinianus commẽtarios id genus eorúmque similes, sed & meliores ita respuerit, vt nil habuerit antiquius quam id vnum vetare, ne fieret in eo titulo, quem de enucleando veteri iure inscripsit, singulos obliterauit. Ne, inquit, verbositate sua iuris nostri compendium confundant, quemadmodum in antiquioribus factum est cum per contrarias interpretãtium sententias totum pene ius conturbatum sit. Quod pars consulte considerãtes doctorabiles magistri nostri ridicula nescio quae, vel vaniora Siculis gerris effutiũt, non solum ab Imperatorijs legibus ex diametro distantia, sed & funditus aliena & contraria, dicentes opinionem Bartholi si non Accursianae deroget pro lege semper habendam. Idque vnum exploratum habent perinde ac si ex Sibyllinis versibus eruissent: tametsi aut spurium aut nullum habeant auctorem. Cum tamen is apud eos sit triuialis & receptus error, non aliter atque si iura statuissent habendum putant, Barbarij Philippi hominis quondam serui Romae tamen praeturam agentis exemplo suffulti, non item Proculi iureconsulti iudicio innitentes, qui non tam inspiciendum quod Romae factum est, quam quod fieri debuit, doctissime iuxta aequissiméque scriptum reliquit. Quod si tam adulta consuetudo lasciuientis ignorantiae non eò vsque caecam mentem obtunderet, vt sibi ipsa malo esset, nec instar gallinae serpentis ouum excubantis, suum ipsius foueret interitum, viderent vtique nostrates legum propolae & dinundinatores improbi, qua sarcina, quibus auctoramentis, pectus humanum excrucient, qui veteri iugo nouum imponunt, & tantum legum farraginem supper additis iuribus adaugent. Nam vt taceam leges ipsas inter phialas & plagas irae dei ab Apostolicis scriptoribus enumeratas, ideóque iustũ vt αὐτόνομον nullis astrictum, homini tamen ipsi vel impio, modo libero, illiberale nimium existimo, succrescentibus affatim plenáque manu necessitatum articulis illarum auctuarium in caput inquirere. Atqui vt De-

mades eleganter ait τοῖς μὲν δούλοις ἀνάγκη νόμος, τοῖς δὲ ἐλευθέροις νόμος ἀνάγκη. Quænam igitur (malum) ratio puris integrisque corporibus cauterium adijcere, quod tametsi salutare nonnihil spondet, futurum prius tamē vulnus excipias oportet, quàm tempestiuum commodúmque comperias. Quocirca scitè admodum Archesilaus ille, vbi terrarum legum copiam inuenit, illic & malorum lernam & iniustitiæ maximæ piaculum adesse, coiréque dicebat ὥσπερ ἔφη ὅπου φάρμακα πολλὰ καὶ ἰατροί, ἐνταῦθα νόσοι πλεῖσται, οὕτω καὶ ὅπου νόμοι πολλοί, ἐνταῦθα πλείστους κακοὺς εἶναι εἰκός ἐστι καὶ ἀδικίαν μεγίστην. Vides itaque quibus officiis nobis consuluere, quibus beneficijs nos demeruere, qui nostro legum Oceano non contenti in aduentitias Accursy, Bart. Specul. aliorúmque persimilis farinæ leges miseram mentem addixerunt. hi sanè mihi visi sunt ingeniorum carnificinam magno solidæ eruditionis dispendio maioréque ciuilitatis iactura conflasse & instituisse, nihil me iudice flagitiosius in nos admissuri, ni nostro se sanguine inebriasset. Roget aliquis. Sed plura negotia cum sint quàm rerum vocabula & varios fortuna casus affatim emittat, quos nec ius ipsum aut quamlibet ingeniosius artifex præuidere queat, num hic argumētosi homines in harena sua præsertim subsidio appellādi sunt. Respondebo actutum, non videri. Vel illius ergo, quod eo nomine singulis haud dissimilis ansa calumniandi dabitur, & apud eruditione dispares non impar scribendi ius erit, sciolorúmque scripturientium quiuis vnus sacrosanctum iuris mysterium prophana temeritate fœdabit. Proinde ea est flenda licentia, qua tantu intra citráque temporibus nec iniquior habita est vlla, nec perniciosior altera. Nam cum claris & ingenuis hominibus integrum esset ciuilibus sacris solidisque legibus feliciter initiari, & sacrosanctis iuribus imbutis adoptiuis honestari sacerdotum insignibus, quominus tamen id actum sit debemus bellis istis commentariis, quos neglectu literatioribus literis illiteratè nimium in oculis atque etiam in osculis habent. Quibus argumentis personatam leguleorum nostrorum inscitiam nemo mediocriter doctus ignorat, vt dum cytharædi esse non possint, aulædi fiunt, dum iureconsulti nomen & nescio quid maius sibi pollicetur quod altius erigat caput. Aliunde sibi gloriam quæritant, multa ambitione, nulla eruditione fermentatam. Quippe qui natiuam & intercutaneam legum emphasim omittant, solo numerorum aucupio & primoribus legum voculis insidiantes, additis inibi Bal. Pauli Castrensis, Iaso. Immolæ. & nescio cuius Perusini, adde si placet etiam perurendi Angeli sanctionibus in communem optimi iuris iniuriam & ruinam elaboratis. Quorum omnium opera factum est vt ex commentario vnicè pendeant & sapiant, & eo mediusfidius in quo nihil candoris aut vetusti iuris eluceat sed omnia oppositionibus, limitationibus, distinctionibus, quæ suffita singula sinuosis citationum mæandris implicita sunt: quæ si ad amussim examinentur, à germano legis intellectu lectoris ingenium rerum desperatione magis auertunt quam enodatione conuertant. eóque magis excruciant, quod post innumeras fallentiarum (vt aiunt) & contortarum legum voragines, neminem inuenias qui non prioris scripta deprauet, qui non aliam aduersum speciem imponat, qui non pro virili sua digladientur, & in plenum qui non sic iureconsultum sanxisse profectitia lance textu librato trutinet. Quo malo nec aliæ quidem artes nouerunt indignius, nec leges ipsæ deterius punierunt. Idque quàm fuerit ab ingenerata iuris professione dissentaneum, quam sit a iustis legis interpretibus alienum, nullis alijs nominibus appositius ostendi posse confido, quàm ex Titi Gaij & Iulij Pauli commentariis, qui cum fuerint & ipsi doctissimi iuris interpretes, ita vt hic cum Vlpiano iuris coriphæus appellatus sit, alter ex æquo disciplinæ legitimæ verticem cum Papiniano tenuerit, quibus parasangis eorum monumenta à nostris distent, ex eorum saliua, stilo, breuitate, ex ipsáque maiestate eloquij delibare non puto difficile. Tantum enim apud veteres rerum inquisitores illorum potuit auctoritas, vt immensum illud priscarum legum pelagus tot librorum & versuum æquoribus exundans, eorum vigilijs ac laboribus in angustias redactum sit. Iustinianus enim princeps, siue hic redemptor sartorum ac tectorum iuris, siue Tribonianus fuerit, cum gentilem omnibus ciuilis prudentiæ segetem sanctissima opera facere instituisset. Q. Mutium, Gallum, Aquilium, Labeonem, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, Papinianum quoque, in Pandectarum suarum decuriam concepisset. Horum & placita aliorúmque ad septem vsque & triginta qui vulgò enumerantur in delitijs habuit, quibus tantum gratiæ & auctoritatis impertiit, vt & iuris conditorum nomen elatura honestaret, & eorum responsis Digestorum suorum titulos non secus ac centones quosdam consueret. Hi vero cum legis condendæ potestatem non haberent, sed aut conditam interpretarentur, aut non satis expressam speciebus additis illustrarent, vt de iure interrogantibus consulentes iureconsulti, vt legibus δωδεκαδέλτοις inseruiētes & subscribentes, ipsarum interpretes veterum memoria vocitabantur. & quibus primæ longæ delatæ erant, ob earum legum venerationem, quæ & maiestatis pondere, vt M. T. C. ait, & vbertatis vtilitate, quæ sunt, quæ fuerunt, iura omnia superarunt. Ego autem dum in excutiendis nonnullis antiquis officinis summo quondam studio, non minoréque impensa elaboratis nauarem operam, inciderunt in manus Theodosij Imperatoris leges non mutilæ quidem aut mancæ quales vulgò circunferuntur, aut summatim

truncatæ

truncatæ sunt, sed integerrimæ, copiosissimæ, & consulum sub quo latæ sunt singulis sanctionibus imposito nomine, Nouellæ item diui Valentiniani, Augusti, Maioriani, & Seueri, Codex Gregorianus & Hermogenianus, ex libris denique Iuliј Pauli Sententiæ receptæ, Institutionúmque Titi Gaij liber vnus, quem cum Sententijs Pauli imprimendum curaui & tanquam προδρόμους emisi in lucem, vt siquam legentium in oculis gratiam inuenerint, delitescentes socios confestim aduocent. Non quod eo facto rei literariæ abunde consultum iri autumem: tametsi haud sim inscius id non fore literatis munus ingratum, aut quod pia hac expostulatione μισοκάλοις nebulonibus veterem commentariorum vsum immo corruptissimum tantæ confusionis vsumfructum antiquare, vel abrogare, confidam. neque enim id Guilielmo Budæo Galliarum aristarcho per eruditos sudores, doctas annotationes, & singulares antinomias, vel Triboniano ipsi ne dicam Zazio palinodiam indicentes hactenus licuit, vsque adeo εἰ πολλοῖς ὥσπερ Ἰσοκράτης ἔφη πολὺ διεστώσας εὑρήσομεν τάς τε τῶν σπουδαίων γνώμας καὶ τὰς τῶν φαύλων διανοίας. Itaque cum sit id maius quam per priuatam fortunam videatur negotium esse, nimirum ea imploranda est nobis, quæ celestibus arcanis imbuta, terrenis infantijs legem imponere possit. Inuentu quidem difficilis, rara quippe est, sed non eo tantum nomine preclara, tua est ipsissima. Etenim cum ad te vnum summa cum eruditione etiam regni nostri summa peruenerit, & Franciscus Galliarum Princeps Rempub. suam omnem tanquam dotali quodam matrimonio tibi curarum suarum conscio commissam esse voluerit, quem ad tam sanctum laborem apellem, extra te video neminem. Si quidem id ipsum tametsi quisque optimus in intimis habeat, voto nihilosecius impar potentia: non tam futura quam facienda promittit: Principes autem quorum in manu rerum versatur imperium, cum non tam ingeniorum quam terrarum fines dilatare procurent belli magis quam pacis artibus insudant. Ideóque cum vel desiderio robur, vel robori desiderium desit, tu vero vtrumque paratum appositum & ad manum habeas: qui fieri potest vt tu lege matre conceptus, iure patre progenitus, educatus, prouectus, tam insignem & famosam iniuriam vindictæ potens non excutias. Rogant te igitur tibi congenitæ artes, & mansuetiores literæ supplices exposcunt, vt populatis honoribus & spoliatis legitimis hereditatibus illas restituas. neque enim inscius es qua barbarorum hominum impressione à vetere sua gloria iurisprudentia desciuerit, qua male feriatorum commentariorum irruptione prædijs ornatissimis, instructissimis spoliata sit, vt quæ iam olim omnium facile artium peditatu decora, oculatiorum oculos memoriarum veterum concinna deriuatione teneret, reliquis disciplinis lumen afferret, sic colluceret vt nullius splendore deoscuraretur: nunc imprudentibus multorum nugulis oppressa, adulterinis interpretibus prostituta, bonis auitis orbata, lacera, mutila, circumcisa, tandem à sordidissimis iuris helluonibus principatu literarum expulsa est. Vbinam gentium quæso nunc pristinus legum ille candor, vetus sententiarum castimonia, facilis verborum delectus togata grauitate procedens. An num ea ipsa hæc mundiciarum supellex frigida commentariorum nostrorum alluuione diriguit. Atque inuicem deus bone quæ monstra verborum, constandam versuram nobis obijciant, quam ciuilis sermonis egestatem, quam inquinatam sensuum inopiam, quam confusam insolentiam doctrinæ lectoribus suis infundant nemo hercule quisquam ignorat, nisi qui literas non nouit. Verum hoc me magis sollicitat quod cum à disertissimis iuris conditoribus ciuiles doctrinæ futura prouideretur eclipsis qui hanc vetaret dudum inuenire, qui vero puniret etiam tum inuentus nusquam exijt edictum ne fieret facti tamen nullum exemplum vindictæ, eoque malo licentiosáque impunitate consimilis veneni germina prodierunt. Habuit enim & hoc vitium subscriptores suos, adeo in malis multorum est natura princeps. Quippe qui vulgares & circunforaneas leges vtentium moribus conciliatas (quas consuetudines appellamus) ijsdem fere sed minore periculo nempe priuato & prouinciali sycophantijs obruerunt. Quo vno quod commentum aliud infelicius, infantius, infructuosius, excogitari posit non plane compertum habeo. Siquidem cum peculiaris domestica & per se nuda res sit consuetudo, vt etiam eius phrasim vel mucosis naribus anicula subodoretur & sentiat. In hac tamen artium sola euenit, vt cum reliquarum commentarij in lucidiorem rerum intellectum elaborentur, hos tamen eo nomine fieri videmus vt rem natura manifestam ac notam additis corolarijs obscurent. Iam vero inibi quærere consilium non est: num grauate in Principem peccent qui nulla eius auctoritate statas prouinciales consuetudines spurcissimis ineptiis deturpant cum illius vnius sit interpretari cuius & condere. Nunc tantum illud rogatum petitúmque volo, vt si per Principem liceret Burgundionum, Biturigum, & Pictonum, siue aliorum quorumuis plurimorum cõsuetudines positis cõmentarijs adornare, qua forensium causarum vtilitate, quo prouinciarum patrocinio ieiuni literiones ista moliantur. Etenim apud eos receptam, vt si consuetudo legi deroget, illam abroget. Sin minus quodnam operæprecium facturos autumant, vel nullo ponderis incremento leges addere, vel in rebus haud quaquam arduis & leuibus verba prodigere, peregrinas quæstiones illic consuere, arcem ex cloaca tentare, ex eáque tam moli cera nullam plastes manum desideranti omnium turpitudinum idola continere. Planè & ex ea familia nõ-

nulli adoleuerunt simioli, qui rem eam mollioribus articulis tractare studentes, non eò tantum loci vim legibus intulere, sed & ex humanarum artium pomerijs minutissima quæque musis iratis ab inuita & reluctante Minerua detorserunt. Ad hæc & vt omnigenæ eruditionis promptuarium conflari videantur, homines nulli oneri ferendo sua sententia non impares, statim atque non pœnitendorum auctorum sententiolas inseruere, ne quid, inquiunt, sitibundo desit lectori, medicorum exuccorum & theologorum corruptissimorum quorumuis nænias agglutinant, ex ea promiscuorum dogmatum circunfluente copia, verorum & syncerorum inopiam contrahentes, non satis, vt res docuit, existimantes nullam esse rerum earum copulam fidelem quas peculiari quodam diuortio natura ipsa distinxit. Hæc est si dijs placet interpretum neotericorum fœtura nobilis, hæc ciuilis prudentiæ nostræ clara progymnasmata, quæ principum & magistratuum indulgentia concepit, legales commentarij peperere: ô tempora? ô mores? ô scelus? ô portentum in vltimas terras exportandum? Quousque tandem vires nostras ignorabimus? Tandem ne aliquando sapiemus? & veteres illos iureconsultos, & benedicendi heroas plenis pectoribus imbibemus? Verum id fieri, qui potest, in tanto discrimine rerum, & compugnante doctrina, in dispondijs interpretibus? nuntium remittentes illos sero tyrocinio vberioris frugis obliteremus. Verum, inquies, si non ita Deus Optimus Maximus, vt Homerus eleganter ait, sua dona quibuslibet impertijt, sed alijs ingenij acumen, alijs mentis dispendio formam, alijs eloquij nitorem infudit: certum quidem est non omnia omnibus passim obuia esse, & plerósque adeo infelici & obtuso marte creatos, vt diffiteri ingenio cogantur & aliunde quærere adiumenta doctrinæ. Vin tam imperiose dices tam exacte támque seuere legum doctrinam vocare ad calculos & ad istas verborum angustias & literarum angulos monogrammos cogere lectores, vt iis ipsis adventitiam interpretationem abneges, qui per ætatem aut illiberalem institutionem, castrensem sibi quærere non possunt. Ecquis dixerit quispiam legum scirpos, & latentium tot tantarúmque rerum simulachra rudi populo, salebrosas quoque iuris species inter titulorum spineta delitescentes litigantibus enodabit, nonne hic auxilio vocandus est Accursius? Minimè omnium. Legum quippe ministri, inquit M.T. magistratus, legum interpretes iudices. his enim solis quantum deprehendere ex Iustiniano licet iuris titulos eorúmque subtilitates paratitlis, & admonitoriis (sic enim vocat) interpretari fas est, alijs autem si principis fides apud nos labefactata non fuerit, numquam licebit impune. Sed quid (superi) si qua nasci iura deberent atrox hinc adolescat iniuria, & qui legibus facem preferre, & ex suo lumine lumen accendere iubentur iudices, inscitiæ tenebris exoculati peregrinam lucem & quasi subsidiariam inferre cogantur. καὶ μάλα γε, sed quo liberalium artium incommodo vsus edocuit, nam & legitimæ auctoritatis suæ immemores, & ad singula rerum ignoratione conniuentes cuiusuis familiæ scripturientis conuenas in iudiciis exceperunt, & omnia repagula iuris & humanitatis infregerunt. Cum vero tam acerbam támque insignite contumeliosam iniuriam nec fortes possent nec ingenui pati, qui arcanis legalibus & ciuilibus adytis nobiles curas intulere, illius ergo tragediam mouerunt rei me iudice insectatione dignissimam. Sed parum proficientibus probis in tanta improborum copia, & vbertate male sentientium hominum: de ciuilibus literis actum & conclamatum augurabantur literati omnes, ni ipse tu qui fessis rebus cunctando accurris, actutum occurrisses violatis legibus refrigerium illaturus, & obruptis captiuísque iuribus felix futurus recreator. Id vnum sane nos vnice cuncti plena votorum nuncupatione à te poscimus, vt memoriæ nostræ calamitatibus alioqui publicis & nefarijs bellis insigni rem pace dignissimam impertias: & quod edicto quamlibet imperioso Iustinianus in posteros erogare non potuit, id tua maiestas nobis condonet, & sanctionibus vberrimis confusum iuris studium in gradum reponat. His de caussis T. Gaij & I. Pauli libelli ad te veniunt, vt si quid de legibus aut Repub. bene sint meriti si quod posteritati beneficium tam sancti labores intulerunt. Illos deprauatis iuris helluonibus liberans, incrementis lustralibus decuriatos, in Latinam coloniam iterum remittas. Hoc si feceris (quod frugi homines exposcunt) intermortuam iuris humani, Romani memoriam magno cum fenore restitues, & tanquam postliminio reuersam iterum ciuitate donabis. Confloresces & tu quotidie, & quantum edax rerum tempus operibus tuis detrahet, tantum afferet laudibus, nec vlla vnquam ætas de nominis tui gloria conticescet. Nec me preterit intentatum hactenus opus, confragosam lubricámque viam esse, nec qua peregrinari cuiuis vni fas aut facile fuerit, arduæ præterea fore molis ac magnum. Verùm memineris tu quò difficilius, eò gloriosius semper existimatum. Et quoniam id omnium opinione magnum est, ideo viro vndiquáque magno, & quo nil maius habet noster orbis dicatum est. Alioquin & quicquid erat id operis quod tibi deuoueo videri poterat humilius, quam vt tibi cederet in munus. Sed quoniam maxima non nisi maximis ingenijs committenda & examinanda sunt non temere creditum auguror, vt quod ad instaurandas leges & restituendum in integrum quod singulos beneficio suo restituit non alteri consecrandum esse quam summo tibi iuris principi ad quem tanquam ad aram legum & iuris asylum Galliæ confugiunt. Quod si hac religione postulationem hanc nostram exci-

pias

pias qua pietate, iustitia, & æquitate reliquorum vota parandis, futurum speramus vt in demortui Papiniani vnius locum Caios centum totidémque Paulos Gallia deferat. Bene vale. Pridie octauo Kalendas Apriles.

IO. TILIVS ENG. EMARO RANCONETO IN MAGNO SENATV REGIS CONSILIARIO S.

QVamque hic Domitij Vlpiani libellus, cuius te ante annos quinque participem feci, ita permultis scatet mendis, vt edendus minimè fuisse videri possit: tamen assiduis amicorum efflagitationibus contra nostram vtriusque sententiam eum publicare hoc tempore cogor. Sperabam certè aliquando fore, vt emendatius exemplar in manus veniret, cuius ope huius deprauatio mutilatióque sarciretur. Quod cùm diu frustrà sperauerim, lectores boni consulent, si è deprauatiss. archetypo non pessimum exemplar sibi dari intelligent: præsertim nobis religiosè cauentibus in huiusmodi vetustorum monimentorum reliquiis, ne quid detrahatur, addatur, immutetur, nisi se mendæ luce clariores prodant. Nolumus enim de nostro quidquam adiici, liberúmque de locis dubiis cuique iudicium relinquimus, interea dum melioris codicis auxilio vti non licet. Sed quis tandem est, qui non corruptum librum habere malit, quàm perpetuò desiderare, in quo præsertim non pauca inueniat, tum ad iuris ciuilis scientiam, tum ad humaniores literas intelligendas pertinentia? Scriptionis genus Institutiones quasdam refert, quas Vlpianum scripsisse cùm multæ capitum inscriptiones in Pandectarum libris, tum Boëtius Seuerinus in iis Commentariis, quos ad Ciceronis Topica conscripsit, facile ostendunt. Ac ipsa quidem verba Vlpiani esse vt non dubito, ita affirmare audeo ἐπιτομὴν duntaxat esse quandam eorum quæ Vlpianus erat multis libris persecutus. Quod ea inscriptio quam antiquus codex habet, indicare videtur: TITVLI EX CORPORE VLPIANI. Adde quòd hic libellus coniunctus erat ei Satyræ, quam Alaricus Gotthorum olim Rex de legibus Romanis collegerat è Theodosiano, Hermogeniano & Gregoriano: itémque è νεαρῶν libris, T. Caij Institutionibus, & I. Pauli Sententiarum libris V. Quod volumen deprauatum admodum sub Theodosiani Codicis nomine superioribus annis Germani publicarunt. Alaricus enim ipse sua quadam præfatione, quam plerique nostri Codices manuscripti habent, testatur ex illis legibus se quantum vsui erat excerpsisse: quod etiam vel prima lectione quisque qui vel parum iudicio valeat, facile deprehendet. Quæ omnia intra paucos menses à nobis emendatiss. edentur, cum magna Theodosiani Codicis parte, qualis olim à Theodosio promulgatus erat, in quo veterum Imperatorum Constitutiones longè ampliores licebit agnoscere, quarum partim in Iustiniano Codice corruptæ mutilæque leguntur, partim ante M. annos latuerunt. Sunt in his Græcæ aliquot: sunt de iure fisci & populi, sunt de his rebus, quas in tres Codicis posteriores libros Iustinianus reiecit, innumeræ. Quas maiore cum fructu an voluptate homines lecturi sint, non facile dixerim. Ego verò dum eum thesaurum in gratiam iuris legúmque studiosorum emittendum meditor, interea hunc libellum quasi primitias quasdam, in tuo nomine apparere volui, propter veterem nostram studiorum coniunctionem, vt huius editionis gratiam studiosi omnes tibi se debere fateantur. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Kal. Decemb. 1549.

CLARISS. ATQVE AMPLISS. VIRO CHRISTOPHORO THVANO CELIO EQVITI, REGNI CVRIÆ PRÆSIDI PRIMARIO, & sacri Consistorij Senatori, P. Pithœus S.

CVR has ad te veterum iuris auctorum reliquias vltro deferam, non vna causa est, Præses amplissime, sed ea maxime iusta, quod quæ nonnullis fortasse contra Iustiniani Principis interdictum in lucem prolatæ videbuntur, eas oportuit sanctiore aliquo nomine defendi aduersus ingratissimorum hominum aut calumnias, aut ineptias, qui vel dissimulant, vel nesciunt, ab illo quidem comparationem modo & in iudiciis recitationem apud suos prohibitam, nos verò Romanarum legum maiestatem sic comiter conseruare, vt tamen illis nihil in nos licere patiamur, nisi quod earum rationi & æquitati non auctoritati & sanctioni concedimus. Cuius verò ad hanc defensionem augustius nomen eligi potuit quàm tuum? quo demum Præside purior hæc Iurisprudentia vsu fori recepta est, quique iuris nostri in summo isto Galliæ tribunali ita clauum tenes, ita regis, vt quod ille olim vir maximus, tu σῶμα Senatus & quodammodo ἔμψυχος νόμος non immerito dici possis. Sed est & quod tu iure quodam tuo virilem tibi portionem vindicare queas in nostris omnium operis quarum patronus es summus, aut potius pater, quando tibi pietatis quam potestatis nomen gratius esse summa tua humanitas non obscure suadet. Accessit & illa paternæ quondam erga te obseruantiæ recordatio, qua te non leuiter affectum sensi, cum patriæ nostræ Historiæ particulam ea fronte exciperes, vt familiaris atque etiam amici quondam tui os, oculos, vultum, illam denique naturæ similitudinem in filio non inlubenter recognoscere videreris. Quæ res, vt verum fatear, animum sic accendit meum, vt ab eo tempore optarim semper illum mihi diem dari quo & benignitati tuæ aliqua saltem ex parte respondere, & genere quodam officij testari possem illam me paternæ in te obseruantiæ hereditatem non tam creuisse, quam continuatione quadam animi retinuisse. Accipies igitur hoc ab homine tibi tuisque virtutibus addictissimo munus, non magnum illud quidem, sed tale tamen quale tibi & per te publicæ vtilitati hoc tempore præstare potui, maiora fortasse aliquando præstaturus si quem Deus mihi animum erga Remp. dedit, eum ipse pro sua singulari clementia quibus potest modis confirmet, augeat, instruat, adiuuet, tueatur. Bene vale vir amplissime. Lutetiæ Parisiorum Kalend. Octob. M. D. LXXII.

Ex eiusdem præfatione P. PITHOEI *in Notas suas.*

EX EIVSDEM PETRI PITHOEI PRÆFATIONE IN NOTAS SVAS.

INAVDIERAM *equidem antea fuisse ex priscis scriptoribus aliquem qui cum Moysis legibus Romanas contulisset: ac memini Io. Tilium antiquæ eruditionis hominem, cum de veterum Iurisconsultorum reliquiis sermo esset, narrare solitum, habuisse aliquando se eius operis fragmenta pauca, quibus ille Licinnij Rufini nomen tribuebat, an ex coniectura, an potius ex veteris libri fide non satis scio. Illud affirmare liquet quæ nunc damus ex antiquissima Sequanorum aut Mandubiorum potius bibliotheca, in qua per annos octingentos & amplius latuerunt, nõ esse Licinnij Rufini, cuius nomine ad Iulium Paulum in libris nostris Cõsultatio inscripta est: ac, vt quod sentio, dicam, non fuit tanti hæc collectio quæ aut Licinnij aut Iuriscõsulti alicuius paulo clarioris ingenium & acumen desideraret. Tota illa operæ fuit, sed eius operæ cuius pretium iniuria temporis sic incendit, vt iam nihil fortasse hoc genere tanti videatur. Nam vt concedamus plures veteris iuris P.R. regulas vnius Vlpiani Titulis contineri, sane & illi præterquam quod ab his nostris nomen suum partesque mutuantur, vnius, vt ita dicam, genij notionisque sunt, nec tam perspicue repræsentant quid Tribonianus, quid collegæ in excerpendis digerendisque & huius & aliorum scriptis sibi cõcesserint. Qua de re in eo tractatu quem de libris vtriusque iuris pridem delineauimus, plenius disseremus. Nunc de collectore huius libelli, cuius nomen titulumque exemplar ipsum prioribus duabus paginis purum non prætulit, hoc tantum dicere possumus, videri eum Theodosii iunioris temporibus vixisse, & post consulatum quidem ipsius XV. quo demum Codex editus legitur, ex quo hic Constitutionem retulit vnam, non omissurus, vt verisim ile est, de homicidio non voluntario Valentiniani singularem legem si tum quoque edita, aut in certum Nouellarum corpus redacta fuisset. Sed de re incerta nihil temere affirmare velim. Illud potius mirer, cur hic idem illam de impudicis legem non ex Præfecturæ Vrbanæ scriniis, sed ex Theodosiano Cod. pleniorem recitat quàm hodie in corpore ipso extet, quod hac quidem parte pro integro eiusdem Tilij beneficio hactenus habuimus. Ceterum quod ad nos attinet, in horum editione veteris libri scripturam bona fide expressimus, retentis etiam leuioribus mendis si quæ varias coniecturas reciperent, quibus ne in ora quidem exemplaris locum dedimus, vt sua cuique libera diuinatio liberumque esset iudicium. Quæ inter exscribendum relegendumque occurrerant, in hunc locum reiecimus.*

TITVLI CODICIS GREGORIANI OMISSI POST TITVLOS NOVELLARVM RESTITVENDI.

Codicis Hermogeniani tituli.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII IMPERATORII.

RVDOLPHI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti publico edicto cautum est Sebastiano Niuellio ciui & typographo Parisiensi, & sancitum, ne quis cuiuscumque gradus, ordinis, status, conditionis ac dignitatis, siue sit Bibliopola, siue alius quilibet, quacunque Sacri Romani Imperij & ditionis eius patent fines, hæc IAC. CVIACII. I.C. OPERA, absque ipsius Niuellij heredúmve eius consensu, intra decennium, eadem aut alia minori forma excudat aut excudenda curet, vendat ipse, aut cuiquam diuidenda mandet: aut denique ab aliis excusa intra eiusdem Rudolphi & Imperij fines diuidenda importet, seu quouis alio modo & prætextu manifestè aut occultè distrahat. Alioqui sibi, præter librorum amissionem quos per se, vel per suos, vbicumque locorum nactus fuerit, auctoritate propria sibi vendicare poterit, mulctam X. marcar. auri puri irrogatam sciat: quarum dimidia Imperiali fisco, residua verò pars ipsi Niuellio eiúsve heredibus cedet, vt latiùs patet in ipso diplomate, dato Pragæ vndecima die mensis Februarij, anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

Subsignat. RVDOLPHVS.

Ad mandatum sacræ Cæsareæ maiestatis proprium. AERCENBERGER.

EXTRAIT DV PRIVILEGE DV ROY.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France, & de Pologne: A noz amez & feaux les gens tenans noz Courts de Parlemẽt, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, Iuges ou leurs Lieutenans, & à tous noz autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut & dilection. Nostre cher & bien aimé Sebastien Niuelle, Marchant, Libraire iuré en nostre Vniuersité de Paris, nous a faict humblement exposer, que depuis quelque temps en ça, il auroit recouuré les Oeuures en droict de nostre aimé & feal Cõseiller en nostre Court de Parlement de Grenoble, Maistre Iaques de Cuias, par luy reueuës & augmentees de plusieurs & diuers traictez, redigez en certains Tomes: lesquelles œuures en droict, ledict Niuelle feroit volontiers imprimer, mais il doute qu'il se trouuast frustré de son labeur & trauail, & des grands fraiz qu'il luy conuient faire si par autre ils estoient reimprimez, requerant sur ce luy estre pourueu de remede conuenable. POVRCE est-il que nous voulãs par tous moyens à nous possibles, fauoriser les amateurs des lettres & sciences, mesmes de celles de droict, par laquelle la iustice est administree à noz subiects, auons pour ces causes & autres iustes considerations à ce nous mouuans, à iceluy Niuelle permis & ottroyé, & de noz graces speciales, pleine puissance, & auctorité Royale, permettons & ottroyons par ces presentes, qu'il puisse & luy loyse imprimer ou faire imprimer tous les liures, tant ceux qui ont esté par cy deuant imprimez & depuis reueuz & augmentez par ledit de Cuias, que ceux qu'il entend de nouueau mettre en lumiere, sans qu'aucuns autres Imprimeurs ou Libraires, sans l'expresse permission & congé dudict Niuelle, puissent de dix ans entiers & consecutifs, à compter du iour de la premiere impression paracheuee, imprimer ou faire imprimer, vẽdre ne debiter lesdicts liures ailleurs imprimez sans son congé & permission, sur peine de mille liures parisis d'amende, applicable moitié à nous, & l'autre moitié audict Niuelle, saisie & confiscatiõ desdicts liures ainsi imprimez sans sondict congé & permission, & des despens, dommages & interests d'iceluy Niuelle. VOVLONS EN OVTRE, & nous plaist qu'en inserant le contenu en ces presentes, ou l'extraict d'icelles au vray à la fin ou au commencement desdicts liures imprimez par ledict exposant, ou par sa permission, elles soient tenues pour suffisammẽt signifiees & notifiees à tous Libraires & Imprimeurs, tout ainsi que si nosdictes lettres leur auoient esté particulierement monstrees, & d'icelles baillé copie. Et neantmoins mandons & commandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, les signifier à

tous ceux que bon semblera audict Niuelle, & leur faire de par nous les defenses y contenues. Et outre adiourner par deuant celuy de vous auquel la cognoissance en appartiendra les infracteurs des presentes, pour se voir condamner és peines susdictes, & autrement proceder ainsi que de raison. SI VOVS MANDONS, *& à chacun de vous endroict soy enioygnons, que de noz presens permission, priuilege & ottroy, ensemble de tout le contenu cy dessus, vous faictes, souffrez & laissez iouyr & vser ledict suppliant plainement & paisiblement, sans luy faire, mettre ou donner, ne souffrir luy estre faict, mis ou donné aucun trouble ou empeschement au contraire. Lequel si faict, mis ou donné luy estoit, reparez & remettez ou faictes reparer & remettre incontinent & sans delay au premier estat & deu. Car tel est nostre plaisir. Nonobstant quelconques edicts & ordonnances, statuts, mandemens, restrinctions, defenses & lettres à ce contraires. Ausquelles & aux derogatoires nous auons derogé & derogeons par cesdictes presentes.*

Donnees à Paris, l'an de grace mil cinq cens soixante & seize, le 24. iour de Iuillet. Et de nostre regne le troisiesme.

Par le Roy à la relation du Conseil.

TARON.

EXTRAICT DES REGISTRES DE PARLEMENT.

VEVES par la Chambre ordonnee au temps des vacations, les lettres patẽtes du Roy, en date du 23. iour de Iuillet dernier, signees par le Roy, à la relation du conseil, Taron, obtenües par Sebastien Niuelle, Marchãt Libraire iuré en l'Vniuersité de Paris: par lesquelles & pour les causes y cõtenües, ledict Seigneur permet & ottroye audict Niuelle, d'imprimer ou faire r'imprimer par tel Imprimeur que bon luy semblera, les œuures en droict de maistre Iaques Cuias Docteur és droicts, Conseiller dudict Seigneur en son Parlemẽt de Grenoble, par luy reueües & augmẽtees de nouueau, & distribuees en certains Tomes. Auec defenses à tous Libraires & Imprimeurs, d'icelles imprimer, ne faire imprimer pendant le temps & terme de dix ans entiers & cõsecutifs, sans expresse permissiõ & congé dudict Niuelle, sur peine de confiscation desdicts liures ainsi imprimez sans congé, & de mil liures parisis d'amẽde, moitié applicable audict seigneur Roy, & l'autre moitié audict Niuelle, & de tous dommages & interests: voulant qu'en inserant lesdictes lettres, ou l'extraict d'icelles deüement collationné à la fin ou au cõmencement desdicts liures imprimez, elles soient tenües pour notifiees à tous Libraires & Imprimeurs, & n'en puissent cy apres pretendre cause d'ignorance, comme plus au long le contiennent lesdictes lettres. La requeste presentee par ledict Niuelle, tendant à fin de la verification desdictes lettres, les conclusions sur ce du Procureur general du Roy, auquel elles auroient esté communiquees, & tout consideré: Ladicte chambre en enterinant lesdictes lettres, a permis & permet au suppliant iouyr de l'effect & contenu en icelles. Faict en la Chambre des vacations, le 11. iour d'Octobre, l'an 1576.

Ainsi signé, DE HEVES.

Acheué d'imprimer le 15. iour de Mars, l'an de grace mil cinq cens quatre vingts & six.

& Io. Tilio profecta & à me explicata, studiosis fructum ferrent, summam operam dedi. Vtinam verò & mihi hac in re Io. Tilij, quos habet quam plurimos, libris vti licuisset, exissent forsitan locupletiora & emendatiora: quamquam tot iam conquisiuimus & obtinuimus eius generis exemplaria, vt vix adduci possim vt credam his, quæ nunc damus, proferri posse meliora. Ceterùm operæpretiũ est de reiectis à me antiquis interpretationibus earúmque auctore, vt apud te rationem aliquam reddam. Alaricus, vt scis, Gotthorum rex fuit: Tuus Codex Tolosæ regem appellat. Codicis enim auctoritatem, quod & Commonitorium dicitur, ad Timotheum V.S. Comitem emissum referret IIII. Non. Febr. anno XXII. Alarici regis Tolosæ. Fuit ei vrbs ea sedes ac domicilium regni. Is cùm Romanos quos armis subegerat, præterquam quod legibus Gotthorum obligari se molestè ferrent, ceterùm dicto audientes cerneret, alias leges Gotthis dedit, alias ex Romanorum libris suo tamen arbitrio, decerpi, quibus inter se Romani vterentur, facilè passus est. Ac in eligendis quidem his Aniani viri spectabilis eum opera vsum ex subscriptione Auctoritatis à Petro Ægidio Antuerpiæ primùm editæ, liquidò constat. Ex inscriptione autem quæ integra in tuis libris extat, non has tantum iussu Alarici electas, sed etiam explanatas fuisse deprehendimus, & idcirco diu idémne fuisset explanandi qui & eligendi minister cùm addubitassemus, tandem nobis hæc ad Valentiniani Constitutionem de responsis prudentum interpretis verba, omnem scrupulum exemere. *Sed ex his*, inquit, *omnibus iuris consultoribus ex Gregoriano, Hermogeniano, Caio, Papiniano, & Paulo quæ necessaria causis præsentium tẽporum videbantur, elegimus.* Itaque elegisse se cùm interpres profiteatur, & verò Anianum elegisse constet, eundem & eligendi & interpretandi munus obiisse omnino probandum est. At vereor ne callido commento Romanis Alaricus imposuerit sub speciem legum Romanarum interpretationes Gotthicas ab earum plerumque sententia alienissimas obstrudens: quandoquidem eæ proinde ac leges ipsæ ex Romanorum libris repetitæ, ex Alarici auctoritate vim legum obtinuerunt, & ad extremum ipsas etiam leges velut in suam potestatem redegerunt, adeo vt illis rescissis solæ Aniani interpretationes in foro & subsellis volitarent, prorsusque (vt Sidonij Apollinaris verbis vtar) leges Theodosianæ calcarẽtur, Theodoricianæ proponerentur. Hic est Theodoricus Alarici socer, qui à Francis genero ademptum regnum non multo post recepit.

ELENCHVS AVTHORVM EX QVIBVS HOC volumen congestum est.

D. *Theodosij A. Cod. Lib. XVI.*
Eiusdem Nouellarum Liber I.
D. Valentiniani Nouellarum Lib. II.
D. Martiani. A. Nouellarum Lib. III.
D. Maioriani. A. Nouellarum Lib. IIII.
D. Seueri. A. Nouellarum Lib. V.
D. Anthemij. A. Nouellarum Lib. III.
Ex Gregoriano Codice Tituli.
Ex Hermogeniano Codice Tituli.
XII. Tabularum fragmenta.
Fragmenta ex libris Institutionum Gaij.
Eiusdem Gaij Institutionum Epitome.
Volusij Metiani de Asse Liber singularis.
Fragmentum ex Papiniani libro I. Responsor.
Iulij Pauli Sententiarum receptarum lib. V. cum Aniani interpretationibus.
Eiusdem Pauli fragmentum ex lib. II. Institutionum.
Domitij Vlpiani Regularum Liber singularis.
Fragmentum ex Modestini libro III. Regularum.
Lex Dei, siue Mosaicarum & Romanarum legum vetus collatio.
Consultatio veteris cuiusdam I C.
Fragmentum ex Dosithei Magistri Grammatica.
Stemma quemadmodum hereditates lege redeant.
Burgundionis I C. qui Papiani Responsorum titulum prætulit, liber.
Notæ Iuris à Magnogne collectæ.
Notæ Iuris ex Valerio Probo.
Chronologia omnium Constitutionum Imperatoriarum quæ in his III. Codicibus & Nouellis referuntur, seu rata Consulum, Mensium, ac Dierum ratione.
Additi sunt rerum omnium notabilium Indices locupletissimi.

INDEX TITVLORVM CODICIS THEODOSIANI EX ORDINE LIBRORVM DESCRIPTVS.

Primi libri Tituli.

Secundi libri tituli.

Tertij libri tituli.

Quarti libri Tituli.

Quinti libri Tituli.

Sexti libri Tituli.

Septimi libri tituli.

Octaui libri Tituli.

Noni libri tituli.

Decimi libri tituli.

Vndecimi libri Tituli.

Duodecimi libri tituli.

Decimitertii

Decimitertij libri Tituli.

Decimiquarti libri Tituli.

Decimiquinti libri Tituli.

Decimisexti libri Tituli.

Index Nouellarum Impp. Theodosij, Valentiniani, Martiani, Maioriani, Seueri, & Anthemij.

In exemplari ex quo ista descripsimus, erat hic Nouellarum *ordo, quem licet omnino non probaremus, studiosos tamen celare noluimus.*

Prior numerus, Nouellæ numerum, Posterior, paginam dabit.

Incipit liber II. Diui Valentiniani A.

Legum Nouellarum D. Martiani A. lib. III.

Legum Nouellarum D. Maioriani A. Lib. IIII.

2 De

Legum Nouellarum D. Seueri A. lib. V.

Legum Nouellarum liber D. Anthemij A.

TITVLI CODICIS THEODOSIANI PER LITERARVM SERIEM DISPOSITI.

Primus numerus librum, secundus titulum, tertius paginam notat.

A

B

C

†††

I

L

M

Naturalibus

N

O

P

INDEX LEGVM NOVELLARVM IMPP. THEODOSII, VALENTINIANI, MARTIANI, MAIORIANI, SEVERI ET ANTHEMII,

Per seriem litterarum digestus.

Manichæis

INDEX TITVL. GREGORIANI ET HERM. COD. per seriem literarum.

FINIS.

.INCIPIT LEX ROMANA.

IN HOC CORPORE CONTINENTVR leges siue species Iuris de Theodosiano & diuersis libris electæ, & sicut præceptum est explanatæ, anno XXII. regnante domino Alarico Rege, ordinante viro inlustri Goiarico Comite. EXEMPLAR AVCTORITATIS. *Commonitorium Timotheo V. S. Comiti.*

VTilitates populi nostri propitia diuinitate tractantes hoc quoque quod in iure habebatur iniquum, meliori deliberatione corrigimus: vt omnis legum Romanarum, & antiqui iuris obscuritas adhibitis sacerdotibus ac nobilibus viris, in lucem intellegentiæ melioris deducta resplendeat: & nihil habeatur ambiguum vnde se diuturna aut diuersa iurgantium impugnet obiectio. Quibus omnibus enucleatis atque in vnum librum Prudentium electione collectis, hæc quæ excerpta sunt, vel clariori interpretatione composita, venerabilium Episcoporum, vel electorum prouincialium nostrorum roborauit adsensus. Et ideo subscriptum librum, qui in † tabulis habetur collectus Goiarico Comiti pro distringendis negotiis nostra iussit clementia destinari: vt iuxta eius seriem vniuersa causarum sopiatur intentio: nec aliud cuilibet aut de legibus, aut de iure liceat in disceptationem proponere, nisi quod directi libri & subscripti viri spectabilis Aniani manu, sicut iussimus, ordo complectitur. Prouidere ergo te conuenit, vt in foro tuo nulla alia lex neque iuris formula proferri vel recipi præsumatur. Quod si factum fortasse constiterit, aut ad periculum capitis tui, aut ad dispendium tuarum noueris facultatum. Hanc vero Præceptionem directis libris iussimus cohærere, vt vniuersos ordinationis nostræ & disciplina teneat & pœna constringat. Anianus vir spectabilis ex præceptione D. N. Gloriosiss. Alarici Regis hunc codicem de Theodosiani legibus atque sententiis iuris vel diuersis libris electum Aduris anno XXII. eo regnante edidi atque subscripsi. Recognouimus. Dat. sub die IIII. Non. Feb. anno XXII. Alarici Regis Tolosæ. Et iterum anno XX. regnante Karolo Rege Francorum & Longobardorum & Patricio Romanorum.

† qui in thesauris nostris habetur oblatum tibi pro discutiendis.

CODICIS

CODICIS THEO-DOSIANI LIBER PRIMVS.

De Constitutionibus Principum & edictis. Tit. I.

I. Imp. Constantinus A. ad Lusitanos.

SI QVA posthac Edicta, siue Constitutiones, sine die & Consule fuerint deprehensa, auctoritate careant. Dat. VII. Kalendas Aug. Sabariæ, Probiano & Iuliano VV. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Quæcũque leges sine die & Consule fuerint prolatæ, non valeant.*

II. Imppp. Valentinianus, & Theodosius, & Arcadius AAA. Flauiano PF. P. Illyrici & Italiæ.

Perpensas serenitatis nostræ longa deliberatione, Constitutiones nec ignorare quenquam, nec dissimulare permittimus. Dat. VI. Kal. Iunij, Vincentiæ, Tatiano & Symmacho COSS.

INTERPRETATIO. *Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere.*

III. Iidem AAA. Aureliano PF. P.

Omnia constituta non præteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam imponunt. Dat.† IIII. Kal. Mar. Constantinopoli, Domino Theodosio Aug. III. & Abundantio v. c. COSS. † IIII.

INTERPRETATIO. *Omnes leges, non ea quæ anteriore tempore acta sunt damnant, sed in futurum obseruanda constituunt.*

IIII. Iidem AAA. Victorio Proconsuli Asiæ.

Generale præceptum beneficio speciali anteferendum est. Dat. XII. Kalen. Sept. Constantinopoli, Theodosio Aug. III. & Abundantio v. c. COSS.

INTERPRETATIO. *Legem, quæ communiter omnes tenet, unius persona vel una causa non euacuet.*

De diuersis Rescriptis. Tit. II.

I. Imp. Constantinus A. ad populum.

COntra ius rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim publica iura præscribunt, magis sequi Iudices debent. PP. IIII. Kalend. † Septemb. Romæ, Constantino Aug. IIII. & Licinio IIII. COSS. † Martias.

INTERPRETATIO. *Quæcunque contra leges à Principibus fuerint obtenta, non valeant.*

II. Idem A. Crepereo Donatiano.

Rescripta, quibus vsi non fuerint qui in fata concedunt, heredes possunt allegare, vt congruè impetrata successoribus emolumenta conquirantur. PP. Id. Decemb. Constantino Aug. v. & Licinio v. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Beneficia Principum, quæ illi qui meruerunt, interueniente morte, non fuerint consecuti, successoribus eorum exequi liceat, vt beneficia heredes ab auctoribus suis impetrata percipiant.*

† Seueriano P. V.

III. Idem A. † Seuero PF. P.

Quoties rescripto nostro præiudicium vel moratoria præscriptio remittitur, aditus supplicandi pandatur. Quod autem totius negotij cognitionem tollit, & vires principalis negotij exhaurit, sine graui partis alterius dispendio conuelli non potest. Nec præscriptionis igitur peremptoriæ relaxatio petatur, nec cōtra edictum supplicetur. Dat. x. Kal. Iun. Niciæ, Paulino & Iuliano VV. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Moratoria præscriptio dicitur, quæ causam prolongat, id est, quando induciæ à litigatore petuntur à Principe. Peremptoria, quæ causam principalem tollit, id est, si litigator beneficio Principis sine iudicio causam velit extingui. Et ideo moratoria præscriptio per rescriptum Principis supplicantibus concedi potest, peremptoria concedi non potest, & si concessa fuerit à Principe, non valebit.*

IIII. Idem A. ad Barbarum Pompeianum, Consularem Campaniæ.

Etsi non cognitio sed executio mandatur, de veritate precum inquiri oportet, vt si fraus interuenit, de omni negotio cognoscatur. Dat. III. Id. Nouemb. Aquis, Dalmatio & Zenophilo VV. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicquid non vera, sed falsa petitio à Principe obtinuerit, quia fraus interuenit, non valebit.*

V. Idem A. & Iulianus Cæsar, ad Taurum PF. P.

Multabuntur Iudices, qui rescripta contempserint aut distulerint. Dat. III. Non. Iul. Mediolani, Constantino A. IX. & Iuliano COSS.

INTERPRETATIO. *Feriantur iudices damno, qui data secundum leges Principis præcepta contempserint, aut conludio quocunque distulerint.*

VI. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. Floro PF. P.

Vniuersa rescripta, quæ in debitorum causis super præstandis dilationibus impetrata sunt, rescindantur: cum sint acerbius perurgendi, qui Mansuetudinis nostræ pudore fatigato, non quod vtilitatibus publicis, sed quod suis fraudibus conueniret, aspexerint. Data † VII. Kal. Martias, Cōstantinopoli, Antonio & Syagrio VV. CC. COSS.

† VIII.

INTERPRETATIO. *Si cuiuslibet rei debitor conuictus, propter differendam solutionem à Principe inducias impetrauerit, beneficium quod obtinuerit non valebit, sed cautionem suam implere cogatur.*

VII. Iidem AAA. Principio PP.

In fraudem annonariæ rei ac deuotionis publicæ elicitum damnabili subreptione rescriptum, manifestum est iure nō posse vires sortiri: circa omnes igitur par atque æqualis inlationis forma teneatur. Dat. VIII. Kalend. Octob. Aquil. Arc. A. I. & Bautone V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis Principis beneficio impetrauerit, vt cum reliquis pos-*

ſeſſoribus tributa non ſoluat, hæc impetratio penitus non valebit. Circa omnes enim poſſeſſores leges æqualem inlationis formam ſeruare præcipiunt.

ALITER. *Ne quis poſſeſſor Principis beneficio ſoluere tributa recuſet.*

VIII. Impp. Arc. & Hon. AA. Remigio PF. P. AVG.

Dubium non eſt, conteſtationem intelligi, etiamſi noſtræ fuerint Tranquillitati preces oblatæ, eáſque aduerſus heredem quoque eius, in quem porrectæ ſunt, vel ab herede eius qui meruerit, exerceri. Nam ſicut ex cauſis numeroſis etiam hæc actio tranſmittitur ad heredem, quæ teſtatori competiiſſe monſtratur: ſic & è diuerſo iuris definitione Conſultorum omnium conſona reſponſione firmatur, ab herede actionem nõ incipere, quæ non cõpetierit teſtatori. Data III. Kal. April. Conſtantinopoli, Arcadio IIII. & Honorio XII. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis Principi de negotio ſuo preces obtulerit, litem conteſtatus eſſe cognoſcitur. Et ſi defunctus fuerit is qui preces obtulerit, vel is contra quem obtulit, actio & heredibus defuncti & contra heredes pulſati ſalua permaneat: Quia cauſa actione conteſtata ea quæ competebat defuncto, competit & heredi. Si verò auctor quolibet ordine repetitionem ſuam præſens non publicauerit, heres eius vnde auctor actionem non propoſuit, agere prohibetur.*

IX. Imppp. Arc. Honor. & Theod. AAA. Eutychiano PP.

Reſcripta ad conſultationem emiſſa vel emittenda in futurum iis tantùm negotiis opitulentur quibus effuſa docebuntur, &c. Dat. VIII. Id. Decemb. CP. Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

X. Impp. Honorius & Theodoſius AA. Ioanni PP. Poſt alia.

Nulli habetur ambiguum etiam ab heredibus & pro heredibus poſſe reſcripta noſtri numinis allegari, nec excludi temporibus, nec aboleri caſibus impetratum, &c. Dat. XVI. Kal. Mar. Rau. Honorio VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

De mandatis Principum. *Tit. III.*

I. Imppp. Grat. Valent. & Theod. AAA. ad Euſignium Proconſulem Aphricæ.

SI quis aſſerat, cùm mandatis noſtris ſe venire ſecretis, omnes ſciant, nemini quicquam, niſi quod ſcriptis probauerit, eſſe credendum: nec vllius dignitate terreri, ſiue ille Tribuni, ſiue Notarij, ſiue Cõmitis præferat poteſtatem: ſed ſacris noſtris literis eſſe credendum. Data † XV. Kal. Iul. Veronæ. Accepta Prid. Kal. Aug. Merobaude iterum & Saturnino COSS.

† XVI.

INTERPRETATIO. *Si quis aſſerat cum mandatis Dominorum ſe venire ſecretis, omnes ſciant, minimè quicquam niſi quod ſcriptis probauerit eſſe credendum, nec vllius dignitate terreri, ſed in omnibus ſcriptis Principis eſſe credendum.*

ALITER. *Nulli debere credi, qui ſecreto ſibi aliquid dicit à Principe eſſe mandatum, ſi Principis præcepta non dederit.*

De reſponſis Prudentum. *Tit. IIII.*

I. Impp. Theod. & Valentin. AA. ad Senatum vrbis Romæ. Poſt alia.

PApiniani, Pauli, Gaij, Vlpiani, atque Modeſtini ſcripta vniuerſa firmamus. Ita vt Caium, atque Paulum, Vlpianum, & ceteros comitetur auctoritas lectionis, quæ ex omni opere recitatur. Eorum quoque ſcientiam, quorum tractatus atque ſententias prædicti omnes ſuis operibus miſcuerunt, ratam eſſe cenſemus, vt Scæuolæ, Sabini, Iuliani, at-

que Marcelli, omniúmque quos illi celebrarunt: Si tamen eorum libri, propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmentur. Vbi autem diuersæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat auctorum: Vel si numerus æqualis sit, eius partis præcedat auctoritas, in qua excellẽtis ingenij vir Papinianus emineat: qui vt singulos vincit, ita cedit duobus. Notas etiam Pauli atque Vlpiani, in Papiniani corpus factas, sicut dudum statutum est, præcipimus infirmari. Vbi autem pares eorum sententiæ recitantur, quorum par censetur auctoritas, quod sequi debeat eligat moderatio iudicãtis. Pauli quoque Sententias semper valere præcipimus, & cetera. Dat. VII. Id. Nouemb. Rauennæ, DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex ostendit, quorum Iuris conditorum sentẽtiæ valeãt. Hoc est, Papiani, Pauli, Gaij, Vlpiani, Modestini, Scæuolæ, Sabini, Iuliani atque Marcelli: quorum si fuerint diuersæ prolatæ sententiæ, vbi maior numerus vnum senserit, vincat. Quod si forsitan æqualis numerus in vtraque parte est, eius partis præcedat auctoritas, in qua Papianus cum æquali numero senserit: Quia vt singulos Papinianus vincit, ita & cedit duobus. Scæuola, Sabinus, Iulianus atque Marcellus in suis corporibus non inueniuntur, sed in præfatorum opere tenentur inserti. Gregorianum verò & Hermogenianum ideo lex ista præteriit, quia suis autoritatibus confirmantur ex lege priore, sub titulo, De Constitutionibus Principum & Edictis. Sed ex his omnibus Iuris consultoribus, ex Gregoriano, Hermogeniano, Gaio, Papiano, & Paulo, quæ necessaria causis præsentium temporum videbantur elegimus.*

De officio præfectorum pretorio. Tit. V.

Imp. Constantinus A. ad Bassum. P. F. P.

SVper his qui à Præside, vel à quolibet alio iudice sententiam dictam infirmari deposcunt, sub eo fine Sublimitatis tuæ succedat examen, vt si internis negotij vsquequaque decursis ex euidẽti claruerit sententiam à iure iustitiáque discedere, ea penitus explosa, controuersia de æquitate terminum capiat. Quod si consentanea sit legibus iam prompta sententia, eius pronuntiationis improbus oppugnator, si patrimonio circunfluat, biennio in insulam relegatione plectatur: eiúsque bonorum media portio fiscalibus compendiis addicta cedat. Quod si agrestis vitæ sit, aut etiam egentis, ad biennij tempus in metallum retrudẽdus est. Quam legem in annotationibus quoque nostris de iterando post sentẽtiam iudicio custodire debebis. Dat. XVI. Kal. Nouemb. Basso & Ablauio COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque causa dicta, discußóque negotio à quocunque fuerit superatus, & hanc ipsam litem postea reparare tentauerit: si pro ipso, qui antea addictus est, fuerit legibus lata sententia, prius iudicium non valebit. Nam si & apud alium Iudicem fuerit superatus, si digna idoneáque persona sit, biennio in exilium deputetur, & media facultatum suarum fiscus acquirat. Si verò indigna & pauperior persona est, in metallum biennio deputetur.*

De officio Vicarij. Tit. VI.

Impp. Arcad. & Honor. AA. . . . .

VIrum spectabilem Vicarium quem totius conlationis ac transmissionis cura cõstringit, Iudicibus volumus imminere, vt quãtum singulis quibusque mensibus conlatum sit, quídve transmissum, maiore cau-

re cautione disquirat, in eos procul dubio vindicaturus, quorum fuerit deuota desidia excitata. Dat. III. Kal. Octob. Altino, Vincentio & Frauitta COSS.

De officio Rectoris prouinciæ. *Tit. VII.*

Imp. Constantinus A. ad Prouinciales.

CEssent iam nunc rapaces Officialium manus, cessent inquam: nam si moniti non cessauerint, gladiis præcidentur. Non sit venale iudicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus Secretarium, non visio ipsa Præsidis cum precio: æquè aures iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur. Absit † ab inducendo eius, qui Officij Princeps dicitur, deprædatio. Nullas litigatoribus adiutores eorundem Officij Principum concussiones adhibeant, Centurionum, aliorúmque Officialium, parua magnáque poscentium, intolerandi impetus oblidátur, eorúmq; qui iurgantibus acta restituunt, inexpleta auiditas temperetur: Semper inuigilet industria Præsidalis, ne quicquam à prædictis generibus hominũ de litigatore sumatur. Qui si de ciuilibus causis quicquam putauerint esse poscendum, aderit armata censura, quæ nefariorum capita ceruicésque detruncet, data copia vniuersis qui concussi fuerint, vt Præsidum instruant notionem. Qui si dissimulauerint, super eodem conquerendi vocem omnibus aperimus apud Comites cunctos prouinciarum, aut apud Præfectum Prætorio, si magis fuerit in vicino: vt his referentibus edocti, super talibus latrociniis supplicia referamus. Data Kal. Nouemb. Constantinopoli, Basso & Ablauio vv. cc. COSS.

† *ob inducendum*

INTERPRETATIO. *Officiales omnium Iudicum venales esse non audeant, nec precium de introitu occurrentium, aut litigantium, vel egressu requirant. Et interpellantes tam diuites quàm pauperes sine vllo præmio audiantur. Quod si rapaces esse voluerint, gladio puniantur, aut certe de eorum rapacitate Dominicis auribus referatur.*

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. Haue Anthemi carissime nobis.

Iudex sibi hanc præcipuam curam in audiendis ac discingendis litibus impositam esse non ambigat, ita vt non in secessu domus de statu hominum, vel patrimoniorum sententiam referat, sed apertis Secretarij foribus, intrò vocatis omnibus, aut pro tribunali locatus, & ciuiles & criminales controuersias audiat, ne congruæ vltionis animaduersio cohibeatur. Absit autem, vt Iudex popularitati & spectaculorum editionibus mancipatus, plus ludicris curæ tribuat quàm seriis actibus. Dat. Kalend. Octob. Aquileiæ, Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

INTERPRETATIO. *Iudex hanc sibi præcipuam curam in audiendis litibus impẽdendam esse cognoscat, vt litigantium causas iugiter, adhibita æquitate, discutiat: Sciturus, non se in secretis domus, aut in quibuscunque angulis finitiuam sententiam prolaturum: sed apertis domus suæ ianuis, intromißisque turbis, vt neminem lateat, quicquid secundum † legum, vel veritatis ordinem fuerit iudicatum.*

† *legis,*

III. Iidem AA. ad Valerianum Vic. Hispaniarum.

Libellos iudicibus, postquam se receperint, vetamus offerri, ne super alienis causis vel statu pronuntient, quando ab officij conspectu, atque ab oculis publicis recesserint. Prælata VII. Id. Septemb. Veronæ, Valentiniano & Valente AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Iudices, postquam se de consessu publico in domum suam re-*

ceperint, libellos à litigatoribus non accipiant, nec sine officio suo de causis alienis vel de statu aliquid cognoscant,

IIII. Imppp. Valentin. Valens & Grat. AAA. ad Viuentium PP.

Vnusquisque iudex in his locis sedem constituat, in quibus oportet omnibus presto esse rectorem, non deuerticula deliciosa sectetur; addimus sanè vt quisque prouinciæ præsidentem propria possessione susceperit, ager quem diuersoriũ habuerit prædictus in transitu, fisci viribus vindicetur; ita enim iudices mansiones instruere & instaurare nitentur. Dat. Kal. Apr. Treu. Valent. N. P. & Victore COSS.

V. Iidem AAA. ad Probum PF. P.

Prouinciis præsidentes, per omnium villas sensim atque vsitatim, vicósque cunctos discurrant, & vltro rimentur à singulis, quid vnusquisque compulsor insolenter egisset aut cupide. Is enim de quo aliqua ad nos querela peruenerit ad vltimam pœnam rapietur. Dat. Kal. Aprilis, Treueris, Valentiniano N. P. & Victore V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Iudices Prouinciarum operam dare debebunt, vt per singulos agros & loca solicita inquisitione discurrant, & per se, qualiter in solutione publici debiti cum possessoribus agatur, agnoscant. Cuius rei curam si implere neglexerint, querelam ciuium non dubitent in se seuerißime vindicandam.*

VI. Imppp. Valens, Gratianus & Valentin. AAA. ad Antonium PP.

Ne quis domum iudicis ordinarij post meridiano tempore ex occasione secreti ingredi familiariter affectet, eiusdem duntaxat prouinciæ siue notus iudicĩ siue etiam ignotus gestet tamen honoris auctoritatem præferẽs. Dat. v. Kal. Aug. Morantiaco Gratiano A. IIII. & Merobaude COSS.

INTERPRETATIO. *Ne quis notus aut ignotus eius tamen prouinciæ homo meridianis horis aut secretis iudicem videat.*

ALITER. *Vt meridianis horis suggerentum iudex causas non præsumat audire.*

VII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Theodoro PF. P.

Moderatores Prouinciæ curam gerere iubemus, ne quid potentium procuratores perperam illicitéve committant. Dat. VIII. Kalend. Decemb. Rauennę, Basso & Philippo VV. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Iudices Prouinciarum summam solicitudinem habere debent, ne actores potentum aliquid circa inferiores personas illicite iniustéque committãt.*

De officio iudicum ciuilium. Tit. VIII.

I. Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodosius AAA. Curtio PF. P.

HOnorati, qui lites habere noscuntur, his horis quibus causarum merita vel facta panduntur, residendi cum iudice non habeant facultatem: Nec meridianis horis à litigatoribus iudices videantur. Quina itaque pondo auri, tam iudici quàm eius officio, & honoratis parem multam adscribendam esse cognoscas, si quis contra præceptum huiusmodi venire tentauerit. Data III. Non. Febr. Romæ Basso, & Philippo VV. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Honorati prouinciarum, id est, ex Curiæ corpore, si & ipsi in lite sunt constituti, tempore quo causæ aliorum à iudicibus ventilantur, cum iudice non resedeant: & litigatores meridianis horis iudicem non salutent. Si aliud præsumpserint, multam suprascriptæ legis exoluant.*

De

De officio iudicum militarium. Tit. IX.

I. Imppp. Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA. Comitibus, & Magistris vtriusque militiæ.

NVnquam omnino negociis priuatorum, vel tuitio militaris, vel executio tribuatur. Dat. pridie Idus Febr. Constantinopoli, Theodosio A. III. & Abundantio v.c. coss.

INTERPRETATIO. *Nec comes nec miles nec magister in ciuilibus causis inter negotia priuatorum exactor nec executor esse præsumat.*

ALITER. *Nulli penitus in ciuilibus causis, militaris vel tuitio, vel exsecutio deputetur.*

De officio iudicum omnium. Tit. X.

I. Imp. Constantinus A. ad Domitium Celsum Vicarium.

NEmo iudex, Officialem ad eam domum, in qua materfamilias agit, cum aliquo præcepto existimet esse mittendum, vt eandem in publicum protrahat: cum certū sit debita eius quæ intra domum, considerato sexu, semet contineat, domus eius, vel cuiuscunque rei habita distractione publicis necessitatibus posse seruari. Quod si quis in publicum matrem familias posthac crediderit protrahendam, inter maximos reos citra vllam indulgentiam capitali pœna, vel exquisitis potius exitiis, suppliciísque plectatur. Dat. III. Id. Ian. Treueris, Sabino & Rufino coss.

INTERPRETATIO. *Nullus iudicum matronam in domo sua residentem, per quẽcunque apparitorem ad publicum æstimet protrahendam: sed circa eam, pro sexus reuerentia, conuentio honesta seruetur. Cum si quid eam debere constiterit, constrictis eius auctoribus poßit exolui. Nam si quis contra fecerit, summo supplicio se afficiendum esse cognoscat.*

II. Idem A. Andronico.

Si contra pupillos, viduas, vel morbo fatigatas, & debiles impetratum fuerit, Lenitatis nostræ iudicium, memorati à nullo nostrorum Iudicum, compellantur comitatui nostro sui copiam facere. Quinimo intra prouinciam, in qua litigator, & testes vel instrumenta sunt, experiantur iurgandi fortunam: Atque omni cautela seruetur, ne terminos prouinciarum suarum cogantur excedere. Quod si pupilli, vel viduæ, aliíque fortunæ iniuria miserabiles, iudicium nostrę Serenitatis orauerint, præsertim cum alicuius potentiam perhorrescant, cogantur eorum aduersarij examini nostro sui copiam facere. Dat. XV. Kal. Iul. Constantinopoli, Optato & Paulino coss.

INTERPRETATIO. *Quicunque aduersum pupillos, viduas, & ægrotos, nostra præcepta meruerit, eos de locis suis commouendi, vel extra prouinciam suam vsquam penitus protrahendi licentiam submouemus, vt ibi causam suam dicant, vbi instructiores esse, & testimonia poßint facilius inuenire. Sanè si ipsi, quorum fatigationi consulimus, nos crediderint expetendos, huic voluntati eorum veniendi aditum non negamus: ita vt aduersarij eorum sub præsentia Principis adesse per Rectorem prouinciæ compellantur.*

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA.

Pars actorum, habitorum in Consistorio Gratiani Aug.

Gratianus Augustus.

Det operam Iudex, vt Prætorium suum ipse componat. Cæterum Comiti,

neque Rectori prouinciæ plus aliquid præstabitur, quàm nos concessimus in annonis, seu cellariis, &c. Actum in Consistorio, Merobaude II. & Saturnino COSS.

INTERPRETATIO. *Iudicem prætorium suum de proprio debere componere, & nihil à Prouincialibus aliquid amplius petere, quàm ei in annonis vel cellariis à Principe fuerit deputatum.*

De Defensoribus ciuitatum. *Tit. XI.*

I. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Eusignio P.F.P.

HI potissimum constituantur defensores, quos Decretis elegerint ciuitates. Quod si quid ad locum Defensionis ambitione peruenerit, confestim Synceritas tua reiectum quinque libras auri fisci vtilitatibus cogat inferre. Dat. VIII. Feb. Post Consulatum Honorij N.P. & Euodij V.C.

INTERPRETATIO. *Hi instituantur ciuitatum Defensores, quos consensus ciuium, & subscriptio vniuersorum elegisse cognoscitur. Quod si qui Defensorum ad hanc rem cupiditate propria, non interueniente Decreto, peruenisse probabitur, pro hac præsumptione quinque libras auri fisco inferre cogatur.*

II. Iidem AAA. Potamio Præfecto Augustali.

Defensores nihil sibi insolenter, nihil indebitum vindicantes, nominis sui tantum fungantur officio, nullas infligant multas, nullas exerceant quæstiones: Plebem tantùm vel Decuriones, ab omni improborum insolentia & temeritate tueantur: †vt id tantum quod esse dicuntur, esse non desinant. Dat. III. Non. Mar. Constantinopoli, Arcadio A. II. & Rufino V.C. COSS.

† &

INTERPRETATIO. *Defensores secundum suum nomen, Curiam, vel plebem sibi commissam cum omni iustitia & æquitate defendant: nullum de innocentibus aut condemnare aut verberare præsumant.*

Iidem AAA. Taciano P.F.P.

Per omnes regiones, in quibus fera & periculi sui nescia latronum feruet insania, probatissimi quique atque districtissimi Defensores adsint disciplinæ, & cotidianis actibus præsint: Qui non sinant crimina impunitate coalescere. Remoueantur patrocinia, quæ fauorem reis & auxilium scelerosis impertiendo, maturari scelera fecerunt. Dat. VI. Id. April. Constantinopoli, Arcadio A. II. & Rufino V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Per omnes prouincias tales pro studio disciplinæ Iudices ordinentur, vt cum omni solicitudine in reos & latrones, remotis potentum patrociniis, districtionem debitam exercere non differant: ne per negligentiam suam aut venalitatem, crimina quæ debent puniri proficiant.*

De Assessoribus domesticis & Cancellariis. *Tit. XII.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Cæsario P.P.

SI quis Iudicum vel ciuem prouinciæ, quam reget vel certe peregrinum consiliarium sibi voluerit adsciscere, tantum quatuor sibi menses ad retinendum eum quem ex eadem prouincia sumpserit tributos esse cognoscat, donec ab aliis euocatum locis, suis actibus adtribuerit, ita vt emensis quatuor mensibus crimini detur, si quis vltra hoc tempus

pus

pus consiliarium crediderit retinendum. Dat. VI. Id. Decemb. c. P. Stilicone & Aureliano coss.

II. Impp. Honorius, & Theodosius AA. Eustasio PF.P. post alia.

Velut castrense peculium filiifamiliàs Assessores post patris obitum vindicent, qui consiliis propriis Administratores adiuuare consueuerunt, si quid licitis honestísque lucris coadunare potuerint. Data x. Kal. April. Constantinopoli, DD. NN. Honorio XIII. & Theodosio X. AA. coss.

INTERPRETATIO. *Si quis viuo patre, cuiuscunque Iudicis consilio adhæserit, quicquid ex iustis & bonis causis acquisierit, hoc sibi sic vindicat, sicut & ille filius, qui aliquid viuo patre in armis constitutus acceperit.*

III. Iidem AA. Asclepiodoto PF.P.

Nullus Iudicum ad prouinciam sibi commissam, quenquam secum ducere audeat, cui Domestici vel Cācellarij nomen imponat, nec profectum ad se vndecunque suscipiat, ne famæ nota cum bonorum publicatione plectatur. Periculo enim primatum officij Cancellarios sub fide gestorum electos iudicibus applicari iubemus, ita vt post depositam administrationem per continuum triennium nec militiam deserant, & Prouincialibus præsentiam sui exhibeant, quò volentibus sit accusandi eos facilitas: Si enim idonea causa exegerit ad detegenda iudicis flagitia, & quæstioni eos subdi oportet, &c. Dat. pridie Kal. Iun. Constantinopoli, Asclepiodoto & Mariniano VV. CC. coss.

INTERPRETATIO. *Omnes Iudices euidenter agnoscant, nullum in prouinciam sibi commissam, de eadem de qua venit prouincia, vel alia regione, sibi Cancellarium, aut Domesticum fortasse coniungere, nisi qui ei publice fuerit ciuium electione deputatus. Ita vt postquam fuerit Iudex ille remotus, is qui Consillarij vel Domestici gessit officium, trienio sub alio Iudice de prouincia non discedat, vt si quis accusator fortasse extiterit, reddat accusantibus rationem. Et si forte facta Iudicis celare vsquequaque voluerit, subdatur publicæ quæstioni.*

CODICIS THEODOSIANI LIBER SECVNDVS.

De Iurisdictione, & vbi quis conueniri debeat. Tit. I.

Imp. Constantinus A. ad Eustasium PF.P.

IVDICES prouinciarum volumus vim debitæ auctoritatis assumere, vt vna actores ceterósque rei priuatæ nostrę, quæ prouinciales teneat disciplina. Sceleratos conuictósque carceres teneant, tormenta dilacerent, gladius vltor interimat. Eo enim modo licentia inueteratæ desperationis inhibetur, si intelligant vno sibi ac pari studio viuendum esse cum ceteris, &c. Dat. VIII. Id. Mar. Limenio & Catulino coss.

INTERPRETATIO. *Quicunque in prouinciis Iudices ordinati sunt, hoc sibi sciant*

esse permissum, vt si aliquos rei dominicæ seruos vel colonos reatus inuoluerit, sicuti & priuatos comprehendēdi eos & puniendi, vt culpa exegerit, nullo contradicente patrimoniorum nostrorum ordinatore, habeant liberam potestatem.

Idem A. ad Taurum P F. P.

Definitum est, prouinciarum Rectores in ciuilibus causis litigia terminare, etsi militantes exceperint iurgia vel mouerint. Ne igitur vsurpatio iudicia legésque confundat, aut Iudicibus ordinariis adimat propriam notionem, ad prouinciarum Rectores transferantur iurgia ciuilium quæstionum. In criminalibus etiam causis, si miles popoſcerit reum, prouinciæ Rector inquirat: Si militans aliquid admisisse firmetur, is cognoscat cui militaris rei cura mandata est. Data VIII. Kal. Aug. Mediolani, Arbitione, & Iuliano COSS.

INTERPRETATIO. *Etsi ciuilia negotia ad prouinciarum Rectores iussimus pertinere, tamen quoties criminalis accusatio intercesserit inter illos qui armis nostris militant, atque priuatos, si militans priuatum in iudicio prouocauerit, Rector prouinciæ audiendi & iudicandi habeat potestatem. Si verò priuatus seruientem nobis in armis vel militantem forte pulsauerit: ille causam audiat, ad cuius ordinationem is respicit qui militat, vel cui arma tenuerit.*

III. Idem A. & Iulianus Cæsar, ad Taurum P F. P.

Non solum in agentes in rebus, sed in alios etiam cuiuslibet homines conditionis competentes vigoris aculei exerantur, si modo fuerit declaratum, delicto eos obnoxios detineri. Quicunque igitur aliquid improbe turpitérque commiserit, aut libidinis macula forte polluerit pudicitiam, debet ad eum vltio seueritatis congruæ propagari. cum tamen direptionem videantur esse conquesti, qui grauia testantur admissa, quæ obnoxios claruerit inuasisse, in duplum restituere compellantur. Data & Accepta VIII. Kal. Octob. Constantino A. IX. & Iuliano Cæs. II. COSS.

INTERPRETATIO. *In omnibus personis, quas etiam præsentiæ nostræ dignitas comitatur, hanc volumus obseruari sententiam: Vt siquis cuiuscunque pudicitiam violauerit, pœnam statutam iure suscipiat. Et quicunque direptionem admiserit, in duplum violenter præsumpta restituat.*

IIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Terentium Correctorem Tusciæ.

Actor rei forum sequatur: Ita vt si Senatores aliquid à Prouincialibus poscũt, eo qui prouinciam regit, cognitore confligant. Si verò Prouincialis non suscipiat, sed inferat actiones, Præfecto vrbis disceptante decertet. Dat. Kal. Iun. Mediolan. Diuo Iouiano, & Varroniano COSS.

INTERPRETATIO. *Siquis alium crediderit lite pulsandum, apud prouinciæ illius Iudicem, vbi is habitat quem pulsat, negotium suum nouerit proponendum*

V. Iidem AA. ad Felicem Vicarium Macedoniæ.

Si quis rem nostram cœperit lite pulsare, Rationali pręsente confligat, quo defensante & controuersia omnis agitetur, & Iudex eam sententiam decernat, quam iuris ęquitas postulauerit. Dat. Kal. Decemb. Valentiniano & Valente AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties à fisco nostro aliqua repetuntur, res apud prouinciæ Iudicem, sub præsentia nostri Ordinatoris agatur: vt illo præsente, quidquid iustitiæ ordo suaserit, iudicetur.*

VI.

VI. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. Neoterio P. P.

Exceptis his, quibus extra ordinem subuenitur, omnes iacturam litis incurrant, qui non ante in proprio foro iurgauerint: Si quidem possint venire ad altioris Iudicis notionem, cum iudicatum, quod displicet, appellatio excluserit. Ita vt si quis litigator se vel fastidio vel gratia cognitoris, aut non auditum, aut dilatum docuerit, & eius litis quę protracta est, ęstimationem fisco nostro Iudex prętet, & in primores officij pœna deportationis illico depromatur. Dat. pridie Kal. Maij. Mediolani, Arcadio A. I. & Bautone v. c coss.

INTERPRETATIO. *Quicunque apud alium & non apud suum Iudicem negotium quod habuerit in initio litis crediderit proponendum, exceptis ætate minoribus, quibus lege consultum est, litis ipsius de qua agitur actione damnetur: nisi forsitan contra sententiam, quæ aduersus eum dicta fuerit, crediderit appellandum, vt apud maioris dignitatis Iudices audiatur. Sanè si quis causam habens, à Iudice suo, se vel per superbiam, vel propter amicitiam aduersarij sui probauerit non auditum, Iudicem tantum, quantum res de qua agitur valuerit, fisco nostro iubemus exoluere, & qui consiliis suis adhærent, exilij pœnam pro districtione sustineant.*

VII. Imppp. Valentin. Theodos. & Arcadius AAA. Martiano Comiti Orientis.

Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, iisdem forum ex eorum persona statuimus, & domicilia mutamus. Dat. IIII. Kal. Febr. Constantinopoli, Arcadio II. & Rufino coss.

INTERPRETATIO. *Feminas, secundum honorem quem viri earum meruerunt, volumus appellari, vt ad cuius domum nupta transierit, eius proficiat dignitate, & pro negotiis suis in eodem foro, vbi est maritum secuta, respondeat.*

VIII. Impp. Arcadius, & Honorius AA. Pasiphilo suo Salutem.

Causas plurimi de fugaci seruo, aut manifesto furto, aut non manifesto, direpti etiam animalis, serui, vel rei mobilis instituentes, vel vi raptorum bonorum, paruulæ etiam terræ finium & paruulę casæ, sub specie criminis tuũ pulsant iudicium. Momentariæ etiam possessionis interdictum, quod non semper ad vim publicam pertinet vel priuatam, vt mox audiri, interdum etiam sine inscriptione mereatur, abacti etiam animalis causa proponitur. Cum igitur de his rebus paruis ac minimis, tuæ sit iniuria potestatis iudicare, Decretum est, eas tantum causas criminales à Synceritate tua audiri, quas dignus & meritus horror inscriptionis impleuerit: Quæ magnitudinem videlicet criminis, tempúsque designat, vt alterutram partem digna legum tenere possit austeritas. Quod statutum si fuerit forte contemptum, hi qui ex officio ingrediuntur Secretarium, quinque librarum auri condemnatione feriantur. Data VIII. Id. Ianuarij, Mediolani, Olibrio & Probino coss.

INTERPRETATIO. *Quoties de paruis criminibus, id est, vnius serui fuga, aut sublati iumenti, aut modicæ terræ, seu domus inuasæ, vel certi furti, id est, detenti aut peruenti, sub criminis nomine actio fortasse processerit, ad mediocres Iudices, qui publicam disciplinam obseruant, id est, aut defensores aut assertores pacis, vindictam eius rei decernimus pertinere. Ad Rectorem verò prouinciæ illud negotium criminale perueniat, vbi de personarum inscriptione agitur, vel maior causa est, quæ non nisi ab ordinario Iudice, recitata legis sententia debeat terminari. Quod præceptum si fuerit prætermissum, Officiales, qui negotia intromittunt, quinque libras auri se nouerint esse damnandos.*

IX. Iidem AA. Arcelao Præf. Aug.

Si quis neglectis iudicibus ordinariis, sine cœlesti oraculo causam ciuilem ad militare iudicium crediderit deferendam, præter pœnas ante promulgatas, intelligat se deportationis sortem excepturum nihilominus, & Aduocatum eius decem libris auri condemnatione feriendum. Data VIII. Kal. Decemb. Constantinop. Cæsario, & Attico COSS.

INTERPRETATIO. *Quisquis contempto prouinciæ Iudice, ad illos qui armatis præesse noscuntur, causam suam crediderit transferendam, exilio se deputandum esse cognoscat, & eum qui causam illius susceperit proponendam, x. lib. auri esse damnandum.*

X. Iidem AA. ad Eutichianum PF.P.

Iudæi, Romano & communi iure viuentes, de his causis quæ non tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum & leges ac iura pertinent, adeant solenni iure iudicia, omnésque Romanis legibus inferant & excipiant actiones: postremò sub legibus nostris sint. Sanè si qui per compromissum ad similitudinem arbitrorum apud Iudæos vel Patriarchas, ex consensu partium, in ciuili duntaxat negotio, putauerint litigandum, sortiri eorum iudicium iure publico non vetentur. Eorum etiam sentẽtias prouinciarum Iudices exequãtur, tanquã ex sententia Cognitoris arbitri fuerint attributi. Data III. Non. Febr. Constantinopoli, Honorio Aug. IIII. & Eutichiano V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Iudæi omnes, qui Romani esse noscuntur, hoc solum apud religionis suæ maiores agant, quod ad religionis eorum pertinet disciplinam: ita vt inter se, quæ sunt Hebræis legibus statuta, custodiant. Alia vero negotia, quæ nostris legibus continentur, & ad forum respiciunt, apud Iudicem prouinciæ, eo quo omnes iure confligant. Sanè si apud maiores legis suæ consentientes ambæ partes, de solo tamen ciuili negotio audiri voluerint, quod interueniente compromisso, arbitrali iudicio terminatur, tale sit quasi ex præcepto Iudicis fuerit definitum.*

XI. Iidem AA. Theodoro PF.P. Post alia.

Minime prouinciæ Rector expectet in reos criminosos actorem dominicũ, sed habeat exhibendis noxiis potestatem, vtatur legibus nullo interposito Rationali. Latebris reus potestate ordinarij Iudicis protrahatur, ne per conludium actorum iudicij fiat dilatio. Dat. VIIII. Kal. Iun. Mediolani, Honorio Augu. IIII. & Eutichiano COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis in domibus dominicis criminosus potuerit inueniri, prouinciæ Iudex præsentiam non expectet actoris, sed mox reum comprehensum, ne aliquo conludio effugiat, subdi iubeat publicæ disciplinæ.*

XII. Impp. Honorius, & Theodosius AA. Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui suo, Salutem dicunt. Post alia.

In criminalibus causis, Senatus statuta iamdudũ Quinqueuiralis iudicij forma seruabitur. In quo cum perfacile esse credamus, optimos legere de summis, sortitò tamen ad iudicium vocabuntur, ne de capite atque innocentia, alterius iudicio electi iudicent, &c. Dat. VIII. Id. Aug. Rauennæ, Asclepiodoto & Mariniano COSS.

INTERPRETATIO. *Cum pro obiecto crimine aliquis audiendus est, Quinque nobilissimi viri Iudices de reliquis sibi similibus missis sortibus eligantur. Ne studio videantur electi, & de capitali re aut innocentia alterius videantur facile iudicare.*

Ne

Ne in sua causa quis iudicet. Tit. II.

1. Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. ad Gracchum PP.

PRomiscua generalitate decernimus, neminem sibi esse iudicem debere. Cum enim omnibus in se propriam dicendi testimonij iura facultatem submouerint, iniquum admodum est, licentiam tribuere sententiæ. Lecta Kal. Decemb. Valente v. & Valentiniano AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Omnes præceptio nostra constringat, vt nullus in sua causa Iudex sit: quia sicut testimonium vnusquisque pro se dicere non potest, ita nec pro se poterit iudicare.*

De omissa actionis impetratione. Tit. III.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Hierio PF. P.

Post alia.

NVlli prorsus non impetratæ actionis in maiore vel in minore iudicio agenti opponatur exceptio, si aptam rei & proposito negotio competentem eam esse constiterit, &c. Dat. x. Kalend. Mar. Constantinopoli, Felice & Tauro COSS.

INTERPRETATIO. *Nullus per hoc praiudicium negotij videatur incurrere, quod in cuiuscũque audientia causæ sua actio non peruenerit ad effectum. Solum est, vt vox sua rationabilis cum proposuerit approbetur.*

De denuntiatione, vel editione rescripti. Tit. IIII.

1. Imp. Constantinus Aug. ad Symmachum.

SI quãdo minoribus vel adultis inferenda lis erit, vel ab ipsis minoribus vel adultis cuidam quæstio mouẽda sit, nõ alias cursus †temporis inchoetur, nisi ab vniuersis quos officii sollicitudo constringit, Hoc est, Tutoribus, siue Testamento, siue Decreto dati sint, vel Curatoribus, per quos minores defenduntur, vel iisdem omnibus solenni more lis fuerit intimata. Quod si diuisum administrationis periculũ per prouincias sit, his tãtum omnibus insinuari conuenit, & ab ipsis inferri litem, qui in ea prouincia tutelæ vel curæ officium sustinent, † ne aliis de prouinciis defensores minorum ad iudicia producantur. Dat. Pridie Non. Feb. Sirmio. Accepta VIII. Id. Mar. Corintho, Constantino Aug. v. & Licinio COSS.

† temporibus

† tunc.

INTERPRETATIO. *Si quis contra eos, qui in annis minoribus constituti sunt, litem forte commouerit, aut si à parte ipsorum reus aliquis arguatur, ex eo tempora computãda sunt, ex quo Tutor siue Curator minoris aut per Iudicem, aut per Curiam intulerit, seu exceperit actionem: ita tamen vt si in diuersis prouinciis istius officij homines sunt, id est, Curatores vel Tutores, qui minorum causas tueantur, qui in eadem prouincia fuerint, vbi intentio nata probatur, ipsi aut ingerant, aut excipiant actiones: quia nolumus, vt ad aliam prouinciam defensores minorum pro audientiæ necessitate ducantur. Hoc de iure adiectum est.*

II. Idem Aug. ad Maximium PF. P.

Denuntiari vel apud Prouinciarum Rectores, vel apud eos, quibus Actorum conficiendorum ius est, decernimus: ne priuata testatio mortuorum, aut in diuersis terris absentium, aut eorum qui nusquam gentium sint, scripta nominibus falsam fidem rebus non gestis affigat. Dat. x. Kal. Iul. Sirmio, Probiano & Iuliano COSS.

INTERPRETATIO. *Cōteſtari apud Rectores Prouinciæ, vel Defenſores, aut omnes apud quos geſta conficiuntur, litem, iubemus, ne vllus nomen abſentis, aut mortui, vel qui non potuerit inueniri, in litis conteſtatione recipiat, ne falſitatis inueniatur occaſio.*

III. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus ad Ampelium P. F. P.

Exigendæ denuntiationis locus non eſt, cum quis ad luendum debitum euidenti chirographo conuenitur. Dat. IIII. Kal. Aug. Concionati, Gratiano Aug. II. & Probo COSS.

INTERPRETATIO. *Conteſtatio locum habere non poteſt, quando aliquis ad ſoluendū debitum certa cautione conuincitur.*

IIII. Imppp. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius AAA. ad Romulum Conſularem Æmiliæ & Liguriæ.

† *denuntiatione ſeu edicto editionem.*
† *temporū quæ erant.*

Poſt celebratam † denuntiationē, ſeu edicto ſiue editione reſcripti, quod tamen iure ſit impetratum, litis exordium auſpicatur: inter iuſtas videlicet, legitimáſque perſonas. Et ſi quis perennitatis noſtræ pendentibus temporibus reſponſa protulerit, non modo † tempora quorum erunt curricula non dilatentur, ſed & quicquid elicitum fuerit, friuolum iudicetur. Dat. XIII. Kal. Iul. Mediolano, Arcadio Aug. I. & Bautone v. c. COSS.

INTERPRETATIO. *Poſteaquàm per ſcripturam lis fuerit conteſtata, & per publicam conuentionem, quiſquis ille eſt qui pulſatur, agnouerit, tunc lis inchoata dicatur, ſi tamen litigantium perfectæ probantur ætates. Nam ſi quis Principis beneficio contra rationem legis cauſæ ſuæ tempora ſperauerit prolongari, quicquid pro hac re meruerit, non valebit.*

V. Iidem AAA. ad Claudium Tuſciæ Conſularem.

Vniuerſa quidem negotia, quæ ex reſcriptorū auctoritate ſortiuntur exordium, ad curſum temporum pertinere decretum eſt. Ante omnia vero procurandum eſt: ne peruaſionibus improborum protelandæ cognitioni præbeatur occaſio. Idcirco ſi quis poſſeſſione deiectus, auxilium noſtri poſcat oraculi, nullis eum temporum, quæ ex reſcriptorum editione defluunt, moris eſſe ludendum hac lege decernimus: ne iuris ſuffragium, quod in celeri reformatione conſiſtit, beneficiorum Imperialium decreta ſuſpendant. Data VI. Non. Maij, Mediolano, Timaſio & Promoto COSS.

INTERPRETATIO. *Licet in negotiis, quæ per actionem elicitam inchoari videntur legitimus ad reſpondendum temporum ſemper curſus obſeruandus ſit, ſpecialiter eos, qui aliqua peruaſerint, non patimur per quacunque occaſionem differre negotium. Ideoque cum ille qui fuerit de poſſeſſione deiectus, audientiam impetrauerit, iuxta iuris ordinem intra annum ad recipienda quæ perdidit nullatenus differatur. Nec aliqua peruaſori dilatio concedatur, etiamſi pro hac re differenda beneficium Principis potuerit obtinere.*

VI. Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodoſius AAA. Æmiliano P. F. Vrbis.

Si quis debiti vel quod ex fœnore, vel mutuo data pecunia ſumpſit exordium, vel ex alio quolibet titulo in literarum obligationem facta cautione tranſlatum eſt, ſeu fideicommiſſi dirigat actionem, aut momentariam poſſeſſionem peruaſione violatam, vel quodlibet Interdictum efflagitat, ſeu inofficioſum arguat teſtamentum, vel tutelæ, ſeu negotiorum actionem intendat,

ruptis

ruptis denuntiationum ambagibus, inter ipsa cognitionum auspicia rationẽ exprimere, ac suas allegationes iubeatur proponere, denunciatione & temporum obseruatione remota, Quam in ceteris ciuilibus causis, quarum tamẽ æstimatio centum solidorum summam excedat, volumus custodiri. Dat. XIII. Kal. Aug. Constantinopoli, Arcadio A. VI. & Probo V. C COSS.

INTERPRETATIO. *Pro repetendo debito, vnde certa scriptura profertur, seu de eo quod alicui fideicommissum est, vt daretur, aliquis agat, aut † aliquid sibi alleget fuisse peruasum, aut quodlibet intra annum beneficio momenti requirat, aut testamentum dicat non esse legitimum, vel de tutela aliquid proponat: nõ expectetur, vt prius quod repetit apud acta proponat, aut ordo ipsius causæ petatur scriptus, sed mox apud Iudicem, sine vlla temporum mora, quæ per hoc videtur afferri, causam suam proponat, & omnes partes suæ probationis exhibeat. Quam rem etiam in ciuilibus negotiis præcipimus obseruari, quæ tamen minus quàm centum solidorum summam valere constiterit. Hoc de iure adiectum est.*

† aliquis.

VII. Impp. Honorius, & Theodosius AA. Iouio PF. P. Post alia.

Quæcũque forte ecclesiæ venerabilis negotia sunt, vel esse poterunt actiones, celeri legum ordine seruato, iudicantum disceptatione finiantur. Nec enim decet defensione loci nominísque venerabilis suscepta, publica diu secretaria præstolari. Dat. VI. Kal. Iul. Rauennæ, Honorio VIII. & Theodosio III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Ecclesiarum negotia, pro reuerẽtia sanctitatis ac fidei, oportet cum ad publicum prolata fuerint, sine aliqua dilatione finiri. Nec debent defensores loci venerabilis vlla tarditate suspendi.*

De dominio rei quæ poscitur, vel consortibus ab eo cui denunciatum fuerit postulandis. Tit. V.

I. Imp. Iulianus Aug. Secundo PF. P. Post alia.

EXplosis atque reiectis præscriptionibus, quas litigatores sub obtentu consortiũ, studio protrahendæ disceptationis excogitare cõsueuerũt, siue vnius fori omnes sint, siue in diuersis prouinciis versentur, nec adiuncta præsentia consortis vel consortium, agẽdi vel respondendi iurgantibus licentia pro parte pãdatur. Et amputata Cõstitutione Constantini Patrui mei, quæ super consortibus promulgata est, antiquum ius, quantum pertinet ad huiusmodi disceptationes, cum omni firmitate seruetur, vt interruptis artificiosis obstaculis, possidentum astutia comprimatur. Dat. III. Non. Septemb. Antiochiæ, Mamertino, & Neuitta COSS.

INTERPRETATIO. *Remotis obiectionibus, quibus se consortes ad respondendũ inuicem excusabant, vt si non in vna prouincia, vel sub vno Iudice omnes essent, dũ præsentiam suam non simul esse causantur, repetentes videbantur inludere, vnde dilationẽ hanc remouentes, quam Patruus noster Constantinus consortibus in hac parte præstiterat, iubemus secundum antiqui iuris ordinem, quicunque pulsatus fuerit, pro sua parte, vel persona respondeat, nec diutius sub hac occasione repetentem differat ille qui possidet.*

De temporum cursu & reparationibus denuntiationum. Tit. VI.

I. Imp. Constantinus Aug. Iuliano V. C. Præsidi Tarraconensi.

CVm semel negotium vel necessitate, vel casu temporibus fuerit exemptum, ac postea per indulgentiam Clementiæ nostræ redintegratio præstetur, intra quatuor menses iudicantis arbitrium non vlterius litigatoribus præberi oportet, etiamsi per obreptionem aliquid à nobis iterata supplicatione meruerit. Dat. Pridie Non. Maij, Viennæ, Sabino & Rufino coss.

INTERPRETATIO. *Quando aliqua causa, necessitate intercedente vel casu, promissum tempus excesserit, & principali beneficio eam litigator meruerit reparare, non amplius ad definiendum negotium Iudices, quàm quatuor menses litigatoribus præstent. Quibus exactis, etiamsi aliud dominorum beneficio obtinuerint, nullatenus audiantur.*

II. Idem A. ad Felicem Præsidem Corsicæ. Post alia.

Si petitores probauerint, interpellantes se sæpius esse dilatos, atque ita lapsũ temporis incurrisse per negligentiam atque desidiam Grauitatis tuæ, audientiam differentis indemnitas petitorum pro modo litis, quæ in altercationem fuerit adducta, de tuis facultatibus sarciatur. Dat. † IIII. Kal. Nouemb. Sirmio, Constantino Aug. V. & Licinio Cæs. coss.

† VIII.

INTERPRETATIO. *Si repetentem Iudex per negligentiam vsque eò distulerit, vt causam suam transactis legitimis tẽporibus perdat, omnia quæcunque in illius iudicio iuste sibi potuit vindicare, ei de ipsius Iudicis facultatibus, habita æstimatione, reddãtur.*

III. Idem A. ad Bassum PF. V.

Altero ex litigatoribus in lite defuncto, cursum temporis reparandum esse, latis iamdudum legibus continetur. Dat. XIII. Kal. Iunij, Sirmio, Crispo II. & Constantino II. C. coss.

INTERPRETATIO. *Si vnus ex litigatoribus, siue pulsatus, siue petitor intra cõstitutum per scripturam tempus de hac luce fortasse defecerit, tempora quæ fuerant statuta, successoribus renouentur.*

IIII. Impp. Constantinus & Constans AA. ad Acindinum PF. P.

Si quis iurgantium ante litis terminum vltimum diem obierit, non vt ante statuimus, à decedẽtium primo die cursus temporis obseruari oportet, si successor legitimæ ætatis sit, sed ex die petitæ bonorũ possessionis, vel aditæ hereditatis ei tempora renouari, ita tamen, vt ea res non lateat possidentem, † nec damnum aut fraudem tempori faciat, pertentetur. Quod si successor minoris ætatis sit, postquam datus tutor siue curator solennia susceptæ † definitionis impleuerit, tempus dinumerari conueniet. Dat. & PP. VI. Kal. Ianuar. Antiochiæ. Vrso & Polemio coss.

† rę. Nec dã, vt fraudem tẽpori faciat, pertentetur.
**rę. Defensionis.*

INTERPRETATIO. *Si quis de litigatoribus ab hac luce discesserit, heredi eius nõ ex die qua ille defunctus est, sed ex quo hereditatem acceperat, actionis tempora, quæ auctori ad litem constituta fuerant, renouentur: ita tamen, vt fraus tempori ex quo res est possessa, non fiat, sed sciat se rem tenere, qui petitur. Quod si heres in annis sit minoribus constitutus, tutori vel curatori ex eo tempora supputentur, ex quo pro minore firmam personam defensionis accepit, & rem tenuit.*

De dilationibus. *Tit. VII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Vrsum Vicarium.

SI quando quis rescriptum ad extraordinarium Iudicem reportauerit, dilatio ei penitus deneganda est. Illi autem, qui in iudicium vocatur, danda est ad probanda precum mẽdacia vel proferenda aliqua instrumenta

menta, vel testes: quoniam instructus esse non potuit, qui præter spem ad alienum Iudicem trahitur. Dat. II. Non. Mart. Volusi & Anniano COSS.

INTERPRETATIO. *Quando ab aliquo Principe præceptio fuerit sperata, vt ad alium Iudicem, quàm cui commissus est, aduersarium suum pertrahat audiendum, sicut ille qui petitor est, inducias si petierit, accipere non debet: ita illi, qui ad iudicium adducitur, dilatio petita non negetur, vt facilius aut per scripturam, aut per testes probare valeat, illum à quo pulsatus est falsa supplicatione meruisse quod petiit.*

II. Idem A. ad Iulianum P. V.

Petendæ in integrum restitutionis temporibus vt iam constitutum est obseruatis, si dilatio ab actore petatur, quæ intra metas lege comprehensas valet arctari: eandem, quocunque flagitante, causis cognitis tribui oportebit. sin vero eiusmodi postulantur curricula, quæ intra spatium lege receptum angustari nequeunt (quippe si in confinio legitimi temporis petantur, & eius terminos prorogabunt) dilationem petitori denegari conueniet: in eius enim arbitrio fuerat, tũc inferre litigium, cum petitæ dilationis mora superstite spatio posset includi. Quod si defensio possidentium dilationis suffragio postulauerit, eandem adserta causa citra obstaculum tẽporis deferri sancimus: quia nequaquam steterat in ipsius potestate, quando litigio pulsaretur. Dari igitur debet, etsi impetrata dimensio sese vltra Constitutionis regulã proferat: qua dilatione, si à possessore impetratur, etiam actor in requirendis probationibus vti minime prohibetur. Dat. XIIII. Kalend. Aug. Prop. Romæ, Constantino Cæs. V. & Maximo COSS.

INTERPRETATIO. *Licet quatuor mensibus constitutum sit, vt petentibus pro requirenda omni restitutione induciæ concedantur, Vnde si illud spatium requiratur quod indultum est, id est, quod quatuor menses non possit excedere, præstari conuenit. Si vero tales petantur induciæ, quæ tempus legè constitutum excedant, petitori debet dilatio negari, quia scire debuit actionem suam constituto tempore finiendam. Quod si ille spatium, qui rem possidet, fortasse petierit, dari sine mora temporis quod petentibus datum est omnino debet: quia scire non potuit, quando ab aduersario prouocaretur ad causam, & ideo possessor spatium, vt respondere possit, accipiat. Petitor etiam suis partibus necessaria poterit prouidere.*

III. Impp. Constantinus & Constans AA. ad Petronium Vic. Africæ.

Inter priuatos & fiscum, si priuatus actionem intendat, quatuor mensium tempora custodienda sunt. Cum verò fiscus priuato inferat aliquam quæstionem, sex mensium curricula seruentur, vtrique parti petendæ dilationis per defensores suos copia non neganda, si hoc commoditatis ratio postulauerit. Dat. VI. Id. April. Aquileiæ, Acindino & Proculo COSS.

INTERPRETATIO. *Quando inter fiscum & priuatum possessorem de repetitione aliqua fuerit orta contentio, si priuatus fiscum repetat, quatuor menses ad respondendum actor fiscalis habebit inducias. si vero fiscus aliquid à possessore crediderit repetẽdum, sex mensium ad respondendum dilatio non negetur, dummodo ad præstandas inducias iusta ratio cognoscatur.*

IIII. Impp. Arcadius, & Honorius AA. Messalæ P. F. P. Post alia.

De statu atque patrimonio litigantibus, in transmarina etiam dilatione mensium IX. spatium creditur posse sufficere, &c. Dat. XII. Kalend. Decemb. Theodoro V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties de statu ingenuitatis, vel de patrimoniis causa vertitur, si necessaria negotij in trāsmarinis partibus litigatores habere se dixerint, nouem mensium spatium indubitanter accipiant.*

De Feriis. *Tit. VIII.*

I. Imp. Constantinus Aug. Helpidio.

SIcut indignissimum videbatur, diem Solis venerationis suæ celebrem altercantibus iurgiis & noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum ac iocundum est, eo die quæ sunt maxime votiua compleri. Atque ideo emancipandi & manumittendi die festo cūcti licentiam habeant, & super his rebus actu non prohibeantur. PP. V. Non. Iunij. Caralis, Crispo II. & Constantino II. COSS.

INTERPRETATIO. *Quamuis sancto die Dominico omnes lites ac repetitiones quiescere iussimus, emancipare tamen, ac manumittere minime prohibemus, & de his rebus gesta confici pari ordinatione permittimus.*

II. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Albino P.F.P.

Omnes dies iubemus esse iuridicos, illos tantum manere feriarum dies, fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æstiuis feruoribus mitigandis, & autumnis fœtibus decerpendis. Kalendarum quoque Ianuariarum consuetos dies ocio sancimus. His adiicimus natalitios dies vrbium maximarum, Romæ, atque Cōstātinopolis, quibus debēt iura deferre, quia & ab ipsis quoque nata sunt. Sanctos quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero, vel sequuntur, in eadem obseruatione numeramus. Necnon & dies Solis, qui repetito in se calculo reuoluuntur. Parem necesse est haberi reuerentiam nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia, vel ortus Imperij protulerunt. Dat. VII. Id. Aug. Romæ, Timasio & Promoto COSS.

INTERPRETATIO. *Causas per anni spatium omnibus diebus secundum leges audiri præcipimus. Et licet lex quatuor menses ad fructus colligendos indulserit, sed ita pro prouinciarum qualitate, & præsentia dominorum credidimus faciendum, vt à die* VIII. *Kalendarum Iuliarum vsque in Kalendas Augusti messiuæ feriæ concedantur, & de Kalendis Augusti vsque in x. Kalend. Septembris agendarum causarum licentia tribuatur. A x. autem Kalen. Septemb. vsque in Idus Octob. vindemiales feriæ concedantur. Dies etiam Dominicarum qui feriati sunt, ab audiendis negotiis, vel exigendis debitis sequestramus. Sanctos etiam Paschæ dies, id est septem qui antecedunt, & septem qui sequuntur, necnon & dies natalis domini nostri, vel Epiphaniæ sine forensi strepitu volumus celebrari. Natalem etiam Principis, vel initium regni pari reuerentia conuenit obseruari.*

III. Impp. Honorius, & Theodosius AA. Ioanni P.F.P.

Post alia.

Die Sabbati ac reliquis, sub tempore quo Iudæi cultus sui reuerentiam seruant neminem aut facere aliquid, aut vlla ex parte conueniri debere præcipimus, cùm Fiscalibus commodis, & litigiis priuatorum constat reliquos dies posse sufficere, &c. Dat. VII. Kalend. Aug. Rauennæ, DD. NN. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Die Sabbati nullū Iudæorum, aut pro Fiscali vtilitate, aut*

pro

pro quolibet negotio volumus conueniri. Quia religionis eorum dies non debet actione aliqua perturbari.

De pactis & transactionibus. Tit. IX.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum P. V. Inter cetera. & ad locum.

Pactiones eas valere volumus, si cum legibus cõsentiant. & reliqua. Datum VI. Non. Feb. Romæ Sabino & Rufino COSS.

II. Impp. Valentinianus, & Valens AA. Volusiano P. V.

Post sententiam pacisci non licere iuris ordine præcauetur. Vnde cùm supplicans iniquè se oppressam & post sententiam sacri auditorij depactam esse commemoret, Volusiane parens karissime atque amantissime, amota pœna quam pacto contra ius facto serenitas tua inesse præuiderit, legum auxilio cõsulat supplicanti. Dat. III. Id. Aug. Mediolani.

III. Iidem AA. Pompeio Fauonio.

Hereditatem quam tibi competere iure confirmas, negotij merito discusso, approbatis allegationibus restitui tibi legum fonte demanans sententia iudicantis efficiet, remota videlicet pactione, quam dolo patuerit elicitam. Dat. VIII. Id. Feb. Alleg. Kal. Apr. in Basilica Thermarum Com. ipsis AA. COSS.

IIII. Iidem AA. Mamertino PP. Inter cetera. & ad locum.

Pacta quidem per vim & metum apud omnes satis constat cassata, viribus respuenda. Dat. XII. Kal. April. ipsis AA. COSS.

V. Iidem AA. ad Valentinianum Consularem Piceni.

Non dubium est eum à fide placiti recessisse, qui quæ promiserat implere noluit Valentiniane karissime, Proinde si aduersario suprasedente quominus explicaret ea quæ spoponderat, fides placiti vacillat, familiares literæ quas ad se missas dicit, supplici magnopere non oberunt. Fines etiam quos temeratos adseuerat, amota præscriptione temporis, hi qui peruaserunt, vt ratio iuris est, redhibere cogantur. Alleg. IIII. Kalend. Maij, Flauia Fenestri in secretario, ipsis AA. COSS.

VI. Iidem AA. Aeliæ Bauoniæ. Inter cetera.

Et sub quodam potentiæ terrore infimos fatigari ad iudiciorum spectat inuidiam: Vnde si aduersarium tuum longe à filij tui successione positũ hæc in te quæ precibus texuisti excogitasse cõstiterit, Rector prouincię hominis, qui nec paciscendi nec conloquendi de negotio substãtiam habuit, impudẽtiam submouebit, reddique faciet quidquid claruerit vsurpatum, ne impudentia vindicet, quod concedere leges & iura non possunt: maximè cùm memores nec à prima pactione quæ substantiam non habebat secunda cõuentione discessum, & inaniter resedisse quod non iam pactio, sed quædam vsurpatio iustis non subsistentibus causis in modetatione doceatur. Dat. III. Kalend. Aug. Mediolani, ipsis AA. COSS.

VII. Iidem AA. Ampeliæ.

Ea quę heredes inter se transactione interpositá composuerint, firma illibatáque perseuerabunt, & ideo secundum fidem instrumenti competens tibi portio à possessoribus cum fructibus restituetur, per v. c. Proconsulem Africæ amicum nostrum fide gestorum diligenti examinatione comprobata. Dat. III. Non. Iul. Sirmio, Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Rufino PF. P.

Si quis maior annis aduersus pacta vel transactiones, nullo cogentis imperio, sed libero arbitrio & voluntate confecta putauerit esse veniendum, vel interpellando Iudicem, vel supplicando Principibus, vel non implédo promissa ea quæ, inuocato nomine Dei omnipotentis, eo auctore solidauerit, nõ solum inuratur infamia, verũ etiam actione priuatus, restituta pœna, quę pactis probatur inserta, earum rerum & proprietate careat, & emolumento, quod ex pacto vel transactione illa fuerit consecutus. Quæ omnia mox eorum cõmodo deputabuntur, qui intemerati pacti iura seruauerint. Eos etiam huius litis vel iactura dignos iubemus esse, vel munere, qui nomina nostra placitis inserentes, salutem Principum confirmationem initarum esse iurauerint pactionum. Dat. v. Id. Octob. Constantinopoli. Olibrio & Probino COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis post XXV. ætatis suæ annum aduersus pactionem vel definitionem suam, quam nulla potestate constrictus emisit, sed voluntate propria fecisse dignoscitur, aut interpellare Iudices, aut Potestatum animos, contra hoc quod fecit, precibus adire præsumpserit, aut implere neglexerit ea, quæ sub sacramenti interpositione definitionis suæ scriptura testatur, Non solum ex hoc facto pronũtietur infamis, sed nec causam ipsam agere permittatur, & pœnam quam in pacto constituit, cogatur exoluere. Et quicquid partibus suis per eandem scripturam fuerit deputatum, illis continuo conferatur, qui emissæ pactionis definitionem sine aliqua contrarietate seruauerint. Illos quoque præcipimus similis pœnæ condicione constringi, qui Dominorum nomina coniurant, placitis inserentes definita implere neglexerint, quod illis pro munere cõseruatæ pactionis accrescat, qui sacramenta & definita seruauerint.*

De postulando. Tit. X.

I. Imp. Constantinus Aug. ad Bassum PF. P.

Aduocatos, qui consceleratis depectionibus suæ opis egentes spoliant atque denudant, non iure causæ, sed fundorum, pecorum, & mancipiorum qualitate rationéque tractata, dum eorum præcipua poscunt coacta sibi pactione transcribi, ab honestorum cœtu, iudiciorumque conspectu segregari præcipimus. PP. VIII. Id. Mar. Constantinopoli, Constantino Aug. III. & Constantio COSS.

INTERPRETATIO. *Aduocati, id est, causas agentes, qui per iniquam cupiditatem susceptos quorum causas agunt prius cogunt de rebus suis taliter scriptura intercedente pacisci, vt omnia quæ meliora sunt in agris, aut mancipiis, aut in pecoribus, ad eos sub promissa defensione perueniant. Et ideo qui tam scelerati in eos, quibus patrocinium promittunt, fuerint deprehensi, & à conuentu honestorum virorum & iudiciorum communione præcipimus segregari.*

tr. II. Impp. Valent. & Valens AA. Olibrio PF. P.

Quisquis vult esse causidicus, ipsam solam sumat in causis agendis personã, nec idem in eodem negotio defensor sit & quæsitor. Quoniam aliquem inter arbitros & patronos oportet esse delectum. Accepta XII. Kal. Septembr. Ipsis AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque causas suscipere vel agere voluerit alienas, hoc sibi nouerit vindicandum, ne velit in eo negotio, quod susceperit, & Iudicis, & Assertoris habere personam.*

III. Impp. Honorius & Theodosius AA. Eustasio PF. P.

De re necessaria ad locum. Altero beneficio non solum per forum tuæ Magnitudinis

gnitudinis, sed in vniuersis iudiciis valituro, vt filij familiâs, quicquid ex huiusmodi professione, vel ipsius occasione cõquisierint, id post patris obitum præcipuum, veluti peculium castrense, proprio dominio valeant vindicare, sub tali forma, qua militantibus ex iure † præcinctis cinguli prærogatiua detulit. Dat. x. Kalend. Aprilis Constantinopoli, DD. NN. Honorio XIII. & Theodosio X. AA. COSS.

† præcinctus

INTERPRETATIO. *Quicquid viuo patre filius Aduocatus de causarum susceptione acquisierit, sibi nouerit vindicandum, sicut castrense peculium, quod in armis constituti filij probantur acquirere, vel illi qui iudiciariam viuis parentibus meruerint potestatem.*

De erroribus aduocatorum. Tit. XI.

I. Imp. Constantinus A. Furio Felici.

ADuocatorum errores in competenti iudicio litigatoribus non præiudicant. Dat. v. Kalend. Aug. Constantino, A. VI. & Constantio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Aduocatus, si in suscepti causa aliquid in præiudicium per errorem dixerit, præiudicare ei, à quo adhibitus est, nullatenus debet: si continuò de ipso errore fuerit reclamatum.*

De cognitoribus & procuratoribus. Tit. XII.

I. Imp. Iulianus A. Secundo PF. P.

NVlla dubitatio est, post causam in iudicio publicatam, vtpote dominum litis Procuratorem effectum, etiam post excessum eius qui defensionem mandauerat, posse inchoatam litem iurgiúmque finire. Quippe cùm & Procuratorem posse eum instituere, & ad heredes suos inchoata transmittere, veteres iuris voluerunt conditores. Lecta apud acta, pridie Non. Feb. Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

INTERPRETATIO. *Qui Dominus & Procurator de cuiuslibet rei petitione fuerit institutus, & susceptam litem viuo mandatore per actionem repetendo fuerit contestatus, etiam si ille qui ei mandatum tale fecerat, de hac luce discedat, liceat ei rem, quam repetendam susceperat, sibimetipsi defensare, & alium Procuratorem in hac causa, si voluerit, qui repetat vt dominus ordinare, atque actionẽ ad heredes suos successorésque transmittere: Quia sicut in rebus quæ possidentur, Procuratores tantum aduersus pulsantes nec non & domini possunt firmiter ordinari: Ita in rebus quæ repetuntur, dominos Procuratorésque facere is qui pulsat ac repetit iure permittitur. Solum est, vt mandatum ad vicem donationis factum, actis habeatur insertum.*

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. Sallustio PP.

Commune negotium & quibusdam absentibus agi potest, si præsentes rẽ ratam dominum habiturum cauere parati sunt: Vel si quod ab his petitur, iudicatum solui satisdatione firmauerint. PP. VI. Id. Decemb. Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

INTERPRETATIO. *Communes causas absentibus consortibus alij consortes agere possunt, si illi qui præsentes fuerint, caueant acceptum esse illis qui absentes sunt quicquid fuerit iudicatũ. Aut in præsenti fideiussorem dederint, vt omnia quæ definita fuerint, implere non differant.*

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. Pancratio PF. V.

In principio quæstionis persona debet inquiri, & vtrum ad agendum negotium mandato vtatur accepto. Quibus rite & solenniter constitutis, potest esse sententia. Præteritis autem his, nec dici controuersiæ solent, nec potest esse iudicium. &c. Dat. pridie Non. April. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

INTERPRETATIO. *Cum primum ad Iudicem causa fuerit intromissa, personarum firmitas requiratur, vt is qui causam alterius prosequitur, mãdatum eius, cuius causam agendam susceperat, proferre procuret.*

IIII. Imppp. Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA. Victorio Proconsuli Asiæ.

Procurator, licet maritus sit, id solum exequi debet, quod procuratio emissa præscripserit. Dat. XV. Kal. Iul. Theodosio A. III. & Abundantio V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Qui vxoris suæ negotium fuerit prosecutus, quamuis maritus sit, nihil aliud agat, nisi quod ei agendum per mandatum illa commiserit.*

V. Iidem AAA. Rufino PF. P.

Nullo pacto feminæ aut amplius quàm sibi competit agere, aut pro aliis possunt interuenire personis. Dat. IIII. Kal. Octob. Constantinopoli, Theodosio A. III. & Abundantio V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Nulla ratione feminæ amplius quàm suas agẽdi causas habeant potestatem. Nec alicuius causam à se nouerint prosequendam.*

VI. Impp. Arcadius & Honorius AA. † Andronico PF. P. Post alia.

† Andromacho PF. P.

Nemo militantum fiat susceptor defensórve causarum, nec ad cognitionem alieni iurgij suffragator accedat. &c. Dat. pridie Non. Iul. Mediolani, Olybrio & Probino COSS.

INTERPRETATIO. *Militantes non permittuntur legibus lites suscipere alienas, nec Procuratores fieri possunt.*

VII. Imp. Theodosius A. & Valentinianus Cæsar Asclepiodoto PF. P.

Si lite contestata Procuratorem vel cognitorem, qui litis minister est ordinatus, mori contigerit, minime eius quærantur heredes: néve superuacua dominio causæ laboris occasio protendatur, sed statim ad eum migrent omnes, qui dominus causæ fuerat, actiones. Et successoribus Procuratoris nulla super eo petitio relinquatur, nisi tãtum expensarum nomine, vel factorum litis causa sumptuum. Nec sanè videtur incongruum Cognitori, cum manifestum sit si Cognitor, vel præsentis Procurator vsus fuerit in iudicio prosperiore fortuna, vel eadem reclamante deuictus, iudicati actionem sine vlla cunctatione in dominũ dari, vel domino. Et hæc quidem in Actoris persona de litis ministro edixisse sufficiat. Ceterum in rei quoque idem licere non dubium est: Quãuis abunde legum veterum obseruatione munita sit, quæ si in rem quoque suam Cognitor vel Procurator quis fuerit ordinatus, simili modo nihil noui requirere patiuntur. &c. Dat. XVIII. Kal. Decemb. Constantinopoli, Victore V.C. COSS.

Procurator. Cognitor.

INTERPRETATIO. *Procurator est, cui per mandatum causa committitur. Cognitor est, cui sine mandato causam suam agendam præsens præsente Iudice litigator iniungit*

iungit. Si Procurator aut Cognitor tantummodo, non dominus & Procurator effectus, post litem contestatam quolibet casu de hac luce discesserit, demandato sibi negotio ad suũ nihil transmittit heredem: nisi tantum sumptuum vel expensarum repetitionem, quam auctorem suum in suscepta causa fecisse probauerit. Lis vero ad mandatorẽ redit. Si præsentis Procurator vincatur, aut vincat, in dominum vel domino, non in Procuratorem vel Procuratori actio tribuetur iudicati. Idem est & in pulsati possessoris Procuratore seruandum, si aut vincatur aut vincat. Et si in rem suam quis factus fuerit dominus & Procurator, & Procuratorem ipse pro sua vtilitate iam fecerit, similiter exitus rei iudicatæ dominum respiciet, non actorem.

De actionibus ad potentes translatis. Tit. XIII.

I. Impp. Honorius & Theodosius AA. Ioanni PF. P. Post alia.

SI cuiuscunque modi cautiones ad potentum fuerint delatæ personas, debiti creditores iactura multentur. Aperta enim credentium videtur esse voracitas, qui alios actionum suarum redimãt exactores. &c. Dat. v. Id. Iul. Rauennæ, DD. NN. Hon. XIII. & The. X. AA. coss.

INTERPRETATIO. *Qui cautiones exigendas potentibus dederint, omne debitum perdant. Quia vbi potest esse repetitio, potestas ad exigendum non debet à creditoribus inuitari.*

De hiis qui potentiorum nomina in lite prætendunt, aut titulos prædiis adfigunt. Tit. XIIII.

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. Messalæ PF. P.

ANimaduertimus plurimos iniustarum desperatione causarum, potentium titulos, & Clarissimæ priuilegia dignitatis hiis, à quibus in ius vocantur, opponere. At ne in fraudem legũ aduersariorúmque terrorem hiis nominibus abutantur & titulis, qui huiusmodi dolo scientes conniuent, adficiendi sunt publicæ sentẽtiæ nota. Quod si nullum in hac parte consensum præbuerint, vt libelli aut tituli eorũ nominibus ædibus adfigãtur alienis, eatenus in eos qui fecerint vindicetur, vt affecti plumbo perpetuis metallorum suppliciis deputẽtur. Quisquis igitur lite pulsatus, cum ipse & rei sit possessor & iuris, & titulum inlatæ solenniter pulsationis exceperit, contradictoriis† libellis aut titulis alterius nomen crediderit inserendum, eius possessionis aut causæ, quam sub hac fraude aut retinere, aut euitare tẽtauerit, amissione multetur: nec repetendę actionis, etiamsi ei vel probabilis negotij merita suffragẽtur, habeat facultatem. Eos sanè, qui se sponte alienis litibus inseri patiuntur, cum hiis neque proprietas, neque possessio competat, veluti famæ suę prodigos, & calumniarum redemptores notari oportebit. Dat. v. Kal. Decemb. Mediolani, Stillicone v.c. COSS.

† se possessoris titulis. aliàs, possessionis.

INTERPRET. *Cognouimus multos causas suas per potẽtium personas excusare vel prosequi, ita vt libellos vel titulos eorũ nominibus, qui dignitate præclari sunt, quo facilius terreant possessores, in hiis domibus quæ ab eis repetũtur, affigant. Aut certe si aliquid repetantur, nomine magnorum & Clarissimorum virorũ prolatis libellis cõtradictoriis se specialiter excusare. Quod si ex eorum voluntate factũ fuerit, quorum nomina libelli testantur, publice debet dignitas eorum pro omni vilitate notari. Illi vero qui causas suas tali fraude agere præsumpserint, plumbatis cæsi, in metallum dãnati perdurent. Vnde quicũque de re cõuẽtus, in qua dominus esse dinoscitur, si alterius nomine se volue-*

rit defensare, aut aliũ alterius nomine inquietare præsumpserit, causam perdat. Et rei, de qua agitur, seu possess. seu repetitionẽ amittat: quãuis boni meriti negotium possit habere.

De dolo Malo. *Tit. XV.*

I. Imp. Constantinus A. ad Symmachum v. c.

OPtimum duximus, non ex eo die, quo se quisque admissum dolũ didicisse memorauerit, neque intra anni vtile tempus, sed potius ex eo die, quo adseritur commissus dolus, intra cõtinuum tẽpus anni, reis quibus esse decertandi ius inuenitur, huiusmodi actionem causa cognita deferri. Ita vt si forte is, contra quem res agitur, lõgius vllo genere discesserit, nec denuntiandi necessitate petitor oneretur, nec eius qui aberit præsentia postuletur. Nec tamen † assistere, si velit, quisquam prohibeatur examini, contra quem decernenda intentio huiusmodi fuerit expetita: ita vt impetrata doli actione, lis ad suum Iudicem translata, intra biennij spacium decidatur, Ratione temporis custodita, cum legitime fuerit apud suum iudicem cœpta, exemplo litium ceterarum: perpetuo vero silentio conquiescat, nisi ex die quo impetrata fuerit actio, intra continuum biennium, quod sequitur, omnis lis fuerit decisa. Omnes igitur sciant, neque incipiẽdę post biẽnium, neque ante completum biennium cœptæ, post biẽnium finiendę doli actionis cõcessam licentiam. Dat. VIII. Kal. Aug. Nasso, Constantino A. V. & Licinio Cæs. coss.

† *adsentire*

INTERPRETATIO. *Dolus malus est, quoties per aliquam scripturã vel fraudẽ ea quæ definita sunt, per scripturæ argumenta mutantur. Vel si quis per chartarum suppositionem, aut subreptionem aliquam id quod contra se futurũ sit, vt consentire videatur, inducitur, vel cum hiis similia discutiente Iudice probantur admissa. Et ideo ille qui queritur dolose fuisse grauatum, intra biennium suas & incipiat, & definiat actiones: vltra sibi nec ad inchoandum, nec ad definiendum tempus nouerit esse concessum. Nam si aut illum, qui dolum admisisse dicitur, aut illum qui pertulit, absentem esse contigerit, à tempore quo apud Iudicem agere cœperit, biennium ad definiendam actionem sciat sibi esse permissum.*

De integri restitutione. *Tit. XVI.*

I. Imp. Constantinus A. ad populum.

IN integrum restitutione minoribus aduersus cõmentitias vẽditiones, & aduersus Tutorum insidias, sanctionum pręsidio cautũ esse non dubium est, ac si quid forte idem de suo in fraudem tutelæ alienasse doceretur, fraudatorio interdicto prospectum esse minoribus declaratur. Dat. Id. Mart. Sirmio, ipso A. VII. & Constantino Cæs. IIII. coss.

INTERPRETATIO. *In annis minoribus constitutis multum legibus constat esse prospectum. Et ideo aduersus Tutorum fraudes, vel venditiones, quas minoribus aliquibus commentis extorserint, aut quicquid sub tutelæ nomine iniuste egerint, nouerint legis beneficio reuocandum.*

II. Idem A. ad Bassum.

Placuit post cõpletum XX. & V. annum, ex eo quo vicesimi & sexti anni dies illuxerit, ad interponendam contestationem in vrbe Roma vsque ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari, & intra centesimũ vrbis Romæ miliarium, si tamẽ ab hiis iudicibus, qui Romę sunt, fuerit Iudicandum. Per omnem

nem vero Italiam vſque ad finem anni viceſimi & noni. In ceteris omnibus prouinciis vſque ad completum annum viceſimum & octauum. Quo tranſacto tempore, manifeſte omnes ſciant, legum ſibi deinceps præſidia denegari. Quandoquidem conteſtationis neceſſitate depulſa, finiendas integri reſtitutionum decidendáſque cauſas certo genere clauſerimus. Eandẽ autẽ cuſtodiri temporum conuenit rationem, ſi forte quis beneficio noſtro ætatis veniam fuerit conſecutus, ex eo die, quo indulgentia noſtra in iudicio competenti fuerit intimata, eique adminiſtratio rei propriæ † reſeruata, vt ad perſequendas in integrum reſtitutiones, finiendáſque cauſas iuge tempus habeat præſtitutum. Si quando ſanè in minoris iura ſucceſſerit minor, minime prohibeatur, cum quintum & viceſimum annum ætatis ſuæ tranſierit, integri reſtitutionis beneficio vti tempore illibato: Quod ſi maioris fuerit minor iura nactus, quantum ad eas pertinet actiones, quas ex perſona maioris fuerit cõſecutus, tantum temporis ad exponendas integri reſtitutiones, decidẽdáſque cauſas accipere debebit, quantum defuncto, cuius heres aut bonorum poſſeſſor docebitur extitiſſe, reliquum fuerat. Cum vero maior ſucceſſionem fuerit adeptus minoris, ſiquidem ciuili iure ab inteſtato vel ex teſtamento ſucceſſerit, mox cum creta fuerit vel adita hereditas, ſi vero honorario iure, ex quo bonorum poſſeſſio fuerit accepta, examinando integri reſtitutionis negotio, ſolida ſine vlla diminutione tempora ſupputentur, quæ non pro locis, regionibus atque prouinciis, in quibus morantur qui heredes aut bonorum poſſeſſores ſunt, obſeruari iubemus, ſed in quibus defuncti domicilia collocauerant. Dat. † VII. Kal. Aug. Naiſſo PP. Romæ, Non. Octob. Conſtantino A. VIII. & Conſtantio Cæſ. COSS.

† reſerata.

† VIII.

INTERPRETATIO. *Iuſtum videtur, vt poſt* XXV. *annum, vbi* XXVI. *annus fuerit ingreſſus, depoſita apud Iudicem conteſtatione petat, qui ſibi voluerit, ea quæ in annis minoribus aut per ſe, aut per Tutores vel Curatores vitio male acta ſunt, ſalua & integra pro ætatis infirmitate reſtitui. In hiis duntaxat prouinciis, vſque ad* XXVIII. *annum, ſi conteſtatus fuerit, integra ei, ſaluo principali negotio, quæ male amiſerat reformentur. Nam & qui Serenitati noſtræ pro venia ætatis crediderit ſupplicandum, hoc ſibi nouerit eſſe conceſſum, vt ſine præiudicio indulgentiæ noſtræ, quod in ſequenti lege comprehenſum eſt, vſque ad conſtitutum ſuperius tempus liberum habeat in rerum, quas male geſſerat, proprietatem reſtitui. Quod ſi forſitan minor annis in illius hereditate ſucceſſerit, qui & ipſe in annis minoribus ab hac luce diſceſſit, non prohibendus eſt, cum ad* XXVI. *annum peruenerit, vt ſibi vnde illi competebat, reparationem agendarum rerũ interpoſita conteſtatione requirat. Sin vero minor hereditatem illius, qui plena & integra ætate defecit, acceperit, mox in integrum fuerit reſtitutus, ea tempora in negotiis proſequatur, quæ defuncto maiori legibus competebant. Cum autem maior minori, ſeu ex teſtamento, ſeu ex quocunque iure ſucceſſerit, cum primum ad eum hereditas defuncti peruenerit, quicquid pupillo potuit pro integri reſtitutione competere, in illius tranſeat actionem: Ita vt illius prouinciæ forum ſequatur, in qua defunctus minor habitaſſe dinoſcitur.*

III. Impp. Honorius, & Theodoſius AA. Iuliano II. Proconſuli Africæ.

Et mulieribus & minoribus in hiis quæ vel prętermiſerint vel ignorauerint, innumeris auctoritatibus conſtat eſſe conſultum. Dat. Prid. Non. Mar. Rauennę, Conſtantino V. C. COS.

INTERPRETATIO. *Minoribus mulieribus, sicut & viris, ita in causis omnibus subuenitur. Maioribus vero mulieribus pro fragilitate sexus in multis rebus, quas per ignorantiam prætermiserint, sicut lex ipsa loquitur, iubet esse consultum, Id est, vt si fideiussores pro quibuscunque accesserint, pro ipsa fideiussione non teneantur obnoxiæ. Et si in difficilioribus causis ius vel leges nescientes, mādati chartulam pro negotiis suis forte subscripserint, vt earum cui mandauerint negotium exequantur, & ille in charta non solum procuratorem, sed & dominum si se scripserit, deceptis per hanc fraudem mulieribus subuenitur. Reliqui autem contractus, quos firma ætate publice & solennibus scripturis gesserint, in sua firmitate perdurent.*

De hiis qui veniam ætatis impetrarunt. *Tit. XVII.*

1. Imp. Constantinus A. ad Verinum.

OMnes adolescentes, qui honestate morū prædITI, paternam frugem, vel maiorum patrimonia, vrbana vel rustica conuersatione rectius gubernare cupiunt, & imperiali auxilio indigere cœperint, ita demum ætatis veniam impetrare audeant, cum vicesimi anni clausa ætas adolescentiæ, patefacere sibi ianuam cœperit ad firmissimæ iuuentutis ingressum: Ita vt post impetratam ætatis veniam, iidem ipsi principale beneficium allegantes, non solum præscriptorum annorum numerum probent, sed etiam testibus aduocatis, honesta aut simili, aut potiore dignitate præditis, morum suorum instituta, probitatémque animi, testimonio vitæ honestioris edoceant. Quod cum ea condicione effecerint in alienatione prædiorum ius tantum ætatis obtinebunt, quantum per annorum dimensiones ac temporum, † legis natura singulis quibusque deferre consueuit. Feminas quoque, quarum ætas biennio viros non sera pubertate præcedit, seruato etiam in hoc temporis interuallo, decem & octo annos egressas, ius ætatis legitimæ mereri posse sanximus. Sed eas quas morum honestas, mentísque solertia, & certa fama commendat, has vero propter pudorem & verecundiam, in cœtu publico demōstrari testibus non cogimus, Sed percepta ætatis venia, annos tātum probare tabulis, vel testibus misso Procuratore concedimus. Vt etiam ipsæ in omnibus contractibus tale ius habeant, quale viros habere præscripsimus. Ita vt Senatores apud grauitatis tuæ officium, de suis moribus, & honestāte perdoceāt. Perfectissimi, apud vicariam præfecturam. Equites Romani, & ceteri apud Præfectum vigilum. Nauicularij, apud Præfectum annonæ. Cui ætati, quoniam inter plenam perfectámque adolescentiam, & robustissimam iuuentutem media est, firmatæ ætatis appellationem imponimus: Vt prima ætas pueritiæ sit, sequens adolescentiæ, firmata hæc tertia, quarta legitima, quinta senectus habeatur. In ipsis etiam cōtractibus hac appellatione consignanda, vt non nudum nomē venditoris inseratur tabulis emptionum: Sed ab illo, qui firmatæ ætatis, & honestus vir habeatur, emisse illum significetur, & venditorem esse firmatæ ætatis, Ita tamen, vt quia spes adempta perfidiæ est, & in vendendis prædiis diligentiores esse persistant, qui beneficium meruerunt principale, nec prædia sine decreto alienēt. Dat. VI. Id. April. Thessal. PP. III. Kal. Iun. Romæ, Crispo II. & Constantio II. CC. COSS.

† leges &

INTERPRETATIO. *Adolescentes, qui honestis moribus esse probantur, & ad gu-*

gubernandas facultates suas idoneam cupiunt habere personam, oportet eos primum, antequam ad legitimam ætatem perueniant, id est, vbi vir XX. *annorum esse cœperit, auxilium principis implorare, & accepto huius rei beneficio, eo ordine apud testificationẽ publicam allegare, vt probent se* XX. *annorum implesse curricula, & honesta conuersatione transigere, & sic prædia sua in aliena iura cum decreti tamen interpositione, transferre liberam habeant potestatem. Feminæ vero, sicut biennio in pubertate minores sunt, ita & transacto biennio, vbi ad* XVIII. *annum peruenerint, eas tamen, quas morum & honestatis commendat opinio, non in publico annos probare suos cogendæ sunt, sed misso Procuratore per scripturam annos eos, quos superius diximus, se habere demonstrent, & similem, quam viri in contractibus habeant facultatem. Ita vt qualis, vel quàm digna persona sit, apud talem Iudicem hæc quæ dicta sunt debeat approbare. Ergo cùm fuerint post adolescentiam hac ætate firmati, in ipsis quoque scripturis, vel venditionum instrumentis, honestos se & firmatos ætate conscribant. Hoc tamen illis liceat, qui beneficium, vt diximus, Principis pro confirmanda ætate meruerint, ne prædia sua sine iussu Iudicis, vel decreto, quod ex præcepto Iudicum, vel consensu Curialium datur, alienare præsumant.*

De Iudiciis. Tit. XVIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum.

IVdicantem oportet cuncta rimari, & ordinẽ rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi, adiiciendíque patiẽtia præbita ab eo, vt vbi actio partium limitata sit, contentiones, non occursu Iudicis, sed satietate altercantium metas compresserint, sæpius requiratur, & crebra interrogatione Iudicis frequentetur, num quid noui resideat, quod annecti allegationibus in iudiciaria cõtentione conueniat, cum ad alterutrum hoc proficiat, siue definienda sit causa per Iudicẽ, siue ad nostram scientiam referenda. Nec ad nos mittatur aliquid, quod plena instructione indigeat. Dat. Prid. Id. Ian. Sirmio, Crispo II. & Constantino II. COSS.

INTERPRETATIO. *Iudex cum causam audire cœperit, litigatorum assertiones vel responsiones patienter accipiat, & omnia plena discussione perquirat. Nec prius litigantibus sua sententia velit obuiare, nisi quando ipsi peractis omnibus, iam nihil amplius in contentione habuerint quod proponant: & tandiu actio ventiletur, quousque rei veritas perueniatur, frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum fortasse remaneat: Quia si apud ipsum finienda causa est, totum debet agnoscere. Sin vero ita res exigit, vt ad Principis notitiam deferatur, plena discussis omnibus data relatione debet esse suggestio, &c.*

II. Idem A. ad Seuerum PP. V.

Nulli prorsus audientia præbeatur, qui causæ continentiam diuidit, & ex beneficij prærogatiua id quod in vno eodémque iudicio poterat terminari, apud diuersos Iudices voluerit ventilare pœna proposita. Si quis contra hanc supplicauerit sanctionem, atque alium super possessione, alium super principali quæstione Iudicem postulauerit, vt rei quæ petebatur integra æstimatione subducta, quintam portionem Reip. eius ciuitatis inferat, in cuius finibus res, de qua agitur, constituta est. PP. III. Kal. Aug. Iuliano & Paulino COSS.

INTERPRETATIO. *Nullus penitus audiatur, qui vnius causæ propositionem apud duos Iudices partiri voluerit, vt apud vnum de negotio principali proponat, & ab alio sibi momenti beneficio rem postulet consignari. Quod si quis hoc facere fortasse præsumpserit, eiusmodi pœna se nouerit condemnandum, vt nec illud quod repetit vlla ratione recipiat, & quintam portionem facultatum suarum, de quantum ibi possederit Reip. ciuitatis illius cedat, in cuius finibus res, de qua agitur, fuerit constituta.*

De inofficioso testamento. Tit. XIX.

I. Imp. Constantinus A. ad Lucrium Verinum.

FRatres vterini ab inofficiosis actionibus arceantur, & germanis tantummodo fratribus, aduersus eos duntaxat institutos heredes, quibus inustas constiterit esse notas detestabilis turpitudinis, agnatione durante, sine auxilio Prætoris petitionis aditus reseretur. Dat. Id. April. Sirmio, Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Fratribus vterinis, id est diuersis patribus & vna matre natis, non liceat de inofficioso contra testamentum fratris agere. Sed germanis fratribus prætermissis, id est vno patre natis, si turpibus personis, id est infamibus fuerit hereditas derelicta, hoc est aut pro libidine meretricibus, aut pro inhonesto affectu naturalibus aut certe thymelicis, vel de libertis suis, agendi contra testamentũ licentia reseruatur. Si tamẽ is ipse germanus non pro crimine suo exilio fuerit deputatus, aut per captiuitatem fuerit seruus effectus, aut per emancipationem successionis vel actionis iura perdiderit.*

II. Idem A. ad Claudium Præsidem Daciæ.

Licet legum auctoritas, filiorum potius quàm matrum personis voluit laborem incumbere, vt de inofficioso agentes, intra præfinita tempora doceant nullo suo vitio factum, nec offensionem se parentibus præstitisse, sed iugiter obsecutos, vt naturæ ipsius religio flagitabat, disciplinam illæsam, inoffensámque seruasse, vt hiis probatis remoueri parentum valeant testamenta, tamen si mater contra filij testamentum inofficiosi actionem instituat, inquiri diligenter iubemus, vtrum filius nulla ex iusta causa læsus, matrem nouissima læserit voluntate, nec luctuosam ei, nec legitimam reliquerit portionem vt testamento remoto matri successio deferatur (si tamen defuncto consanguinei agnati non sunt superstites) an mater inhonestis factis atque indecentibus votis filium forte obsedit, insidiísque eum vel clandestinis vel manifestis adpetiit, vel inimicis eius suas amicitias copulauit, atque in aliis sic versata est, vt inimica potius quàm mater crederetur, vt hoc probato, inuita etiam adquiescat filij voluntati. Dat. VIII. Id. Febr. Serdice, Crispo Cæs. II. & Constantio II. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Quamuis leges filiis, si prætermissi testamento fuerint, maiorem quàm matribus agendi dederint potestatem, vt de inofficioso matris testamento proponant, id est, si quarta debitæ portionis suæ filio dimissa non fuerit: ita tamen, si probare potuerint, quod matris in nullo læserint pietatem, sed se obsequium, vt decuit, præstitisse: sic testamentum matris, in quo prætermissi fuerint, non valebit. Nam si mater contra testamentum filij, quod inofficiosum dixerit, agat, debet diligenter requiri, si contra filium mater nihil egisse probatur, aut si nullis insidiis, vel publice, vel secrete eum lædere fortasse tentauerit, Ne forsitan consilium aduersus filium inimicis suis, quod impium est, auxiliúmque præstiterit. Quod si factum non fuerit, potest remouere prætermissa*

termissa mater, quia ei quartam de rebus suis portionem filius non dimisit, quod filius fecerat testamentum, si tamen filio fratres consanguinei agnati, id est vno patre nati, aut eorum filij per virilem sexum non esse probantur. Nam si mater, vt superius dictum est, pro manifestis inimicitiis suis prætermissa docebitur, inuita adquiescat læsi filij voluntati.

III. Idem A. ad concilium Bizacinorum.

Seruus necessarius heres instituendus est, quia non magis patrimonium quàm infamiam consequi videtur: Vnde claret actionem inofficiosi fratribus relaxatam, cum infamiæ aspergitur vitiis is qui heres extitit, omniáque fratribus tradi, quę per turpitudinem, aut aliquam leuem notam capere non potest institutus. Ita in hac quoque parte si quando libertis heredibus institutis fratres fuerint alieni, inofficiosi actione proposita, præualeant in omnibus occupandis facultatibus defuncti, quas ille perperá ad libertos voluerat pertinere. Dat. VII. Kal. Aug. Coloniæ Agrippinæ, Pacatiano & Hilariano COSS.

INTERPRETATIO. *Si seruo pro necessitate debiti à domino cum libertate hereditas fuerit dimissa, quia huiusmodi persona videtur infamis, germanis fratribus, qui prætermissi sunt, agendi contra testamentum datur facultas: vt remota infami persona, salua tamen quam meruit libertate, hereditatem germani fratres ad se debeant reuocare. Nam & si prætermissis fratribus liberti per testamentum heredes fuerint instituti, simili modo germani defuncti eos à bonis fraternæ hereditatis excludent, sibique omnia quæ reliquerit vindicabunt.*

IIII. Imp. Constantinus A. & Iulianus Cæsar Olybrio.

Cum scribit moriés, vt arbitratu boni viri, si quid minus filiis sit relictum, quàm modus quartæ, quæ per successionem bonis tantum liberis debetur, efflagitat, id ipsum ab herede eisdem in pecunia compleatur, manifestum est, nullam iam prorsus nec super testamento, nec super donationibus querelam remanere, præsertim cum vniuersa eadem repellat & reprimat, quæ ad pecuniam rediit taxatio iusta. Dat. XIIII. Kal. Iun. Tauro & Florentio COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties pater filiis per testamentum de facultatibus à se dimissis quartam dari præceperit portionem, & hoc in nummo fieri bonorum virorum arbitrio crediderit committendum, seu hoc testamento siue donatione conscripserit, nullam contra voluntatem patris filius habeat actionem, dummodo quartam portionis suæ, quam erat habiturus de omnibus, quæ tempore mortis suæ pater reliquerit, consequatur in nummo.*

V. Imppp. Gratianus, & Valentinianus, & Theodosius AAA. Hypatio P. F. P.

Intra quinquennium, quod inofficiosis actionibus constitutum est, liberis quoque parentum iudicia inofficiosa causantibus, eadem temporis curricula præstituta sunt. Dat. V. Kal. Iun. Patauii, Merobaude II. & Saturnino COSS.

INTERPRETATIO. *Intra quinque annos à die mortis defuncti, quicunque inofficiosum dicere voluerit testamentum, inchoandæ actionis licentiam se nouerit habiturũ. Quod temporis spatium etiam filij sibi, si contra parentum testamenta ac voluntatem agere voluerint, agnoscant esse concessum. Quo transacto, si repetitio inchoata non fuerit, omnium personarum de inofficioso intentio conquiescat. Ceterum intra quinquennium inchoata, vsque ad tricennium obtineat actionem.*

VI. Impp. Honorius & Theodosius AA. Ioanni P. F. P.

Aduersus iudicium omnibus integris† atque seruatis, quibus inofficiosi

† æquis

actio,aut de immodicis donationibus cœperit forte cōpetere, vel qui se præteritum esse testatur, nos † enim ita huiusmodi institutiones firmandas esse censuimus, vt competentibus actionibus viam minime clauderemus. Dat. † XII. Kal. Mart. Rauennæ, post consulatum Honorij VIII. & Theod.V.AA.

† etiam.

† XVI.

INTERPRETATIO. *Contra voluntatem defuncti ita omnia quæ superiori lege sunt statuta seruentur, vt & de inofficioso agere liceat, & si quis se præteritum dixerit, audiatur. Sed ita hæc omnia obseruari præcipimus, vt si qua alia propositio fuerit de testamento vel donatione, quæ possit opponi, in omnibus audiatur.*

VII. Imp. Theodosius A. ad Asclepiodotum P.F.P.

Si quis defuncti agnouerit voluntatem, de inofficioso agere prohibetur. Dat. VII. Kal. Mart. Constantinopoli, Victore COS.

INTERPRETATIO. *Qui per testamentum sibi aliquid derelictum acceperit aut vendicauerit, & voluerit contra voluntatem defuncti agere, licentiam penitus non habebit.*

De inofficiosis donationibus. *Tit.* XX.

I. Imp. Constantinus A. & Cæsar Olybrio.

ILlud omnino dubitare non conuenit, quod immodicarum donationum omnis querela ad similitudinem inofficiosi testamenti legibus fuerit inducta, & sit in hoc actionis vtriusque vel vna causa, vel similis æstimanda, vel idem temporibus & moribus. Dat. XIIII. Kal. † Iul. Tauro & Florentio COSS.

† Iun.

INTERPRETATIO. *Certum est, quod donatio facta de inofficioso testamēto querelæ similis indicatur, contra quam similiter prætermissus, etsi ei minus, cui hæc actio cōpetit, quàm quartæ portionis suæ modus est, dimittatur, intra quinquennium superius constitutū agere permittitur. Et sicut de inofficioso testamento, ita potest agere vt donatio euacuetur.*

De inofficiosis dotibus. *Tit.* XXI.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum Præsidem Ciliciæ.

CVm omnis hereditas dote dicatur exhausta, concordare legibus promptum est, vt ad exemplum inofficiosi testamenti aduersus dotem immodicam exercendæ actionis copia tribuatur, & filiis conquerentibus emolumenta debita deferantur. Dat. XIIII. Kal. Ianuar. Sirmio, Datiano & Cereali COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties per dotem ita omnis hereditas euacuata probatur, vt quarta hereditatis ipsius non fuerit reseruata, liceat filiis ad similitudinem inofficiosi testamenti contra dotem agere, & debitam sibi portionem ex lege repetere.*

II. Idem A. & Iulianus Cæsar Pomponiano.

Dote ab vxore marito data, filios ex priori matrimonio, si neque vltra dodrantem, neque in fraudem legis Papiæ constituatur, de hac repetenda nullā constat habere actionem. Dat. XV. Kal. Ian. Syrmio, ipso Augusto X. & Iuliano Cæs. IIII. COSS.

INTERPRETATIO. *Si mulier marito secundo dotem dederit, & ex priore marito filios habuerit, & non eis tres vncias, id est, quartam portionem de rebus suis reseruauerit, dos quæ contra legem Papiam secundo marito data est, non valebit. Hic de iure addendum quid sit lex Papia.*

De

De hereditatis petitione. Tit. XXII.

1. Imp. Constantinus A. & Cæsar, ad Maximum P. F. V.

SI is qui dignitate Romanæ ciuitatis amissa Latinus fuerit effectus, in eodem statu munere lucis excesserit, omne peculium eius à patrono, vel patroni filiis, siue nepotibus eius, qui nequaquam ius agnationis amiserint, vindicetur. Nec ad disceptationem, veluti hereditariæ controuersiæ filiis liceat accedere, cum eius potissimum status ratio tractanda sit, non quem beneficio libertatis indultæ sortitus acceperit, sed is in quo munere lucis excesserit. Dat. III. Kalend. Febr. Serdice, ipso Augusto VII. & Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis ciuis Romanus libertus, intercedente culpa, Latinus libertus fuerit effectus, si in eadem Latinitate sine reparatione prioris status ab hac luce discesserit, facultates illius patronus, vel patroni filij, vel nepotes, qui tamen per virilem lineam descendunt, & emancipati non fuerint, sibimet vindicabunt. Nec si filios, quos ciuis Romanus generauit, fortaße dimiserit, aliquid de eius hereditate præsumant: quia non requirendum est, in qua libertate nati fuerint, sed in qua pater eorum positus condicione defecerit.*

De rei vendicatione. Tit. XXIII.

1. Impp. Honorius & Theodosius AA. † Crispino Comiti & magistro Equitum.

† Crispini.

QVisquis armatæ militię stipendiis communitus in solo publico vel ædificium aliquod construxerit, vel septis quibuslibet spatia certa concluserit, perpetuo iure, & firmo dominio eadem ex nostra generali auctoritate possideat: nec per subreptionem aliquis postea eadem loca à nostra Clementia audeat postulare. Illud quoque sancimus, si quisquam militum simili condicione ante hoc tempus loca publica possidẽda detinuit, ac postea eadem per alias competitionum nebulas detectus fuerit amisisse, reformari eadem, Ita tamen, si probatum fuerit, à nullo antea possessum solum hac qua ostendimus à milite ratione detentum, vel si in alios forte eorum militum voluntate translatũ fuisse, quod tenuerat, potuerit perdoceri. Ne quis sanè post hanc definitionem nostri numinis surripiendo postulare audeat, hæc spatia, de quibus præsens oraculi nostri forma comprehẽdit, pœnã xx. librarũ auri iubemus adscribi. Dat. V. Kal. Mar. Rauennæ, Asclepiodoto & Mariano COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque militans in solo publico ædificium fortaße extruxerit, aut aliquid pro vtilitate sua crediderit faciendum, per nullius calumniam penitus repellatur, sed hoc perpetuò in eius iure permaneat: Idem, si miles nostris vtilitatibus seruiens, si locum publicum construxerit, vel ad excolendum fortaße tenuerit: si hoc tamen nullus antea tenuit, cui miles ipse peruasor extiterit, simili ratione poßideat. Cõtra quam rem etiam si subreptum Principi fuerit, non solum impetrata non valeant, verumetiam improbus petitor xx. libras auri fisco cogatur exoluere.*

De familia hercíscunda. Tit. XXIIII.

1. Imp. Constantinus A. ad Verinum.

CVm diuidendę res erũt, dubitari non poteſt, ab heredibus ſuis cõſenſum ſine vlla cõtrouerſia cõmodandum. Quod vero ad huiuſmodi ſpectat ſcripturas, in quibus talis defunctorum mens fuiſſe inuenitur, vt de teſtamento intelligatur tantummodo cogitatũ, etſi repugnare ius videatur, huiuſmodi quoque conſcriptiones inter ſuos dũtaxat heredes, valere oportet, quemadmodum valent ſcripturę ſimpliciter inchoatæ, quas nulla ſolennitatis adminicula defendunt, ſolis nixę radicibus volũtatis: Licet enim ſub teſtamẽti vocabulo cœptæ, cum perfectę non ſint, neque appellari aliter vllo modo poſſint, euanuiſſe videtur: tamen diſpoſitiones vltimę coloratam iuris imaginem referentes, iuſtius in ſe legum procliuẽ fauorem debẽt prouocare. Quamobremcum filiis ac nepotibus, ciuili iure, vel auxilio Prętoris vt ſuis heredibus defuncti ſucceſſio deferatur, etiã ſi inceptũ, neque impletum teſtamentum eſſe memoretur, vel ſi ab vtilitate † verborum, vel ſolennitate iuris inanis ſcriptura eſſe dicatur, conſiderari ſpecialiter voluntatem placet, & obſecũdari protinus cum res diuidentur, nec retineri amplius, quàm quod ſingulorum perſonis detegatur adſcriptum: vt & memoria defũcti non violetur parentis, & occaſiones litium dirimantur. Dat. † IIII. Kalen. Septemb. Criſpo II. & Conſtantino II. COSS.

† ἴσως vel *ſubtilitate verborum.*

† III.

INTERPRETATIO. *Quando facultas patris inter filios vel nepotes diuiditur, ſpecialiter voluntas patris vel aui paterni debet in omnibus cuſtodiri, cuius teſtamentum etiam ſi non fuerit perfectum, aut ſi non legitimo numero teſtium ſubſcribatur, nec geſtis allegetur, tamen ſi agnoſcitur defunctus, de quo ſupradictum eſt, de facultate ſua aliquid ordinaſſe, quicquid vnumquenque de filiis ac nepotibus cuiuſcumque ſexus habere voluerit, hoc ſibi ſine conſortis repetitione defendat: nec præſumat aliquis, quod alteri conſorti auctor ille dimiſerit. Sed hoc inter filios ac nepotes ex filiis maſculis obſeruetur, quod voluntate auctoris per quancunque ſcripturam probabitur ordinatum.*

II. Idem A. ad Conſtantinum PF. P.

Nulli quidem de bonis vſurpandis viuorum, nec diuidendi contra bonos mores conceſſa licentia eſt. Sed ſi præcipiente matre bona eius inter ſe liberi diuiſerint, placuit omnifariam nobis huiuſmodi diuiſionem durare, ſi modo vſque ad extremũ eius viuẽdi ſpatium voluntas eadem perſeueraſſe doceatur. Dat. † IIII. Kal. Iun. Conſtantinopoli, Conſtantio & Maximo COSS.

† III. Id.

INTERPRETATIO. *Licet viuorum bona vt diuidantur iniuſtum ſit, tamen ſi mater viuens facultates ſuas filiis præceperit & permiſerit diuidendas, & vſque ad exitum vitæ ſuæ in eadem voluntate perſtiterit, diuiſio inter filios facta perduret.*

De communi diuidundo. *Tit.* XXV.

I. Imp. Conſtantinus A. Gerulo Rationali trium Prouinciarum.

IN Sardinia fundis patrimonialibus, vel emphyteuticariis per diuerſos nũc dominos diſtributis, oportuit ſic poſſeſſionum fieri diuiſiones, vt integra apud poſſeſſorem vnumquemque ſeruorum agnatio permaneret. Quis enim ferat liberos à parentibus, à fratribus ſorores, à viris coniuges ſegregari? Igitur qui diſſociata in ius diuerſum mancipia traxerunt, in vnum redigere eadem cogantur. Ac ſi cui propter redintegrationẽ neceſſitudinum ſerui ceſſerunt, vicaria per eum qui eoſdem ſuſceperit mãcipia reddantur.

dantur. Et inuigilandum, ne per prouinciam aliqua posthac querela super diuisis mancipiorum affectibus perseueret. Dat. III. Kal. Maij. Proculo & Paulino coss.

INTERPRETATIO. *In diuisione patrimoniorum, seu fiscalium domorum, siue priuatorum, obseruari specialiter debet, vt quia iniustum est filios à parentibus, vel vxores à maritis, cum ad quemcunque possessio peruenerit, sequestrari, vt mancipia, quæ permixta fuerint, id est vxor cum marito suo & filiis, datis vicariis, ad vnum debeant pertinere, cui necesse fuerit commutare, quod sollicitudo ordinantium debet specialiter custodire, vt separatio fieri omnino non possit.*

Finium regundorum. *Tit. XXVI.*

I. Imp. Constantinus A. ad Tertullianum P. V. Comitem dioceseos Asianæ.

SI quis super inuasis sui iuris locis prior detulerit querimoniam, quæ finali cohęret cum proprietate cõtrouersię, prius super possessione quęstio finiatur, & tunc Agrimensor ire præcipiatur ad loca, vt patefacta veritate huiusmodi litigium terminetur. Quod si altera pars locorum adepta dominium subterfugiendo moras attulerit, ne possit controuersia definiri ad locorum ordines directus Agrimensor dirigatur ad loca, vt si fidelis inspectio tenentis locum esse probauerit, petitor victus abscedat, etsi controuersia eius claruerit, qui primò detulerit causam, vt inuasor ille pœnæ teneatur addictus, si tamen ea loca eũdem inuasisse constiterit: nam si per errorem aut incuriam domini loca data ab aliis possessa sunt, ipsis solis cedere debent. Dat. VIII. Kal. Mart. Gallic. & Symmac. coss.

II. Imp. Constantinus A. ad Bassum P F. V.

Si constiterit eum, qui finalem retulerit quæstionem, priusquã aliquid sententia determinetur, rem sibi alienam vsurpare voluisse, non solum id quod male petebat, amittat, sed quo magis vnusquisque contentus suo, rem non expetat iuris alieni, is qui inreptor agrorum fuerit in lite superatus, tantum agri modum quantum diripere tentauit amittat. Lecta apud acta. Dat. XII. Kal. Iul. Gallicano & Symmacho coss.

INTERPRETATIO. *Si quis peruasor finium fuerit approbatus, eò quod priusquam aliquid iudicio finiretur, id quod alter tenuerat inuasisset, non solum illud quod male præsumpsit amittat, sed vt non vnusquisque rem alienam occupet, cum fuerit in causa deuictus peruasor iuris alieni, tantum spatij restituat, quantum præsumpsit inuadere.*

III. Idem A. ad vniuersos Prouinciales. Post alia.

Si finalis controuersia fuerit, tunc demum arbiter non negetur, cum intra quinque pedes locum, de quo agitur apud Præsidem, esse constiterit, cum de maiore spatio causa quædam non finalis sed proprietatis, apud ipsum Præsidem debeat terminari. Et si socius quid petat à socio, ante Præses iudicet, an præstari aliquid oporteat, & tunc demum illud per arbitros restituatur, quod constiterit esse soluendum. Dat. Kal. Aug. Basso & Ablauio coss.

IIII. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Neoterio P F. P. O. C. N.

Quinque pedum præscriptione summota, finalis iurgij, vel locorum libera peragatur intentio, sola sit igitur huiusmodi legibus vna præscriptio, quæ improbi petitoris refrenare possit inuidiam, si veteribus finem cum signis limes

inclusus congruum erudita arte præstiterit. Nec vero prolixioris temporis in huiusmodi locum habebit vlla præscriptio, cum diuturno ocio alienum rus quisque asserat se diligentius coluisse, quando omne huiusmodi iurgium solo præcipimus iure discingi, quo artis huius peritis omne commisimus sub fideli arbitratione iudicium. Dat. VII. Kalen. Aug. Arcadio Augusto & Bautone coss.

V. Imppp. Theodosius, Arcadius, Honorius AAA. Rufo PF.P.

Cunctis motionibus & machinis amputatis finalibus iurgiis, omnem modum quem præscripsimus, ac de eo tantum spatio, hoc est, pedum quinque, qui veteri iure præscripti sunt, sine obseruatione temporis arbitros iussimus iudicare. Quod si loca in controuersiam veniant, solenniter iudicare cognoscās, & seu ciuilis seu criminalis actio competit, tribuetur, ita vt causa cognita, & redhibitione obnoxius decernatur, nec pœnam conuictus aufugiat. Dat. prid. Non. Nouemb. Constantinop. Arcadio II. & Rufino coss.

Si certum petatur de Chirographis. *Tit. XXVII.*

I. Imppp. Honorius & Theodosius, & Constantius AAA. Palladio PF.P.

SVper chirographis mortuorum hanc seruari volumus perpetua obseruatione sentētiam, vt qui inter absentes intra hoc iuge quinquennium, inter præsentes vero biennium, iudiciis competentibus non publicauerit cautiones, nec conuenerit debitoris heredes, actione priuetur. Hic tamen si intra tempora constituta processerit, absque vllo sequestrationis obiectu prius manū defuncti probare iubeatur, hoc enim toto iure cantatum est, vt scripturam prolator affirmet, quam tamen astrui nō sola manus collatione conueniet (quid enim aliud falsarius agit, quàm vt similitudinem veritatis imitetur?) sed aliis multiplicibus documentis, vt probet magnæ securitatis fuisse quod siluit. Nam si publicam iudiciorum aditionem amicitiarum forsitan impediuit affectio, priuatam saltem conuētionem testes audierint, libertus aut seruus agnouerit. Admonere etiam potuit sub mortis vicinitate languentem. Quod si se forsitan causetur absentem, maioribus astrui potest conuentio longinqua documentis, promisisse solutiones epistolari rescripto. Ac ne idipsum qui cautionē fingit imitetur, producat in medium portitores, qui alternæ partis scripta confirment, à quibus tamen verum vel sacramento dignitas, vel suppliciis terror exploret. Et quamuis ad illuminandam hereditarij debiti fidem, & causas oporteat fœnoris approbari, & pecuniæ baiulos hinc inde produci. His ac talibus si destituetur taciturnitas longinqua documentis, in euidenti est, veteratorum calumnias non solum repetitione priuandas, verum etiam seueritate cohibendas. Sed si viuentis ante hanc legem facta cautio proferatur, quam suam neget ille qui petitur, sequestret pecuniam litigaturus ex falso: Cauendum est enim, ne inficiandi fomitem ministremus obnoxiis. Quod tamen tunc conueniet custodiri, si inter præsentes vtrosque viuentes necdum XX. anni, inter absentes necdum XXX. doceantur emensi. Alioqui si chirographi fides sub silentio iudiciariæ conuentionis statutum tempus excesserit, probari prius debitum

debitum côueniet, tunc reposci, sequestrationis necessitate submota. Sin vero suam quidem manum fateatur obnoxius, sed nihil sibi numeratũ pro hac obligatione causetur, tunc chirographi discuti oportebit ætatem, vt si iure delata contestationibus tempora debitor taciturnus exegit, cauillationis istius perdat obstaculum. De cetero vero sancimus, vt omnes deinceps cautiones intra duodecennium vim contestationis accipiant, quam debitor facta nouatione promittat. Sed si mediis temporibus peregrinetur obnoxius, quo nouationi longior obsit absentia, volumus creditorem ante duodecennium præstitutum aditi Iudicis edictum mereri, auctoritatémque postibus debitoris affigere, domesticas etiam conuenire personas: nullus enim per tanta contestationum poterit documenta mentiri. Quod ideo ante duodecennium iubemus agitari, vt per interualla temporis longioris inclamatus, aduertat cõfutari debere, si fides non agnoscitur petitorum, nec obesse iam post adscripta tempora creditori, si post has contestationum voces longa debitoris absentia vel redhibitio protelet ur, vel nouatio iusta ludatur. Et quamuis nescire promulgata non liceat, per omnem hunc annum pendere iubemus edictum. Dat. v. Kal. Aug. Rauennæ, Eustasio & Agricola coss.

INTERPRETATIO. *De cautionibus mortuorum hoc præcipimus obseruari, vt si debitor absens defunctus fuerit, & mortuum eum creditor esse cognouerit, cautionem suam intra quinquennium Iudici non differat publicare. Si vero præsente creditore defecerit, intra biennium defuncti publicet cautionem. Ita tamen, vt manus mortui conferatur, & agnosci possit illius esse subscriptio, aut conuenisse illum dum viueret aliquibus scientibus valeat approbare: & causas ipsius debiti vnde pecuniam contraxit, exponat. Quod si supra personam mortui detegitur fortasse mentiri, non solum pecuniam non recipiat, sed etiam seueritatem legis incurrat. Nam de reliquo inter viuorum personas hæc obseruanda decernimus, vt omnes cautiones debitorum intra duodecim annos debeant cõtestari: ita vt à debitoribus renouentur. Quod si forsitan ante duodecim annos debitorem peregrinari contigerit, Iudicis mereatur edictum, quod in postibus debitoris sui pro contestatione debiti affigere, & homines illius conuenire non desinat, vt cum fuerit taliter debitum contestatum, excusationem qui peregrinatur longi temporis habere non possit. Nec ideo se excuset, quod non renouauerit cautionem. Sanè si debitor suam esse dixerit cautionem, sed nihil se de ipsa cautione adserat accepisse, tempus debet inspici cautionis, vt si intra quinquennium cautio conscripta cognoscatur, & probatum fuerit, quod in cautione continetur acceptum, debitor suam impleat cautionem. Si vero quæ in cautione scripta sunt intra quinquennium tradita non probantur, is cuius cautio est non teneatur obnoxius. Nam transacto quinquennio, si de cauta & non consignata pecunia debitor dixerit, nullatenus audiatur.*

De pecuniæ sequestratione prohibita. Tit. XXVIII.

1. Impp. Honorius, & Theodosius AA. Ioanni PF. P. Post alia.

QVoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat: oportet enim debitorẽ primo conuinci, & sic solutioni succumbere. Quam rem cum iuris ratio, tum ipsa æquitas persuadet, vt probationes secum afferat, debitorémque conuincat pecuniam petiturus, &c. Dat. VII. Id. Iul. Rauennæ, Honorio XIII. & Theodosio X. AA. coss.

INTERPRETATIO. *Quoties ab aliquo pecunia repetitur, non prius cogatur seque-*

strare pecuniam ille qui petitur, quàm ille qui repetit debitorem suum certa prius probatione conuincat, & sic pecuniam, quam se dedisse conuicerit, adhibita probatione recipiat.

Si certum petatur de suffragiis. *Tit. XXIX.*

I. Imp. Iulianus A. ad Populum.

FOedis commentis, quæ bonorum merito deferuntur, quidam occupare meruerunt, & cum meruissent in Rep. quolibet pacto versari, repetendam sibi pecuniam, quam inhoneste soluerant, imprudentius atque inhonestius arbitrantur: Alij etiam quæ tunc donauerant, vel potius proiecerãt ob immeritas causas, inuadenda denuo crediderint. Sed quia leges Romanæ huiusmodi contractus penitus ignorãt, omnem repetẽdi eorum, quę prodigè nephariéque proiecerint, copiam prohibemus. Qui itaque repetere nititur, vel repetisse conuincitur, & quod dedit apud suffragatorem eius manebit, vel extortum restituet, & alterum tantum fisci viribus inferre cogatur. Dat. Kal. Feb. Cõstantinop. Mamertino, & Neuita COSS.

INTERPRETATIO. *Aliquanti pro sua voluntate suffragia dedisse probantur, & postea cum ad militiam peruenerint, ea quæ dederant, repetere vel auferre contra rationem inhoneste & illicite præsumpserunt. Ideóque prohibemus, vt quicumque aliquid pro præstandis sibi quæ petiit dedisse dinoscitur, non habeat licentiam repetendi: qui vero repetere fuerit conatus, hoc ille habeat qui accepit, aut certe si sublatum ei fuerit, reformetur, & aliud tantum ille qui abstulit fisco cogatur inferre.*

II. Imppp. Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA. Rufino PF. P.

Si qui desideria sua explicare cupientes, ferri sibi à quoquam suffragium postularint, & ob referendam vicem se sponsione cõstrinxerint, promissa restituant, cum ea quæ optauerint consequantur. Si artibus moras nectent, ad solutionem debiti coartandi sunt. Sed si quid eo nomine in auro, vel argento, vel in ceteris mobilibus datum fuerit, traditio sola sufficiet, & cõtractus habebit perpetem firmitatem: Quoniam collatio rei mobilis inita integra fide ac ratione cumulatur. Quod si prædia rustica vel vrbana placitum continebit, scriptura quæ ea in alium transferat emittatur, sequatur traditio corporalis, & rem fuisse completam gesta testentur: aliter enim ad nouum dominum transire non possunt, neque de veteri iure discedere. Quod si quis, dum solo commonitorio de suffragio nititur, bona duxerit occupanda, reus temeritatis ac violentię retinebitur, atque in statum pristinum possessio reducetur, eo à petitione excluso, qui non dubitauit inuadere, quod petere nõ debuisset. Dat. IIII. Non Martij Constantinop. Arcadio III. & Honor. II. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis dum necessitates suas expedire desiderat, aliquid se commodi daturum esse promiserit, perceptis quæ voluit, constrictus hoc sine vlla dilatione implere cogatur. Quod si aliquid in auro, vel in argento, vel in ceteris rebus mobilibus obtulerit, firmum sine scriptura permaneat: quia res mobiles in suffragiis scripturam penitus non requirunt, sed sola traditione firmantur. Quod si loca vrbana vel rustica dare placuerit, scriptura sequatur, atque traditio, & de completis omnibus, vel re tradita gesta confecta proferantur, nam aliter possessio ad alterum dominum transire non poterit. Sanè si quis sine tali scriptura possessionem alterius crediderit occupandam, reus violentiæ teneatur, & integrum quod inuaserit reddat, omni sua repetitione damnata.*

De

De Pignoribus. Tit. XXX.

I. Imp. Constantinus A. ad vniuersos Prouinciales.

Intercessores à Rectoribus Prouinciarum dati ad exigenda debita ea quæ ciuiliter poscuntur non seruos aratores aut boues aratorios pignoris causa de possessionibus abstrahunt, ex quo tributorum inlatio retardatur. Si quis igitur intercessor aut creditor, aut Præfectus pacis, vel Decurio, in hac re fuerit detectus, à Rectoribus Prouinciarum capitali sententiæ subiugetur. Dat. IIII. Non. Iunias, Sirmio, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

INTERPRETATIO. *Multi pro fiscali debito seruos cultores, aut boues aratorios de possessionibus causa pignoris auferre præsumunt, de quorum laboribus tributa redduntur, & ideo si quis creditor vel curam pacis, vel curialis, aut quicunque exactor hoc facere præsumpserit, à Prouinciæ Iudice puniatur.*

II. Impp. Honorius & Theod. AA. Ioanni P. F. P. Post alia.

Nexum non faciat prædiorum, nisi persona, quæ iure potuit obligari: Per seruum autem vel procuratorem, colonum vel actorem seu conductorem præiudicium possessioni, inuito vel inscio domino imponi non posse, & iuris & legum auctoritatibus decantatur, &c. Dat. Id. Iul. Rauenn. Honor. XIII. & Theod. X. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Non obliget possessionem, nisi ille, qui proprius dominus esse dinoscitur: nam neque per seruum, neque per procuratorem, siue colonũ, aut actorem, aut conductorem, si res fuerit obligata, præiudicium domino non poterit exhibere.*

Quod iussu. Tit. XXXI.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Ioanni. P. F. P. Post alia.

Dominos ita constringi manifestum est actione prætoria, quæ appellatur. Quod iussu, Si certam numerari præceperint seruo actorive pecuniam. Igitur in perpetuum edictali lege sancimus, vt qui seruo, colono, cõductori, procuratori actorive possessionis pecuniam commodat, sciat dominos possessionum cultorésve terrarum obligari non posse: neque familiares epistolas, quibus homines plerunque commendantur absentium, in id trahere conuenit, vt pecuniam quoque, quam nõ rogatus fuerat, impendisse se pro prædiis mentiatur, cum nisi specialiter vt pecuniam commodet à domino fuerit postulatus, idem dominus teneri non possit, creditáque quantitate multari volumus creditores, si huiusmodi personis, non iubente domino nec fideiussoribus specialiter acceptis, fuerit commodata pecunia. Dat. VI. Id. Iul. Rauennæ, Honorio XIII. & Theod. X. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Nullus dominum ad reddendum debitum, sicut hucusque fiebat, adstringat, nisi seruo suo, vel actori pecuniam rogante domino præstitisse conuicerit. Et ideo si quis seruo colono, conductori, procuratori, vel actori pecuniam non rogante domino dederit, sciat dominos terrarum propter hoc debitum nullatenus posse teneri. Sed qui non rogante domino pecuniam talibus personis crediderint, aut fideiussores non acceperint, ea quæ commodata sunt se nouerint perdituros, nec à domino posse reposci.*

De peculio. *Tit.* XXXII.

I. Impp. Honor. & Theodos. AA. Ioanni PF.P. Post alia.

HOc quoque creditoribus non negamus, vt si liber à rationibus fuerit quas regebat inuentus actor seruus, Procuratórve prædiorum, vtilis actio pateat de peculio &c. Dat. v. Id. Iul. Rauénæ Honor. XIII. & Theod. X. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Hoc sanè creditoribus volumus esse præstandum, vt actor vel seruus, siue Procurator possessionis, qui pecuniam à creditore susceperit, si nihil de rationibus suis domino debuerit, pro pecunia, quam accepit de peculio quod habet creditoribus reddat.*

De vsuris. *Tit.* XXXIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Dracilianum, agentem Vices præf. prætorio.

QVicunque fruges humidas vel arentes indigentibus mutuas dederint, vsuræ nomine tertiam partem superfluam consequantur, id est, vt si summa crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius consequantur. Quod si conuentus creditor, propter commodum vsurarum debitum recuperare noluerit, non solum vsuris, sed etiam debiti quantitate priuandus est, quæ lex ad solas pertinet fruges, nam pro pecunia vltra singulas centesimas creditor vetatur accipere. PP. Cæsareæ XV. Kal. Maias, Paulino, & Iuliano COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque fruges humidas, id est vinum & oleũ, vel quodcunque annonæ genus alteri commodauerit, non plus ab eo propter vsuram quàm tertiã partem accipiat, id est, vt supra duos modios qui accepit tertium reddat. Quod si conuentus fuerit ille qui commodat, & pro maiore vsura noluerit debitũ suum, adiecto tertio modio, à debitore recipere, etiam debitum perdat. Quam rem ad solas fruges præcipimus pertinere: nam quando pecunia fuerit commodata, nisi vnam tantum centesimã à creditoribus exigi non iubemus.*

II. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Cynegio PF.P.

† quicquid.

Quicunque vltra centesimam iure permissam † aliquid sub occasione necessitatis eruerit, quadrupli pœnæ obligatione constrictus, sine cessatione, sine requie protinus ablata redhibebit. Hi vero, qui antea pari furore grassati vspiam detegentur, in duplum extorta restituant. Data VIII. Kal. Nouemb. Constantinopoli Honorio NB.P. & Euodio V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis plus quàm legitima centesima continet, id est tres siliquas in anno per solidum amplius à debitore sub occasione necessitatis accipere vel auferre præsumpserit, post datam legem sine vlla dilatione ea quæ amplius accepit constrictus quadrupli pœna restituat. Ea vero quæ ante legem tali ratione data sunt, in duplũ volumus reformari.*

III. Impp. Arcadius, & Honorius AA. Eutychiano PF.P.

Frustra debitores in annis minoribus constitutorum vsuras se restituere nõ debere contendunt, quia senatoria eos dignitate præditos esse testantur, vnde sortem cum vsuris in stipulationem deductis restituant. Dat. IX. Kal. Decẽb. Constantinopoli. Cæsario, & Attico COSS.

INTERPRETATIO. *Sine causa Senatoribus in annis minoribus constitutis, debitum*

tum cum vsuris reddere dissimulant debitores, propter hoc quod senatorio genere nati debitum cum vsuris integris recipere non iubentur, & ideo quod cautione per stipulationem promissum est, reformetur.

IIII. Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodosius AAA. Optato P.F.V.

Senatores sub medietatem centesimæ vsuræ ad contractum creditæ pecuniæ censemus admitti. Itaque omnes intelligant, nullũ florẽtissimo cœtui sociatum fœnus exercentẽ, vltra medietatem cẽtesimæ vel iure stipulari, vel poscere posse vsuram. Quinetiam si quid præter moderatam nostri numinis definitionem fuerit flagitatum, imminuendæ sorti pro huius legis auctoritate cessurum. Dat. Pridie Id. Iun. Niciæ, Stillicone II. & Anthemio v.c. COSS.

INTERPRETATIO. *Senatores, qui pecuniam ad centesimam præstare voluerint, non amplius vsuræ nomine quam medietatem legitimæ centesimæ à debitoribus suis accipiant, nec amplius vt caueant, aut se cautione constringant, qui commodatam suscipiunt pecuniam, forte cogantur. Nam si amplius ab eis fuerit requisitum, sciant se Senatores hoc quod commodauerint perdituros.*

CODICIS THEODOSIANI LIBER TERTIVS.

De Contrahenda emptione. Tit. I.

I. Imp. Constantinus ad Profuturum PF. Annonæ.

VENDITIONIS atque emptionis, † fidem nulla circumscriptionis violentia factam rumpi minime decet. Nec enim sola precij vilioris querela, contractus sine vlla culpa celebratus litigioso strepitu turbãdus est. PF. Id. Aug. Constantino A.V. & Licinio COSS.

† *Sq. Venditiones atque emptiones fide nulla circumscriptionis aut violentia factæ.*

INTERPRETATIO. *Cum inter ementem & vendẽtem res fuerit definito precio comparata, quamuis plus valeat quam ad præsens venditur, hoc tantummodo requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit ille qui comparasse probatur. Et si voluerit reuocare qui vendidit, nullatenus permittatur.*

II. Idem Aug. ad Gregorium.

Qui comparat, censum rei comparatæ cognoscat, neque liceat alicui rem sine censu vel comparare, vel vendere. Inspectio autem publica vel fiscalis esse debebit hac lege, vt si aliquid sine censu vendiderit, & id ab alio deferetur, vẽditor quidẽ possessionẽ, comparator vero id quod dedit precium fisco vindicante perdat. Id etiam placuit, neminem ad venditionem rei cuiuslibet accedere, nisi eo tempore, quo inter venditorem & emptorem cõtractus solenniter explicatur, vt certa & vera proprietas à vicinis demonstretur, vsque eò legis istius cautione decurrẽte, vt etiamsi subsellia, vel vt vulgò aiunt, scãna vendan-

actio, aut de immodicis donationibus cœperit forte cópetere, vel qui se præteritum esse testatur, nos † enim ita huiusmodi institutiones firmandas esse censuimus, vt competentibus actionibus viam minime clauderemus. Dat. † XII. Kal. Mart. Rauennæ, post consulatum Honorij VIII. & Theod. V. AA.

† etiam.

† XVI.

INTERPRETATIO. *Contra voluntatem defuncti ita omnia quæ superiori lege sunt statuta seruentur, vt & de inofficioso agere liceat, & si quis se præteritum dixerit, audiatur. Sed ita hæc omnia obseruari præcipimus, vt si qua alia propositio fuerit de testamento vel donatione, quæ possit opponi, in omnibus audiatur.*

VII. Imp. Theodosius A. ad Asclepiodotum PF. P.

Si quis defuncti agnouerit voluntatem, de inofficioso agere prohibetur. Dat. VII. Kal. Mart. Constantinopoli, Victore COS.

INTERPRETATIO. *Qui per testamentum sibi aliquid derelictum acceperit aut vendicauerit, & voluerit contra voluntatem defuncti agere, licentiam penitus non habebit.*

De inofficiosis donationibus. *Tit.* XX.

I. Imp. Constantinus A. & Cæsar Olybrio.

ILlud omnino dubitare non conuenit, quod immodicarum donationum omnis querela ad similitudinem inofficiosi testamenti legibus fuerit inducta, & sit in hoc actionis vtriusque vel vna causa, vel similis æstimanda, vel idem temporibus & moribus. Dat. XIIII. Kal. † Iul. Tauro & Florentio COSS.

† Iun.

INTERPRETATIO. *Certum est, quod donatio facta de inofficioso testamẽto querelæ similis iudicatur, contra quam similiter prætermissus, etsi ei minus, cui hæc actio cõpetit, quàm quartæ portionis suæ modus est, dimittatur, intra quinquennium superius constitutũ agere permittitur. Et sicut de inofficioso testamento, ita potest agere vt donatio euacuetur.*

De inofficiosis dotibus. *Tit.* XXI.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum Præsidem Ciliciæ.

CVm omnis hereditas dote dicatur exhausta, concordare legibus promptum est, vt ad exemplum inofficiosi testamenti aduersus dotem immodicam exercendæ actionis copia tribuatur, & filiis conquerentibus emolumenta debita deferantur. Dat. XIIII. Kal. Ianuar. Sirmio, Datiano & Cereali COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties per dotem ita omnis hereditas euacuata probatur, vt quarta hereditatis ipsius non fuerit reseruata, liceat filiis ad similitudinem inofficiosi testamenti contra dotem agere, & debitam sibi portionem ex lege repetere.*

II. Idem A. & Iulianus Cæsar Pomponiano.

Dote ab vxore marito data, filios ex priori matrimonio, si neque vltra dodrantem, neque in fraudem legis Papiæ constituatur, de hac repetenda nullã constat habere actionem. Dat. XV. Kal. Ian. Syrmio, ipso Augusto X. & Iuliano Cæs. IIII. COSS.

INTERPRETATIO. *Si mulier marito secundo dotem dederit, & ex priore marito filios habuerit, & non eis tres vncias, id est, quartam portionem de rebus suis reseruauerit, dos quæ contra legem Papiam secundo marito data est, non valebit. Hic de iure addendum quid sit lex Papia.*

De

De hereditatis petitione. Tit. XXII.

1. Imp. Constantinus A. & Cæsar, ad Maximum P. F. V.

SI is qui dignitate Romanæ ciuitatis amissa Latinus fuerit effectus, in eodem statu munere lucis excesserit, omne peculium eius à patrono, vel patroni filiis, siue nepotibus eius, qui nequaquam ius agnationis amiserint, vindicetur. Nec ad disceptationem, veluti hereditariæ controuersiæ filiis liceat accedere, cum eius potissimum status ratio tractanda sit, non quem beneficio libertatis indultæ sortitus acceperit, sed is in quo munere lucis excesserit. Dat. III. Kalend. Febr. Serdice, ipso Augusto VII. & Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis ciuis Romanus libertus, intercedente culpa, Latinus libertus fuerit effectus, si in eadem Latinitate sine reparatione prioris status ab hac luce discesserit, facultates illius patronus, vel patroni filij, vel nepotes, qui tamen per virilem lineam descendunt, & emancipati non fuerint, sibimet vindicabunt. Nec si filios, quos ciuis Romanus generauit, fortasse dimiserit, aliquid de eius hereditate præsumant: quia non requirendum est, in qua libertate nati fuerint, sed in qua pater eorum positus condicione defecerit.*

De rei vendicatione. Tit. XXIII.

1. Impp. Honorius & Theodosius AA. † Crispino Comiti & magistro Equitum.

† *Crispini.*

QVisquis armatæ militię stipendiis communitus in solo publico vel ædificium aliquod construxerit, vel septis quibuslibet spatia certa concluserit, perpetuo iure, & firmo dominio eadem ex nostra generali auctoritate possideat: nec per subreptionem aliquis postea eadem loca à nostra Clementia audeat postulare. Illud quoque sancimus, si quisquam militum simili condicione ante hoc tempus loca publica possidēda detinuit, ac postea eadem per alias competitionum nebulas detectus fuerit amisisse, reformari eadem, Ita tamen, si probatum fuerit, à nullo antea possessum solum hac qua ostendimus à milite ratione detentum, vel si in alios forte eorum militum voluntate translatū fuisse, quod tenuerat, potuerit perdoceri. Ne quis sanè post hanc definitionem nostri numinis surripiendo postulare audeat, hæc spatia, de quibus præsens oraculi nostri forma comprehēdit, pœnā xx. librarū auri iubemus adscribi. Dat. V. Kal. Mar. Rauennæ, Asclepiodoto & Mariano COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque militans in solo publico ædificium fortasse extruxerit, aut aliquid pro vtilitate sua crediderit faciendum, per nullius calumniam penitus repellatur, sed hoc perpetuò in eius iure permaneat: Idem, si miles nostris vtilitatibus seruiens, si locum publicum construxerit, vel ad excolendum fortasse tenuerit: si hoc tamen nullus antea tenuit, cui miles ipse peruasor extiterit, simili ratione possideat. Cōtra quam rem etiam si subreptum Principi fuerit, non solum impetrata non valeant, verumetiam improbus petitor xx. libras auri fisco cogatur exoluere.*

De familia herciscunda. Tit. XXIIII.

1. Imp. Constantinus A. ad Verinum.

CVm diuidendę res erũt, dubitari non poteſt, ab heredibus ſuis cõſenſum ſine vlla cõtrouerſia cõmodandum. Quod vero ad huiuſmodi ſpectat ſcripturas, in quibus talis defunctorum mens fuiſſe inuenitur, vt de teſtamento intelligatur tantummodo cogitatũ, etſi repugnare ius videatur, huiuſmodi quoque conſcriptiones inter ſuos dũtaxat heredes, valere oportet, quemadmodum valent ſcripturę ſimpliciter inchoatæ, quas nulla ſolennitatis adminicula defendunt, ſolis nixę radicibus volũtatis: Licet enim ſub teſtamẽti vocabulo cœptæ, cum perfectę non ſint, neque appellari aliter vllo modo poſſint, euanuiſſe vidẽtur: tamen diſpoſitiones vltimę coloratam iuris imaginem referentes, iuſtius in ſe legum procliuẽ fauorem debẽt prouocare. Quamobremcum filiis ac nepotibus, ciuili iure, vel auxilio Prętoris vt ſuis heredibus defuncti ſucceſſio deferatur, etiã ſi inceptũ, neque impletum teſtamentum eſſe memoretur, vel ſi ab vtilitate † verborum, vel ſolennitate iuris inanis ſcriptura eſſe dicatur, conſiderari ſpecialiter voluntatem placet, & obſecũdari protinus cum res diuidentur, nec retineri amplius, quàm quod ſingulorum perſonis detegatur adſcriptum: vt & memoria defũcti non violetur parentis, & occaſiones litium dirimantur. Dat. † IIII. Kalen. Septemb. Criſpo II. & Conſtantino II. COSS.

† *ἴσως vel ſubtilitate verborum.*

† III.

INTERPRETATIO. *Quando facultas patris inter filios vel nepotes diuiditur, ſpecialiter voluntas patris vel aui paterni debet in omnibus cuſtodiri, cuius teſtamentum etiam ſi non fuerit perfectum, aut ſi non legitimo numero teſtium ſubſcribatur, nec geſtis allegetur, tamen ſi agnoſcitur defunctus, de quo ſupradictum eſt, de facultate ſua aliquid ordinaſſe, quicquid vnumquenque de filiis ac nepotibus cuiuſcumque ſexus habere voluerit, hoc ſibi ſine conſortis repetitione defendat: nec præſumat aliquis, quod alteri conſorti auctor ille dimiſerit. Sed hoc inter filios ac nepotes ex filiis maſculis obſeruetur, quod voluntate auctoris per quancunque ſcripturam probabitur ordinatum.*

II. Idem A. ad Conſtantinum PF. P.

Nulli quidem de bonis vſurpandis viuorum, nec diuidendi contra bonos mores conceſſa licentia eſt. Sed ſi præcipiente matre bona eius inter ſe liberi diuiſerint, placuit omnifariam nobis huiuſmodi diuiſionem durare, ſi modo vſque ad extremũ eius viuẽdi ſpatium voluntas eadem perſeueraſſe doceatur. Dat. † IIII. Kal. Iun. Conſtantinopoli, Conſtantio & Maximo COSS.

† III. Id.

INTERPRETATIO. *Licet viuorum bona vt diuidantur iniuſtum ſit, tamen ſi mater viuens facultates ſuas filiis præceperit & permiſerit diuidendas, & vſque ad exitum vitæ ſuæ in eadem voluntate perſtiterit, diuiſio inter filios facta perduret.*

De communi diuidundo. *Tit.* XXV.

I. Imp. Conſtantinus A. Gerulo Rationali trium Prouinciarum.

IN Sardinia fundis patrimonialibus, vel emphyteuticariis per diuerſos nũc dominos diſtributis, oportuit ſic poſſeſſionum fieri diuiſiones, vt integra apud poſſeſſorem vnumquemque ſeruorum agnatio permaneret. Quis enim ferat liberos à parentibus, à fratribus ſorores, à viris coniuges ſegregari? Igitur qui diſſociata in ius diuerſum mancipia traxerunt, in vnum redigere eadem cogantur. Ac ſi cui propter redintegrationẽ neceſſitudinum ſerui ceſſerunt, vicaria per eum qui eoſdem ſuſceperit mãcipia reddantur.

dantur. Et inuigilandum, ne per prouinciam aliqua posthac querela super diuisis mancipiorum affectibus perseueret. Dat. III. Kal. Maij. Proculo & Paulino COSS.

INTERPRETATIO. *In diuisione patrimoniorum, seu fiscalium domorum, siue priuatorum, obseruari specialiter debet, vt quia iniustum est filios à parentibus, vel vxores à maritis, cum ad quemcunque possessio peruenerit, sequestrari, vt mancipia, quæ permixta fuerint, id est vxor cum marito suo & filiis, datis vicariis, ad vnum debeant pertinere, cui necesse fuerit commutare, quod sollicitudo ordinantium debet specialiter custodire, vt separatio fieri omnino non possit.*

Finium regundorum. *Tit. XXVI.*

I. Imp. Constantinus A. ad Tertullianum P.V. Comitem dioceseos Asianæ.

SI quis super inuasis sui iuris locis prior detulerit querimoniam, quæ finali cohæret cum proprietate cõtrouersię, prius super possessione quęstio finiatur, & tunc Agrimensor ire præcipiatur ad loca, vt patefacta veritate huiusmodi litigium terminetur. Quod si altera pars locorum adepta dominium subterfugiendo moras attulerit, ne possit controuersia definiri ad locorum ordines directus Agrimensor dirigatur ad loca, vt si fidelis inspectio tenentis locum esse probauerit, petitor victus abscedat, etsi controuersia eius claruerit, qui primò detulerit causam, vt inuasor ille pœnæ teneatur addictus, si tamen ea loca eũdem inuasisse constiterit: nam si per errorem aut incuriam domini loca data ab aliis possessa sunt, ipsis solis cedere debent. Dat. VIII. Kal. Mart. Gallic. & Symmac. COSS.

II. Imp. Constantinus A. ad Bassum P.F.V.

Si constiterit eum, qui finalem retulerit quæstionem, priusquã aliquid sententia determinetur, rem sibi alienam vsurpare voluisse, non solum id quod male petebat, amittat, sed quo magis vnusquisque contentus suo, rem non expetat iuris alieni, is qui inreptor agrorum fuerit in lite superatus, tantum agri modum quantum diripere tentauit amittat. Lecta apud acta. Dat. XII. Kal. Iul. Gallicano & Symmacho COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis peruasor finium fuerit approbatus, eò quod priusquam aliquid iudicio finiretur, id quod alter tenuerat inuasisset, non solum illud quod male præsumpsit amittat, sed vt non vnusquisque rem alienam occupet, cum fuerit in causa deuictus peruasor iuris alieni, tantum spatij restituat, quantum præsumpsit inuadere.*

III. Idem A. ad vniuersos Prouinciales. Post alia.

Si finalis controuersia fuerit, tunc demum arbiter non negetur, cum intra quinque pedes locum, de quo agitur apud Præsidem, esse constiterit, cum de maiore spatio causa quædam non finalis sed proprietatis, apud ipsum Præsidem debeat terminari. Et si socius quid petat à socio, ante Præses iudicet, an præstari aliquid oporteat, & tunc demum illud per arbitros restituatur, quod constiterit esse soluendum. Dat. Kal. Aug. Basso & Ablauio COSS.

IIII. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Neoterio P.F. P.O.C.N.

Quinque pedum præscriptione summota, finalis iurgij, vel locorum libera peragatur intentio, sola sit igitur huiusmodi legibus vna præscriptio, quæ improbi petitoris refrenare possit inuidiam, si veteribus finem cum signis limes

inclusus congruum erudita arte præstiterit. Nec vero prolixioris temporis in huiusmodi locum habebit vlla præscriptio, cum diuturno ocio alienum rus quisque asserat se diligentius coluisse, quando omne huiusmodi iurgium solo præcipimus iure discingi, quo artis huius peritis omne commisimus sub fideli arbitratione iudicium. Dat. VII. Kalen. Aug. Arcadio Augusto & Bautone COSS.

v. Imppp. Theodosius, Arcadius, Honorius AAA. Rufo P F. P.

Cunctis motionibus & machinis amputatis finalibus iurgiis, omnem modum quem præscripsimus, ac de eo tantum spatio, hoc est, pedum quinque, qui veteri iure præscripti sunt, sine obseruatione temporis arbitros iussimus iudicare. Quod si loca in controuersiam veniant, solenniter iudicare cognoscãs, & seu ciuilis seu criminalis actio competit, tribuetur, ita vt causa cognita, & redhibitione obnoxius decernatur, nec pœnam conuictus aufugiat. Dat. prid. Non. Nouemb. Constantinop. Arcadio II. & Rufino COSS.

Si certum petatur de Chirographis. *Tit. XXVII.*

I. Imppp. Honorius & Theodosius, & Constantius AAA. Palladio PF. P.

SVper chirographis mortuorum hanc seruari volumus perpetua obseruatione sentẽtiam, vt qui inter absentes intra hoc iuge quinquennium, inter præsentes vero biennium, iudiciis competentibus non publicauerit cautiones, nec conuenerit debitoris heredes, actione priuetur. Hic tamen si intra tempora constituta processerit, absque vllo sequestrationis obiectu prius manũ defuncti probare iubeatur, hoc enim toto iure cantatum est, vt scripturam prolator affirmet, quam tamen astrui nõ sola manus collatione conueniet (quid enim aliud falsarius agit, quàm vt similitudinem veritatis imitetur?) sed aliis multiplicibus documentis, vt probet magnæ securitatis fuisse quod siluit. Nam si publicam iudiciorum aditionem amicitiarum forsitan impediuit affectio, priuatam saltem conuẽtionem testes audierint, libertus aut seruus agnouerit. Admonere etiam potuit sub mortis vicinitate languentem. Quod si se forsitan causetur absentem, maioribus astrui potest conuentio longinqua documentis, promisisse solutiones epistolari rescripto. Ac ne idipsum qui cautionẽ fingit imitetur, producat in medium portitores, qui alternæ partis scripta confirment, à quibus tamen verum vel sacramento dignitas, vel suppliciis terror exploret. Et quamuis ad illuminandam hereditarij debiti fidem, & causas oporteat fœnoris approbari, & pecuniæ baiulos hinc inde produci. His ac talibus si destituetur taciturnitas longinqua documentis, in euidenti est, veteratorum calumnias non solum repetitione priuandas, verum etiam seueritate cohibendas. Sed si viuentis ante hanc legem facta cautio proferatur, quam suam neget ille qui petitur, sequestret pecuniam litigaturus ex falso: Cauendum est enim, ne inficiandi fomitem ministremus obnoxiis. Quod tamen tunc conueniet custodiri, si inter præsentes vtrosque viuentes necdum XX. anni, inter absentes necdum XXX. doceantur emensi. Alioqui si chirographi fides sub silentio iudiciariæ conuentionis statutum tempus excesserit, probari prius

debitum

debitum côueniet, tunc reposci, sequestrationis necessitate submota. Sin vero suam quidem manum fateatur obnoxius, sed nihil sibi numeratú pro hac obligatione causétur, tunc chirographi discuti oportebit ætatem, vt si iure delata contestationibus tempora debitor taciturnus exegit, cauillationis istius perdat obstaculum. De cetero vero sancimus, vt omnes deinceps cautiones intra duodecennium vim contestationis accipiant, quam debitor factâ nouatione promittat. Sed si mediis temporibus peregrinetur obnoxius, quo nouationi longior obsit absentia, volumus creditorem ante duodecennium præstitutum aditi Iudicis edictum mereri, auctoritatémque postibus debitoris affigere, domesticas etiam conuenire personas: nullus enim per tanta contestationum poterit documenta mentiri. Quod ideo ante duodecennium iubemus agitari, vt per interualla temporis longioris inclamatus, aduertat côfutari debere, si fides non agnoscitur petitorum, nec obesse iam post adscripta tempora creditori, si post has contestationum voces longa debitoris absentia vel redhibitio proteletur, vel nouatio iusta ludatur. Et quamuis nescire promulgata non liceat, per omnem hunc annum pendere iubemus edictum. Dat. v. Kal. Aug. Rauennæ, Eustasio & Agricola coss.

INTERPRETATIO. *De cautionibus mortuorum hoc præcipimus obseruari, vt si debitor absens defunctus fuerit, & mortuum eum creditor esse cognouerit, cautionem suam intra quinquennium Iudici non differat publicare. Si vero præsente creditore defecerit, intra biennium defuncti publicet cautionem. Ita tamen, vt manus mortui conferatur, & agnosci possit illius esse subscriptio, aut conuenisse illum dum viueret aliquibus scientibus valeat approbare: & causas ipsius debiti vnde pecuniam contraxit, exponat. Quod si supra personam mortui detegitur fortasse mentiri, non solum pecuniam non recipiat, sed etiam seueritatem legis incurrat. Nam de reliquo inter viuorum personas hæc obseruanda decernimus, vt omnes cautiones debitorum intra duodecim annos debeant côtestari: ita vt à debitoribus renouentur. Quod si forsitan ante duodecim annos debitorem peregrinari contigerit, Iudicis mereatur edictum, quod in postibus debitoris sui pro contestatione debiti affigere, & homines illius conuenire non desinat, vt cum fuerit taliter debitum contestatum, excusationem qui peregrinatur longi temporis habere non possit. Nec ideo se excuset, quod non renouauerit cautionem. Sanè si debitor suam esse dixerit cautionem, sed nihil se de ipsa cautione adserat accepisse, tempus debet inspici cautionis, vt si intra quinquennium cautio conscripta cognoscatur, & probatum fuerit, quod in cautione continetur acceptum, debitor suam impleat cautionem. Si vero quæ in cautione scripta sunt intra quinquennium tradita non probantur, is cuius cautio est non teneatur obnoxius. Nam transacto quinquennio, si de cauta & non consignata pecunia debitor dixerit, nullatenus audiatur.*

De pecuniæ sequestratione prohibita. Tit. XXVIII.

1. Impp. Honorius, & Theodosius AA. Ioanni PP. P. Post alia.

QVoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat: oportet enim debitorê primo conuinci, & sic solutioni succumbere. Quam rem cum iuris ratio, tum ipsa æquitas persuadet, vt probationes secum afferat, debitorémque conuincat pecuniam petiturus, &c. Dat. VII. Id. Iul. Rauennæ, Honorio XIII. & Theodosio X. AA. coss.

INTERPRETATIO. *Quoties ab aliquo pecunia repetitur, non prius cogatur seque-*

strare pecuniam ille qui petitur, quàm ille qui repetit debitorem suum certa prius probatione conuincat, & sic pecuniam, quam se dedisse conuicerit, adhibita probatione recipiat.

Si certum petatur de suffragiis. *Tit. XXIX.*

I. Imp. Iulianus A. ad Populum.

FOedis commentis, quæ bonorum merito deferuntur, quidam occupare meruerunt, & cum meruissent in Rep. quolibet pacto versari, repetendam sibi pecuniam, quam inhoneste soluerant, imprudentius atque inhonestius arbitrantur: Alij etiam quæ tunc donauerant, vel potius proiecerāt ob immeritas causas, inuadenda denuo crediderint. Sed quia leges Romanæ huiusmodi contractus penitus ignorāt, omnem repetēdi eorum, quę prodigè nephariéque proiecerint, copiam prohibemus. Qui itaque repetere nititur, vel repetisse conuincitur, & quod dedit apud suffragatorem eius manebit, vel extortum restituet, & alterum tantum fisci viribus inferre cogatur. Dat. Kal. Feb. Cōstantinop. Mamertino, & Neuita COSS.

INTERPRETATIO. *Aliquanti pro sua voluntate suffragia dedisse probantur, & postea cum ad militiam peruenerint, ea quæ dederant, repetere vel auferre contra rationem inhoneste & illicite præsumpserunt. Ideóque prohibemus, vt quicumque aliquid pro præstandis sibi quæ petiit dedisse dinoscitur, non habeat licentiam repetendi: qui vero repetere fuerit conatus, hoc ille habeat qui accepit, aut certe si sublatum ei fuerit, reformetur, & aliud tantum ille qui abstulit fisco cogatur inferre.*

II. Imppp. Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA. Rufino PF. P.

Si qui desideria sua explicare cupientes, ferri sibi à quoquam suffragium postularint, & ob referendam vicem se sponsione cōstrinxerint, promissa restituant, cum ea quæ optauerint consequantur. Si artibus moras nectent, ad solutionem debiti coartandi sunt. Sed si quid eo nomine in auro, vel argento, vel in ceteris mobilibus datum fuerit, traditio sola sufficiet, & cōtractus habebit perpetem firmitatem: Quoniam collatio rei mobilis inita integra fide ac ratione cumulatur. Quod si prædia rustica vel vrbana placitum continebit, scriptura quæ ea in alium transferat emittatur, sequatur traditio corporalis, & rem fuisse completam gesta testentur: aliter enim ad nouum dominum transire non possunt, neque de veteri iure discedere. Quod si quis, dum solo commonitorio de suffragio nititur, bona duxerit occupanda, reus temeritatis ac violentię retinebitur, atque in statum pristinum possessio reducetur, eo à petitione excluso, qui non dubitauit inuadere, quod petere nō debuisset. Dat. IIII. Non Martij Constantinop. Arcadio III. & Honor. II. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis dum necessitates suas expedire desiderat, aliquid se commodi daturum esse promiserit, perceptis quæ voluit, constrictus hoc sine vlla dilatione implere cogatur. Quod si aliquid in auro, vel in argento, vel in ceteris rebus mobilibus obtulerit, firmum sine scriptura permaneat: quia res mobiles in suffragiis scripturam penitus non requirunt, sed sola traditione firmantur. Quod si loca vrbana vel rustica dare placuerit, scriptura sequatur, atque traditio, & de completis omnibus, vel re tradita gesta confecta proferantur, nam aliter possessio ad alterum dominum transire non poterit. Sanè si quis sine tali scriptura possessionem alterius crediderit occupandam, reus violentiæ teneatur, & integrum quod inuaserit reddat, omni sua repetitione damnata.*

De

De Pignoribus. Tit. XXX.

I. Imp. Constantinus A. ad vniuersos Prouinciales.

INtercessores à Rectoribus Prouinciarum dati ad exigenda debita ea quæ ciuiliter poscuntur non seruos aratores aut boues aratorios pignoris causa de possessionibus abstrahunt, ex quo tributorum inlatio retardatur. Si quis igitur intercessor aut creditor, aut Præfectus pacis, vel Decurio, in hac re fuerit detectus, à Rectoribus Prouinciarum capitali sententiæ subiugetur. Dat. IIII. Non. Iunias, Sirmio, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

INTERPRETATIO. *Multi pro fiscali debito seruos cultores, aut boues aratorios de possessionibus causa pignoris auferre præsumunt, de quorum laboribus tributa redditur, & ideo si quis creditor vel curam pacis, vel curialis, aut quicunque exactor hoc facere præsumpserit, à Prouinciæ Iudice puniatur.*

II. Impp. Honorius & Theod. AA. Ioanni P F. P. Post alia.

Nexum non faciat prædiorum, nisi persona, quæ iure potuit obligari: Per seruum autem vel procuratorem, colonum vel actorem seu conductorem præiudicium possessioni, inuito vel inscio domino imponi non posse, & iuris & legum auctoritatibus decantatur, &c. Dat. Id. Iul. Rauenn. Honor. XIII. & Theod. X. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Non obliget possessionem, nisi ille, qui proprius dominus esse dinoscitur: nam neque per seruum, neque per procuratorem, siue colonũ, aut actorem, aut conductorem, si res fuerit obligata, præiudicium domino non poterit exhibere.*

Quod iussu. Tit. XXXI.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Ioanni. P F. P. Post alia.

DOminos ita constringi manifestum est actione prætoria, quæ appellatur. Quod iussu, Si certam numerari præceperint seruo actorive pecuniam. Igitur in perpetuum edictali lege sancimus, vt qui seruo, colono, cõductori, procuratori actorive possessionis pecuniam commodat, sciat dominos possessionum cultorésve terrarum obligari non posse: neque familiares epistolas, quibus homines plerunque commendantur absentium, in id trahere conuenit, vt pecuniam quoque, quam nõ rogatus fuerat, impendisse se pro prædiis mentiatur, cum nisi specialiter vt pecuniam commodet à domino fuerit postulatus, idem dominus teneri non possit, creditáque quantitate multari volumus creditores, si huiusmodi personis, non iubente domino nec fideiussoribus specialiter acceptis, fuerit commodata pecunia. Dat. VI. Id. Iul. Rauennæ, Honorio XIII. & Theod. X. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Nullus dominum ad reddendum debitum, sicut hucusque fiebat, adstringat, nisi seruo suo, vel actori pecuniam rogante domino præstitisse conuicerit. Et ideo si quis seruo colono, conductori, procuratori, vel actori pecuniam non rogante domino dederit, sciat dominos terrarum propter hoc debitum nullatenus posse teneri. Sed qui non rogante domino pecuniam talibus personis crediderint, aut fideiussores non acceperint, ea quæ commodata sunt se nouerint perdituros, nec à domino posse reposci.*

tum cum vsuris reddere dissimulant debitores, propter hoc quod senatorio genere nati debitum cum vsuris integris recipere non iubentur, & ideo quod cautione per stipulationem promissum est, reformetur.

IIII. Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodosius AAA. Optato PF. V.

Senatores sub medietatem centesimæ vsuræ ad contractum creditæ pecuniæ censemus admitti. Itaque omnes intelligant, nullũ florẽtissimo cœtui sociatum fœnus exercentẽ, vltra medietatem cẽtesimæ vel iure stipulari, vel poscere posse vsuram. Quinetiam si quid præter moderatam nostri numinis definitionem fuerit flagitatum, imminuendæ sorti pro huius legis auctoritate cessurum. Dat. Pridie Id. Iun. Niciæ, Stillicone II. & Anthemio V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Senatores, qui pecuniam ad centesimam præstare voluerint, non amplius vsuræ nomine quam medietatem legitimæ centesimæ à debitoribus suis accipiant, nec amplius vt caueant, aut se cautione constringant, qui commodatam suscipiunt pecuniam, forte cogantur. Nam si amplius ab eis fuerit requisitum, sciant se Senatores hoc quod commodauerint perdituros.*

CODICIS THEO-
DOSIANI LIBER TERTIVS.

De Contrahenda emptione. Tit. I.

I. Imp. Constantinus ad Profuturum PF. Annonæ.

VENDITIONIS atque emptionis, † fidem nulla circumscriptionis violentia factam rumpi minime decet. Nec enim sola precij vilioris querela, contractus sine vlla culpa celebratus litigioso strepitu turbãdus est. PP. Id. Aug. Constantino A. V. & Licinio COSS.

† Vẽditiones atque emptiones fide nulla circumscriptionis aut violentia facta.

INTERPRETATIO. *Cum inter ementem & vendẽtem res fuerit definito precio comparata, quamuis plus valeat quam ad præsens venditur, hoc tantummodo requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit ille qui comparasse probatur. Et si voluerit reuocare qui vendidit, nullatenus permittatur.*

II. Idem Aug. ad Gregorium.

Qui comparat, censum rei comparatæ cognoscat, neque liceat alicui rem sine censu vel comparare, vel vendere. Inspectio autem publica vel fiscalis esse debebit hac lege, vt si aliquid sine censu vendiderit, & id ab alio deferetur, vẽditor quidẽ possessionẽ, comparator vero id quod dedit precium fisco vindicante perdat. Id etiam placuit, neminem ad venditionem rei cuiuslibet accedere, nisi eo tempore, quo inter venditorem & emptorem cõtractus solenniter explicatur, vt certa & vera proprietas à vicinis demonstretur, vsque eò legis istius cautione decurrẽte, vt etiamsi subsellia, vel vt vulgò aiunt, scãna vendan-

tur, ostendendæ proprietatis probatio compleatur. Nec inter emptorem & venditorem solennia in exquisitis cuniculis celebrentur, sed fraudulenta vẽditio penitus sepulta depereat. Dat. Prid. Non. Feb. Constantinopoli, Feliciano & Titiano COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque villam comparat, tributum rei ipsius, sicuti & ius possessionis se comparasse cognoscat, quia non licet vlli agrum sine tributo vel solutione fiscali aut comparare, aut vendere. Quod si suppressa fiscali solutione aliquis vendere ausus fuerit, vel comparare præsumpserit, nouerint inter quos talis fuerit secreta trãsactione contractus, quòd & ille precium perdat qui emptor accesserit, & venditor possessionem amittat, quia iubetur vt vicini rei, quæ venditur, testes esse debeant & præsentes, in tantum vt etiam de mediocribus rebus si quid in vsum venditur, ostendi vicinis placeat, & sic comparari ne aliena vendantur.*

III. Imp. Iulianus Aug. ad Iulianum Com. Orientis.

Patrui mei Constantini Cõstitutionem iubemus aboleri, qua præcepit, minores feminas consortio virorum copulatas, sine decreti interpositione vẽditiones posse celebrare, si viri earum consensum pariter atque subscriptionem instrumentis putauerint esse præbendam. Quoniam absurdum est, maritos eis interdum inopes obligari, cum possint, venditionis iure ipso non valente, proprias res recipere ab iis, qui se illicitis cõtractibus miscuerunt. Vetus igitur ius reuocamus, vt omnis venditio, quæcunque fuerit à minore viro siue femina, sine decreti interpositione celebrata, nulla ratione subsistat. Dat. VIII. Id. Decemb. Antiochiæ, Mamertino & Neuita COSS.

INTERPRETATIO. *Constantini imperatoris fuerat lege præceptum, vt minores ætate feminæ si maritos haberent, cum illorum cõsensu possent aliqua de facultatibus suis vendere. Sed hoc præsenti lege remotum est, atque id obseruandum erit, vt in annis minoribus constituti seu viri, seu feminæ, si ita necessitas exegerit, vt aliquid vendere velint, qui comparare voluerit, auctoritate Iudicis aut consensu Curiæ muniatur: nam aliter à minoribus venditio facta non valebit.*

IIII. Imppp. Gratianus, Valent. & Theodosius AAA. ad Hypatium PF. P.

Quisquis maior ætate, atque administrandis familiarum suarum curis idoneus comprobatus, prædia etiam procul sita distraxerit, etiamsi prædij forte totius quolibet casu minime facta distractio est, repetitionis in reliquum precij nomine vilioris copiam minime consequatur, neque inanibus immorari sinatur obiectis, vt vires sibimet causetur locorum incognitas, qui familiaris rei scire vires, vel merita atque emolumenta debuerit. Dat. VI. Non. Maij, Mediolan. Merobaude II. & Saturnino COSS.

INTERPRETATIO. *Quæcunque persona iam perfecta ætate domum suam regere potest, si villam, domum, vel quodlibet aliud, habita precij definitione vendiderit, & forsitan postea opponere velit, quod minus precij acceperit, quàm res valebat, quia forte agrum, quem vendidit, longe positus, ignorasse se dicat, non ideo venditio poterit reuocari: quia ætas perfecta potuit scire quid venderet, aut quo precio res vendenda valere potuisset.*

V. Iidem AAA. Cynegio PF. P.

Ne quis omnino Iudæorum Christianum comparet seruum, néve ex Christiano Iudaicis sacramentis adtaminet: Quod si factum publica indago compererit,

pererit, & serui abstrahi debent, & tales domini congruæ atque aptæ facinori pœnæ subiaceant, addito eo, vt si qui apud Iudæos, vel adhuc Christiani serui, vel ex Christianis Iudæi reperti fuerint, soluto per Christianos competenti precio ab indigna seruitute redimantur. Accepta x. Kal. Octob. Regio, Ricomere & Clearco COSS.

INTERPRETATIO. *Conuenit ante omnia obseruari, vt nulli Iudæo seruũ Christianum habere liceat, certe nullatenus audeat, vt Christianum si habuerit ad suam legem transferre præsumat. Quod si fecerit, nouerit se sublatis seruis dignam pœnam tanto crimine subiturum: Nam ante legem datam id fuerat statutum, vt pro Christiano seruo, si inquinatus fuisset pollutione Iudaica, sciret sibi precium quod dederat à Christianis esse reddendum, vt seruus in Christiana lege permaneret.*

VI. Iidem AAA. Flauiano PF.P. Illyrici & Italiæ.

Dudum proximis consortibúsque concessum erat, vt extraneos ab emptione remouerent, neque homines suo arbitratu vendẽda distraherent: Sed quia grauis hæc videtur iniuria, quæ inani honestatis colore velatur, vt homines de rebus suis facere aliquid cogantur inuiti, superiore lege cassata, vnusquisque suo arbitratu quærere vel probare possit emptorem. Dat. VI. Kal. Iun. Vincentiæ, Taciano & Symmacho COSS

INTERPRETATIO. *Prior ordinatio legis fuerat, vt si vnus ex consortibus, quacumque necessitate rẽ vendere voluisset, extraneus emendi licentiam non haberet. Sed hoc melius probatur indultum, vt quicunque de rebus suis libero vtatur arbitrio, & prætermissis consortibus vel propinquis, cui voluerit vendendi liberam habeat facultatem.*

VII. Iidem AAA. Remigio PF.P. Augustali.

Semel inter personas legitimas initus empti contractus & vẽditi, ob minorem adnumeratam precij quantitatem nequeat infirmari. Dat. III. Kal. April. Constantinop. Arcadio A. IIII. & Honorio A. III. COSS.

INTERPRETATIO. *Cum inter duas quascunque personas de precio cuiuscunque rei conuenerit, quamuis vilius quàm valebat res fuerit comparata, nullatenus reuocetur.*

VIII. Iidem AAA. Messalæ PF.P. Post alia.

Hij qui imposita fuga munera ciuitatis prouinciarúmq; destituũt, & ineundos furtim existimãt esse contractus, intelligant sibi nihil hæc profutura esse cõmenta: Et precio emptorem multandum esse quod dederit. &c. Dat. XII. Kal. Septemb. Theodoro V.C. COS.

INTERPRETATIO. *Quicunque debita Curiæ seruitia, aut patriæ suæ fugientes, res suas occulte vendere voluerint, sciant non posse valere quod fecerint, & seipsos ad debita seruitia reuocandos, & illos qui emerint precium perdituros.*

VIIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. ad populum.

Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari. Dat. XIII. Kalendas Mart. Constantinopoli, Honorio X. Theod. VI. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Sciant omnes, quicunque à potentioribus personis oppressi, aut donauerint, aut vendiderint, posse reuocari.*

De commissoria rescindenda. *Tit. II.*

1. Imp. Constantinus A. ad populum.

QVoniam inter alias captiones præcipuè commissoriæ legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & in posterum omnem eius memoriam aboleri. Si quis igitur tali contractu laborat, hac sanctione respiret, quæ cum præteritis præsentia quoque depellit, & futura prohibet: Creditores enim re amissa iubemus recipere quod dederunt. Dat. pridie Kalend. Febr. Sardice, Constantino A. VI. & Constantio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Commissoriæ cautiones dicuntur, in quibus debitor creditori suo rem ipsi oppignoratam ad tempus vẽdere per necessitatem conscripta cautione promittit, quod factum lex ista reuocat, & penitus fieri prohibet: Ita vt si quis creditor rem debitoris sub tali occasione visus fuerit comparare, non sibi de instrumentis blandiatur, sed cum primum voluerit ille, qui oppressus debito vendidit, pecuniam reuocet, & possessionem suam recipiat.*

De patribus qui filios distraxerunt. *Tit. III.*

1. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Tatiano P. F. P.

OMnes quos parentum miseranda fortuna in seruitium, dum victum requirunt, addixit, ingenuitati pristinæ reformentur, nec sanè remunerationem precij debet exposcere, cui etiam minimi temporis spatio seruitium satisfecit ingenui. Dat. v. Id. Mart. Mediolani, Tatiano & Symmacho COSS.

INTERPRETATIO. *Si quenquam ingenuum pater, faciente egestate, vendiderit, non poterit in perpetua seruitute durare, sed ad ingenuitatem suam, si seruitio suo satisfecerit, non reddito etiam precio, reuertatur.*

De adilitiis actionibus. *Tit. IIII.*

1. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Nibridio P. F. V.

HAbito semel bonæ fidei contractu, mancipióque suscepto & precio dissoluto, ita demum repetendi precij potestas est ei qui mancipium comparauerit largienda, si illud quod dixerit fugitiuum potuerit exhibere. Hoc enim non solum in Barbaris, sed etiam in Prouincialibus seruis iure præscriptum est. Dat. III. Kal. Iul. Constantinopoli, Honorio NP. IX. & Euodio V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Cum inter emptorem ac venditorem de mancipij precio conuenerit, & fuerit conscripta venditio, nullatenus poterit reuocari, nisi forte ille qui emit mancipium, probauerit fugitiuum, & tunc habebit licentiam precium recipere, si mancipium reddiderit venditori.*

De sponsalibus & ante nuptias donationibus. *Tit. V.*

1. Imp. Constantinus A. ad Rufinum P. F. P.

PAter noster nullam voluit liberalitatem valere, si actis inserta non esset. Nos etiam inter sponsos quoque ac sponsas, omnésque personas eam solam donationem ex promulgatæ legis tempore valere sancimus quam testificatio actorum secuta est. Dat. III. Id. Maij.

Maij, Sirmio, Constantino A.V.& Licinio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Ante tempus legis istius, donationes etiam sine gestorum testificatione valebant. Nunc vero post hanc legem, nec nuptialis, nec qualibet alia inter quascunque personas donatio, de quibuscunque rebus valere potest, si gestis non fuerit allegata.*

II. Idem A. ad Maximum Præfectum V.

Cum veterum sentẽtia displiceat, quæ donationes in sponsam, nuptiis quoque non secutis, decreuit valere, ea quæ largiendi animo inter spõsos & sponsas iure celebrantur, redigi ad huiusmodi condiciones iubemus: vt siue in potestate patris degere, siue vllo modo proprij videantur esse iuris, & tanquam futuri causa matrimonij aliquid sibi ipsi vel consensu parentum mutuò largiantur, siquidem sponte vir sortiri noluerit vxorem, id quod ab eo donatum fuerit, nec repetatur traditum, & si quid apud donatorem resedit, ad sponsam submotis ambagibus transferatur. Quod si matrimonij non contrahendi causa ab sponsa, vel in cuius agit potestate detegatur extitisse, tunc sponso, eiúsque heredibus sine aliqua diminutione redhibeantur. Quæ similiter obseruari oportet, & si ex parte sponsæ in sponsum donatio facta sit, nullis causis vlterius requirendis, ne forte mores, aut origo dicatur, vel quicquã aliud opponatur, quod sibi quisquam non conuenire existimat, cum longe antequã sponsalia contrahantur hæc cuncta prospici debuerint. Sola igitur indagetur voluntas, & immutata animi sentẽtia, ad restitutionem, seu repetitionẽ rerum donatarum sufficiat: cum vniuersis causationibus pulsis, nihil amplius constare debeat, nisi vt appareat, qui sibi contrahẽdum matrimonium dixerit displicere. Et quoniam fieri potest, vt moriatur alter adhuc incolumi volũtate prius quam nuptiæ contrahantur, congruum duximus, eo in quem fuerat facta donatio, ante matrimonij diem functo, quæ sponsaliorum titulo vel data, vel vllo genere donata sunt, ad eum qui donauerat reuocari: Eo etiam qui donauerat ante nuptias mortuo mox infimari donationem, & ad eius heredes sine aliqua difficultate detrahi res donatas. Quod beneficium vsque ad personam patris ac matris, filiorum etiam, si qui de priore matrimonio fuerint, stare decernimus, si quocunque modo ex his persona aliqua defuncto successerit. Quod si ex his nulla persona defuncti heres erit, sed ex reliquis gradibus quisquam succedat, donationes conuenit etiam non insecutis ex causa mortis nuptiis conualescere. quoniam illis tantum personis credimus consulendum. Dat. XVII. Kal. Nouemb. Prop. VI. Kalendas Septembres, Romæ Constantino Augusto V. & Licinio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties inter sponsos & sponsas de futuris nuptiis specialiter fuerit definitum, & donationem sponsalitiæ largitatis vir in sponsam suam aut ex consensu parentum, aut ipse si sui iuris est, propria voluntate conscripserit, & omni eam scripturarum solennitate firmauerit, ita vt & gesta legitimè facta doceantur, & introductio locorũ, vel rerum traditio subsequatur: quicquid tali, & tam solenni donatione ad ius dominiúmq; sponsæ transierit, si vir postea sponte eam quàm depectus est, factis suprascriptis solennibus chartis, accipere noluerit vxorem, omnia quæ sunt tradita non reposcat. Et si quid de nominatis tam solenniter rebus & traditis, apud se habere dinoscitur, ad sponsæ dominiũ, quam accipere noluit, sine dilatione aliqua transferatur. Reliquum Legis istius opus non fuit explanare, quia sequentibus legibus vacuatur.*

III. Idem A. Valeriano, agenti Vicariam Præfecturam.

Quamuis in lucro nec feminis ius ignorantibus subueniri soleat, contra ætatem adhuc imperfectam locum hoc non habere retro Principum statuta declarant. Ne igitur soluta matrimonij caritate inhumanum aliquid statuatur, censemus: Si futuris coniugibus, tempore nuptiarum intra ætatem constitutis, res fuerint donatæ & traditæ, non ideo posse eas reuocari, quia actis consignare donationem quondam maritus noluit. Data IIII. Kalend. Maij, Gallicano & Symmacho coss.

INTERPRETATIO. *Quanquam & feminis, quæ per fragilitatem interdum excusari possunt, in aliquibus causis, si negligentes fuerint, lex subuenire voluerit, hic tamen specialiter voluit esse consultum, vt si qua in pupillaribus annis marito fuerit copulata, & sponsalitiam largitatem per negligentiam actis non allegauerit, huius legis beneficio, & si gesta desint, inuiolabilem in suo dominio donationem nouerit permanere.*

IIII. Idem A. ad Pacatianum Præf. v.

Patri, aut matri puellæ, aut Tutori, vel Curatori, aut cuilibet eius affini non liceat, cum prius militi puellam desponderit, eandem alij in matrimonium tradere. Quod si intra biennium, vt perfidiæ reus in insulam relegetur. Quod si pactis nuptiis transcurso biennio, qui puellam desponderit, alteri eandem sociauerit, in culpam spōsi potius quàm puellæ referatur, nec quicquam noceat ei, qui post biennium puellam marito alteri tradiderit. Dat. pridie Id. April. Martianop. Pacatiano & Hilariano coss.

INTERPRETATIO. *Si quis aut priuatus, aut militans, postquam sponderit, & cum patre, Tutore, vel Curatore puellæ, vel propinquis de puellæ cōiunctione definierit, debet post definitionē si ætas permittat intra biennium nuptias celebrare. Quod si tarditate aut negligētia sponsi biennij tempus excesserit, & alio viro se puella cōiunxerit, absoluta erit à calūnia, vel ipsa, vel quicunque suorum eam tradiderit: quia culpa est illius, qui differendo coniunctionem suam alteri nubendi locum patefecit. Nam si intra biennium data fuerit, quid obseruetur, euidentius sequente lege cognoscetur.*

V. Idem A. ad Tiberianum Vicarium Hispaniarum.

Si ab sponso rebus sponsæ donatis, interueniente osculo, ante nuptias hunc vel illam mori cōtigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere pręcipimus, dimidiam ad defuncti, vel defunctæ heredes, cuiuslibet gradus sint, & quocunque iure successerint: vt donatio stare pro parte media, & solui pro parte media videatur. Osculo vero non interueniēte, siue spōsus, siue sponsa obierit, totam infirmari donationem, & donatori spōso, siue heredibus eius restitui. Quod si sponsa, interueniēte vel non interueniēte osculo, sponsaliorum titulo, quod raro accidit, fuerit aliquid spōso largita, & ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, omni donatione infirmata, ad donatricē sponsam, siue eius successores donatarum rerum dominium transferatur. Dat. Id. Iul. Constantinopoli. Accepta XIIII. Kal. Maij. Hispali, Nepotiano & Facundo coss.

INTERPRETATIO. *Si quando sponsalibus celebratis, interueniente osculo, sponsus aliqua sponsæ donauerit, & ante nuptias forsitā sponsus moriatur, tūc puella quæ superest, mediam donatarum solenniter rerum portionem poterit vendicare, & dimidiam mortui heredes acquirunt, quocunque per gradum successionis ordine venientes. Si vero osculum non interuenerit, sponso mortuo nihil sibi puella de rebus donatis vel traditis poterit*

poterit vendicare. Si vero à puella aliquid sponso donatum est, & mortua fuerit, quamuis aut intercesserit, aut non intercesserit osculum, totum parentes puellæ, siue propinqui, quod puella donauerat reuocabunt.

VI. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. Eutropio PF.P.

Patri, matri, Tutori, vel cuicunque, ante decimum puellæ annum datis sponsalibus, quadrupli pœnam remittimus, etsi nuptiæ non sequãtur. Et si interea puella decesserit, sponsalia iubemus sponso restitui. Quod si decimo anno vel vltra, pater quisve alius, ad quem puellæ ratio pertinet, ante duodecim annos, id est vsque in vndecimi metas suscepta crediderit pignora esse retinenda, deinceps aduentante tempore nuptiarum à fide absistens, quadrupli fiat obnoxius. Viduæ autem ratio diuersa est, cui auxilium non suffragatur ætatis, scilicet vt ea matrimonium non implens, ad quadruplum ex veteri Cõstitutione teneatur. Duodecimo autem anno impleto, quisquis de nuptiis paciscitur: Si quidem pater, semetipsum obliget, si mater, curatórve, aut alij parẽtes, puella fiat obnoxia. Cui quidem contra matrem, Tutorem, Curatorem, eúmve parentem actio ex bono & ex æquo integra reseruatur eorum pignorum, quæ ex propriis, iuxta pœnam iuris, reddiderit facultatibus, si ad consensum accipiendarum arrarum ab hiis se ostenderit fuisse compulsam. Dat. XV. Kal. Iul. Thessalonicæ, Gratiano A.V. & Theodosio A.I. COSS.

INTERPRETATIO. *Pater vel mater puellæ, aut si defuerit pater, Tutor, Curator, vel aliquis ex propinquis, si antequam decimum annum puella contingat, de nuptiis pacti fuerint, & sponsalia susceperint, si postea mutata voluntate renuere voluerint, quem prius susceperant, non addicuntur ad quadruplum, sed ea tantum, quæ sunt suscepta, restituant: Nam & si puella mortua fuerit, hoc tantum quod acceperant reddunt. Sin vero iam puella decimum agẽs annum vsque ad vndecimum plenum, susceptas arras vel ipsa, vel parentes, Tutores Curatorésve tenuerint, id obseruãdum est, vt si fidem placiti mutare voluerint, & illum renuant cuius sponsalia suscepit, ad quadrupli pœnam sine dubio teneatur persona, quæcunque de puellæ nuptiis placitum fecit. Quod si antequam annus vndecimus impleatur, pignora suscepta reddiderint, nullam de susceptis arris calumniam pertimescant: Nam si vidua fuerit, nihil per ætatem poterit excusare, si animum alibi diuerterit, & priorem sponsum renuere voluerit. Tunc quæcũque suscepit sponsaliorum titulo, in quadruplum reddat. Puella vero post duodecimum ætatis suæ annum, si pater de nuptiis illius aliud facere voluerit, quàm promisit, ad quadrupli pœnam & ipse tenendus est. Si pater mortuus est, & de nuptiis puellæ mater, Tutor, aut Curator, aut propinquus aliquis definierit, & puella alteri nubere maluerit, ipsa sponso priori de propriis facultatibus satisfaciat in quadruplum quod accepit: hac tamen condicione seruata, vt post modum contra prædictas personas agere possit, si illius arras quem renuit, illis cogentibus inuita suscepit.*

VII. Impp. Honorius, & Theodosius AA. ad Marinianum PF.P. Post alia.

Si pater pactum de nuptiis filiæ inierit, & humana sorte consumptus, ad vota non potuerit peruenire, id inter sponsos firmũ ratúmque permaneat, quod à patre docebitur definitum, nihilquepermittatur habere momẽti, quod cum defensore, ad quem minoris cõmoda pertinebũt, docebitur fuisse trãsactum: Periniquum est enim, vt contra patriam voluntatem redẽpti forsitan Tutoris aut Curatoris admittatur arbitriũ, cum plerunque etiam ipsius feminæ aduer-

ſus commoda propria inueniatur laborare cõſilium.&c. Dat. IIII. Non. Nouemb. Rauennæ, DD. NN. Honorio XIII. & Theodoſio X. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Vbi de coniunctione filiæ patris ſententia fuerit definitum, ſi humano caſu, antequam puella iungatur, mortuus fuerit pater, mutare placitum nulla poterit ratione, nec habebit puella licentiam aliud faciendi, etiamſi mater, aut Tutor, aut Curator, vel propinqui alium fortaſſe voluerint ſuſcipere quàm pater elegit. Sed patris promiſſio circa ſponſum, quem ipſe ſuſcepit, firma permaneat: Nec ipſi puellæ ſuo conſilio contra voluntatem patris aliud velle vlla ratione permittitur.*

VIII. Impp. Theodoſius & Valentinianus AA. Hierio PR. P. Poſt alia.

Si donationis inſtrumentum ante nuptias actorum ſolẽnitate firmatum ſit, de traditione vtrum nuptias anteceſſerit, an ſecuta ſit, vel penitus prætermiſſa minime perquiratur, in illa donatione, quæ in omnibus intra ducentorum ſolidorum eſt quãtitatem, nec actorum confectione quærẽda. Hæc enim commoda nec mariti fraude, nec ſucceſſorum eius improbitate, nec ſcrupuloſitate iuris, nec ſi & imperite vel callide rerum offerendarum in dotem habeat donatio mentionẽ, denegari vxoribus deceptis non patimur, vel hiis qui in eorũ iura ſuccedunt: Sed à marito, vel ab heredibus eius exacta reſtitui, illa manẽte lege, quę minoribus ætate feminis, etiam actorum teſtificatione omiſſa, ſi patris auxilio deſtitutæ ſint, iuſte conſuluit. &c. Dat. X. Kal. Mart. Conſtantinopoli, Tauro & Felice COSS.

INTERPRETATIO. *Si donatio ſponſalitia ante nuptias geſtis inſeritur, etiamſi res donata non traditur, non poteſt infirmari. In illa vero donatione, cuius ſumma infra ducentorum ſolidorum precium inuenitur, etiamſi geſta defuerint, nulla feminis poterit ſub quacunque calliditate aut obiectione calumnia commoueri, ſed qualiſcunque cum die & tempore ſcriptura ſufficiet. Et ideo ſeu illa donatio, quæ ſine traditione geſtis habetur inſerta, ſeu illa, quæ infra ducentorum ſolidorum ſummam conſiſtit, nullis calumniarum argumentis in aliquo vacuentur ſed à marito, vel ab heredibus eius feminis iubentur exacta reſtitui. Illo tamen beneficio legis circa eas feminas, quæ in minoribus annis defuncto patre nuptæ ſunt, permanẽte, vt de quantalibet ſumma fuerit conſcripta donatio, etiam ſi geſtis allegata non fuerit, omni firmitate ſubſiſtat.*

Si prouinciæ Rector, vel ad eum pertinentes ſponſalia dederint. Tit. VI.

I. Imppp. Gratianus, Valent. & Theodoſius AAA. Eutropio P. P. Poſt alia.

SI quis in poteſtate publica poſitus, atque honore prouinciarũ adminiſtrandarũ, qui parentibus, aut Tutoribus, aut Curatoribus, aut ipſis quę matrimonium contracturæ ſunt, poteſt eſſe terribilis, ſpõſalia dederit, iubemus vt deinceps ſiue parentes, ſiue eædem mutauerint voluntatem, non modo iuris laqueis liberẽtur, pœnęque expertes ſint, quæ quadruplum ſtatuit, ſed extrinſecus data pignora lucratiua habeant, ſi ea non putent eſſe reddenda. Quod ita late patere volumus, vt non ſolum circa adminiſtrantes, ſed & circa adminiſtrãtium filios, nepotes, propinquos, participes, domeſticóſque cenſeamus: quibus tamẽ adminiſtrator operam dederit. Impleri autem id poſtea matrimonium non vetamus, quod tẽpore poteſtatis

tob

† ob eas personas de quibus locuti sumus, arris fuerat obligatum, si sponsarum consensus accedat. Dat. xv. Kal. Iul. Thessalonicæ, DD.NN. Gratiano A. v. & Theodosio A.I. COSS. † inter.

INTERPRETATIO. *Iudex prouinciæ cuiuslibet, vel quicunque in administratione constitutus, si habeant aliqui adultos filios secum, in prædicto honore positi, aut propinquos, vel qui ipsis in consortio administrationis videntur adiuncti, si per potestatem, aut comminando parentibus, aut terrendo forte Tutores, siue Curatores vel ipsas quoque puellas sponsaliorum nomine aut arrarum, ad obligandam cuiuslibet domum aliqua dederint, si contra hanc voluntatem aut parentes, aut ipsæ puellæ resultare voluerint, habeant liberam facultatem renuere, quod ita suscepisse videntur. Nec pœnam sibi nouerint quadrupli exigendam, sed etiam ea quæ sub terrore visæ sunt accepisse, in lucrum suum si voluerint retinebunt, nec constringi possunt, nisi forte ex suo arbitrio reddere voluerint. Nam si post administrationem, aut parentum, aut puellarum, circa eos qui sponsalia dederint, voluntas nubendi permanserit, sequatur electa coniunctio.*

De nuptiis. Tit. VII.

I. Imppp. Valent. Valens, & Gratia. AAA. ad Senatum.

Viduæ intra xxv. annum degentes, etiamsi emancipationis libertate gaudent, tamē in secundas nuptias non sine patris sententia conueniant. In oppugnationem cessent itaque sequestres, atque interpretes, taciti nuntij, renuntiíque corrupti. Nuptias nobiles nemo redimat, nemo sollicitet, sed publice consulatur affinitas, adhibeatur frequentia Procerum. Quod si in condicionis delectu mulieris voluntas certat sententiæ propinquorum, placet admodum, vt in pupillarum coniunctionibus sanctū est, habendo examini auctoritatem quoque iudiciariæ cognitionis adiungi, vt si pares sunt genere ac moribus petitores, is potior æstimetur, quem sibi consulens mulier adprobarit. Sed ne forte hij, qui gradu proximo ad viduarū successiones vocantur, etiam honestas nuptias impediant, si huius rei suspitio processerit, eorum volumus auctoritatem iudiciúmque succedere, ad quos etiamsi fatalis sors intercesserit, tamen hereditatis commodum peruenire non possit. Dat. XVII. Kal. Aug. Grat. A. II. & Probo v.c. COSS.

INTERPRETATIO. *Viduæ intra vicesimum & quintum annum si fuerint constitutæ adhuc viuis parentibus, tametsi emancipatione adquisierint libertatem, si ad secundas nuptias venire voluerint, nouerint coniunctionem suam in patrum potestate, non in propria voluntate consistere. Et eorum electione, non quorumcunque amicorum, aut familiarium sequendum esse consensum. Si vero patres mortui sint, nec sic quoque ex suo singulariter arbitrio nubendi habeant potestatem, sed pro honestate coniunctionis iudicium sequendum est propinquorum. Quod si duo petitores extiterint, consulēdi sunt quidem parentes, nec prætermittendus est etiam Iudex, qui voluntatem feminæ pro honestiore duntaxat parte prospiciat. Nec illis tantum propinquis præstet adsensum, qui suspitione hereditatis vtuntur, qui forte dum nuptias differunt, pro successione hereditatis mulieris mortem expectare videntur: sed illorum magis, si talis condicio intercedit, electio sequenda est, qui nihil possunt de ipsius hereditate conquirere.*

II. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Cynegio P.F.P.

Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudæam Christianus coniugio sortiatur: nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterij vicem commissi huius crimen obtinebit, libertate in accu-

sandum publicis quoque vocibus relaxata. Dat. Prid. Id. Mart. Thessal. Theod. XII. & Cynegio v.c. COSS.

INTERPRETATIO. *Legis huius seueritate prohibetur, vt nec Iudæus Christianæ matrimonio vtatur, nec Christianus homo Iudæam vxorẽ accipiat. Quod si aliqui cõtra vetitum se tali coniunctioni miscuerint, nouerint se ea pœna, qua adulteri damnantur, persequendos, & accusationem huius criminis non solum propinquis, sed etiam ad persequendum omnibus esse permissam.*

III. Impp. Theod. & Valent. AA. Hierio PF.P.

Si donationum ante nuptias, vel dotis instrumenta defuerint, pompa etiam aliáque nuptiarũ celebritas omittatur, nullus æstimet ob id deesse, recte aliàs inito matrimonio, firmitatem, vel ex eo natis liberis iura posse legitimorũ auferri, si inter pares honestate personas, nulla lege impediente fiat consortium, quod ipsorum consensu, atque amicorum fide firmatur. &c. Dat. x. Kal. Mart. Constantinop. Felice & Tauro COSS.

INTERPRETATIO. *Si occasio talis emerserit, vt nuptiæ solennitate debita careãt, aut etiam donationes sponsalitiæ fieri, aut dos celebrari non possit, sed conuenientibus animis se matrimonio copulauerint, sufficiet æqualibus personis conueniens electio atque consensus, sic tamen, vt conscientia intercedat amicorum, & tunc si ita res cesserit, & coniunctio stabilis, & filij legitimi probabuntur.*

De secundis nuptiis. Tit. VIII.

I. Imppp. Grat. Valent. & Theod. AAA. Eutropio PF.P.

SI qua ex feminis perdito marito, intra anni spatiũ alteri festinarit innubere: parum enim temporis post x. menses seruandũ adiicimus. tametsi idipsum exiguum putemus, probrosis inusta notis, honestioris nobilisque persona & decore & iure priuetur, atque omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel iure sponsaliorum, vel iudicio defuncti cõiugis consecuta fuerat, amittat: Et sciat nec de nostro beneficio, vel adnotatione sperãdum sibi esse subsidium. Dat. III. Kal. Iun. Constantinop. Eucherio & Syagrio COSS.

INTERPRETATIO *Mulier, quæ post mortem mariti, intra annum alteri viro nupserit, sciat se infamiæ subiacere, & notabilem vsque adeo reddi, vt quæcunque sponsalitia largitate percepit, vel si per testamẽtum ipsi aliquid prior maritus donauit, amittat, & totum illius filiis cedat. Si filij non fuerint, illis profuturum personis, qui priori marito gradu proximiori iunguntur, & hoc sibi per successionem poterunt vindicare.*

II. Iidem AAA. Floro PF.P.

Feminæ, quæ susceptis ex priore matrimonio filiis, ad secundas transierint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum sponsaliorũ iure, quicquid etiam nuptiarum solennitate perceperint, quicquid aut mortis causa donationibus factis, aut testamenti iure directo, aut fideicommissi: vel legati titulo, vel cuiuslibet munificę liberalitatis præmio ex bonis maritorum fuerint adsecutæ, id totũ, ita vt perceperint, integrum ad filios, quos ex præcedẽti cõiugio habuerint, transmittant, vel ad quemlibet ex filiis: dummodo ex hiis tãtum, quos tali successione dignissimos iudicamus, in quos cõtẽplatione meritorum liberalitatis suæ iudiciũ mater crediderit dirigẽdum. Nec quicquam eædem feminæ ex iisdem facultatibus abalienandi in quamlibet extraneam

perso-

personam, vel successionem ex alterius matrimonij coniunctione susceptam, præsumant. Atque habeant potestatem possidendi tantum in diem vitæ, non etiam abalienandi facultate cõcessa. Nam si quid ex iisdem rebus per fraudem sæuioris animi in alium quemlibet fuerit à possidente trãslatum, maternarum redintegrabitur compensationibus facultatum: quo inlibata ad hos quos statuimus heredes bona, & incorrupta perueniant. Illud etiã addimus legi, vt si aliquis ex iisdem filiis, quos ex priore matrimonio susceptos esse constabit, forte decesserit qui sorores vel sororem, non etiam fratrẽ relinquẽs, Senatus consulti beneficio matri simul ac sororibus successionis locũ fecisse videatur, seu etiam filia, quæ nullo existente fratre, & superstitibus matre ac sororibus tantum, adeundæ hereditatis locum matri pro dimidia portione seruabit, quod successionis beneficio mater videbitur consecuta, in diem vitæ pro sibi debita portione sola tãtum possessione delata, omne hiis qui supererũt ex priore suscepti matrimonio filiis relinquat, nec super istiusmodi facultatibus testandi in quamlibet aliam extraneam personam, vel quicquam abalienandi habeat potestatẽ. Quod si nullam ex priore matrimonio habuerit successionẽ, vel natus natíve decesserint, omne quod quoquomodo percepit, pleni proprietate iuris obtineat, atque ex iis nanciscendi dominij, & testandi circa quem voluerit liberam habeat potestatem. Similiter etiam admoneri maritos volumus & pietatis & legis exemplo, quos etsi vinculo non astringimus, velut impositæ seuerius sanctionis, religionis tamen iure cohibemus, vt sciant id à se promptius sperari contẽplatione iustitiæ, quod necessitate propositæ obseruationis matribus imperatur, ne si ita necessitas persuaserit circa eorũ personã subsidio sanctionis exigi ab eis oporteat, quod optari interim sperarique cõdeceat. Dat. †VI. Kal. Ian. Constant. Antonio & Syagrio COSS.

† XVI.

INTERPRETATIO. *Mulieres, quæ amißis maritis ad alias postea nuptias legitimò tempore, id est, expleto anno, venerint, si ex priori marito filios habuerint, quicquid per sponsalitiam largitatem, vel nuptiarum tempore consecutæ sunt, totum filiis conseruabunt, nec in alias vel extraneas personas nouerint transferendum. Quicquid vero prior maritus per testamentum, seu fideicommissum, seu legati titulo, vel mortis causa vxori donauerit, de his rebus quas tali mulier donatione percepit, seu omnibus filiis, seu in vnum pro merito seruitij, si conferre voluerit, liberam habebit facultatẽ, ita vt ei de bonis prioris mariti à filiis ipsius quicquam alienare non liceat. Quod si præsumpserit, de propriis facultatibus nouerit compensandum. Hoc specialius huic legi credidit inserendũ, vt mulieri, cum ad alias nuptias venerit, si de filiis quos ex matrimonio priore susceperat, masculus moriatur, eo casu vt matrem & sorores, aut certe sororem superstitem dimittat, & fratrem non dimittat, qui matrem possit excludere, tunc beneficio legis, mater, cum filiabus, vel filia, æquali sorte succedat. Si vero filia moriatur, & matrem & sorores tantum dimittat, dimidiam defunctæ filiæ hereditatem mater adquirat, & media sororibus seu vna, seu plures sint proficiat: Ea tamen ratione, vt dum aduixerit mater, adquisitam ex hac filij aut filiæ medietatem tantummodo in vsufructu possideat. Et reliquis, si supererunt ex priore matrimonio, filiis, post obitum derelinquat, ad alias personas in transferendo nec per testamentum, nec per donationem habitura licentiam. Cui mulieri si de priore marito filij non supersint, tunc quæcunque, quæ sub hac occasione percepit, sibi velut propriam vindicet facultatem, & in quemcunque voluerit iure transmittat. In hac etiam lege similem & patribus mortuis vxoribus condicionem, si ad alias nu-*

ptias venerint, voluit obseruari, vt si de priore vxore filij vel filiæ fuerint, ex quibus aliqui moriantur, & in suam portionem locum patri faciant, post illius obitum fratribus vel sororibus, qui supererunt de ipso coniugio, portio relicta proficiat, nec poterit per patriam potestatem ad alias transire personas.

III. Impp. Honor. & Theod. AA.
Ioanni P F.P.

Nulli videatur ambiguum, eorum quæ nuptiarum tempore mulieres accipiunt, etiamsi ad secundas nuptias, extantibus ex priore matrimonio liberis, emenso tempore forte migrauerint, in diem vitæ vsumfructum circa eas debere durare, salua iis proprietate, quibus ius integrum post earum obitum leges sacratissimæ reseruarunt, vt manifestum est, quod delatum ex priori coniugio liberis constat. Dat. x. Kalen. Iul. Rauenn. DD. NN. Honor. VIII. & Theod. V. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Notissimum valde est, has facultates quas tempore nuptiarum mulieres à maritis accipiunt, suo dominio vindicare. Et si maritum mori contigerit qui tamen filios derelinquat, & post transacta luctus tempora legitime ad alias nuptias venerint, in diem vitæ suæ donatarum rerum teneant vsumfructum. Post obitũ vero earum, ad prioris mariti filios omnia reuertantur, nec ex inde aliquid matribus viuis filiis in aliorum iura transferre permissum est.*

Si secundo nupserit mulier, cui maritus vsumfructum reliquerit. Tit. IX.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Asterio
Com. Orientis:

APerta definitione signamus, longe aliud esse quod de rebus ante nuptias à nostra mansuetudine constitutum est, aliud quod de iis quę ex patrimonio proprio vir suo arbitrio ad vsumfructum vxori derelinquit: nam in eo vsufructu, quem vir extrema constituẽs voluntate, de rebus propriis vxori dimiserit, statim post secundas nuptias mulieri volumus imminere iacturam, secundum eam legem, quæ de hoc articulo non dubitatur emissa. De vsufructu vero rerum ante nuptias donatarum, ea seruari, quæ lex saluberrima anterior plena definitione decreuit. Dat. XVI. Kal. Mart. Constantinop. Honorio A. IIII. & Eutichiano COSS.

INTERPRETATIO. *Clara interpretatione has duas sententias explanauit, vt præter sponsalitiam donationem, si maritus moriens de patrimonio suo vsumfructum reliquit vxori, iuxta voluntatem eius relicta possideat, ita vt si mulier postea alio viro nupserit, mox vsumfructum ex testamento adquisitum filiis eius refundat, à quo vsumfructum fuerat consecuta: vsumfructum vero de sponsalitia largitate vsque ad obitum suum sicuti superius alia lex locuta est, merito retinebit. Vnde hæc ipsa post obitum matris, ad illius mariti filios, qui donauit, proprietas reditura est.*

Si nuptiæ ex rescripto petantur. Tit. X.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Theodoro P F. P.

QVidam vetusti iuris ordine prætermisso, obreptione precum nuptias quas se intelligunt non mereri, de nobis æstimant postulandas, se habere puellæ consensum cõfingentes: quapropter tale spõsaliorum genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione meruerit, amissio-

amissionem bonorum,& pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat. Et amisso iure matrimonij, quod prohibita vsurpatione meruerit, filios se iuste hac ratione susceptos non habiturum, nec vnquam postulatæ indulgentiæ adnotationisve Principis indulto efficacem se veniæ effectum meruisse. Exceptis hiis, quos consobrinorum, hoc est quarti gradus coniunctione, lex triumphalis memoriæ patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetauit: exceptísque his, qui parẽtum sponsionem de nuptiis filiarum impleri desiderant, vel sponsalia, hoc est arrarum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum quadrupli pœna deposcunt. Nos enim peti de nobis nuptias supplicatione prohibemus, quas deceat de voluntate parentum, vel de ipsis adultis puellis, aut mulieribus impetrari: Nam si negato coniugio, quod fuerat ante promissum, lis aliqua legum præcepto nascatur, de iure nos consuli non vetamus. Dat. Kal. Feb. Rauennæ DD. NN. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Fit aliquoties à quibusdam, vt obliti seueritatem legum, obrepere Principis audeant Maiestati, & coniugia sibi expetant ex præcepto, quæ consequi non merentur, vt de consensu parentum, vel puellæ mentiantur: quâ de causa huiusmodi audaciam interdicit. Quicunque ergo sub tali obreptione matrimonium se obtinere putauerit, & amissione bonorum, & exilij relegatione se nouerit esse damnandum: nec matrimonium quod taliter quæsierit, habiturum, nec filios tali ordine & ambitione susceptos legitimos appellandos: nec etiam per supplicationem huius præsumptionis veniam promereri. His vero quos in tertium & quartum gradum originis coniunctio præsumptiua copulauerit, quia notabile est, tamen si supplicauerint, veniã relaxauit. Nec his interdici, vt præceptum expetant Maiestatis, qui parẽtum placito copulantur. Illi vero qui pactis sibi viuis parentibus puellis, ab ipsis puellis post parentum obitum contemnuntur, præcepti tenore, in quadruplum arrarum nomine data vel donata recipiant: nam de reliquo si ante definita non fuerint, per supplicationem coniugia postulari omni seueritate prohibuit. Ceterum si cum parentibus puellæ, aut cum ipsa puella quis de nuptiis pactus fuerit, & vnus ex his voluerit de placito eius resilire, nos ab eo qui dispicitur consuli nõ vetamus. Reliqua pars legis istius alibi iam habetur exposita.*

Si quacumque præditus potestate, nuptias petat inuitæ. Tit. XI.

1. Imppp. Grat. Valent. & Theod. AAA. Neoterio PF. P.

SI quis ordinaria, vel qualibet præditus potestate, circa nuptias inuitis ipsis vel parentibus contrahendas, siue pupillæ, siue apud patres, virgines siue viduæ erunt, siue & sui iuris viduæ, denique cuiuscunque sortis, occasione potestatis vtatur, & minacem fauorem suum inuitis iis quorum vtilitas agitur, exhibere, aut exhibuisse detegitur, hunc & multæ librarum auri decem obnoxium statuimus, & cum honore abierit, peractam dignitatem vsurpare prohibemus. Tali scilicet pœna, vt si circa honorem eum, quo male vsus est, vindicandum statuti nostri sanctioni parere noluerit, semper eam prouinciam, in qua sibi hoc vsurpauerit, habitare per iuge biennium non sinatur. †Qui tamen contra latentem malitiam † parum quasdam domos, vel quosdam parentes intelligimus muniendos, iubemus,

† §. Quia. † præterea.

vt quicunque iis, & quæcunque erit latentibus per Iudicem promissis, minísve tentata ad eius matrimonium, cui aspernatur præstare consensum, confestim contestatione proposita, cum sua suorúmque domo ad iurisdictionem eius desinat pertinere. Curaturis hoc vniuscuiusque ciuitatis vindicibus, & eiusdem Iudicis Apparitoribus. Equidem si hæc prauitas ordinarij Iudicis erit, vniuersa eius domus ratio, atque omnia vel ciuilia, vel criminalia negotia, quandiu idem in administratione fuerit, Vicario competant. Sin autem Vicarius, vel similis potestatis, vim eiusmodi contrahendo matrimonio molietur, vicissim ordinarius Iudex intercessor existat: Sin erunt vterque suspecti, ad inlus. Præfecturam specialiter talium domorum, quandiu idem administrauerit, tutela pertineat. Dat. xv. Kalend. Iul. Thessalonicæ, Gratiano A. v. & Theod. A. I. COSS.

INTERPRETATIO. *Si aliquis de hiis Iudicibus, qui prouincias administrăt, vel etiam hiis quibus ciuitates, vel loca commissa sunt, per potentiam inuitis parentibus virgines, aut etiam viduas, si sui iuris sint, per potestatem ad nuptias suas addixerint: aut si pupillæ sint, & earum vtilitatibus obuiantes per terrorem, aut per quorumcunque conludium addicantur, vt his personis, de quibus loquitur, inuitè iungantur, quicunque hoc præsumpserit, decem pondo auri se nouerit condemnandũ, & in ea Prouincia, in qua Iudex fuerit, dignitate amissa biennio prohibeatur accedere. Beneficium tamen lex ista aduersus eiusmodi homines parentibus, vel ipsis mulieribus, quæ in suo iure sunt, vel qui minorum ætates tuentur indulsit, vt contestationes ad alios Iudices, vel ciuitates proximas deferant, & eorum patrociniis defendantur. Vt si in eadem prouincia sit alia potestas, vt pote si sint duo Iudices, vnus priuata, & alius dominica iura gubernans, si ab altero sub hac condicione quæcunque persona prematur, alterius tutela debeat defensari, aut certe ad magnificam potestatem, quæ Principis auribus hoc possit intimare, recurrat.*

De incestis nuptiis. *Tit.* XII.

I. Impp. Constantinus & Constans AA. ad Prouinciales Fenices.

SI quis filiam fratris sororísve faciendam crediderit abominanter vxorem, aut in eius amplexum non vt patruus aut auunculus conuolauerit, capitalis sententiæ pœna teneatur. Dat prid. Kal. Apr. Antiochiæ, Constantino & Constante AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque hominum cum fratris filia, vel sororis incestam coniunctionem se habere crediderit, capitale periculum se nouerit subiturum, & Spurios esse conuenit qui de tali coniunctione nascentur.*

II. Impp. Constantinus & Constans AA. & Iulianus Cæsar, ad Volusianum Vicarium Vrbis.

Et si licitum veteres crediderunt, nuptiis fratris solutis ducere fratris vxorẽ: licitum etiam, post mortem mulieris, aut diuortium, contrahere cum eiusdẽ sorore coniugiũ. Abstineant huiusmodi nuptiis vniuersi, nec æstiment, posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari: nam spurios esse conuenit, qui nascentur. Dat. Prid. Kal. Maij, Romæ, Arbitione & Lolliano COSS.

INTERPRETATIO. *Fratris vxorem ducendi, vel vni viro duas sorores habendi penitus licentia denegatur, nam ex tali coniugio procreati filij, legitimi non habentur.*

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutichiano PF. P.

Manente circa eos sententia qui post latam dudum legem quoquomodo ab-

absoluti sunt aut puniti, si quis incestis posthac consobrinæ suæ vel sororis, aut fratris filiæ, vxorísve vel eius postremo cuius vetitum damnatúmque cõiugium est, sese nuptiis funestarit, designato quidem lege supplicio, hoc est ignium, & proscriptionis careat, proprias etiam quandiu vixerit teneat facultates. Sed neque vxorem neque filios ex ea editos habere credatur; vt nihil prorsus prædictis, ne per interpositam quidem personã, vel donet superstes, vel mortuus derelinquat. Dos si qua forte solenniter aut data, aut dicta, aut promissa fuerit, iuxta ius antiquum fisci nostri commodis cedat: testamento suo extraneis nihil derelinquat, sed siue testato, siue intestato, legibus ei & iure succedant, si qui forte ex iusto & legitimo matrimonio editi fuerint, hoc est de descendentibus, filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis: de ascendentibus, pater, mater, auus, auia: de latere frater, soror, patruus, amita: Testandi sanè ita demum habeat facultatem, vt hiis tantum personis pro iuris ac legum, quod voluerit, arbitrio relinquat, quas succedere imperialis præcepti tenore mandauimus: ita tamen, vt hereditate defuncti penitus arceatur, si quis ex iis quos memorauimus, in contrahendis incestis nuptiis participatum, atq; consilium iniisse monstrabitur: successuro in locum illius, qui post eum gradũ proximus inuenitur. Id sanè quod de viris cauimus, etiã de feminis, quæ prædictorum se consortio commaculauerint custodiatur: memoratis verò personis non extantibus, fisco locus pateat. Ad cuius legis nexum & condicionem pertinere iubemus, si qui forte iamdudum, hoc est ante promulgationem huiusce legis, illicitis memoratarum nuptiarum sceleribus commaculati, quoquo modo latere potuerunt. Dat. VI. Kal. Decemb. Constantinop. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Post prioris legis sententiam, quæ de talibus personis lata est, id præcipit obseruari, vt districtione legis supplicio & proscriptione liberi quisque ille aut sororis aut fratris filiam, aut certe vlterioris gradus consobrinam, aut fratris vxorem sceleratis sibi nuptiis iunxerit, huic pœnæ subiaceat, vt de tali consortio separetur. Atque etiam si filios habuerint, non habeantur heredes, sed infamia sint notatæ vtrimque personæ, ita vt possidere tantum proprias facultates Principis beneficio videantur. Ceterum nullum præsumant sibi subire contractum donandi atque testandi facultate submota: sed nec ipsis feminis, quas taliter sortiti sunt, aliquid conferant, his si etiam tempore nuptiarum sibi dederint, reuocetur ad fiscum: aut etiamsi filios habuerint, non per suppositam, aut per aliam personam, aut per commẽtitiam donationem ad illos quicquam ex eorum facultate perueniat, sed ipsis mortuis ad legitimos heredes quoscunque gradus admittit, vsque ad certum originis locum ab intestato ipsi succedunt. Testandi etiam eis in his tantum personis, quibus lege concessum est permissa potestas, ita vt ex his quos elegerint scribant heredes, ita tamen, vt si qui in tali consortio consensum cum his habuisse docentur hereditate exclusi, aliis in proximo gradu venientibus locum faciant: Nam si desunt personæ propinquorum, quos ad successionem vocat lex, tunc in eorum facultatibus fiscus accedat.*

IIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Aureliano II. P.F.P.

Tanquam incestum commiserit habeatur, qui post prioris coniugis amissionem, sororem eius in matrimonium proprium crediderit sortiendã. Pari ac simili ratione etiam si qua post interitum mariti in germani eius nuptias crediderit aspirandum, illo sine dubio insecuturo, quod ex hoc contubernio

nec filij legitimi habebuntur, nec in sacris patris erunt, nec paternam vt sui suscipient hereditatem. Dat. XVII. Kal. Iun. Constantinop. DD. NN. Honor. X. & Theod. VI. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quæcunque mulier sororis suæ maritum post illius mortem acceperit, vel si quis ex viris mortua vxore, sororem eius aliis nuptiis sibi coniunxerit, nouerint tali cõsortio se esse notabiles, & filij qui exinde fuerint procreati, & successione excludantur, nec inter filios habebuntur.*

De dotibus. Tit. XIII.

I. Impp. Constant. & Constans AA. Ad Philippum PF. P.

DE moribus actio vltra personam extendi non potest, nec in heredẽ dabitur, nec tribuetur heredi. Data XII. Kal. Octob. Liminio & Catulino COSS.

INTERPRETATIO. *Si de moribus maritus vxorem accusat, hoc est in maleficio, in adulterio, similibus aliisq; criminibus, si mortua vxor fuerit, heredes eius accusari non possunt: quia crimina cum auctore deficiunt: tamen & si maritus mortuus fuerit quia accusabat vxorem, ab herede mariti mulier non potest accusari.*

II. Imp. Iulianus A. ad Mamertinum PF. P.

In dote reddenda, & retentiones ex iure venientes, & pacta quę legibus cõsentanea esse monstrantur, placet etiam ex huius sanctionis auctoritate intemerata inuiolatáque seruari. Dat. IIII. Kalen. Mart. Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

INTERPRETATIO. *Pacta inter maritum & vxorem, quæ de dote inita sunt, & cum lege concordant, hæc lex sicut reliquas pactiones valere præcepit. De retentionibus vero, quia hoc lex ista non euidenter ostendit, in iure, hoc est, in Pauli Sententiis, sub titulo, De dotibus requirendum, aut certe in Pauli responsis sub titulo, De re vxoria.*

III. Impp. Honor. & Theod. AA. Mariniano PF. P. Post alia.

Si constante matrimonio maritus fatali fuerit sorte consumptus, dos quæ data dicitur vel promissa ex eius vxoris facultatibus ad feminam reuertatur, nihilque sibi ex hoc defuncti heres audeat vindicare, quod ad mulierẽ recurrere fecit obitus maritalis. Et si fortasse constante matrimonio à marito vxori dos refusa est, quod legibus stare non potest, quia donationis instar perspicitur obtinere, eadem vxore defuncta, marito ab eius heredibus cum fructibus ex die refusæ dotis restituatur, ita vt proprietas eiusdem à liberis ex eadem susceptis alienari à marito non possit, &c. Dat. III. Non. Nouemb. Rau. Honor. XIII. & Theod. X. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si contigerit, vt maritus vxore superstite moriatur, quæcunque à muliere marito in dotem data fuerant, ad suum dominiũ femina reuocabit, nec heredes defuncti mariti hoc vindicare præsumant: Nam si maritus dum adviueret, hoc ipsum quod à muliere in dote perceperat, fortasse refuderit, quia similitudo donationis est refusio, nullam obtinet firmitatem. Si mortua fuerit mulier, non poterunt eius heredes hoc sibimet vindicare, sed marito etiam cum fructibus hoc iubetur debere restitui: sic tamen, vt si erunt filij, non sibi hoc dum advixerit pater eorum, quasi ex bonis maternis vindicent, nec pater aliquid aliud, nisi vsum fructum exinde habere debebit, nec transferendi in aliam personam habebit nec transferendi liberam potestatem, sed omnia post obitum eius, ad communes filios reuertantur.*

IIII.

IIII. Impp. Theod. & Valent. AA. Hierio PF.P. Post alia.

Ad exactionem dotis, quam semel præstari placuit, qualiacunque sufficere verba censemus, etiamsi dictio vel stipulatio in pollicitatione rerũ dotalium minime fuerit subsecuta, &c. Dat. x. Kal. Mart. Const. Felice & Tauro COSS.

INTERPRETATIO. *Ad implendam vel exigendam dotem, hoc est, quæ à muliere tempore nuptiarum viro datur, etiamsi desit stipulatio promittentis, & verba iuridica, dos valere iubetur.*

De nuptiis Gentilium. *Tit. XIIII.*

I. Impp. Valent. & Valens AA. ad Theod. Magistrum equitum.

NVlli prouincialium, cuiuscunque ordinis aut loci fuerit, cum barbara sit vxore coniugium: nec vlli gentiliũ prouincialis femina copuletur. Quod si quæ inter prouinciales atque gentiles affinitates ex huiusmodi nuptiis extiterint, quod in iis susceptum vel noxium detegitur, capitaliter expietur. Dat. v. Kal. Iun. Valent. & Valente AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Nullus Romanorũ barbaram cuiuslibet gentis habere præsumat vxorem, neque Barbarorum coniugiis mulieres Romanæ in matrimonio coniungantur, quod si fecerint, se capitali sententiæ nouerint subiacere.*

De fideiussoribus dotium. *Tit. XV.*

I. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA.† Martiniano Com. Orientis.

OMnium sponsorum vel fideiussorum, deinceps in cauenda dotis sponsione promissiones absoluimus. Dat. III. Id. Nouemb. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

† *Mariniano vel Martiano.*

INTERPRETATIO. *Si quis implendæ dotis causa pro muliere fideiussor accesserit, pro hac fideiussione non teneatur obnoxius.*

De Repudiis. *Tit. XVI.*

I. Imp. Constant. A. ad Ablauium PF.P.

PLacet, mulieri non licere propter suas prauas cupiditates marito repudium mittere exquisita causa, velut ebrioso, aut aleatori, aut mulierculario: nec vero maritis per quascunque occasiones vxores suas dimittere. Sed in repudio mittendo à femina hæc sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probauerit, vt ita demum laudata omnem suam dotem recipiat. Nam si præter hæc tria crimina repudium marito miserit, oportet eam vsque ad acuculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sui confidentia in insulam deportari. In masculis etiam si repudiũ mittant, hæc tria crimina inquiri conueniet, si mœcham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit. Nam si ab hiis criminibus liberam eiecerit, omnem dotem restituere debet, & aliam non ducere. Quod si fecerit, priori coniugi facultas dabitur eius domum inuadere, & omnem dotem posterioris vxoris ad semetipsam transferre pro iniuria sibi inlata. Dat. III. Non. Maij, Basso & Ablauio COSS.

INTERPRETATIO. *Certis rebus & probatis causis, inter vxorem & maritum repudiandi locus patet, nam leui obiectione matrimonium soluere prohibentur: quod si forte mulier dicat maritum suum aut ebriosum, aut luxuriæ deditum, non propterea repudiandus est, nisi forte eum aut homicidam, aut maleficum, aut sepulchri violatorẽ esse*

docuerit, quibus criminibus conuictus sine culpa mulieris merito videtur excludi, & mulier recepta dote discedit: Nam si hæc crimina mulier non potuerit adprobare, hac pœna multatur vt & dotem quam dederat, vel pro ipsa data fuerat, & donationẽ quam percepit amittat, atque etiam exilij relegatione teneatur. Quod si à viro mulier repellatur, nec ipse nisi certis criminibus ream docuerit, pro leui, vt adsolet, iurgio repudiare permittitur, nisi fortasse adulteram, aut maleficam, aut conciliatricem eam probare sufficiat. Quod si docere non potuerit, dotem mulieri restituat, & aliam ducere non præsumat vxorem. Quod si forte tentauerit, habebit mulier liberam facultatem, quæ innocens eiecta est, domũ, mariti sui, atque omnẽ eius substantiã sibimet vindicare. Quod dinoscitur ordinatũ, vt etiam secundæ vxoris dotem repudiata iniuste mulier iubeatur adquirere.

II. Imppp. Honor. & Theod. & Constant. AAA. Palladio PF. P.

Mulier quæ repudij à se dati oblatione discesserit, si nullas probauerit diuortij sui causas, abolitis donationibus, quas spõsa perceperat, etiam dote priuetur, deportationis addicenda suppliciis: cui non solum secundi viri copulã, verumetiã postliminij ius negamus. Sin vero morum vitia, ac mediocres culpas mulier matrimonio reluctata cõuicerit, perditura dotem, donationem viro refundat, nullius vnquam penitus sociãda coniugio, quæ ne viduitatẽ stupri procacitate commaculet, accusationem repudiato marito iure deferimus. Restat vt si graues causas, atque inuolutam criminibus magnis conscientiam probauerit, quę recedit dotis suæ compos, sponsalẽ quoque obtineat largitatem, atque à repudij die post quinquennium nubẽdi recipiat potestatem: tũc enim videbitur, sui magis viri id execratione, quã alieni appetitione fecisse. Sanè si diuortium prior maritus obiecerit, ac mulieri graue crimen intulerit, persequatur legibus accusatam, impetratáque vindicta & dote potiatur, & suã recipiat largitatem, & ducendi mox alteram, liberum sortiatur arbitrium. Si vero morum est culpa non criminum, donationem recipiat, & dotẽ relinquat, aliam post biẽniũ ducturus vxorem. Quod si matrimoniũ solo maluerit separare dissensu, nullísque vitiis peccatísque grauetur exclusa, & donationem vir perdat, & dotem, ac perpetuo cœlibatu insolentis diuortij pœnam de solitudinis mœrore sustineat, mulieri post anni metas nuptiarum potestate concessa. Super retentionibus autem dotium propter liberos iuris antiqui præcepimus cauta seruari. Dat. VI. Id. Mart. Rau. Eustasio & Agricola COSS.

INTERPRETATIO. *Si mulier prior marito repudium intulerit, & statutas lege non docuerit causas, amittat & sponsalitiam largitatẽ, nec id repetat quod marito in dotem dedit, atque insuper exilio relegata, nec nubendi locum habeat, nec ad propria reuertendi. Nam si leues culpas edocuerit, quibus diuortium videatur adpetere, & dote careat, & donationem refundat, neque alteri viro nubendi habeat potestatem. Si vero postea maritum dimittens, adulterio se forte miscuerit, maritus etiam post repudium habeat licentiam persequendi. Quod si mulier quæ discedit, in virum grauia crimina & certa probauerit, & dotem reuocabit, & quod ei maritus in sponsalitiam largitatem contulerat, vindicabit, & post quinquennium nubendi habebit liberam facultatẽ. Nam si maritus repudiũ prior intulerit, probatis causis, vindicta percepta expulsæ vxoris dotẽ vindicet, donationémque recipiat, & cõtinuo si voluerit aliã ducat vxorẽ: nã si crimina certa non fuerint, sed vt solet fieri, femina morum leuitate displiceat, maritus donationẽ suã reuocet, & ille quicquid ab ea perceperat mox refundat & post biennium aliam ducat vxorem. Quod si nec morum culpa docebitur, & sola est dissensio animorum, mulier*

quæ innocens expulsa est à marito, & donationem à viro factam sibi vindicet, & suam dotem reuocet. Ille vero in perpetuum solitarius permanebit, nec præsumat alterius mulieris coniugio sociari: mulier vero post annum ad aliud coniugium si voluerit transire permittitur. Propter communes vero liberos, si fuerint, ea præcepit obseruari, quæ in iure de retentionibus statuta sunt pro numero filiorum, quod Paulus in libro Respõsorum dicit, sub titulo, De re vxoria.

De tutoribus & curatoribus creandis. Tit. XVII.

I. Imp. Constant. A. & Cæs. Ad Bassum PF. P.

IN vniuersis litib. placet, non prius puberem iustam habere personam, nisi interposito decreto, aut administrandi patrimonij gratia, aut ad litem fuerit Curator datus, vt iuxta præcedentia nostræ prouisionis statuta legitime initiatę litis agitatæ in iudiciis cõtrouersiæ finiantur. Dat. IIII. Id Octob. Aquileiæ. Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si pupillis actio inferatur, quamuis adulti videantur, ad litẽ venire non possunt, nisi forte ætas eorum curiæ testificatione firmetur, aut certe prouisus Curator patrimonium pupilli, vel negotium tueatur.*

II. Idem A. & Cæs. ad populum.

In feminis tutelam legitimam consanguineus patruus non recuset. Dat. pridie Kal. Ian. ipso A. VII. & Cæs. COSS. *Ista interpretatione non indiget.*

III. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Proculo PF. V.

Inlustris Præfectus vrbis, adhibitis X. viris è numero Senatus amplissimi, & Prętore clarissimo viro, qui tuelari. cognitionib. pręsidet, Tutores Curatorésve ex quolibet ordine idoneos faciat retentari: & sanè id libero iudicio, expertésque damni constituent iudicantes, & si regẽdis pupillaribus cẽsibus singuli creandorum pares esse non possunt, plures ad hoc secundũ leges veteres cõueniet aduocari, vt quem cœtus ille administrandis negotiis pupillorum dignissimum iudicarit, sola sentẽtia obtineat Præfecturæ. Itaque hoc modo remoti à metu, qui consilio adfuerint, permanebũt, & paruulis adultísque iusta defensio sub hac prudentium deliberatione proueniet. Quod tamẽ circa eorũ personas cẽsuisse nos palam est, quibus neque testamẽtarij defensores, neque legitimi vita, ætate, facultatib. suppetunt: Nam vbi forte huiuscemodi homines offerentur, si nihil ad defensionem sui priuilegiis comparabunt, vt teneri possint iure pręscribimus. Ceterum alia quæ in causis minorum antiquis legibus cauta sunt, manere intemerata decernimus. Dat. VI. Kal. Ian. Mediolani, Timasio & Promoto COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties de pupillorum tutela tractatur, debent primi patriæ cum Iudice, secundum ætates minorum, aut Tutorem aut Curatorem eligere, vt ille qui susceperit tutelam, tali electione possit esse securus. Quæ tamen electio circa eas personas obseruabitur, quæ nec testamento decretæ sunt, nec propinquitate ad id officium adducuntur. De aliis sanè minorum commodis legum priorum statuta præcepit obseruari.*

III. Iidem AAA. Tatiano PF. P.

Matres, quæ amissis viris tutelam administrandorũ negotiorum in liberos postulant, prius quam confirmatio officij talis in eas iure veniat, fateãtur actis

ad alias se nuptias non venire. Sanè in optione huiuscemodi nulla cogitur, sed libera in condiciones quas præstituimus volūtate descēdat: nam si malūt alia optare matrimonia, tutelas filiorum administrare non debent. Sed ne sit facilis in eas, post tutelam iure susceptam, irruptio, bona eius primitus, qui tutelam gerentis affectauerit nuptias, in obligationem venire, & teneri obnoxia rationibus paruulorum præcepimus: ne quid incuria, neque fraude depereat. Hiis illud adiungimus, vt mulier, si ætate maior est, tum demum petendę tutelæ ius habeat, cū Tutor legitimus defuerit, vel priuilegio à tutela excusetur, vel suspecti genere submoueatur, vel ne suis quidem per animi aut corporis valetudinem administrandis facultatibus idoneus inueniatur. Quod si feminæ tutelas refugerint, & præoptauerint nuptias, neque quisquam legitimus ad pares possit causas vocari, tum demum vir illustris Præfectus vrbi adscito Prætore, qui impertiendis tutoribus præsidet, siue Iudices, qui in prouinciis iura restituunt, de alio ordine per inquisitionem dari minoribus defensores iubebunt. Dat. XII. Kalend. Feb. Mediolan. Valentiniano A. IIII. & Neoterio COSS.

INTERPRETATIO. *Mulieres mortuis maritis si ipsæ voluerint tutelam suscipere filiorum, priusquam hoc adsumant, actis profiteantur se non esse nupturas. Sed hoc ipsum non extorquendum est, sed si maluerint hoc voluntate propria fateantur: nam si ad alias nuptias migrare voluerint, tutelam filiorum administrare non possunt. Sciant hoc etiam viri, qui sibi iungendas matres postulant paruulorum, quod si mulieres tutelam administrare cœperint filiorū, & postea nupserint, ille qui in consortio recipitur maritali, bona sua nouerit obligata, & se ad rationem reddendam minoribus obnoxium esse futurum. Additur etiam illud, quod mulier nisi maiore ætate fuerit, tutelam suscipere prohibetur. De his vero, qui cum lege veniunt ad tutelam, si quis ex his videbitur aut deceptus facultatibus, aut moribus vilis, admitti non poterit, ne minorum bona depereant: sed illi accedant in tutelam, qui integritate mentis & certa propinquitate iunguntur. Nam si defuerint personæ quas diximus, & mater tutelam suscipere noluerit, tunc sicut prius constitutum est, electio Iudicis vel prouincialium Tutores minoribus deputabunt.*

Qui petant. XVIII.

I. Imp. Constant. A. & Iulianus Cæs. Haue Orphite carissime nobis.

AVos quoq; & auias Tutoris necessitas postulādi teneat obligatos, si nepotibus pupillaris ætatis testamentaria vel legitima tutela defuerit: nam si Tutor forte petitus nō fuerit secundum ea, quæ priscis legibus statuta sunt, emolumentum successionis amittant, ad quos poterat hereditas peruenire. Dat. Id. Iul. Constantino A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

INTERPRETATIO. *Si auus paternus defuerit, auos maternos etiam, atque auias, tam paternas quàm maternas iubet ad Tutores paruulorum petendos legis præceptione constringi, si tamen testamentarij vel legitimi deesse probātur. Quod si nepotibus paruulis Tutores prouidere despexerint, iubet eos huiusmodi dispendio subiacere, vt si forte cesserit luctuosa hereditas, de successione minorum, quibus Tutores, aut nō petierint, aut noluerint prouidere, habeantur extranei.*

De

De administratione & periculo Tutorum & Curatorum. *Tit.* XIX.

I. Imp. Constant. A. & Iulianus Cæs.

PRo officio administrationis Tutoris vel Curatoris bona, si debitores existant, tanquam pignoris titulo obligata, minores sibimet vindicare minime prohibentur. Dat. VII. Kal. April. Treueris, Volusiano & Aniano coss.

INTERPRETATIO. *Quicunque Tutor siue Curator negligentia administrationis suæ, debitor minoribus comprobatur, nouerit facultates suas ita obligatas, vt si non satisfecerit, ratione deducta bona sua à minoribus loco pignoris teneantur.*

II. Idem A. ad Maximum P F. V. Post alia.

Minorum defensores, si per eos donationum condicio neglecta est, rei amissæ periculum præstent. &c. Dat. IIII. Kal. Nouemb. Romæ, Sabino & Rufino coss.

INTERPRETATIO. *Si in his, quæ minoribus donari possunt, per Tutoris negligentiam siue conludium, donationis solennitas impleta non fuerit, id quod minori deperierit, de proprio cogitur exoluere.*

III. Idem A. Felici.

Quoniam per negligentiam seu proditionem Tutorum & Curatorum, possessiones iuris emphyteutici vitio intercedente commissi è minorum fortunis auelluntur, placet vt Tutor Curatórve, cuius officio manente possessio minoris iuris emphyteutici prętogatiuam, commissi offensa perdiderit, tantũ de facultatibus propriis censura imminente minoribus restituat, quantum rẽ valere potuisse constabit. Dat. XIIII. Kal. Maij. Constantinop. Dalmatio & Zenophilo coss.

INTERPRETATIO. *Si forte cesserit, vt minores possessionem iuris emphyteutici, hoc est, quod ex fisci bonis parentes eorum habere meruerant, sub qualibet præstatione tenuerint, & hoc per neglig̃etiam, siue proditionem Tutoris, aut imminutum fuerit, aut certe sublatum, quicquid perierit, à Tutore vel Curatore esse reddendum.*

IIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutichiano P F. P.

Tutores eodem momento quo fuerint ordinati, mox† audiant cognitores, vt præsentibus primatibus, defensore, officiis etiam publicis inuentario solenniter facto, omne aurum argentúmque, & quicquid vetustate temporis non mutatur, si in pupilli substantia reperiatur, Iudicum & Senatorum officiorũ etiam publicorum inustum signaculis, in tutissima, publicæ auctoritate sententiæ, sine spe aliqua vsurarum, custodia collocetur: non prius qualibet occasione mutilandum, quàm adultus legitimam ingressus ætatem, non tam litibus vacare incipiat, quàm integro mox gaudeat se patrimonio restitutum. Et quoniam etiam mediocris pensanda fortuna est, si cui forte in hereditate mobilia tantum relinquantur, nec aliqui fundorum reditus supputentur, ex quibus vel familia pupilli sustentari valeat, vel pupillus, ex mobilibus aut prædia idonea comparentur, aut si forte, vt adsolet, idonea non poterint inueniri, iuxta antiqui iuris formam vsurarum crescat accessio, vt & hic vnde fundorum reditus non sperantur, ex incrementis rei mobilis minoris necessitas adiuuetur, & ibi sine periculo Tutoris vsuræ penitus non petantur. Dat. VI.

† *adeant*

Kal. Mart. Constantinop. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Mox ad tutelam quis accesserit, adhibitis continuato primatibus ciuitatis, vel defensore cum officio suo, suscepta pupilli bona facto rerum conscribat inuentario: & si quid erit in pecunia vel argento, vel quæ non possunt vetustate perire, prædictorũ annulis obsignata reponat, & nulla occasione minuatur, neque id pupillo, dum in annis minoribus fuerit, pro litibus aut aliis causis nouerint committendũ, sed vsque ad perfectam ætatem omni integritate seruetur. In reliquis rebus proficiẽte diligentia: nam si minores eius sunt facultates, vt non sit patrimonium illis, & tantummodo substantia in rebus mobilibus inuenitur, sciant Tutores sibi esse permissum, vt vẽdere præsumant mobilia, & agros comparare, vt minoribus in ea parte prospiciant, si vero non est eiusmodi substantia, vnde prædium comparetur, hanc iubentur habere diligentiam, vt pecunia colligatur, & compendiis vsurarum, aut quibuslibet aliis rebus commodum pupillis adquirant, aut si forte tenuitas substantiæ erit, exinde salua re pupillis substantia ministretur, & si ita egerint, à Tutore pupillus non erit quæsiturus vsuram.*

CODICIS THEODOSIANI LIBER QVARTVS.

De cretione, vel bonorum possessione. Tit. I.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Senatum. Post alia.

PATREM aliqua ex parte minorem esse matribus non sinemus: nam cum etiam infantis filij morientis mater bonorum solatia consequatur, cur de eius ætate pater graues patiatur tendiculas non videmus. Et cum legitima successio non modo in matre, verum etiam in successoribus longius constitutis, non bonorum possessionis petitionem, non cretionis solennitatem cogitur custodire, qualicunque contenta aditæ vel adeundæ hereditatis indicio, quãto magis pater talibus est vinculis exuendus? Atque ideo hac † ratione sancimus, vt pater etiam infantis filij successionem, siue ille matre eius moriente, adeundæ hereditatis, vel petendæ bonorum possessionis fuerit executus officium, siue ista neglexerit, morienti filio infanti in qualibet ætate sine ambiguitate succedat. Dat. VII. Id. Nouemb. Rauennæ, DD. NN. Theodosio XII. & Valent. II. AA. COSS.

† *re. oratione. aliàs, ordinatione.*

INTERPRETATIO. *Cretio, & bonorum possessio antiquo iure à Prætoribus petebatur, quod explanari opus non est, quia legibus vtrunque sublatum est. Et ideo infans, licet loqui non possit, tamen hereditatem sibi debitam capit, cui morienti pater, aut is qui proximus fuerit, ex lege succedit.*

Vnde

Unde liberi. Tit. II.

1. Impp. Arcadius & Honorius AA. Aureliano P F.V.

Filia quæ dote à patre suscepta, matrimonio sociata est, intestato patre mortuo, si hereditatem velit adire cum fratribus, dotē quā susceperat, miscere cogatur paternæ substantiæ: atque ita in subeunda hereditate sociari cum fratribus. Dat. pridie Non. Octob. Constantinop. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Filia si tempore nuptiarum à patre fuerit dotata, & postea pater intestatus moriatur, si in reliqua patris substantia vult cum aliis fratribus æqualis accedere dotem, vel quicquid accepit tempore nuptiarum, hereditati paternæ cum fratribus diuidendam confundat: quod si noluerit, sit his quæ percepit pro sua portione contenta.*

De Carboniano edicto. Tit. III.

1. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Rufino P F.P.

Carbonianum edictū sub personis legitimis, indubitato matrimonio, custodito partu, & probata legitima successione defertur, scilicet vt in possessione nouus heres locatus, vsque ad pubertatis annos, sine inquietudine rebus vtatur interdum alienis. Dat. IIII. Kal. Octob. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis moriens, ex legitimo matrimonio prægnantem reliquerit vxorem, iubet lex mulierem à propinquis, quousque ad partum veniat, custodiri, quæ cum legitimo tempore ediderit, is qui natus fuerit, pro sua portione, in patris hereditate succedat, & vsque ad quintum & decimum ætatis suæ annum, quæ à patre derelicta sunt, sine vllius repetitione possideat, futurum, vt suas postmodum per Curatorem aut excipiat, aut exerat actiones.*

De testamentis & codicillis. Tit. IIII.

1. Imp. Constantinus A. & Constans Cæs. P F.V.

IN codicillis, quos testamentum non præcedit, sicut in voluntatibus testamenti, septem testium vel quinque interuentum non deesse oportet: sic enim fiet, vt testātium successiones sine aliqua captione seruentur. Si quando igitur testium numerus defecerit, instrumentū codicilli habeatur infirmū, quod & in ceteris voluntatibus placuit obseruari. Dat. XI. Kal. Ian. Constantino A. VII. & Constante Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis non fecerit testamentum, sed ad vicem testamenti fecerit codicillum, in quo codicillo legitima heredis institutio teneatur, & hunc ipsum eodem numero testium: hoc est, septem aut quinque subscriptionibus faciat confirmari, si minus quàm quinque, valere non poterit, sicuti & ceteræ voluntates: nam secundum legem superiorem, si condito testamento postea factus fuerit codicillus, & in eo alium quàm in testamento fecerat, heredem voluerit nominare, in eo codicillo heredis institutio non valebit.*

II. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Proculo P.V.

Quæ codicillis aut epistolis nobis, necessitudinibúsve nostris relinquuntur, non admittimus, sit ille vsus inter priuatos ratus. Et sane hoc loco

præbemus licẽtiam, vt ciuiliter, siue criminaliter, vt actor elegerit, super prolata epistola requiratur, & incumbat probatio ei primitus, qui scripturam obtulerit. Ceterum quod ad nos nostrósque attinet, codicillos & epistolas adeo refutamus, vt ex illis, etiamsi veras eas esse quæstionum † regula approbarit, quicquid nobis relictum, nostrísve constiterit, ad liberos defuncti, vel si hij non sint, ad proximum quenque iudicij nostri humanitate pertineat, testamenti vero scripturam legitimam, vel nuncupationem, quæ in nomen nostrum forte processerit, iure capiemus, nec in ea re distare ius nostrum à priuatis heredibus profitemur. PP. Mediol. x. Kal. Feb. Timasio & Promoto COSS.

† *series.*

INTERPRETATIO. *Si quis moriẽs, Principi, vel propinquis, vel amicis eius aliquid per codicillum, aut per epistolam crediderit relinquendum, pietatis intuitu, id præcipit non valere. sed si quid tali modo priuatis fuerit derelictum, & de talibus chartulis orta fuerit fortasse contentio, in Iudicis discussione consistat, vtrum possit scriptura prolata iure subsistere. Ceterum Principi, vel eius proximis, quicquid testamento aut nuncupatione dimittitur, hoc sibi legibus valere permittitur.*

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Æternali Proc. Asiæ.

Testamentum non ideo infirmari debebit, quod diuersis hoc deficiens nominibus appellauit, cum superflua non noceant, prætermissa nãque necessaria, non abundans cautela, vel contractus imminuit, vel testatoris officit voluntati. Nec patimur fidem conditi arbitrij ob hoc debere conuelli, si aut maiorem in principio signatorum, aut minorem, aut nullum numerum cõditor suæ prædixerit voluntati, cum v. huic non ignari subscripserint testamento: licet non eisdem series fuerit recensita, sed his qui extremum disponit arbitrium, obsignandum porrexerit testamẽtum. Nec enim nouum promulgamus, sed diui Constantini sanctionem, & inclytæ recordationis sententiam patris Serenitatis nostræ, nostráque super huiusmodi causa, quæ sunt ex antiquioribus propagata, secuti decreta, statuimus iis qui extremas ordinant voluntates, hæc esse seruanda, vt & præsentes videant subscriptores, & ij cur venerint non ignorent, etiam si iisdem scripturæ continẽtia non fuerit intimata, nec si quid ex munificentia morientis fuerint cõsecuti, infructuosum subscribentes facient testamentum, cum hoc auctorem prudentissimum iuris consultorem non sit ambiguum Scæuolam comprobasse. Dat. XII. Kal. April. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si moriens cum scribit aut dictat chartulam testamẽti, prætermiserit forsitan, vt vocabulum poneret, aut ciuilis, id est, quod v. testium: aut prætorij iuris, quod VII. testium erit subscriptione firmandum, vnde si maiorem, vel minorem testium numerum se testator in principio dixerit euocasse, vsque ad quinque subscriptorũ numerum, etiamsi non relegant testamentum, valere permissum est, ita vt sicut numerus minor impedit voluntatem, sic quicquid superfuerit, non noceat testamento: quia & lex ipsa constituit, quod superflua iuri impedire non debeant. Hoc etiam obseruandum, vt testator signandum testibus offerat testamentum, nec ideo habeatur infirmum, si alicui de subscriptoribus testator aliquid legati nomine derelinquit.*

IIII. Iidem AA. Africano PF.V.

Testamenta omniũ, ceteráque quæ apud officiũ censuale publicari solent, in eodem referentur, nec vsquam permittatur fieri vlla trãslatio: mos nanque reti-

retinendus est fidelissimæ vetustatis, quem si quis in hac vrbe voluerit immutare, irritam mortuorum videri faciet voluntatem. Dat. VI. Kal. Octob. Constantinopoli, Cæsario & Attico COSS.

INTERPRETATIO. *Testamenta omnia, vel reliquas scripturas, apud Censuales in vrbe Roma voluit publicari, hoc est, vt in reliquis regionibus apud Curiæ viros testamenta, vel quæcunque scripturæ actis firmari solent, gestorum allegatione muniantur. Si vero mortuorum voluntates actis reseratæ non fuerint, non valebunt.*

V. Impp. Honor. & Theod. AA. Edictum, ad populum vrbis Constantinopolitanæ, & omnes Prouinciales.

Nolumus cōuelli deficientium scriptas iure ac solenniter voluntates, dum quoddam morientis supremum, & non adscriptum processisse cōfirmatur arbitrium, tanquam patrimonium suum ad nos deficiens maluerit pertinere. Omnibus enim priuatis & militantibus interdicimus, ne huiusmodi perhibeant testimonia, & falsi criminis reos teneri præcipimus, si cum scriptæ iure ac solenniter deficientium extiterint volūtates, non scriptum aliquid sub nostrorum nominum mentione falsò adstruere moliātur. Nemo itaque relictus vel legibus ad successionem vocatus nostrum vel potentium nomen horrescat, nemo ferre testimonia in hūc modum, vel suscipere gestis huiusmodi voces audeat, nostrorum vel etiam priuatorum potentium nomine. Maneat arbitrium quod vera & solennis scriptura commendat: excludatur si quid aduersus eam vel deficientis animum, sub deferenda hereditate nostræ Perennitati per testimonia non scripta, & falsò contexta adseueratur. Nemo scriptis proprium auferat robur, & non scriptis sub prætextu nostri vel potētium nominis ingerat firmamentum. Dat. IIII. Id. Mar. Constantinop. Theod. A. VI. & Palladio COSS.

INTERPRETATIO. *Placuit voluntatem defunctorum ea ratione seruari, vt si deficiens quis non fecerit testamentum, non potest quicunque pro perfecto vti quod imperfectum resedit, nec admittit hanc testificationem Principis clementia si forte dicat aliquis: audiui morientem velle, vt principi, vel etiam his personis quæ potestati adiunctæ sunt, vel cuiuscunque potentis taliter deputatum, hanc vocem admitti non patitur. Et sicuti legitimas scripturas vel in suā personam, vel in quascunque alias potestates, siue in priuatos valere mandauit, ita imperfectam, & sub tali testificatione prolatam penitus valere non voluit.*

VI. Iidem AA. Palladio PF. V.

Ne quis post diem mortis, scriptis ante decennium testamentis, præstetur assēsus, nullisque penitus viribus scriptura huiusmodi tempore antiquata taxetur: præsertim si cum voluntas continuata perstiterit: breuis mora sit recentibus vetustatem innouare temporibus: vix enim fieri potest, vt per hæc tempora, quæ fidei amore contraximus, omnem testium consciētiam mors coniurata surripiat: & reuera nefas est, vt antiquæ deliberationis ordinatio voluntas postrema dicatur. Dat. X. Kal. Iul. Rau. DD. NN. Honorio XII. & Theod. VIII. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis condito testamento decennio superstes fuerit, & suam non mutauerit voluntatem, quod ante decennium factum est, vacuum remanebit.*

VII. Imp. Thodosius A. Asclepiodoto PF. P.

Si quis agere ex testamento, quolibet modo siue scripto, siue sine scriptu-

ta confecto, de hereditate voluerit, ad fideicommissi persecutionem aspirare cupiens, minime permittatur: tãtum enim abest, vt aditum cuiquam pro suo migrandi desiderio concedamus, vt etiam illud sanciamus, vt si testator faciẽs testamentum, in eodem pro codicillis etiam id valere complexus sit, qui hereditatem petit, ab ipsis intentionis exordiis vtrum velit eligendi habeat potestatem: sciens se vnius electione alterius sibi aditum præclusisse, ita vt siue bonorum possessionem, secundum tabulas, vel secundum nuncupationem, ceteràsque similes postularit, aut certe ex edicto diui Hadriani se mitti ad possessionem ex more petierit, statim inter ipsa huius iuris auspicia propositum suæ intentionis explanet. Sicut enim si quis defuncti agnouerit voluntatem, de inofficioso agere prohibetur, & patronus liberti muneribus electis & operis, contra tabulas bonorum possessione repellitur: sic mulier in edicto quod de alterutro est, cum suam explanauerit optionem, ne pœnitentia possit ad aliud transire, etiam satisdatione cogetur præcauere, nisi si ætatis iuuetur auxilio. Illud quoque pari ratione seruandum est, vt testator qui decreuerit facere testamentum, si id implere nequiuerit, intestatus videatur esse defunctus. Nec traducere liceat ad fideicommissi interpretationem, velut ex codicillis vltimam voluntatem, nisi si id ille complexus sit, vt vim etiam codicillorum scriptura debeat obtinere, illo iure electionis videlicet perdurante, vt qui ex testamento agere voluerit, ad fideicommissum migrare non possit. Si quis vero ex parentibus vtriusque sexus ac liberis vsque ad gradum quartum agnationis vinculis alligatus, vel cognationis nexu constrictus, ad tertium vsque scriptus heres fuerit vel nuncupatus, in eo videlicet testamento, quod testator vicem quoque codicillorum voluit obtinere, licebit ei si de hereditate ex testamento secundum mortui voluntatem agens fuerit forsitan superatus, vel certe ipse sponte voluerit, ad fideicommissi subsidium conuolare: non enim par eadémque ratio videtur amittere debita, & lucra non capere. Dat. XVI. Kal. Mart. Constantinop. Victore v.c. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis per scripturam condiderit testamentum, & postmodum sine scriptura, hoc est, per nuncupationem suam iterandam crediderit voluntatem, vel si codicillis, quod est fideicommissum, potestatem heredi suo commiserit, vt ex qua voluerit testatoris ordinatione succedat, tunc in primordio adeundæ hereditatis suam publicare non desinat voluntatem, vtrum ex testamento, an per nuncupationem, an per fideicommissum hereditatem sibi eligat vindicandam. Quod si prima electio eius fuerit superata, ad alteram ei transire non liceat: quia vnius petitione cõcessa, de reliquis se nouerit excludendum, quia vna petitio alias aperte & euidenter excludit. Extrema pars legis istius ideo non habetur scripta vel exposita, quia Nouella lege calcatur.*

De Litigiosis. Tit. V.

1. Imp. Constantinus A. ad Prouinciales. Post alia.

LIte pendente, illud quod in controuersiam deuocatur, in coniunctam personam vel extraneam donationibus, vel emptionibus, vel quibuslibet aliis contractibus minimè transferri oportet, tanquam nihil factum sit lite nihilominus peragenda: quod si tutelæ causa vertitur post examen iudicis in supplementum pronuntiationis dentur

dentur arbitri, qui non iam arbitri sed executores putandi sunt. &c. Dat. x. Kal. Aug. Basso & Ablauio coss.

INTERPRETATIO. *Res quæ proposita actione repetitur, transferri à possidente ad alterum nullis contractibus potest, neque inde aliqua fieri scriptura permittitur, nisi prius lis de qua agitur fuerit iudicio definita.*

De naturalibus filiis, & matribus eorum. *Tit. VI.*

I. Imppp. Valent. Valens, & Gratian. AAA. ad Ampelium PF.V.

PLacuit, manentibus cunctis quæ de naturalibus liberis Constantinianis legibus cauta sunt, hæc tantummodo temperare, vt is qui heredem, heredésve filios ex legitimo matrimonio, vel nepotes qui filiorum loco habẽdi sunt, patrem quoque matrémve dimittit, si ex consortio cuiuslibet mulieris naturales susceperit, vnam tantum bonorum suorum & hereditatis vnciam naturalibus vel mulieri donandi, aut relinquendi habeat facultatem. Si quis vero nullo, ex his quos excepimus, superstite moriatur, atque ex muliere quam sibi adiunxerat, naturalem, plurésve dimittat vsque ad tres tantum si voluerit vncias tam in mulierem quam in naturales quo maluerit iure transcribat. Dat. XVIII. Kal. Septemb. Contionace, Grat. A. II. & Probo coss.

INTERPRETATIO. *Obseruandum de naturalibus filiis lex ista constituit, vt si quis habens ex legitimo matrimonio filios aut filias, siue masculos nepotes ex filiis, vel patrem, aut matrem ex quacunque muliere, id est ingenua, nata vel facta susceperit naturales, non amplius quam vnciam vnam de facultatibus suis nouerit naturalibus conferendam: Nam si defuerint ex omni parte personæ superius nominatæ, tunc naturalibus filiis, vel mulieri de qua nascuntur, tres vncias tantum non amplius nouerit, quisquis ille est, se posse conferre.*

II. Impp. Theod. & Valent. AA. Hierio PF.P. Post alia.

Naturales liberi, eorúmque matres, nec parentum arbitrio in successionibus, ceterísque modis, quibus rei mobilis vel immobilis dominium cõfirmatur, passim & sine legis distinctione congrua permittantur, nec tamen legis quæ nuper lata est asperitate premantur, cum satis sit eos secundum priorem Cõstitutionem, aut extantibus iustis liberis, aut etiam non extãtibus, id tantum consequi, si patris deferatur arbitrio, quod per eam iusta moderatione decretum est: ceteris quæ de eorum matribus libertis, libertinísque per nouã Constitutionem decreta sunt, in sua manentibus firmitate. Dat. x. Kal. Mart. Constantinop. Tauro & Felice coss.

INTERPRETATIO. *Hæc lex interpretatione non eget, quia ad hoc solum intromissa est, quia posterior omnibus est, & priorem, quæ à posteriore damnata fuerat, cõfirmauit.*

De manumißionibus in Ecclesia. *Tit. VII.*

I. Imp. Constantinus A. Osio Episcopo.

QVi religiosa mente in ecclesiæ gremio seruulis suis meritam concesserit libertatem, eandem eodem iure donasse videatur, quo ciuitas Rom. solennitatibus decursis dari consueuit. Sed hoc duntaxat iis, qui sub aspectu Antistitum dederint, placuit relaxari. Clericis autẽ amplius concedimus, vt cum suis famulis tribuunt libertatem, non solum

in cõſpectu eccleſiæ, ac religioſi populi plenum fructum libertatis cõceſſiſſe dicantur, verum etiam cum poſtremo iudicio libertates dederint, ſeu quibuſcũque verbis dari præceperint, ita vt ex die publicatæ volũtatis ſine aliquo iuris teſte vel interprete competat directa libertas. Dat. XIIII. Kal. Maij, Criſpo II. & Conſtantino II. COSS.

INTERPRETATIO. *Qui manumittendi in ſacroſancta Eccleſia habuerint volũtatem, tantũ eſt vt ſub præſentia ſacerdotum ſeruos ſuos velit abſoluere, nouerit eos, ſuſcepta libertate ciues eſſe Romanos: nam ſi Clerici ſuis mancipiis dare voluerint libertatem, etiamſi extra cõſpectum fecerint ſacerdotum, vel ſine ſcriptura verbis fuerint abſoluti, manebit, ſicut ciuibus Romanis, integra & plena libertas.*

De liberali cauſa. Tit. VIII.

I. Imp. Conſtant. A. ad Maximum PF. V.

SI quis libertate vtentes, eiúſque cõpotes inopinatos in diſcrimen ingenuitatis adducat, ſi eos forte aſſertio defecerit, circunductio præbeatur, aſſertorem queri titulo per literas indicante, ne cauſa per ſilentium ignoretur, vel abſurde etiam proclametur, vt qui comperiſſent, velint aſſerere, vel cunctantes etiam cogerentur: ne ſi aſſertor defuerit, victi multis eos ſcientibus liberos à dominis deducantur. Ideóque ſancimus: Si quis aſſertore inops atque ignotus, circunluſtratis prouinciæ populis, deſertus tradatur ei qui ſeruum dixerit, non infracta ſed dilata libertate, aſſertore inuẽto vires recolligat, & ſuis renouatis defenſionibus reſiſtat in iudicio, poſſeſſoris iure priuilegiiſque ſubnixus quanquam è domo illius proceſſerit: neque enim illa poſſeſſio eſt in tempus accepti, ſed expectatio aſſertoris in tempore non reperti, ita vt ſi inſtaurata lite, reſtitutíſque in ſua iura partibus, pro libertate fuerit lata ſententia, iniuriæ, impudentiæque cauſa aduerſarius pari numero ſeruorum multetur, quot erunt qui in ſeruitutem petiti ſunt: iis vero non † condemnantur, qui in ipſa fuerunt lite progeniti. Quod ſi quis ante aſſertorem repertum, vel ante ſententiam fuerit mortuus heredibus cauſam ſtatus probantibus, multatitius ſeruus traditur: & heredes eius qui libertatem temerabat, ſi implacabilem animum † dicant, eadem maneat mancipiorum lex atque condicio: Sin liberos ſinent, quos clauſos repererint, occidant cum perſonis delicta. Minorum defenſores eadem manebit mancipiorum multa, ac iudicio his quos defenderant repoſcentibus, rei male geſtæ dabitur æſtimatio. Cum id proprio periculo fecerit aſſertor, vt rem ſaluam fore promittat, ita ſatis accipiat de multæ redhibitione. Libertatem victis hoſtibus victorum dominatio abſtulit. Leges vero iniurioſos pœna afficiunt, & fama ſpoliant, dictúmque iurgio in aduerſarium immodeſtius iactatum, petulantiúſque fuſum, pœnam ſubire † cogent, atque non erit impunita labefactatio, atque oppugnatio libertatis, quæ in conuictis quoque punitur: iniuſtum eſt autem alienum, † ad ſeruum recepiſſe, & alterius ſerui addictione condemnatur. Dat. XIII. Kal. Aug. Sirmio, Probiano & Iuliano COSS.

† ſe. teneantur vel cõnumerantur vel cõputentur.
† inducant

† cogetur

† ſe. ad ſeruitium.

INTERPRETATIO. *Si aliquis in libertate poſitum, ad ſeruitium conetur addicere, iubet pulſatum ex ordinatione Iudicis per populos, & per publicum duci, vt defenſorem ſui ſtatus inueniat, & inuentum adſertorem per chartam petat à Iudice, ne ſilen-*

tio

tio ingenuitas opprimatur. Quod si aut ipse sibi adesse, aut assertorem non potuerit inuenire, tradatur domino repetenti ad seruitium, non ad pœnale supplicium: ita vt non per hanc traditionem ex integro spem libertatis amittat, nisi cum habuerit locum, inuento adsertore libertatis suæ statum adserat legibus audiendus. Quod si tali ordine reparata lite qui pulsantur ingenuos se esse docuerint, tunc ille à quo ingenuitas iniuste fuerat adpetita, tot mancipia his, quos ad seruitutem vocabat, eius ætatis, & sexus dare cogatur illis in condemnatione, non adnumerandis hiis, qui dum causa protrahitur in lite nati esse probantur. Quod si ex his, qui ad seruitutem vocantur, dum per adsertorem requirendum, aut alia occasione causa protrahitur, aliqui moriantur, & heredes eorum statum ingenuitatis obtinuerint, pro illius persona quæ in lite mortua est, heredibus suis eius compensatio, sicut & pro viuis, à pulsante reddenda est. Si vero ille moriatur qui liberos conabatur addicere, & filios aut heredes dimittat, si persequi voluerint causam, quam pater aut auctor inchoauerat, & victi fuerint, ad suprascriptam satisfactionem tenendi sunt, vt alia tot mancipia male pulsatis satisfaciant. Si vero agere noluerint, nec persequi eos tentauerint, sed etiam in custodiam ab auctore redactos absoluerint, erunt à multæ condemnatione securi, quia non in auctoris sui vitio perstiterũt. Quod si forte minores sint, & Tutor eorum, vel Curator causas eorum aduersus ingenuitatem prosequi velit, & fuerit superatus, ipse de propria facultate ad satisfactionem tenendus est. Si vero post secundam reparationem adsertor inuentus periculo suo addicti causam crediderit replicandam, vt si vindicatur, peculium, aut seruitia susceptorum, vel ipsos reddere debeat. Similiter & ille qui pulsat, dato fideiussore promittat se prædictum numerum, vel meritum mancipiorum, vel quod ab his in peculio reposcit, satisfaciat cum fuerit superatus.

II. Idem A. ad Maximum P. V.

Libertati à maioribus tantum impensum est, vt patribus, quibus ius vitæ in liberos necísque potestas permissa est, eripere libertatem non liceret, si quisquam minor venundatus actum maior administrauit, quoniam minoris emptio scientiam non obligat, eum ad libertatem venientem emptionis actúsq; à maiore administrati præscriptio non tenebit. Nec vero ille qui apud quempiam pro seruo educatus, ac maior effectus, vendenti veluti domino acquieuit, actúque administrato iam pene extremam relegit libertatem, quoniã neque maior effectus originem suam nouerat, neque eam quam ignorabat, vẽditionem patiens deseruisse iudicandus est, minori similis, eadem emptionis atque actus administrati præscriptione non alligabitur, sed vtrique dabitur adsertio. Paria etiam in libertinis erunt, qui quæstu quodam in eandem seruitutem rursus relabuntur. Sed eorum hac exceptione causa distinguenda est, vt qui impuberes intra annum quartumdecimum manumissi, ac deinceps in seruitio retenti, ignorata libertate non vtantur, maiorésque venundati actum gerant, ab assertione non arceantur: cum illi ætati tributæ libertatis ignoratio vt obliuio concessa est. Qui vero memoria firma venditioni post factæ non nescius innectitur, huius legis beneficio carebit. Et quoniam vicissim etiam ipsis qui rem his commiserunt medendum est, si quisquam omniũ qui supra comprehensi sunt in libertatem proclamauerit, id quod apud se esse, eius qui se dominum dicit profitebitur, quoniam de eo non dubitatur, reddi ac referri Iudex protinus pronuntiabit. Quod vero petitur, si id fuerit † negotiatione controuersum, per cautionem assertoris, vt alia lege comprehensum

† negatione

† & stipulata, aliàs spoliata, aliàs hic propriata

est, conseruabitur, ac petitio differtur, vt si fuerit approbata † propria libertas, gestarum rerum ab eodem ratio atque omne quod debebitur reposcatur, vt seruitute depulsus, qui pro domino quondam fuerat, habeat quod vt seruo domini iure largitus est, & quæ ex earum rerum quæstu ac fructibus conciliata sunt, quæ de furtiuis compendiis obscure capta ac parta sunt, cum liberũ esse non oporteat, quod apud seruum dominus peculij nomine collocauerat. Ea vero quæ testamento aut donatione quæsita sunt, aut quæ ex earum rerũ emolumentis empta confectáque sunt, eidem ingenuo deputentur, quæ tamen vniuersa exacto † libertatis iudicio, quo à supradictis rebus discernuntur, in sequestri esse oportet, vt hiis ab vtroque deductis, atque in medio iure locatis, ad eorum proprietatem vterque contendat. Dat. xv. Kal. Ian. Thessal. Seuero & Rufino coss.

† liberalitatis

INTERPRETATIO. *Minor venditus, si post xx. & v. ætatis suæ annos, iã maior effectus seruierit, aut in rebus emptoris actor, aut cuiuslibet rei ordinator fuerit constitutus, cum de ingenuitate sua proclamauerit, sine præiudicio seruitij, quod gesserit audiatur, nec hoc ei præiudicium generet, quod eius, à quo emptus est demum, aut vtilitates in annis maioribus positus visus est ordinasse. Hoc etiam de libertis lex hæc præcepit custodiri, vt qui intra* XIII. *annos fuerint manumissi, & actum in maiore ætate positi gesserint patronorum, libertati eorum actus non præiudicet seruitutis, sed cum voluerint, suas aut de ingenuitate, aut de libertinitate, intra tempora legibus constituta, proferant actiones. Sic etiam si quis minor ingenuus à quolibet fuerit educatus, & liberum esse se nesciens fuerit à nutritore distractus, & actum vel vtilitatem illius à quo emptus est, vt seruus gesserit, priusquam* XXX. *annorum præiudicio teneatur, potestatem habeat reclamandi, & quasi minor is, priusquam tempora suppleantur, amissam recipiat libertatem. Quicquid vero ille eis, à quo empti sunt, vel tradidit, vel donauit, vel quacunque ex rei suæ administratione profecit, totum retinendi ac reuocandi habeat potestatem. Si vero huiusmodi personis aliquid à quibuscunque aliis, aut testamento, aut donatione conlatum est, id solum sibi iam liberi vindicent: nam quod de re patroni libertus, vel emptoris ingenuus dum seruiret profecit, libertati redditus libertus patrono, ingenuus emptori restituat. Hij vero, qui in annis maioribus constituti sunt, scientes se esse ingenuos, vel libertinos, si vendi adquieuerint, in ea, ad quam scientes sua voluntate transeunt, seruitute permaneant.*

III. Idem A. ad Bassum PF. P.

Legis promulgatio, quæ per sexdecim annos bona fide in libertate durantes, contra eos qui inquietant præscriptione defendit, non opitulatur hiis qui ex ancillis matribus, & ingenuis patribus orti, per id tempus in libertatis affectu cum parentibus perdurarint, quandoquidem nullo præcedente iusto legitimæ possessionis initio vsurpatio libertatis nuda iactetur, cum neque redemptio à seruitute, neque vicarij traditio seruuli, vel peculij assignatio valeat demonstrari, qui tituli possint famulatus nexibus liberare eum, qui conuenitur: si quo ex iis genere vsus in libertate esset per annos sedecim demoratus. Iure enim cõmuni maternam condicionem natum sequi necesse est, ita vt & si herilem lectulũ ancilla ascenderit, non liberorum domino, sed seruorum partum suscipiat. Dat. Prid. Kalendas Mart. Basso & Ablauio coss.

INTERPRETATIO. *Lex aliquando fuerat promulgata, vt si quis* XVI. *annos sine vlla molestia, nullo repetente vel pulsante vixisset, & postea in seruitium nõ veniret.*

Sed

Sed hoc illis prodesse non poterit, quos de ingenuis patribus, & colonis mulieribus, vel ancillis constiterit procreatos, nisi forte patres eorum pro filiorum capite, dominis quorũ ancillas in consortio habent, aut vicaria mancipia cum peculiis, aut redemptionem status eorum soluerint. Si vero patres hoc se persoluisse non doceant, non poterint condicionem matrum mutare, aut mancipia dominis deperire, etiam si de propriis dominis nascantur, nisi per manumissionem seruili condicione carere non possint. Si quis in libertate positus, ancillam sibi copulauerit in cõiugium, si filij ex ipsis nati fuerint, origo matrem sequatur. Simili modo si liberta seruum duxerit maritum, agnatio seruum sequatur: quia ad inferiorem personam vadit origo.

IIII. Idem A.

Si post adsertionem, defensionémque ordinatam alius in iudicium acciri petiuerit, adsertio quidem & defensio inter omnes ordinetur, ipse verò tot mancipia quot petebat, fisco cogatur inferre. quod si adsertor defecerit, vel prædictam multam agnoscat, vel si per inopiam id implere non possit, in metallum detrudetur. Eadem circa minorum defensores cum liberalis causa agitur forma seruanda, & cetera. Dat. VII. Kalen. Nouemb. CP. Pacatiano & Hilariano COSS.

INTERPRETATIO. *Si post adsertionem, defensionémque dispositam, alius in iudicium, qui se dominum dicit, petierit exhiberi, inter omnes quidem ordinabitur adsertio, sed ipse ad certam pœnam tenebitur. Idem & in adsertore vel defensoribus minorum.*

V. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Rufino PF. P.

Si cui super statu suo quæstio moueatur, qui diuturno tempore, hoc est, per XX. annorum spatia in libertatis possessione durauit, vel quem asserãt suffragia munerum, & priuilegia meritorum, quíve iis præsentibus, qui dominos se esse contendunt, in hominum erit celebritate versatus, nulla ei dandi assertoris necessitas imponatur, sed liber assistat, & statum suum ipse tueatur, calumniantem repellat, redarguat persequentem, ne fluctuet dubius, si de alieno necesse habebit pendere fastidio. De aliis vero, quos nec honor aliquis, nec † superscriptione prædicti temporis priuilegium militare defendit, antiqui iuris forma seruetur. Dat. VII. Kal. Octob. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

† *ſſ. sub præscriptione.*

INTERPRETATIO. *Qui XX. annos non occultè, sed publicè in libertate durauerint, & aliquid officij, vel militiæ præsente, & tacente petitore gesserint, adsertorẽ quærendi eos necessitas non manebit, sed ipsi per se si voluerint aduersus petitorem, quod libertati eorum competit exequentur. Circa alios vero, qui nescientibus dominis latuerint, prioris legis ordo seruabitur.*

Ad S.C. Claudianum. *Tit. IX.*

I. Imp. Constantinus A. ad Probum.

SI quæ mulieres liberæ vel à seruis vel à quolibet alio vim perpessæ contra voluntatem suam seruilis condicionis hominibus iunctæ sint, competenti legum seueritate vindictam consequantur. Si qua autem mulier suæ sit immemor honestatis, libertatem amittat, atque eius filij serui sint domini, cuius se contubernio cõiunxit. quam legem & de præterito custodiri oportet, PP. Kal. April. Volusiano & Aniano COSS.

INTERPRETATIO. *Per vim contra voluntatem seruo iuncta alieno, & vindictam consequitur. Si vero sponte, fit ancilla, & eius filij serui sunt.*

II. Idem A. * * * Dat. v. Kal. Feb. Gallicano & Basso coss.

INTERPRETATIO. *Septem testibus ciuibus Romanis præsentibus, tertio ex S. C. Claudiano denuntiandum.*

III. Idem A. ad populum.

Cum ius vetus ingenuas fiscalium seruorum contubernio coniunctas ad decoctionem natalium cogat, nulla vel ignorãtiæ venia tributa vel ætati, placet coniunctionum quidem talium vincla vitari. Sin vero mulier ingenua vel ignara, vel etiam volens cum seruo fiscali cõuenerit, nullum eam ingenui status damnum sustinere. Sobolem vero quæ patre seruo fiscali, matre nascetur ingenua, mediam tenere fortunam, vt seruorum liberi & spurij liberorum, Latini sint, qui licet seruitutis necessitate soluantur, patroni tamen priuilegio tenebũtur. Quod ius & in fiscalibus seruis & in patrimoniorum fundorum origine coercentes, & ad emphyteuticaria prædia & quæ ad priuatarum rerũ nostrarum corpora pertinent seruari volumus. nihil enim rebus publicis ex antiquo iure detrahimus, nec ad consortium huius legis volumus vrbiũ quarumcunque seruitia copulamus, vt ciuitates integram teneãt interdicti veteris potestatem. si vel error improuidus vel simplex ignorantia vel ætatis infirmæ lapsus in has cõtubernij plagas depulerit, hæc nostris sanctionibus sint excepta. Dat. VI. Kal. Feb. Sardicæ Constantino A. VII. & Constantio coss.

INTERPRETATIO. *Ingenua quæ se fiscali seruo iunxerit, siue sciens siue ignara ipsa manebit libera, filij vero eius & Latini & spurij erunt, qui quamuis liberi sint, iuri tamen obtingunt patronorum. Idem est & si seruo emphyteuticario se sociarit ingenua vel patrimoniali, aut ex priuata re principum, excepto iure Reip. quod lex præsens voluit obseruatum.*

IIII. Imp. Iulianus A. * II. PP.

S. C. Claudianum firmum esse censemus, omnibus Constitutionibus, quæ contra id latæ sunt, penitus infirmatis, vt libera mulier siue Procuratori siue Actori priuato siue alij cuilibet seruili condicione polluto fuerit sociata, non aliter libertate amissa nexu condicionis deterrimæ adstringatur, nisi trinis fuerit denũciationibus ex iure pulsata. quod quidem circa priuatas personas cõuenit obseruari. Nam eas mulieres quæ fiscalibus vel ciuitatis seruis sociantur, ad huius sanctionis auctoritatem minime pertinere sancimus. Data & PP. in Foro Traiani Id. Decemb. Mamertino & Neuitta coss.

INTERPRETATIO. *S. C. Claudiani auctoritas confirmatur etiam circa eas quæ Procuratoribus & priuatorum iunguntur, exceptis his quæ seruis fiscalibus vel ciuitatum sociantur.*

V. Impp. Valentin. & Valens AA. Felici Consulari Campaniæ.

Si seruilibus contuberniis sese mulieres quondam ingenuę subdiderint, & nunc contemnentes dominum minoris ætatis, seruitutis iugum conantur effugere, grauitas tua his qui seruilem condicionem non statim in ipsis coniunctionis primordiis refugerũt, necessitatem sub eundę seruitutis imponat. Dat. XIIII. Kal. Aug. Mediolani, ipsis AA. coss.

VI. Impp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Secundum PP.

Si apud libidinosam mulierem plus valuit cupiditas quàm libertas, ancilla facta

facta est non bello, non præmio, sed cõnnubio, ita vt eius filij iugo seruitutis subiaceant. manifestum est enim ancillam esse voluisse eam quam liberam esse pœnituit. Dat. Prid. Non. April. Treueris. Gratiano NB. P. & Dagalaipho COSS.

INTERPRETATIO. *Si mulier ex contubernio serui fiat ancilla, filij quoque eius serui erunt.*

VII. Impp. Arcadius & Honorius AA. ad Anatolium PP. Illyrici.

Cuncti prouinciales agnoscant, nisi trinis denuntiationibus liberæ feminæ seruorum consortiis arceantur, nullo modo posse eas ad seruitium detineri. Dat. II. Non. Mar. CP. Honorio A. IIII. & Eutichiano COSS.

INTERPRETATIO. *Sine trina denunciatione mulier seruo iuncta non fit ancilla.*

De hiis qui non à domino manumissi sunt. *Tit. X.*

I. Imp. Constantinus A. ad Bassum.

SI non à dominis libertas detur mancipio alieno, si quidem ab hiis Iudicibus impetrabitur, quibus dandi ius est, sine vlla trepidatione pœnæ, facilis dissolutio est. Si verò iubentibus nobis quicquam lege actum esse doceatur, & nõ dominus, vt alienum mancipium manumitteretur petisse, tunc eodem, qui in conspectu nostro libertatem monstrabitur consecutus, ei protinus, ad cuius proprietatem pertinet, restituto, is qui mancipium alienum fallendo Principis conscientiam manumisit, mancipia duo cogatur domino eius dare, cuiusmodi sexus ætatis atque artis constiterit esse manumissum, & alia tria † eadémq; ratione similia. Quæ multa non semper imponitur, sed potius conquiescit, si forte manumissus inferentem sibi quæstionem status, obiecta legitima præscriptione potuerit excludere, cum sibi amissi mancipij damna debeat imputare, qui in perniciem suam gesta taciturnitate firmauerit. Prop. Id. Iul. Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

† deesse videtur, fisco.

INTERPRETATIO. *Si aliquis mancipium manumittere præsumpserit alienum, & id sub præsentia Principis, vel in Ecclesia fecerit, hac pœna tenebitur, vt & manumissus à domino reuocetur, & alia duo mancipia eiusdem ætatis aut sexus, aut certe artificij, quod ille qui est manumissus scierit, dare cogatur. Si vero ille, qui manumissus dicitur, repetentem dominum sub hac præscriptione superauerit, vt iam firmitatem status sui temporibus tueatur, tunc ille qui manumisit, non est constringendus ad pœnam, dum ille qui repetit, præiudicium domini sui incurrerit, aut taciturnitate nutrierit.*

De libertis & eorum liberis. *Tit. XI.*

I. Imp. Constant. A. ad Concilium Byzacinorum.

LIbertis ingratis in tantum iura aduersa sunt, vt si quadam iactantia, vel contumacia ceruices erexerint, aut leuis offensæ contraxerint culpam, à patronis rursus sub imperia ditionémque mittantur. Dat. VI. Kalend. Aug. Coloniæ Agrippinæ, Pacatiano & Hilariano COSS.

INTERPRETATIO. *Quæcunque persona seruilis à domino suo fuerit consecuta*

libertatem, si postea superbire cœperit, aut patronum, id est manumissorem suum læserit, amissa libertate quam meruit, in seruitium merito reuocatur.

II. Impp. Honorius & Theodosius AA. Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui suo Salutem dicunt. Post alia.

Liberti aduersus patronos non modo audiantur, verumetiam eandē quam patronis ipsis reuerentiam præstent heredibus patronorum, quibus ingrati actio sicut ipsis manumissoribus deferetur, si illi datæ sibi libertatis immemores nequitiam receperint seruilis ingenij. Quod si delatores accusatorésve manumissorum heredúmve esse præsumpserint, eodem quo serui supplicio tenebuntur, luituri pœnas ante adhibitæ delationis exordium, & cetera. Dat. VIII. Id. Aug. Rauenn. Asclepiodoto & Mariano COSS.

INTERPRETATIO. *Libertos non solum contra patronos, sed & contra patronorum heredes audiendos non esse. Ingratos etiam ab heredibus in seruitutem reuocari. Delatores etiam contra patronorum heredes antequam audiantur puniendos.*

III. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Basso PP. Post alia.

Libertinæ condicionis homines nunquam ad honores vel palatinam aspirare militiam permittimus. Sanè hanc distinctionem volumus custodiri, vt ex manumissis nati ad locum vsque proximum protectoris (licitum nullatenus) adire mereantur, ita vt patronis patronorúmve heredibus reuerentiæ priuilegia conseruentur. Nam si militantes etiam docebuntur ingrati, ad seruitutis nexum proculdubio reducentur. Ipsos vero qui manumissi sunt, nulla ratione ad vllum quamuis humilis militiæ locū sinimus admitti. Dat. III. Kal. Apri. Rauennæ, Theodosio A. XII. & Valentiniano A. II. COSS.

INTERPRETATIO. *Libertos ad nullos honores militiámque aspirare. Eorum filios ingenuos vsque ad protectoris locum posse conscendere. Etiamsi militātes ingratos in seruitutem reuocari.*

De vectigalibus & commissis. *Tit. XII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Iunium Rufinum Consularem Æmiliæ.

PEnes illum vectigalia manere oportet, qui superior in licitatione extiterit, ita vt non minus quàm triennij fine locatio concludatur, nec vllo modo interrumpatur tempus, exigendis vectigalibus præstitutum. Quo peracto tempore, licitationum iura conductionémque recreari oportet, & hanc simili modo aliis conlocari: capitali sententia subiugandum, quem plus aliquid quàm statutum est à prouincialibus exegisse constiterit. Dat. X. Kal. Iul. Crispo II. Constantino II. COSS.

INTERPRETATIO. *Vectigalia sunt, quæ fisco vehiculorum subuectione præstantur, hoc est aut in litoreis locis nauibus: aut per diuersa vehiculis merces deportant, cuius rei conductelam apud strenuas personas triennio esse præcipit, & continuo hanc exactionem aliis iterum permittendam, qui maiorem summam præstationis obtulerint. Ex qua conductione aut exactione, si quis plus quàm præceptum fuerit, exigere tentauerit, aut mercatorem, aut prouincialem sub hac exactione grauare cœperit, periculo capitis se nouerit esse damnandum.*

De

De longi temporis præscriptione. Tit. XIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Vetium Rufinum P.V.

EX donatione Principum aut quocunque modo rem ad fiscum pertinentem vsque ad nostra decennalia, sine aliqua interpellatione possidentes (secundum ius enim hæc intelligitur esse possessio) securi possideant. PP. x. Id. Ian. Romæ, Sabino & Rufino coss.

II. Impp. Constantinus & Constans AA. Argyrio præsidi.

Annorum † XL. præscriptio, quam vetustatē leges ac iura nuncupare voluerunt, admittenda non est cum actio personalis intenditur. quare in præsenti & in ceteris causis id potissimum seruabis atque custodias, nisi iure veteri comprehensum sit actionem quæ mouetur propter vetustatem nō debere moueri, sed quamuis actio pecuniæ postulatæ exceptione tēporis non finiatur, Iudex tamen debet inspicere quæ tēporis interualla nullis iustis causis existentibus fluxerint, & instrumenti vetustatem, vt diligentius his cōsideratis ex officio iudicantis quid pronuntiari super huiusmodi actionibus oporteat, æstimetur. Dat. x. Kal. Iul. Limenio & Catulino coss.

† *al. XX. Cuiac. 18. Obser. cap. 28.*

De actionibus certo tempore finiendis. Tit. XIIII

I. Imp. Theod. A. Asclepiodoto P F. P

SIcut in rem speciales, ita ad vniuersitatem, ac personales actiones vltra XXX. annorum spatium minime protendantur, sed si qua res, vel ius aliquod postuletur, vel persona qualicūque actione vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agenti triginta annorum præscriptio metuenda. Eodem etiam in eius valēte persona, qui pignus vel hypothecam nō à suo debitore, sed ab alio possidēte nitetur vindicare: nam petitio finium regundorum in eo scilicet quod nunc est iure durabit. Quæ ergo ante non motæ sunt actiones, triginta annorum iugi silentio, ex quo cōpetere iure cœperūt, viuendi vlterius nō habeant facultatem, nec sufficiat precibus oblatis speciale quoddam, licet per adnotationem meruisse responsū, vel etiam iudiciis allegasse, nisi allegato sacro rescripto, aut in iudicio postulatione deposita fuerit subsecuta conuētio. In eandem rationem illis proculdubio recasuris, quæ post litem cōtestatam in iudicium actione deducta, habitóque inter partes de negotio principali conflictu, triginta denuo annorū deuoluto curriculo, tradita obliuioni ex diuturno silentio comprobantur, nō sexus fragilitate, non absentia, non militia, cōtra hanc legem defendendam, sed pupillari ętate dūtaxat, quandiu sub Tutoris defensione consistit, huic eximenda sanctioni: nam cum ad eos annos peruenerit, qui ad sollicitudinem pertinent Curatoris, necessariò ei similiter vt aliis annorum triginta interualla seruanda sunt. Hæ autem actiones annis triginta continuis extinguantur, quæ perpetuæ videbātur, non illæ quæ antiquitus fixis temporibus limitantur. Annorum autē curricula ita numerari conueniet, vt & illa in demensionem tempora reducātur, quę ante nostræ Mansuetudinis sanctionem iugi taciturnitate fluxerūt. Verū ne qua ocioso nimis ac desidi querimonia relinquatur, ei qui se fiducia perpe-

tuitatis actionem non mouisse commemorat, decem post hanc legem annorum spatia continua superioribus addi præcipimus, vt si quidem ante sanctionem hac lege præfinitos annos decurrisse patuerit, præter ea tẽpora quæ manarunt, decem actori annorum spatia prorogentur, ita vt tẽpus illi hoc continuum ex legis tempore numeretur. Quod si x. illi anni superesse videbuntur, aut amplius, vlterius eum nihil desiderare conueniet, sed proprio lapsu temporis decurrente ad triginta vsque consummationem debere suo spatio esse contentum: si in annos † quidem præstare, non dubium est, sed infra decem eorum interualla concludi, nihilominus etiam sic eum spatium tantum oportebit accipere, vt decem integer numerus impleatur, postquam hac definitione nulli mouendi vlterius facultatem patere censuimus, etiam si se legis ignorantia excusare tentauerit. Dat. XVIII. Kal. Decemb. Constantinop. Victore v.c. & Symmacho COSS.

† x. superare.

INTERPRETATIO. *Hæc lex licet in reliquis rebus fuerit abrogata, propter hoc tamen vt poneretur oportuit, quia de tricennio loquitur, quod pupillis, quam diu sub Tutoribus agunt, non debeat imputari, sed vbi ad eos annos peruenerint, quibus Curatores habere possent, id est vir ad XV. & puella ad XIII. annum, ex eo in causis eorum tricennalis actio, quemadmodum omnibus supputetur, sicut & Nouella Valẽtiniani testatur: quæ videtur hæc obscurius inter cetera posuisse, quæ tamen ita dicit. Excepto priuilegio pupillaris ætatis, quod diui memoriæ patris nostri Theodosij lege concessum est, intra eadem tempora terminentur. Nam & hoc lex ista euidẽter exponit, vt sicut illa, quæ perpetua erant, ad tricennium iussa sunt reuocari, ita omnes causæ, quibus infra tricenniũ tempora constituta sunt, suis quibusque locis & temporibus obseruentur, hoc est, vt quæcunque seu de vicennio, seu de decennio, seu de quinquennio, seu de anni spatio posita sunt, & his similia, nullatenus ad tricennium perducantur.*

De quinquennij præscriptione. Tit. XV.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Palladio P F. P. Post alia.

COmpetitorem quinquennij possessor eliminet: debet enim iuxta Constantinianæ legis indultum, hoc priuilegio petitor arceri, quo fiscus noster excluditur. quod si quando fortassis emerserit, Iudices competitionis obreptione rescissa tuitionem pulsatis præstare iubemus enixam, quibus tamen lustralis aderit absque interpellatione possessio. Dat. VIII. Id. Iul. Rauenn. Eustasio & Agricola COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque rem fiscalem per quinquennium possedisse probatur, ita vt exinde à nullo fuerit expulsus, & hanc ipsam rem aliquis sibi petere à principe voluerit, possidenti in tantum lege consultum est, vt etiam tuitionem ferre possessori Iudicem iusserit, & competitionis Constitutionem ordinauerit rescindendam, si tamen ille qui possedit sine vlla inquietudine per quinquennium se docuerit possidere, quia hoc spatio temporis ab eo, qui sine molestia possedit, etiam fiscum suum excludi iussit.*

De

De re iudicata. Tit. XVI.

I. Imp. Constantinus A. ad Proculum.

IMpetrata rescripta non placet admitti, si decisæ semel causæ fuerint iudiciali sententia, quam prouocatio nulla suspendit, sed eos qui tale rescriptum meruerint, etiam limine iudiciorum expelli. Dat. VII. Kal. Ian. Constantino A. V. & Licinio COSS.

II. Imppp. Gratian. Valent. & Theod. AAA. ad Potitum Vica. Post alia.

In priuatorum causis huiusmodi forma seruetur, ne quenquam litigatorum sententia non à suo Iudice dicta constringat. Dat. X. Kal. Octob. Rom. Ausonio & Olibrio COSS.

INTERPRETATIO. *In causis priuatorum talis ratio obseruetur, vt nullus alterius Iudicis, nisi sui sententia teneatur.*

De sententiis ex periculo recitatis. Tit. XVII.

I. Imppp. Valent. Valens & Grat. AAA. ad Probum PP.

STatutis generalibus iusseramus vt iudices vniuersi, quibus reddendi iuris in prouinciis permittimus facultatem, cognitis causis vltimas definitiones de scripti recitatione proferant. Huic adiicimus sanctioni vt sententia quæ dicta fuerit, cum scripta non esset, ne nomen quidem Sententiæ habere mereatur, nec ad rescissionem perperam decretorũ appellationis solemnitas requiratur. Dat. III. Non. Dec. Treu. Grat. A. III. & Equitio V. C. COSS.

II. Imppp. Gratianus Valentin. & Theod. AAA. Clearcho P. V.

Parere Sublimitaté tuam nostris legibus conuenit, vt in omnibus negotiis ex periculo promatur deliberationis plena sententia. Dat. XVI. Kal. Ian. Constantinop. Antonio & Siagrio COSS.

INTERPRETATIO. *Obseruare Iudices specialiter debent, vt in omnibus causis sententia quæ deliberata fuerit constitutis pariter partibus recitetur, vt ab his, à quibus causa dicta est, ad integrum quæ data fuerit sententia cognoscatur.*

III. Iidem AAA. Clearcho PP.

Iudex in proferenda sententia, quæ iurgantibus possit ad plenum recensere quicquid negotij fuerit inlatum, quod senserit scribat & relegat, ne per errorem Iudicis iterum à primordio nouę litis sentiantur euentus. Dat. X. Kal. Sept. C. P. Antonio & Syagrio COSS.

IIII. Iidem AAA. ad Symmachum P. V.

Sententia non valeat quæ ex libello data non fuerit. Dat. Kal. Dec. Mediol. Ricomere & Clearcho COSS.

V. Iidem AAA. Timasio Comiti & Magistro Equitum.

Condicio præceptorum partibus præsentibus habita non potest immutari. Dat. X. Kalend. April. Constantinop. Honorio IX. N. P. & Euodio COSS.

INTERPRETATIO. *Quicquid præsentibus partibus in causis fuerit ordinatum, plenissimam habebit firmitatem, nec poterit immutari.*

De fructibus & litis expensis. Tit. XVIII.

I. Impp. Valent. & Valens AA. Olybrio PF. Vrbi.

LItigator victus, quem inuasorẽ alienæ rei prædonémve cõstabit, sed & qui post conuentionem rei incubarit alienę, non in sola rei redhibitione teneatur, nec tantũ simplorum fructuum præstationem, aut ipsorũ quos ipse percepit, agnoscat: sed duplos fructus, & eos quos percipi oportuisse, non quos eum redegisse constabit, exoluat. Et prædoni quidem ratio à die inuasi loci vsque ad exitum litis habeatur: ei vero qui simpliciter tenet, ex eo quo re in iudicium deducta sciẽtiam malæ possessionis accepit. Heredis quoque succedentis in vitium par habẽda fortuna est. Addemus etiam vt impẽsas sumptúsque litis, re ad finem deducta, petitoribus pręstent, ac ne ipsos quidem petitores qui inanes lites, & iurgia non mouenda ingerunt possidẽtibus, ab ipsius cautionis merito segregamus: iubemus enim vt si intentio petitoris improba iudicetur, præstet possessori sumptus, præstet impensas, quas eum toto litis tempore sustinuisse claruerit, etiam si super hac re expressior cessit† sentẽtia iudicantis. Dat. VII. Kal. Maij. Treu. Valent. NB. P. & Victore COSS.

†*alias cesset contim.*

INTERPRETATIO. *Quisquis rem alienam male possederit, si in iudicio fuerit superatus, quod sibi rem non debitam occupare præsumpsit: sed & ille qui conuentus à certo domino reddere peruasa noluerit, non solum pro hac ipsa re reddenda, cum superatus fuerit teneatur, sed fructus rei ipsius duplos ex eo tempore, quo res peruasa est, cogatur exoluere, non quales se ipse dixerit collegisse, sed quales per diligentem culturam consequi proprij domini vtilitas potuisset. Ille etiam, qui rem alienam scienter vsurpare præsumpserit, à die inuasi loci vsque ad consummatam litem simili ratione exigatur. Nam qui simpliciter sine præsumptione aliquam rem tenuerit, ex eo similiter soluat, ex quo re in iudicium deducta, quod rem male possideat conscientiam ipsius cœperit non latere. Heredes quoque eorum in his damnis, si victi fuerint, quibus auctor ipsorum simili modo succumbant. Addemus quoque, huiusmodi personis vt & sumptus & expensas litis, ex eo die à quo de tali re cœperint litigare, vsque dum finiatur pulsantibus reddant: nam & ipsi, qui alios possidentes pulsare tentauerint, si ea in iudicio repetant quæ sua probare non possint, similiter sumptus, & expensas litis pulsatis possessoribus reddant, quantum eos toto litis tempore perdidisse constiterit.*

II. Impp. Honorius & Theod. AA. Asclepiodoto PF. P.

Terminato transactóque negotio, posthac nulli actio neque ex rescripto super sumptuum repetitione pręstetur, nisi cognitor, qui de principali negotio sententiam promulgauit, comminus partibus constitutis iuridica pronũtiatione signauerit, victori causę restitui debere expensas, aut super hiis querelam iure competere: post absolutum enim dimissũmque iudiciũ, nefas est litem alteram consurgere, ex litis primæ materia. Dat. III. Kal. April. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

INTERPRETATIO. *Posteaquam inter partes fuerit definitum iudicio, intercedente negotio, quæcunque actio propter repetendos sumptus, vel expensas litis obtenta fuerit, nullam habeat firmitatem, quam iudicati forma non continet: quia quicunque quod in iudicio aduersario præsente non petiit, postea de eadem re litem aliam non poterit inchoare.*

De

De vsuris rei iudicatæ. *Tit. XVIIII.*

1. Imppp. Gratian. Valent. & Theod. AAA. Eutropio PF.P.

QVi post iudicij finem, exceptis duobus mensibus, quibus per † legis solutionem nonnunquam est concessa dilatio, moram afferẽt solutioni, à die patrati iudicij, quo obnoxij redditi sunt, in duplicium centesimarum conueniantur vsuras, extrinsecus scilicet medietatem debiti, de quo litigatum est, sicut prius constitutum est, inferẽtes vsque in id tempus, quo debitum solutione diluerint. Quod à nobis exemplo æquabili ex iuris prisci est formulis introductum, vt quia malæ fidei possessores in fructus duplos conueniuntur, æque malæ fidei debitores simile damni periculum persequatur. Sed tamen creditor ternis interiectis mensibus, post sententiam contestari moram debebit adhibitæ tarditatis, vt ei cẽtesimarum duplicium fructus possit acquiri. Cauẽdum quippe ex diuerso est, etiam contra illam malitiam creditorum, ne iudicatis ad solutionem cunctantibus, incipiant spe dupli fœnoris imminere: quanquam iudicatum, si hanc pœnam à se remouere festinẽt, contractam pecuniam vel apud Iudices obsignatam locare, vel iudicio conueniat offerre, vt periculum duplicium vsurarum incurrere ex ea die, qua obnoxius esse cœperit, desistat. Distinguendum vero hoc quoque arbitrati sumus, vt si contractus debiti ex stipulatione descendit, & casu vsuræ per annorum curricula summam capitis impleuerint, scilicet vt quantitas sortis, quantitati fœnoris adæquetur, post sententiam vsuræ duplices non vtriusque debiti currant, sed capitis quidem duplæ, vsurarum vero simplæ. Dat. xv. Kal. Iul. Thessal. Gratiano v. & Theod. I. AA. COSS.

† *se per legem solutionis.*

INTERPRETATIO. *Debitor, qui post emissum iudicium, à quo victus fuerit, debiti summam implere neglexerit, transactis duobus mensibus, duplam centesimam debiti ipsius, vsque in diem solutionis se nouerit redditurum, ita tamen, vt medietatem rei iudicatæ mox cogatur inferre: quia non immerito sicut malæ fidei possessor duplos fructus, ita & qui post iudicium tardior ad reddendum fuerit, duplam centesimam reddat. Sed tamen & hoc contra creditorum malitiam, quibus debitores addicti fuerint, ordinamus, vt non velint pro spe duplicandæ centesimæ suo vitio tardius exequi quod fuerit iudicatum, vnde debebit creditor, ternis interiectis mensibus, post datum iudicium contestari, vt sic duplam centesimam possit exigere: nam si collectam pecuniam habuerit debitor & oblatam, & ille qui vicit noluerit pro lucro duplandarum centesimarum accipere signatam, eam debitor apud idoneas faciat sequestrari personas, vt damnum vsurarum postea non possit incurrere. Hoc quoque præcipimus obseruari, vt si debitoris cautio cum omni firmitate proferatur, & vsuræ per annos plures cum capitali debito se æquauerint, à debitore amplius non petatur. Sanè post iudicium, duplam centesimam, quam reddi iussimus, taliter soluat, vt de capitali debito tantum duplæ vsuræ reddantur. De illo vero quod in vsuris ante iudicium creuit, simpla tantum centesima detur.*

Qui bonis ex lege Iulia cedere possunt. Tit XX.

I. Imppp. Gratian. Valent. & Theod. AAA. ad Basilium Consulem.

NE quis omnino vel fisci debitor, vel alienæ rei in auro atque in argẽto, diuersísque mobilibus retentator, ac debitor bonorum faciens cessionem, liberum à repetitione plenissima nomen effugiat, sed ad redhibitionẽ debitæ quantitatis congrua atque dignissima suppliciorum acerbitate cogatur, nisi forte propriorum dilapidationem bonorum, aut latrociniis abrogatam, aut fortasse naufragiis incendióque conflatam, vel quolibet maioris impetus infortunio atque dispendio docuerit afflictam. Prop. Rom. prid. Id. Octob. Ausonio & Olibrio coss.

INTERPRETATIO. *Nullus, qui aut fiscali debito, aut priuato probatur obnoxius, sed si aurum, argentum, vel mobile quodcunque debuerit, ob hoc se credat à debito excusandum, quod dicat de rebus suis se facere cessionem, sed pœnis adflictus quæcunque debuerit cogatur exoluere: nisi forte huiusmodi persona sit, quæ se probet omnem substantiam suam, aut naufragio, aut latrocinio, aut incendio, aut cuiuslibet maioris violentiæ impetu perdidisse.*

II. Apud acta Imp. Theod. A. dixit.

In omni cessione professio sola quærenda est. Idem dixit.

In omni cessione sufficit voluntatis sola professio. Dat. VIIII. Kal. Maij. Honorio NB. P. & Euodio coss.

INTERPRETATIO. *Quæcunque aliquis alteri cesserit, profiteatur se tantũ rem cessisse, vel causam, hoc est aut gestis, aut scriptura, aut testibus, & sola voluntatis illius professio pro omni firmitate sufficiat.*

Quorum bonorum. Tit. XXI.

I. Impp. Arcad. & Hon. AA. Petronio Vicario Hispaniarum.

QVid tam planius, quàm vt heredibus traderentur, quæ in vltimũ vsque diem defuncti possessio vindicasset, etiamsi quod possit tribui de proprietate luctamen? constat autem virum ab intestatæ vxoris bonis superstitibus consanguineis esse extraneum, cum prudentium omnium responsa, tum lex ipsa naturæ successores eos faciat. Insuper etiam mansura perpetua sanctione iubemus, vt omnibus frustrationibus amputatis, in petitorem corpora transferantur, secũdaria actione proprietatis non exclusa. Dat. VI. Kal. August. Mediolani, Olibrio & Probino coss.

INTERPRETATIO. *Iustum esse decernimus, vt quodcunque auctor vsque in diẽ vitæ suæ tenuerit, petentibus heredibus debeat consignari, illi postea, cui competit, actione seruata. Virum quoque intestatæ vxoris suæ facultatem, quæ sine filiis recessit, cõsanguineis eius qui legitimi sunt, tradere mox sine vlla dilatione præcipimus, & maritum proponere minime prohibemus, si quas sibi competere putauerit actiones.*

Vnde vi. Tit. XXII.

I. Imp. Constantinus A. Seuero.

IVdices absentium, qui cuiuslibet rei possessione priuati sunt, suscipiant in iure personam, & auctoritatis suæ formidabile ministerium obiiciant, atque ita tueantur absentes. Hos tamen Iudices quos absentiũ iussimus subire personam, intra hos terminos ministerij retinemus, vt illiba-

illibatis, atque omnibus integris causæ principalis internis, id solum diligenter inquirāt, vtrum eius qui quolibet pacto peregrinatur, possessio ablata est, quam propinquus, vel amicus, vel seruulus quolibet titulo retinebat, nec hos qui deiecti sunt absentium nomine possidentes, quia minime ipsis causæ dictio mandata sit, ab experiunda re secludant: nec si serui sint, eorum reiiciant in iure personas: quia huiuscemodi condicionis hominibus causas orare fas non sit. Sed post elapsa quoque spatia recuperandæ possessioni legibus præstituta, litigium eis inferentibus largiri conueniet, vt eos momentariæ perinde possessioni restituant, ac si reuersus dominus litigasset. Cui tamen quolibet tempore reuerso, actionem recuperādæ possessionis indulsimus, quia fieri potest, vt restitutio propter seruulos infideles, vel negligentes propinquos, vel amicos, & colonos interea differatur: absenti enim officere nō debet tempus emensum, quod recuperandæ possessioni legibus præstitutum est, sed reformato statu, qui per iniuriam sublatus est, omnia quæ supererunt ad disceptationem litigij immutilata permaneant, iudicio reseruato iustis legitimísque personis, cum valde sufficiat possessionem tenentibus, absentium nomine contra præsentium violentiam subueniri. Dat. x. Kalendas Nou. Mediol. Constant. A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Omnes Iudices specialiter admonemus, vt nullus absentibus dominis res eorum præsumat inuadere, sed contra improbos homines omnia per personā Iudicis vindicentur, saluo principali negotio. Quod si quis se aduersus absentem negotium habere causatur, & si cui illi qui peregrinantur rem suam commiserint gubernandam, nec Actor, nec Procurator eorum, aut aliquis seruorum ad dicendam causam domino aut absente, aut non iniungente cogatur, sed si quid eis fuerit sublatum, mox his qui domino absente exclusi sunt, cum interpellauerint reformetur. Ipse vero dominus si forte per negligentiam seruorum res recepta non fuerit, cum de peregrinis redierit possessionem suam momenti beneficio, etiamsi annus excesserit, nullatenus recipere prohibetur, sed restitutis in integrum omnibus quæ eo absente sublata sunt, integra causæ actio proponatur: inter legitimas duntaxat, & integra ætate personas: quia dignum est, vt cōtra malitiam eorum qui præsentes sunt taliter absentibus iubeamus esse consultum.*

II. Imppp. Gratian. Valent. & Theod. AAA. ad Potitum Vicarium Vrbis.

Quisquis neque vulgato rescripto, neque aduersario solenniter intimato, possessorem quietum dominio suo huiusmodi terrore turbauerit, ea in perpetuum lite multetur, quam præoccupauerit violentia, cum precibus poposcisset audiri. Quæ non minus etiam eum tenebit condicio, qui Iudicis interlocutione suppressa, sub specie iudicati ius alienū improba temeritate peruasit, ita vt neuter reparationem interfecti hoc pacto semel negotij audeat postulare. Si autem habito plerunque conludio Curatores vel Tutores minorū his rem debitam ea occasione peruadant, vt pupillis vel adultis iurgandi copia & fructus adimatur, iis eatenus subuenimus, vt eosdem non atterat damno culpa temeritatis alienæ, sed ilico quidem possessio ei, à quo est ablata reddatur. Curatores autem vel Tutores æterna deportatione punitos, bonorum quoque publicatio persequatur. Dat. prid. Idus Octob. Treueris, Siagrio & Eucherio COSS.

INTERPRETATIO. *Quicūque causam suam non ita agere voluerit, vt aduersa-*

rium suum publice patefacta actione conueniat, & dominum possessionis aliqua ratione conturbauerit, ita negotio ipso careat, vt eam causam nunquā valeat reparare, qui prius rem voluit auferre, quam sperare à Iudice vt deberet audiri. Similiter & ille omni causa priuetur, qui Iudicis ordinatione suppressa, judicium se habere dicens, alienam possessionem sua præsumptione peruaserit. Quod si Tutores etiam vel Curatores minorum, conludio aliquo pro eorum negotiis alienam rem sub ea qua diximus temeritate peruaserint, vt minorum causa depereat, nullum minoribus præiudicium fieri ex Tutorum vel Curatorum temeritate permittimus, sed proprietatem suam sine dilatione recipiant. Curatores autem vel Tutores amissis rebus suis perpetuo exilio deputentur.

II. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. ad Messianum Comitem RP.

Plerosque detectum est in rem priuatā nostram, quam publicatio celebrata quæsiuerat, inuasisse, quam nos à retētatoribus ereptam sociari iubemus ærario, punientes contumacius quàm decus publicum sinebat † erectos, vt qui litem inferre potuissent, nollent expectare iudicium, ac spernerent victoriam quam iustitiæ præscripsisset euentus, & amplecterentur quod dedisset audacia. Cadat igitur lite, quisquis operiri noluerit litis euentum, & quod recipere lege potuisset, contemptor examinis violentus amittat. Illi vero, quos in tantum † furorem prouexit audacia, vt quod iurgaturi apud examinis fidem sperare non possent, ante euentum iudicialis arbitrij illicita præsumptione temerarent, æstimationem rei, de qua litigari conuenerat, cogantur exoluere. Quod quidem etiam in priuatis obseruandum negotiis generali lege sancimus. Illud autem ab officio magnificentiæ tuæ cauendum esse decernimus, vt sacratissima domus nostra litem expectare non inferre cogatur, neque expetat, sed patiatur examen. Dat. XVIII. Kal. Iul. Treueris, Timasio & Promoto COSS.

† *ereptos*

† *furor prouexit audacia.*

INTERPRETATIO. *Cognouimus rem fisci nostri violenter aliquos inuasisse, sed nos euidenti lege præcipimus, vt si quis aut fiscalem rem, aut priuatam ante sententiam à Iudice prolatam inuaserit, & noluerit expectare litis euentum, perdat negotium qui contempsit expectare iudicium. Ille vero qui hoc præsumpsit inuadere, quod per iustitiam apud Iudicem non poterat obtinere, habita æstimatione talem rem aliam illi domino restituat, qualem noscitur ante iudicium peruasisse.*

IIII. Impp. Arcad. & Hon. AA. Arriano Consulari Liguriæ.

Legis iteranda sunt beneficia, quæ tantum absentibus detulerūt, vt si perturbatus possessionis status sit, vel direptum aliquid, ad repetendum momentum redintegrationémque fortunæ seruis etiam præbeatur facultas: amicis præterea, parentibus, proximis, vel libertis. Iudicem quoque absentium commoda tueri oportet, atque in his quæ comprobantur ablata, celeri redhibitione consulere, nec iudicium dilatione suspendi. Sub quocūque igitur nomine vel titulo possidenti repetendi copia præbeatur, qui vtendę rei habuit facultatem, vt quæ in militia constitutis, vel absentibus erepta esse constiterit, sub cuiuslibet personæ repetitione reddantur. Dat. XV. Kalendas Ian. Mediolani, Arcad. IIII. & Hon. AA. COSS.

INTERPRET. *Propter absentes legem volumus iterare, vt quicquid fuerit eis à qualibet persona sublatum, totum amicis eorum, vel proximis, vel seruis, cum Iudicem interpellauerint, sine dilatione reddatur: vt res quas discedens dominus in sua proprietate dimisit,*

misit, integra ab actoribus domini quousque redeat vindicetur. Quæcunque autẽ in militia constitutis, vel absentibus peruasa fuerint, sine aliqua iubemus dilatione restitui.

v. Iidem AA. Petronio Vicario Hispaniarum.

Nec imperiale responsum, quod supplicatio litigatoris obtinuit, nec interlocutio cognitoris † interpellare possessionis statum, eo qui rem tenet absente, permittitur: quia negotiorum merita partium assertione panduntur. Vitia autem à maioribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitatur. &c. Dat. xv. Kal. Ian. Mediolani, Cæsario & Attico coss.

† *interpellare.*

INTERPRETATIO. *Nec per Principis præceptionem, si à litigatore fuerit obtenta: nec per responsum Iudicis, si fuerit interpellatus, absente domino possessio vllius auferatur, quia prius conueniri debet ille qui possidet, & nisi inter præsentes iudicium dari non potest, nec negotium terminari. Nam quicunque alienam, vel absentis rem crediderit occupandam, nouerit etiam heredes suos similiter pro hac auctoris præsumptione obnoxios esse mansuros.*

vi. Impp. Honor. & Theod. AA. Iuliano II. P C. Africæ.

Momenti actio exerceri potest per quamcunque personam: sub colore autem adipiscendæ possessionis obrepta petitio alteri obesse non debet, maxime cum absque conuentione personæ legitimæ initiatum iurgium videatur. Nihil autem opitulatur conuentio circa minorem habita, cum id rectius circa Curatorem debuerit custodiri. Dat. Prid. Non. Mart. Rauennæ Constantio & Constante coss.

INTERPRETATIO. *Ad recipiendum momentum, id est, infra anni spacium cuiuslibet persona agere potest si per obreptionem fuerit facta petitio, alterius parti præiudicare non poterit. Præterea cum legitima persona non sit, nihil valet actio contra ætatem minorem, quæ contra Curatorem suum potius debuit iusta ratione proponi.*

Vtrum vi. *Tit.* XXIII.

I. Impp. Arcadius & Honor. AA. Vincentio P F. P. Galliarum. Post alia.

SI coloni, quos bona fide quisque possedit, ad alios fugæ vitio transeuntes, necessitatem condicionis propriæ declinare tentauerint, bonæ fidei possessori primum oportet & celeri reformatione succurri, tunc causam originis & proprietatis agitari, non expectatis temporibus, nec denunciatione solenni, quæ locum in iis negotiis non habebunt. Dat. IIII. Id. Iul. Mediol. Stillicone & Aureliano coss.

INTERPRETATIO. *Si coloni rei alienæ ad alios dominos forte confugerint, primum est, vt fugitiuos suos de cuius re exisse noscũtur, momenti beneficio possessor sine dilatione recipiat, & sic de eorum origine audiatur, nec requiratur in iudicio, vt prius titulum litis petitor scribat, quia initium litis ad momentariam non pertinet actionem.*

CODICIS THEODOSIANI LIBER QVINTVS.

De legitimis hereditatibus. Tit. I.

1. Imp. Constantin. A. ad Bassum PF.V.

MATRI ius liberorum non habenti, interueniente licet patruo, ceterísque inter quos agnationis incorrupta iura per ordinem porriguntur, & quicunque deinceps agnati erunt, à quibus consanguinitatis iurę mater poterat excludi, placet omnium filij bonorum, quotiescũque ab intestato venitur, deferri tertiam portionem, & tam patruo eiúsque filio, quàm & nepoti, agnatione minime durante, si forte per emancipationem cuiusquam fuerit consanguinitas diminuta, beneficio pari deferri tertiam portionem, licet habeat mater ius liberorum. Nec immerito si quando supradicto subnixa mater fuerit priuilegio, agnatione dirempta vltra nepotis gradum nostrũ beneficium minime placuit extendi: ne multis personis vocatis, plus ablatum matri, minus additum videretur. Siue igitur vnus extiterit pluresve patrui eorúmque filius aut etiam filij, & nepotes neptésve, non amplius quam sola tertia vniuersorum bonorum simul, omnibus, vel singulis pro suis quibusque gradibus deferenda est. Et eodem genere si plures erunt à quibus mater possit excludi, non plus quam tertia bonorum matri aduersus omnes competere debebit. Supradictæ ergo originis existentibus personis agnatis in infinitum, matri aduersus omnes censuimus subueniendum: licet non omnibus aduersus matrem, sed certis superius comprehensis personis hoc auxilium tribuatur, ita vt nec petita bonorum possessione, quoniam huius legis non Prętoris est beneficium, ilico vt sibi delatæ portionis dies extiterit, aditione simplici adrepto rerum quolibet corpore, vel animi destinatione patefacta, plenum dominium delatę sibi portionis consequentur, facultate eis perpetua dũ ad vixerint tribuenda in adeunda concessa sibi parte successionis. Nec enim ad eos qui eorumdem successores erunt, nisi ipsis prius, quos indulgentiæ nostræ ratio complectetur, quęsita fuerit hereditas, transire quicquam iubemus, sed penes eos manere, apud quos ante istam legẽ residere potuissent. PP. XIIII. Kal. Ian. Rom. Crispo II. & Constantino II. Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si mater ius liberorum non habeat, hoc est, si ingenua tres partus viuos, & libertina quatuor non ediderit, & vnicum filium intestatum fortasse perdiderit, & filius moriens patruum vnum, vel plures, aut certe patrui, vel patruorum filios, vel nepotes plures cum matre reliquerit, qui tamen emancipati non fuerint, mater*

in

in tertia portione in filij intestati hereditate succedat, & duas partes patruus, vel si plures patrui fuerint, aut filij, vel nepotes sibimet vindicabũt. Quod si mater liberorum ius habeat, & patruus vel patrui cum matre superfuerint, etiamsi emancipati sunt, duas partes de bonis filij intestati morientis mater consequatur, quæ ius liberorum habet, & tertiam patruus vel patrui: qui si defuerint, filij patruorum quanti fuerint æquales sibi per capita faciant portiones. Quod si filij patruorum defuerint, simili etiam nepotes patruorum diuisione succedant. Sed in hac successione sola Constitutio præsens sufficit, vt inter matrem, patruos, eorúmque filios & nepotes, bonorum possessio præsumatur, quæ si fortasse adita non fuerit, & hij qui adire debuerant moriuntur, heredes eorum à successione non aditæ hereditatis excludit: quia euidenter lex ista constituit, vt non adita hereditas non transeat ad heredes.

II. Impp. Valent. & Valens AA. ad Auxonium PF.P.

Quia non solum filius consanguineus, sed etiam per adoptionem quæsitus, nulla capitis diminutione intercedente, eius matrem excludit, si quidem patiatur mater defunctorum excludi à fratribus consanguineis existentibus, quibus ipsa præferatur, intercedente capitis diminutione, proximior gradus incatur. Nam Constitutio diui Constantini, ad Bassum Præfectum vrbis emissa, patrui tantummodo ius antiquum temperauit, vt si vnus patruus, seu duo, pluresve sint, siue filius filiíve eorum vsque ad nepotem extiterint, beneficio Constitutionis in partem tertiam componant. De consanguineis vero fratribus nullam fuisse mentionem cognouimus euidenter, licet antiquo iure seruato, ac diualis memoriæ Constantini Constitutione comprobata prospectum esse videatur à nostra Clementia, vt in huiusmodi litibus qui frater consanguineus debet excludi secundum ius antiquum, præferatur iuxta memoratam destinationem: vel certe si patrui persona intercesserit, vsque ad nepotem ius Constitutionis temperatum, suum teneat robur atque firmitatem. Dat. IIII. Kal. Ian. Constantinop. Valent. NB. puero, & Victore V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Si moriatur quis, & relinquat matrem & fratrem consanguineum, id est, vno patre natum, vel etiam adoptiuum, id est, gestis ante Curiam adfiliatum qui consanguinei loco habendus est, consanguineus frater, vel adoptiuus matrem in totum à successione mortui fratris excludunt. Quod si emancipatus fuerit consanguineus, aut adoptiuus, & moriatur frater superstitibus emancipatis fratribus, & matre, patruos eorúmque filios vel nepotes etiam mancipati fratres euidenter excludunt: ita tamen, vt si ius liberorum mater habuerit, duas partes de morientis filij hereditate præsumat, & tertiam emancipati fratres, quos constat esse superstites. Quod si mater ius liberorum non habuerit, tertiam mater consequetur, & duas partes etiam emancipati filij exclusis patruis possidebunt.*

III. Imppp. Gratian. Valent. & Theod. AAA. ad Hilarium PF.P.

Quoties de emancipatæ filiæ successione tractatur, seu eam fiduciæ nomẽ obstrinxit, seu etiam nulla comitantur suffragia liberorum, filiis ex ea genitis, etiamsi talis occasus auo viuente contingat, intacta pro solido successio deferatur, neque vlla defunctæ patri matríque concedatur intestatæ successionis hereditas, cum satis supérque sufficiat aduersus omnes legitimo gradu ad successionem venientes, in hereditatibus matrum † incolumes ac superstites optabili sorte geniti successio liberorum. Dat. XI. Kalend. Mart. Mediolani,

† *incolumis ac superstitis optabili sorte genitoris.*

Merobaude II. & Saturnino COSS.

INTERPRETATIO. *Filia, quam fiduciatam nominauit, hoc est emancipata, si intestata moriatur, & relinquat superstitem patrem, matrem & filios, excluso patre & matre, etiam si ius liberorum defuncta non habeat, filij soli in eius hereditate succedunt. Hic de iure addendum quid sit fiducia.*

IIII. Impp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Constant. PF. P. Galliarum.

Si defunctus cuiuscunque sexus aut numeri reliquerit filios, & ex filia defuncta cuiuscunque sexus aut numeri nepotes, eius partis, quam defuncti filia superstes patri inter fratres suos fuisset habitura, duas partes cõsequantur nepotes ex eadem filia, tertia pars fratribus, sororibúsve eius quæ defũcta est, id est, filiis filiabúsque eius de cuius bonis agitur, auũculis scilicet siue materteris eorum, quorum cõmodo legem sancimus, accrescat. Quod si hic defunctus, de cuius bonis loquimur, habebit ex filia nepotes, sed pręterea filios nõ habebit, sed qui præferri nepotibus possint habebit agãtos, in quandam Falcidiam, & in dodrantem nepotes iure succedant. Hæc eadem quæ de aui materni bonis constituimus, de auiæ maternæ siue etiam paternæ simili æquitate sancimus: nisi forte auia elogia inurenda impiis nepotibus iusta semotis rationo monstrauerit. Non solum autem si intestatus auus auiáve defecerit, hæc de nepotibus quæ sancimus iura seruamus: sed etsi auus, vel auia, quibus huiusmodi nepotes erãt, testati obierint, & præterierint nepotes, aut exheredarint eosdem, & de iniusto auorũ testamento, & si quę filię poterant vel de re, vel de lite cõpetere actiones, nepotibus deferemus, secũdũ iustũ nostrę legis modum, quæ de parentum inofficiosis testamentis competunt filiis. Dat. V. Kal. Mart. Mediolani, Timasio & Promoto COSS.

INTERPRETATIO. *Si aliquis moriatur intestatus, & filios vel filias superstites, vel nepotes ex filia mortua derelinquat, filij in sua portione succedunt: Nepotes ex filia de portione matris suæ tertiam perdunt, quæ superstitibus auunculis eius & materteris proficit. Si vero quis moriatur intestatus, & relinquat ex filia nepotes, & filios non dimittat, sed fratrem & sororem superstites derelinquat, tres partes hereditatis aui materni sibi nepotes ac neptes ex filia vindicabunt: quartam frater vel soror aui defuncti, iuxta legis huius ordinem consequentur. Si vero mulier, id est paterna vel materna auia intestata moriatur, & relinquat filios, & ex mortuo filio vel filia nepotes, æqualiter de patris vel matris portione nepotes vel neptes tertiam perdunt, quam patruis & amitis ex auia paternæ bonis, auunculis & materteris ex auiæ maternæ bonis, sicut & de aui materni conquirunt: nam si patruus & amita, vel auunculus, & matertera fortasse defuerint, ad fratres vel sorores † auiarum tres unciæ, & ad nepotes nouem perueniant. Nam in aui paterni hereditate, nepotes vel neptes ex filio mortuo de patris sui portione nihil perdunt. Si vero auus vel auia, nepotes ac neptes ex filia in testamento suo præterierint, aut non probatis causis exheredauerint, actio illis de inofficioso contra testamentum aui vel auiæ, quæ matri eorum competere potuit, legis beneficio tribuetur.*

† auiorum

IIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Aureliano PF. P.

Nepotes ex filia auis pro rata parte hac condicione succedant, qua & matres, si viuerent, hereditatem patrum sibi cum fratribus vindicarent: scilicet vt mixtis matrum suarum dotibus, aui hereditatem pro rata parte, quam lex Diualis censuit cum auunculis partiantur. Nec amplius his quidquam de auitis

facul-

facultatibus tribuatur, quàm legis dudum latæ sanctio comprehendit, scilicet detracta tertia partis eius, quæ eorum matri, si dotem iungeret, debebatur. Si vero dotem matris miscere noluerint, maternis ac paternis facultatibus oportet esse contentos, quos constat alienæ iam familiæ esse procreatos. Dat. pridie Non. Octob. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex similis est superiori, sed hoc amplius habet, quod dotem pro filia in generum factam, vel quicquid filia accepit tempore nuptiarum, post mortem aui intestati nepotes confundere iubet, ita vt de dote in hereditatem confusa duas partes de eo quod mater eorum erat habitura percipiant: aut si noluerint confundere nepotes, sint acceptis tempore nuptiarum rebus, vel sola dote contenti.*

V. Impp. Honorius & Theodosius AA. Maximo P.P.

Vbi auiarum successio casu interueniente discutitur, capitis diminutio materna quærenda non est: tunc enim in huiusmodi hereditatibus filiorum status aut persona spectatur, quoties de eius bonis qui potestatē familiæ potuit habere tractatur. Dat. V. Kalend. Octob. Rauennæ, Theodosio A. IX. & Constantino III. COSS.

INTERPRETATIO. *In bonis auiæ emancipatio patris ac matris nepotibus non impediat, sed perdito triente, in ea, quam lex eis tribuit, portione succedant.*

VI. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino P.P.

Sicut mater quæ liberorum iure subnixa est, patruo capite diminuto, dare iussa est tertiam portionem,† ita etiam quæ nullo huiusmodi fulcitur auxilio, †patruo quatuor cedat vnciis facultatū. In illa quoque parte matris nō est priuilegium transeundum, in qua Constantinianæ legis potissimum cōstitutum tenendum esse censemus: vt sicuti nulli vnquam, vel ex superioris generis parte veniētium, vel ex cōsequenti sanguine probatorum, agnationis, cōpositionísve nomine de successione filij iusta cum matre potuit esse cōtentio, præterquàm patruo, filio patrui, & eius nepoti, ita omnibus reliquis, sicut custoditū hactenus arbitramur, persona potior matris habeatur. Emācipati quoque fratris merita tractamus, qui vt agnationis iure integro matrem in totum à successione filij decedētis excludit, ita capite diminutus nihil penitus cōsequitur, Exemplo igitur patrui, etiam huic cum matre hanc volumus esse rationem, vt quatuor vncias hereditatis accipiat. Lata vero decernimus sanctione, vt statuta nostra non solum futurarum ambigua quæstionum, verumetiam pendentium negotiorū hoc ordine fata† distinguat. Dat. III. Kal. Feb. Romæ Theod. XII. & Valent. II. AA. COSS.

† rę. ita et.
† se. patruum.
† distinguāt.

INTERPRETATIO. *Similis est hæc lex superiori, sed quia euidentior est, & istam inseruimus: Nam illa quod amplius habet, hoc de adoptiuo filio loquitur.*

VII. Iidem AA. ad Senatum vrbis Rom. Post alia.

Mater, quæ habens ius liberorū, defuncto filio sine liberis filiáve, cum eius sorore succedit,† patri, sortis paternę teneatur exēplo, vt si thorū priorem secundo non mutarit amplexu, omnia filij morte delata pleno iure cōquirat. Si vero alterius elegerit coniugium mariti, extrinsecus quidē quæsita filio, filiæve simili firmitate possideat. Rerum vero paternarum defuncti solo vsufructu humanitatis contemplatione potiatur, proprietatem fratribus trāsmissura defuncti. Si vero filius qui moritur, filium vel filiā derelinquit, omnimodo patri suo matríve ipso iure succedant. Quod sine dubio† & de pronepotibus obser-

† rę pari sorte.
† & pro nepotibus

uandum esse censuimus. Dat. VII. Id. Nouemb. Rauennæ, Theod. XII. & Valent. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Mater ius liberorum habens, mortuo filio vel filia, si superstites alias filias habuerit, & filium non habuerit, cum filiabus æquali sorte succedat, hoc est, vt mater mediam, & filiæ quantæ fuerint, mediam vindicent portionem: ita vt si alium maritum non acceperit, portionem quam consecuta est faciendi de ea quod voluerit habeat potestatem: Si vero alium maritum acceperit, quicquid filius vel filia mortui aliunde adquisitum reliquerint, mater perpetuo iure vindicet. De bonis vero prioris mariti portionem, quam ex hereditate filij morientis fuerit consecuta, sorores mortuorũ fratrum sibi post matris obitum vindicabunt. Quod si filius aut filia, qui moriuntur, matrem ius liberorum habentem superstitem dimiserint & sorores, sed tamen filios habeant, filij eorum in integra patris vel matris facultate succedunt, ita vt mater vel sorores ab hac successione habeantur extraneæ. Hoc & de nepotibus & pronepotibus filiorum lex ista constituit.*

VIII. Iidem AA. Hierio PF.P.

Pridem latæ constitutionis pars quædam abroganda est, ne vllis parentibus aut propinquis quos naturæ legisque pariter prærogatiua defendit, in capiendis ab intestato hereditatibus præferantur coniuges, vel etiam comparentur: cum si sanctitas inter eos sit digna fœdere coniugali, non ita laboriosa vel sumptuosa est testandi occasio, vt desiderio suo quisquã subuenire differat, quod interdum ita sensu leuiore concipitur, vt antiqui nec quod extraneis, ac sæpe ignotis in donationibus successionibúsque tribuatur, coniugibus concesserint, reprimendum inter hos potius, vt in loco ancipiti, quàm incitandum feruorem mutuum arbitrati. Verum lex alia, quam pridẽ tulimus, vt matrimoniis auxilium impartiret, deficientis hoc totum credidit arbitrio permittendum. Nunc vero parentibus extantibus vel propinquis, ab intestato venire coniuges prohibemus. Itaque nulla mentio prioris legis fit, si qua hoc medio breuique tempore contigisse alicui dicatur coniugis ab intestato hereditas, & lege proposita diuulgetur omnem huiusmodi spem successionis quæ ab intestato defertur, coniugibus deponẽdam: nisi si ille casus emerserit, vt nemo de propinquis successionem mortui vindicare possit ex lege, cum fisco nostro qualiacumque iura matrimonij præponamus, &c. Dat. x. Kalend. Mart. Constantinop. Tauro & Felice COSS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex id constituit, vt omnes propinqui vxorem ab intestati mariti successione prohibeant, & maritum similiter à successione intestatæ vxoris excludant. Sed si propinqui omnino defuerint, tunc sibi inuicem, excluso fisco, maritus vel vxor succedant.*

De bonis decurionum. Tit. II.

I. Imp. Constantinus A. Rufino PF.P.

SI decurio sine liberis intestatus diem vitæ soluerit, cui neque voluntas postrema legibus fulta, neque alio quo iure gradu proximo heres extiterit, bona eius Curiæ suæ commodis cedant, id est ordinis vtilitati proficiant, cuius corpori fatali necessitate exemptus est: nulli præbenda licentia postulandi hæc bona vt vacantia de nostra Clementia, etiamsi reuera & testamentum, & successor deesse legitimus adprobetur, omni etiam beneficio, si quod fuerit impetratum, protinus infirmando.

Dat.

Dat. Kal. Decemb. Sirmio, Constantino A. V. & Licinio Cæs. coss.

INTERPRETATIO. *Si curialis intestatus moriens, neque filios neque proximos derelinquat, curia, cuius ordine subducitur, quicquid reliquerit vindicabit, ita vt nullus audeat ea quasi bona caduca à Principibus postulare: quod si fecerit, non valebit. nam testamentum faciendi Curialibus lex ista tribuit potestatem.*

De bonis clericorum & monachorum. Tit. III.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Taurum PF. P. & Patric.

SI quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Diaconissa, aut Subdiaconus, vel cuiuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier, quæ solitariæ vitæ dedita est, nullo condito testamento decesserit, nec ei parentes vtriusque sexus, vel liberi, vel si qui agnationis cognationisve iure iunguntur, vel vxor extiterit, bona quæ ad eum pertinuerint sacrosanctæ Ecclesiæ, vel monasterio, cui fuerat destinatus, omnifariam socientur, Exceptis iis facultatibus, quas forte censibus adscripti, vel iure patronatus subiecti, vel curiali condicioni obnoxij Clerici vel Monachi, cuiuscunque sexus relinquunt. Nec enim iustum est, bona seu peculia, quæ aut patrono legibus debentur, aut domino possessionis, cui quis eorum fuerat adscriptus, aut ad curias, pro tenore dudum latæ Constitutionis, sub certa forma pertinere noscuntur ab Ecclesiis detineri, actionibus videlicet competenter sacrosanctis ecclesiis reseruatis. Si quis forte prædictis condicionibus obnoxius, aut ex gestis negotiis, aut ex quibuslibet aliis ecclesiasticis actibus obligatus obierit: ita vt si qua litigia ex huiusmodi petitionibus in iudiciis pendent, penitus sopiantur, nec liceat petitori post huius legis publicationem iudicium ingredi, vel Oeconomis, aut Monachis, aut Procuratoribus inferre molestiam, ipsa petitione antiquata, & bonis quæ relicta sunt, religiosissimis ecclesiis vel monasteriis, quibus dedicati fuerant, consecratis. Dat. XVIII. Kal. Ian. Ariouindo & Aspare coss.

INTERPRETATIO. *Si quis Episcopus, vel quos lex ipsa commemorat, aut quilibet religiosi, vel religiosæ intestati sine filiis, propinquis, vel vxore decesserint, qui tamen nec curiæ quicquam debuerint nec patrono, quicquid dereliquerint, ad ecclesias, vel monasteria, quibus obsecuti fuerint, pertinebit. Qui si testari voluerint, habebunt liberam potestatem.*

De bonis militum. Tit. IIII.

1. Imp. Constant. A. ad Bonosum Magistrum Equitum.

VNiuersis tam legionibus, quàm vexillationibus comitatensibus, seu cuneis insinuare debebis, vti cognoscant, cum aliquis fuerit rebus humanis exemptus, atque intestatus sine legitimo herede decesserit, ad vexillationem in qua militauerit res eiusdem necessariò peruenire. Dat. V. Id. Maij. Hierapoli, Rufino & Eusebio coss.

INTERPRETATIO. *Si milites sine legitimo herede intestati decesserint, & proximos non habuerint, eorum bona, qui in eodem officio militant, vindicabunt.*

De postliminio. *Tit. V.*

I. Imppp. Valent. & Valens, & Grat. AAA. ad Seuerianum Ducem.

SI quos forte necessitas captiuitatis abduxit, sciant si non transierũt, sed hostilis irruptionis necessitate transducti sunt, ad proprias terras festinare debere, recepturos iure postliminij ea quæ in agris vel mancipiis ante tenuerunt, siue à fisco nostro possideantur, siue in aliquem principali liberalitate transfusa sunt, nec timeat quisquam alicuius contradictionis moram, cum hoc solum requirendum sit, vtrum aliquis cum Barbaris voluntate fuerit, an coactus. Dat. † XVI. Kalendas Iul. Remis, Grat. A. I. & Dagalaifo CONSS.

† XVII.

INTERPRETATIO. *Quicunque necessitate captiuitatis ducti sunt, & non sua voluntate, sed hostili deprædatione ad aduersarios transierunt, quæcunque in agris, vel mancipiis antea tenuerunt, siue à fisco possideantur, siue aliquid ex his per principem cuicunque donatum est, sine vllius contradictione personæ, tempore quo redierint, vindicent ac præsumant, si tamen cum aduersariis non sua voluntate fuerint, sed captiuitate se detentos esse probauerint.*

II. Impp. Honor. & Theod. AA. Theodoro PF. P.

Diuersarum homines prouinciarum cuiuslibet sexus, condicionis, ætatis, quos barbarica feritas captiua necessitate transuexerat inuitos, nemo retineat, sed ad propria redire cupientibus, libera sit facultas, quibus si quicquam in vsum vestium vel alimoniæ impensum est, humanitati sit præstitum, nec maneat victualis sumptus repetitio, exceptis iis, quos Barbaris vẽdẽtibus emptos esse docebitur, à quibus status sui precium propter vtilitatem publicam emptoribus æquum est redhiberi. Ne quando enim damni consideratio, in tali necessitate positis, negari faciat emptionem, decet redemptos aut datum pro se precium emptoribus restituere, aut labore, obsequio, vel opere quinquennij vicem referre beneficij, habituros incolumem eam in qua nati sunt libertatem. Reddantur igitur sedibus propriis sub moderatione qua iussimus, quibus iure postliminij etiam veterum responsis incolumia cuncta seruata sunt. Si quis itaque huic præcepto fuerit conatus obsistere, actor, cõductor, procuratorque dari se metallis cum pœna deportationis non ambigat. Si vero possessionis dominus, rem suam fisco nouerit vindicandam, séque deportandum. Et vt facilis executio proueniat, Christianos proximorum locorum volumus huius rei sollicitudinem gerere. Curiales quoque proximarum ciuitatum placuit admoneri, vt emergentibus talibus causis, sciant legis nostræ auxilium deferẽdum, ita vt nouerint Rectores vniuersi decem libras auri à se, & tantundem à suis apparitoribus exigendas, si pręceptum neglexerint. Dat. IIII. Id. Decemb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Hi qui ab hostibus tempore captiuitatis ducti sunt, si ab aliquibus vel ad victum, vel ad vestitum aliquid acceperunt, cum redire ad propria voluerint, minime aliquid pro eorum requiratur expensis: Tamen si pretium pro captiuo suo prædator acceperit, quod dedisse emptor probauerit, sine dubitatione recipiat. Quod si pretium non habuerit, quinquennio seruiat captiuus emptori, & post quinquennium sine pretio ingenuitati reddatur, qui cum ad propria redierit, omnia sua integra & salua recipiat. Si quis itaque huic tam iustæ præceptioni resistere tentauerit, nouerit se in exilio deputan-*

deputandum. Si vero possessor fuerit, facultatem suam fisci viribus addicendam. Sanè Christianos, qui redemptioni studere debent, pro captiuis volumus esse sollicitos. Ad Curiales etiam ista sollicitudo pertineat, ita vt omnes Iudices sciant, decem libras auri fisco se daturos, qui huius legis præcepta neglexerint.

De ingenuis, qui tempore tyranni seruierunt. *Tit. VI.*

I. Imp. Constantin. A. ad Volusianum.

VNiuersi deuotionis studio contẽdant, si quos ingenuis natalibus procreatos, sub tyranno ingenuitatem amisisse, aut propria cõtenti conscientia, aut aliorum indiciis recognoscunt, natalib. suis restituere, nec expectata Iudicis interpellatione. Nam si quis cõtra cõscientiam suam, vel certissima testimonia plurimorum in eadem auaritia & tenacitate permanserit, seuerissima pœna multabitur. Placet autem etiam eos periculo subiugari, qui scientes ingenuos seruitutis necessitatem per iniuriam sustinere, dissimulant. Prop. VIII. Kal Maij. Rom. Volusiano & Anniano coss.

INTERPRETATIO. *Ingenui qui temporibus tyranni addicti sunt seruituti, ingenuitati reddantur. Quod si quis hoc ordine sciens addictum ingenuum in seruitute tenuerit, nouerit in se legibus vindicandum.*

De expositis. *Tit. VII.*

I. Imp. Constant. A. ad Ablauium P. F. P.

QVicũque puerum vel puellam, proiectam de domo patris vel domini volũtate scientiáque collegerit, ac suis alimẽtis ad robur prouexerit, eundẽ retineat sub eodem statu, quem apud se recollectũ voluerit agitare, hoc est, siue filiũ, siue seruum eum esse maluerit, omni repetitionis inquietudine penitus submouenda eorum, qui seruos aut liberos scientes propria voluntate domo recens natos abiecerint. Dat. XV. Kal. Maij Constantinop. Basso & Ablauio COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque expositum recenti partu sciente patre vel matre vel domino collegerit, ac suo labore educauerit, in illius à quo collectus est potestate consistat, seu ingenuum, seu seruum quem nutriuit esse voluerit, & si adoptare voluerit in filium vel libertum aut in seruitium permanere propria vtatur potestate.*

II. Impp. Honor. & Theod. AA. Militio P. F. P.

Nullum dominis vel patronis repetendi aditum relinquimus, si expositos quodammodo ad mortem voluntas misericordię amica collegerit: nec enim dicere suum poterit, quem pereuntem cõtempsit, si modo testes episcopalis subscriptio fuerit subsecuta, de qua nulla penitus ad securitatem possit esse cũctatio. Dat. † XIIII. Kal. April. Rauen. Honor. NB. P. VIIII. & Theod. V. AA. † XV. COSS.

INTERPRETATIO. *Qui expositum puerum, vel puellam sciente domino vel patrono misericordiæ causa collegerit, in eius dominio permanebit: si tamen contestationi de collectione eius Episcopus, clericique subscripserint, quem postea suum dicere quisquam nõ poterit, quem proiecisse probatur ad mortem.*

De his qui sanguinolentos emptos vel nutriendos acceperint. Tit. VIII.

I. Imp. Constantin. A. Italis suis.

SEcundum statuta priorum Principum, si quis à sanguine quoquo modo legitimè comparauerit, vel nutriendum putauerit, obtinendi eius seruitij habeat potestatem, Ita vt si quis post seriem annorũ ad libertatem eum repetat, vel seruum defendat, eiusdem modi alium præstet, aut pretium quod potest valere exoluat. Qui enim pretium cõpetens instrumẽto confecto dederit, ita debet firmiter possidere, vt & distrahendi pro suo debito causam liberam habeat: pœna subiiciendis iis, qui contra hanc legem venire tentauerint. PP. XV. Kal. Septemb. Serdice, Constantino VIII. & Constantio IIII. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis infantem à sanguine emerit, & nutrierit, habendi eum & possidendi liberam habeat potestatem: sanè si nutritum dominus vel pater recipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium nutritori dabit, aut nutritor pretiũ, quãtum valuerit qui nutritus est, consequetur.*

De fugitiuis colonis, inquilinis, & seruis. Tit. IX.

I. Imp. Constant. A. ad Prouinciales.

APud quemcunque colonus iuris alieni fuerit inuentus, is non solum eundem origini suæ restituat, verum super eodem capitationem temporis agnoscat: ipsos etiam colonos, qui fugam meditantur, in seruilem condicionem ferro ligari conueniet, vt officia quæ liberis congruunt, merito seruilis condemnationis compellantur implere. Dat. III. Kal. Nouemb. Pacatiano & Hilariano COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis alienum colonum sciens in domo sua retinuerit, ipsum prius domino restituat, & tributa eius quamdiu apud eum fuerit cogatur exoluere: ipse vero qui noluit esse quod natus est, in seruitium redigatur.*

II. Imppp. Grat. Valent. & Theod. AAA. * Cynegio PF. P.

† *Remigio.*

Quisquis colonum iuris alieni aut sollicitatione susceperit, aut occultatione cælauerit, pro eo qui priuatus erit sex auri vncias, pro eo qui patrimonialis, libram auri cogatur inferre. Dat. VIII. Kal. Nouemb. Constantinop. † Honorio N. P. & Euodio COSS.

† *Honorio* VIII. & *Theodosio* COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis colonum alienum aut sollicitauerit, aut occultauerit, si priuati hominem sua sollicitatione susceperit, sex auri vncias domino reddat, si fiscalem sollicitatum tenuit, libram auri cogatur implere.*

De inquilinis & colonis. Tit. X.

I. Impp. Honorius & Theodosius AA. Palladio P F. P.

SI quis colonus originalis vel inquilinus, ante hos triginta annos de possessione discessit, neque ad solum genitale silentij continuatione repetitus est, omnis ab ipso, vel à quo forte possidetur, calumnia penitus excludatur: quem annorum numerũ futuris quoque temporibus volumus obseruari. Quod si quis originarius intra hos triginta annos de possessione discessit, siue per fugam lapsus, seu sponte seu sollicitatione transductus, neque de eius condicione dubitatur, eum cõtradictione submota, loco cui natus est cum origine iubemus sine dilatione restitui. Quod si forte

forte ipse, de cuius proprietate certatur, fatali sorte consumptus est, eius posteritatem agrorum iuri cum omni peculio atque mercedibus, velut eo superstite qui decessit, celeri iubemus executione reuocari. In feminis sanè obseruationem volumus esse diuersam. Itaque mulierum, quæ fuisse originariæ docebuntur, si ante vicesimum annum de solo cui debebantur abscesserint, vniuersa repetitio cesset. Earum vero, quarum intra comprehensum tempus discessio comprobatur, ac de condicione nulla dubitatio est, prorsus dominis perire non sinemus. Ea tamen condicione seruata, vt vicaria cum agnatione partis tertiæ non negetur, quæ de colono suscepta est alieno, ita vt pro filiis quoque contrarij præbeantur. Quod si non ad alienum prædium, sed cuiuscunque liberi hominis ac sui iuris secuta consortium, in vrbibus, vel in quibuscunque locis victura cõsistit, si modo intra præfinitum tempus reposcitur, eius omnem originem, secundum vetera constituta, conueniet reuocari Contestatas autem lites, si tamen quisquam docebitur solenniter fuisse conuentus, saluas repetentibus esse decernimus. Dat. VI. Kal. Iul. Rauenn. Monaxio & Plinta COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis colonum alienum in re sua, vel in fuga lapsum, vel sua voluntate migrantem triginta annos habuerit, ac si suum vindicet. Qui si intra triginta annos inuentus fuerit à domino, cum filiis secundum legem sibi debitis & omni peculio reuocetur. Quod si forte mortuus fuerit, filij eius cum mercedibus suis, vel patris mortui à domino reuocentur. Colona etiamsi* XX. *annis in alieno dominio & iure permanserit, à priore domino non requiratur. Si tamen intra* XX. *annos inuenta fuerit, & de alieno colono filios susceperit, cum agnationis parte tertia reuocetur: quia colonũ duæ partes agnationis sequuntur. Sanè ne separatio cõiugij fiat, illum, cuius colonus est, vicariam mulierẽ & pro tertia agnatione mulieris domino compensare præcipimus. Si vero mulier iuris alieni ingenuum maritum duxerit, omnis mulieris agnatio ad eius dominiũ pertinebit. Quod hic minus est de colonæ agnatione, in Nouellis legibus inuenitur.*

Ne colonus inscio domino suum alienet peculium, vel litem inferat ei ciuilem. *Tit.* XI.

I. Impp. Valent. & Valens AA. ad Clearcum Vic. Asiæ.

NOn dubium est, colonis arua quæ subigunt vsque adeo alienandi ius non esse, vt & si qua propria habeant, inconsultis atque ignorantibus patronis in alteros transferre non liceat. Dat. VI. Kal. Feb. Val. & Valente AA. COSS.

INTERPRETATIO. *In tantum dominis coloni in omnibus tenentur obnoxij, vt nescientibus dominis nihil colonus neque de terra, neque de peculio suo alienare præsumat.*

De longa consuetudine. *Tit.* XII.

I. Imp. Constant. A. ad Maximum.

VEnientiũ est temporũ disciplina, instare veteribus institutis. Ideóque cum nihil per causam publicam interuenit, quæ diu seruata sunt permanebunt. Dat. IIII. Kalend. Mart. Constantinop. Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

INTERPRETATIO. *Longa consuetudo, quæ vtilitatibus publicis non impedit, pro lege seruabitur.*

CODICIS THEO-
DOSIANI LIBER SEXTVS.

Deest Tit. I. & initium II.

LEg.........e cælesti oraculo gleualis necessitas auferatur. quod non solum circa viros dinoscitur constitutum, verumetiã circa filias simili condicione seruandum. Dat. XVIII. Kal. * Hierapoli, Gratiano A. IIII. & Merobaude CONSS.

II. Imppp. Grat. Val. & Theod. AAA. ad Hipatiũ.

Si quis Senatorium consecutus nostra largitate fastigiũ, vel generis felicitate sortitus, possessionis alicuius professionem Senatui crediderit occulendam, prædium fisco nouerit vindicandum, quodcunque subtractum publicis iure compendiis erit, quíque consularitatis insignia fuerit adsecutus, dignitatis obeundæ atque exercendæ administrationis huius copiam non habeat, nisi propria adnotatione digesserit Senatorium nomen agnoscere, & larem habitationémque vel sedes certas in prouincia atque oppido conlocasse, nihilque amplius quam certum professionis modum varias intra prouincias possidere, cuius indicio palatinis scriniis quęsitò quamprimũ omnis instructio facile declaret, quibus quãtísve nominibus quóve in modo perennis ærarij emolumenta subcreuerint. Duorũ verò follium maneat cunctos indiscreta professio, etiamsi possessionem fortè non habeant, quos dignitas consularis vel clarior atque sublimior potestas vlla prouexerit, neminem ad insignia potestatis admittendo, nisi professionem vinxerit, & his tantùm à necessitate huiusmodi segregandis, quos palatinæ honore militię & stipendiis adprobatos debita potius quàm postulata Senatorij ordinis societas aduocauerit. Dat. IIII. Id. Ian. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

III. Iidem AAA. Clearcho PP.

Omnes qui ex Machedoniæ rar * amplissimo Constantinopolitanæ vrbis ordine nati sunt ......dum similitudinem Senatorum gleuali iubemus præstatione reddi immunes. Dat. * Sept. Constantinop. Richomere & Clearcho CONSS.

IV. Imppp. Valent. Theodosius & Arcadius AAA. ad Aurilianum P.V.

Quod ad eorum querimonias, qui se gleualia non posse ferre onera testabuntur, amplissimorum virorum consilio definitum est, scilicet vt septenos quotãnis solidos pro sua portione cõferret, quid † præbitiones implere folliũ non valeret eatenus confirmamus, vt omnes quibus est census angustia contemplatis patrimonij sui viribus, liberam habeant optionem, quatenus si cõlatio

† in aliis lib. legitur, qui præbitionis implere folliũ.

latio ista non displicet, à consortio amplissimi ordinis † non recedant. Sin verò graue, id est damnosum videtur, dignitatem senatoriam non requirant. Dat. prid. Kal. Septemb. Constantinop. Theod. August. III. & Abundantio v. c. CONSS.

† al. non recedant.

v. Impp. Arcadius & Honorius AA. Florentio PV.

Omnes Senatores, qui in sacratissima vrbe consistunt, licet habeãt per longinquas prouincias atque diuersas, possessiones, aurum oblaticium in vrbe persoluant, quod à Procuratoribus & Actoribus suis ad vrbem reditus perferuntur. Sane his Senatoribus qui in prouinciis larem fouent, per prouincias, censuales qui plenam habent notitiam, immineant, quo cognoscant sine dilatione aurum profuturum ærario nostro quantocius inferendum. Dat XVIII. Kalend. Octob. Olybrio & Probino CONSS.

VI. Iidem AA. ad Senatum & populum. Post alia.

Censualibus, quibus onerosa glebæ adfirmatur exactio, onus quidem negotiosum mouemus: sed quia eis plurimam scimus harum rerum esse notitiã, & disquisitionis curam & rationem manifestæ instructionis eis inponimus. Dat. XVII. Kal. Mai. Med. Cæsario & Attico CONSS.

VII. Iidem AA. ad Senatum & pop. Post alia.

Senator patrimonium proprium in quemcunque qualibet ratione transtulerit imminutio .... signationis tempore probata non valeat: sed causa prius erit actis prouincialibus adprobanda. Dat. XVII. Kal. Mai. Med. Cæsario & Attico CONSS.

VIII. Iidem AA. Cæsario PP.

Qui in sacro mansuetudinis nostræ palatio militarint, si cœtui senatus cõsortióque fuerint sociati, iuxta latam dudum legem gleualem tantum sustineant functionem, ad præturæ verò functionem atque onera non vocentur. Dat. III. Kal. Mai. Constantinop. Cæsario & Attico CONSS.

VIIII. Iidem AA. Florentino PV.

Dudum præcipimus, vt aurum oblaticium Senatores qui in sacratissima vrbe degunt, in vrbe conplerent. hij verò qui in prouinciis larem fouerent, per censualium officia in prouinciis soluerent. Sed quoniam cognouimus prædictum officium non posse executioni sufficere, ad prædictum negotium auxilia congrua ab ordinariis Iudicibus volumus ministrari. Dat. VII. Kal. Ian. Med. Cæs. & Attico CONSS.

X. Iidem AA. Felici PV.

Glebam possessionum non personarum esse perspicimus, ac propterea necesse est, vt illis immineat exactio qui ex re eadem reditus cõsequuntur: nam cum censibus deferuntur, non potest auri professio perire domino. Hac itaque sanctione decernimus, vt Hispaniæ in præsens tantum tempus beneficiis indultis vtantur, seruaturi posthac in soluendis functionibus prouinciarũ consuetudinem ceterarum. Dat. IIII. Kal. Apr. Mediol. Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS.

XI. Iidem AA. Troino C. S. L.

A conlatione gleualis auri vel I.....N.........ii tituli ne domum quidem nostram INMUNEM .... esse præcipimus. PP. IIII. Kal. Mart. Med. Vincentio & Auito VV. CC. CONSS.

XII. Impp. Honorius & Theodosius AA. ad Monaxium PV.

Si quis .... Nostris tota impleta militia ad proximatum & comitiuam dispositionum vel magisterium admissionum peruenerit, nulla penitus functione vel glebatione senatoria tum primum ob dignitatem vicariam fatigetur, sitque inmunis à septem quoque solidorũ præstatione, quæ tenuissimos senatorum adsolet obligare. Dat. VI. Id. Maij. Constantinop. Constantio & Constante COSS.

XIII. Iidem AA. Sebastio com.

Si quis desertam possessionem sub peræquationis sorte perceperit, eum à præstatione gleuæ senatoriæ etiãsi antiquitus hoc onus fundũ manebat, alienum esse præcepimus. Illa verò prædia quæ naualem sustinent functionem in desertis huc vsque tacuerunt, meliore condicione in omnibus titulis cõuenit releuati, vt grauis sors pro ea qua resederit portiuncula naualis esse non possit, cùm aliis fuerit dispendiis liberata. Dat. prid. Id. Maij. Rau. Honorio A. XI. & Constantio II. CONSS.

XIV. Impp. Theod. & Arcad. AA. ad Senatum vrbis Rom. Post alia.

Oblationem nobis amplissimi ordinis prompta liberalitate promissam partim remittimus vobis, partim patriæ communi vrbique largimur. Dat. VI. Kal. M. Recitata in senatu per Theodosium primicerium notariorum, DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

XV. Iidem AA. Proculo PV. Post alia.

Præter eos qui notariorum nostrorum scholæ præclaro sunt sacrati collegio, vel silentiariorum prærogatiua nostrorum, aut etiam sacri consistorij decurionum militia muniũtur, vel qui è schola agẽtium in rebus expletis stipẽdiis ad principatum ducenæ peruenerunt, togati prætorianæ atque etiam vrbicariæ præfecturæ, ceteríque omnes, qui delatis sibi senatoriis dignitatibus fruuntur pro suis viribus gleuales tantum functiones agnoscant, palatinis sacrarum & priuatarum largitionum, quoniam renuntiandum senatoriæ dignitati adita nostra clementia crediderunt senatoriis functionibus eximendis, & quamuis senatorum consortio segregentur in omni securitate mãsuris, necnon etiam filiis eorum atque nepotibus secundum diui Constantini atque Constantij Constitutiones, ita vt omne beneficium omnisque adnotatio specialis super immunitate contra huius sanctionis formam à quocunque officio, persona, schola, vel professione elicita nullam habeat firmitatẽ, sed allegata quoque, & ab amplissimo si ita contigerit suscepta ordine denuo cùm libuerit retractetur, totius temporis qui interea fluxerit, ab eo qui hoc impetrare studuerit descriptionibus extorquendis, & si hoc idem præiudicium annotationis tenore elicitæ remittatur. Dat. Prid. Kalendas Feb. Constantinop. Felice & Tauro CONSS.

De prædiis Senatorum. *Tit. III.*

I. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Aureliano P.V.

SI quid Syriarchiæ à senatoriis possessionibus annua conlatione confertur, iubemus aboleri. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio CONSS.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Cæsario PP.

Senatoriæ

Senatoriæ functionis curiæque sit nulla coniunctio, & ne lædendi curialibus præbeatur occasio, per apparitores Rectorum prouinciæ de Senatorum fundis fisco postulentur, habeátque hanc disponendi curam, cui defendendi Senatus sollicitudo mandata est. Si curia sibi censitorem vel peræquatoré voluerit postulare, sibi postulet, non senatui. Dat. Prid. Id. Aug. Constantinop. Arcad. IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

III. Iidem AA. Africano PV.

Acurialibus terris, senatoria gleua discreta sit, nec vlla fiat in possidédo clarissimarum domorum curialiúmque coniunctio, nec vllo exactionis generé vinciantur, ídque curent hij qui per ciuitates defensorum senatus officium susceperint, quorum periculo teneatur, si quid dispositum fuerit in dispendium Senatorum. Sin vero curiales censitorem vel peræquatoré suis terris voluerint postulare, ab eorum petitione sit senatus alienus. Dat. Prid. Id. Aug. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

IIII. Iidem AA. Eutychiano PP.

Docuit tua sublimitas exactionem tributorum Senatus non posse concurrere, adeò vt in nonnullis prouinciis senatorij canonis medietas in debitis resederet, atque ideo ceteris in prioris legis serie permanentibus id solum corrigi atque emendari iubemus, vt senatorij fundi non per officia sed per curiales potius exigantur, ad eósque iterum sollicitudo recurrat. Dat. Prid. Non. Septemb. Ancyra, Cæsario & Attico CONSS.

De prætoribus & quæstoribus. *Tit. IIII.*

I. Imp. Constantinus A. Æliano PV.

Religiosis vocibus Senatus amplissimi persuasi decernimus, vt quæstores ea prærogatiua vtantur, qua consules & prætores, ita vt si quis intra annum sextum decimum nominatus fuerit absens, cum editio muneris celebratur, condemnationis frumentariæ nexibus minime teneatur, quoniam memoratæ ætati placet hoc priuilegium suffragari. Dat. VII. Id. Mart. Sirmio, Constantino A. VI. & Constantio C. CONSS.

II. Idem A. Iuliano PV.

Minores viginti annis ætatis contemplatione infirmæ, hoc etiam remedio subleuamus, vt eius necessitudinis titulo minime teneátur, cuius laqueis vinciantur hij qui post vicensimum ætatis suæ annú trans mare positi, & in prouinciis commorantes, nequaquá ludis circensibus ac scænicis exhibendis sui copiam faciunt, & ideo certo genere multationis obiecti sunt. Dat. Prid. Non. Mart. Acc. Romæ, Constantio & Maximo CONSS.

III. Constantius A. ad Mecilium Hilarianum PP. Post alia.

Prætores & quibus INminet iudicandi necessitas modo ....tis adscriptæ, ne paruo quidem tempore copiam sortiantur abeundi ex vrbe: † qualiter fecerit, multæ obnoxius sit, quæ iam pridem diuo Principi placuit, & perscribtá omnem summam mox inferre cogatur. Dat. VIII. April. Constantio II. & Constante, AA. CONSS.

† *quod si aliter.*

IIII. Idem A. ad Mecilium Hilarianum PP.

Omnes clarissimi, qui per diœcesim sublimitatis tuæ degunt, nostri auctoritate præcepti ad vrbem Romam venire cum INpensis suis, vbi ludi scenico-

rum vel circensium vel muneris ratio poscit cogantur, &c. Dat. IIII. Kal. Iul. Constantio II. & Constante CONSS.

V. Idem A. ad Senatum.

Primæ præturæ quæ flauiali nuncupatione signatur, viginti & quinque milium follium & quinquaginta librarum argenti erogationem sumptúsque præscribsimus: in secunda verò Constantiniana viginti milia follium & quadraginta libras argenti largienda esse censemus: tertiæ triumphalis quindecim milia follium ac triginta argenti libras sine incommodo editoris expendat. Dat. v. Id. Septemb. Antiochiæ post consulatum Constantii II. & Constantis.

VI. Idem A. ad Senatum.

Pro eo quem absentem tempus editionis inuenerit, erogationem debitam fiscus expendat, post aduentum, cuncta quæ prærogata fuerint, soluturo. Dat. v. Id. Sept. Antiochiæ post Conss. D. N. Constantii II. & Constantis.

VII. Idem A. ad Orphitum P. V.

Litteris ad Hilarianum PP. destinatis præcepimus Senatores ad vrbem Romam venire conpelli, vt muneribus iniunctis operam possint præstare solemnem & professionem edere compelli. Eos autem editores, qui tempore præstituto præsentes esse neglexerint, iuxta leges venerabiles diui Constantini quinquagena milia modiorum tritici vrbis Romæ horreis inferre conpelli. Dat. Prid. Id. Mart. Constantino A. VI. & Constantio Cæs. II. CONSS.

VIII. Idem A. ad Senatum.

Hac lege sancimus arbitrio vestro nominationes solitas fieri vsurpatione Iudicum cessante. Dat. III. Id. April. Med. Lecta à Braxio proconsule. Die VI. Id. Maij. Constantio A. VIII. & Iuliano Cæsare I. CONSS.

VIIII. Idem A. ad Senatum.

Placet ne minus quinquaginta Clarissimi veniant in Senatum: certum est namque hoc numero large abundare substantiam virtutis honorandæ. Dat. III. Id. April. Med. Lecta à Braxio proconsule die VII. Id. Maij. Constantio VIII. & Iuliano Cæsare I. CONSS.

X. Idem A. ad Senatum.

† Hac (Cōstāti A.) videtur abūdare. satis enim est quod dicit meo.

Die natali meo † (Constanti A.) Id. August. ac deinceps, designationibus curiam operam dare sancimus. Quòd si forsitan dies vnus altérve non sufficit, tot hæc vtilitas occupet, quot esse monstrauerit necessarios negotij magnitudo: & quicunque forsitan impetrauerit pretio, functorum cœtibus adgregari, indulta ei cesset, adlectionis quærendus est honor: secernimus enim ab his, patres conscribti, quibus meriti suffragatio conciliat nostra beneficia, & quicunque cessante suffragio, inlustribus meritis, prætorij vel aliam meruerit dignitatem præsidio muneris nostri perpetuo perfruantur. Nemo sanè in filium transferat vel nepotem aliúmve quemlibet quod personæ eius incumbit, sed honorem suum capiat, designatus expleat munus impositum. Dat. VII. Id. Maij. Constantio Aug. VIII. & Iuliano Cæs. I. CONSS.

XI. Idem A. ad Senatum.

Si quos in vrbe Roma perfunctos esse claruerit magistratibus ad nulla editionum genera deuocentur, vrbis autem Romæ curiam callide declinantes Clarissimo præditos nomine per Achaiam, Macedoniam, totúmque Illyricū iussi-

iussimus quæri, raro vel nunquam sedem dignitatis propriæ frequentantes quibus locorum grata confinia possint esse iucunda, vt carens moris longinquæ peregrinationis debeat dignitas concupisci. Lecta Prid. Id. Aug. Cōstantio Aug. VIIII. & Iuliano C. II. CONSS.

XII. Idem A. ad Senatum.

Prætores designentur Senatusconsulto legitimè celebrato, ita vt adsint decem è procerum numero, qui ordinarij consules fuerint, quíque præfecturæ gesserint dignitatem, proconsulari etiam honore sublimes. Themistius quoque philosophus, cuius auget scientia dignitatem, etiam his præsentibus, qui præturæ insignia honorémque ante susceperint, latis per ordinem sententiis designentur, ita vt si qui fortè medio tempore humana sorte decesserint, alij in eorum locum, qui eandem dignitatem (vt vtamur veterum verbis) subsortiti fuerant, subrogetur: scilicet, vt qui sequenti post eum anno eandem suscepturus præturam fuerat in demortui locum Senatusconsulto & sententiis substitutus præturæ insignia dignitatémque suscipiat. Dat. V. Non. Maij. Gyfyræ, Tauro & Florentio CONSS.

XIII. Idem A. ad Senatum.

Ex quinque prætoribus, qui solemniter designati editionem celebrare consuerunt, tres numero editionis necessitati & populi voluptatibus † dent, duo verò argentum inferant eiusdem vrbis fabricis prouida ratione profuturum: namque Constantiniana, quæ prior est ita deputari fabricis debet, vt libras argenti prætor expendat: flauialis verò quæ tertia est, quingentas operibus eiusdem vrbis exhibeat. Quòd si qui ex his qui pretores fuerint designati ad editionem subeundam venire non potuerint vel ætate vel ægritudine retardati, cum pondere quod à nobis moderantibus conditum est, ad officium præfecti vrbi procuratorem debebunt ilico destinare, scilicet, vt sub eius præsentia opus quod exerceri cœptum fuerit construatur, hac pollicitatione duntaxat, vt eidem operi ex eius nomine titulus scribatur in potestate censualium denominatio non sit, sed ante decennium legitimo Senatusconsulto prætores designati editionem preturásque ipsas Senatus arbitrio sortiantur, ita vt si conuenti idem venire neglexerint, dimidium plus quàm quanti sumptuū necessitas postulat, vel in argēto, vel in ipsis pigneribus ad prefecti vrbi officium destinetur. quod quidem pondus operibus publicis debebit adscribi sine vlla commendatione adque inscribtione eius nominis, qui officia dignitatis per contumaciam detrectarit. Quod si Iudices, qui præfecti vrbi fuerint inscribtione conuenti, rem segnius exsequuntur & nequaquam aut ipsos ad vrbem aut pignera destinarint, per singulos prætores ipsi Iudices denas auri libras, officia verò eorum quinas denas inferre debebunt, ita vt exerto vigore prefecti vrbis libre auri pondus exactum operibus faciat mancipari: nec vlla protrahendi sit causa, cùm in tantum prefecture vrbi dignitatem auctam esse velimus, vt hec condemnatio ob segnitiem conuentionis inflicta missis ab eodem prefecto vrbi officialibus debeat postulari. Quòd si qui fortè vicaria potestate perfuncti preturam hinc ceptum aferri student, statutum pondus argenti viribus inferre nostre vrbis adigantur, videlicet vt tantum inferant, quantum eos pretores inferre iussimus, qui editionis necessitate cessante argentum fabricarum contem-

† operam

platione præbituri sunt. Dat. v. Non. Mai. Veronæ, Tauro & Florentio CONSS.

XIIII. Idem A. ad Senatum.

Placuit patres conscripti eos solos designare prætores, qui aliquibus editionibus functi sunt, si cui displicet, vt præualeat numerus, isque prædictum accipiat magistratum quem plures crediderint eligendum. Dat. XI. Kal. Iun. Sirmio, Eusebio & Hypatio CONSS.

XV. Idem A. ad Senatum.

Meministis profecto patres conscribti, nec vllius temporis auellet obliuio, quod Facundus exproconsule & Arsenius ex vicariis prætorum insignibus splenduerunt, nec quisquam horum putauit esse præturam intra propriam dignitatem. Quid autem inlustrius his repperitur exemplis, debuerat profecto res ista, debuerat alios etiam conmonere proconsulari ac vicariæ præfecturæ præditos potestate non esse præturam minorem propriis meritis. Oportuit adpeti splendidos fasces, decuit tanti nominis gloriam concupisci, nec aliquẽ omnino fas erat nominationibus reluctari, quas nec ratio prohibet, & exempla cõfirmant, à vobis ergo prætores placuit designari, & vestro eligi arbitrio iussimus qui suscipiant fasces editionibus operam præbituri, nec ad notitiam nostram præfectíve prætorio Clarissimi viri super donationibus vllis referri. Dat. XI. Kal. Iun. Sirmio, Eusebio & Hypatio CONSS.

XVI. Idem A. ad Senatum.

Prætori defertur hæc iurisdictio sancientibus nobis, vt liberale negotium ipse disceptator examinet, adsertionibus ordinatis, quas iuxta ordinem iuris conuenit celebrari. Sane interponi ab eo decretum conueniet, vt siue in integrum restitutio deferenda est, probatis duntaxat causis ab eodem interponatur decretum, tutoris dandi seu ordinandi Curatoris, impleatur ab eo interpositio decretorum, quippe cum aput eum quoque adipisci iubeat patronorum iudicio sedula seruitus libertatem, nec sanè debita filiorum votis patrum vota cessabunt, vt patente copia liberos suos exuant potestate magis propriis obsequiis mancipatos, cum se intelligant his obsequiis plus debere quibus sese meminerunt vinculis curiæ exutos. Dat. III. Kal. Ian. Eusebio & Hypatio CONSS.

XVII. Impp. Valenti. & Val. AA. ad Olybrium P.V.

Diuinum parentem nostrum Constantinum sanxisse perspeximus, vt quãdo viuo patre atque omnia cognoscente munera senatoria, eundem nominatum prætorem diem functum esse proponeretur, ac superstites viderentur esse filiæ masculorum natura minime extante, nullam executionem haberent. Feminæ igitur quando euenerit non solum masculos successuros esse patri suo, verumetiam feminas hereditario iure succedentes aduenire, tam præturã quam etiam oblationes vniuersas personis earundem nullo modo concedas, siue plenæ ætatis siue adultæ constitutæ fuerint. Sed iuxta portionem hereditariam singularum personarum ad tributa paterna subire & ipsas conpellere curabis. Etsi iniustum enim atque dedecus videtur mulieres ad laticlauum atque insignia procedere, tamen † carbonariam præturam iuxta glebam paternæ substantiæ cognoscere poterunt. Dat. XIIII. Kalendas Feb. ipsis AA. CONSS.

† *forte, cum non onerariam.*

XVIII. Idem AA. ad Volusianum P.V.

Legem diuæ memoriæ Constantini, qua editores munerum siue ludorum, si editionis tempore abesse voluissent, condemnari pro dignitatis gradu certa tritici quantitate præcepti sunt, fixam atque inuiolabilem volumus permanere. Sinceritas tua igitur vbique his quibus liberum conmeatum clementia nostra concesserit, in omnes reliquos promulgatam Med......IIII. Kal. Iul. Cõstantinop. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XVIIII. Idem AA. ad Senatum.

Satos de Frygiæ gregibus equos XX. quattuor subiugandos quadrigis, hoc est simul octo duobus maximarum editionum prætoribus dari facimus. Dat. Idib. April. Antiochiæ, Modesto & Arintheo CONSS.

XX. Idem AA. Clearcho P.V.

Incundi magistratus vnum omnium diem prætoribus quattuor esse oportet, Ianuariarum scilicet Kalendarum. Et si quis vel differendum vel contemnendum esse crediderit, nõ solum statum editionis pretium cogatur exsoluere, verumetiam multæ quoque nomine dimidium extrinsecus pretij cogatur inferre. Dat. VIII. Id. Mai. Modesto & Arintheo COSS.

XXI. Imppp. Valentin. & Valens & Gratianus AAA. ad Bapponem P.V.

Tempore quo temonarij designantur etiamsi nominatio celebretur, fiatque conuentio, quam officium P.V. curare oportet, & si ita res expetit officiis prouinciarum ad peruestigandum fide vti, quam conmodatur ipsi potissimum super designatorum nominibus consulamus, quo missis & strenuis obligatisque Iudicibus non modo temonarios, verùm conplices quoque eorum in exhibitionem proprij muneris vrgueamus. Fingamus enim posse fieri, vt designati primo & secundo vel tertio anno subterfugere inquirentium sollicitudinem possint, certe septem reliquis haut dubie poterũt† referri. Denique vt prius statuimus, eorum qui per annos singulos ad candidatum atque honores certos† noscuntur in scientiam nostram post designationem debitam insinuatione fida vocabula deferant, & in subrogandis certis quibus in diem functorum locum ordo teneatur & licentia molita deroge officiis quæ ex denuntiatione huiusmodi quæstum sæpe secuta sunt simul prouinciales nostri, aut animentur spe leuioris imponsæ: aut certe si editionis suæ tempore conmunem patriam declinarint metu congruæ seueritudinis vrgueantur. Nec sanè excipimus eos, quos ad præsens labor publicus officiúmve detentat, prouidentia secutura, vt aut conuenientia nobis inuicem propriam idoneas dirigant, aut ipsi quia res exegit sumpto temporario conmeatu Romam ire deproperent. Super prouisione autem Senatus egregij atque consulto, quo definiri à nobis reuerentissimè depoposcit, vt duo vel tres de his qui nominantur candidati arcæ possint certo argenti pondere sociari, tunc melius æstimare poterimus, cum duos folles, aut quattuor, aut certe amplius in professionem habebunt quid sustinere in muneribus possint aut debeant, quíve editionis ordo sit. cum enim populo fuerit intimatũ cõlata à nobis editionis necessitate cum subsidiis facultatum & professionis modo, rite poterit definiri quid vnusquisque expensæ pro captu virium debeat sustinere. Sanè eorum arbitrio nulla lege præscribimus, qui pro consideratione patrimonij nataliúmque merito secundum splendorem honoris proprij,

† reperiri.

† vocantur

enormitatem impendij non recusant. His enim prouidédum nos hac ratione censemus, qui non solum admonendi sunt ne muneri suo desint, verum præscriptorum sumptuum vilitate ac moderatione prouocãdi. Dat. XI. Kalendas Septemb. Nasonaci Modesto & Arintheo coss.

XXII. Iidem AAA. ad Senatum.

Ante decem annos cuiuslibet editionis prætorem nominari, & intra quinque mẽses designatum iussimus conmoneri, vt aut editurus pręstet adsensum, aut si refert contrariam voluntatem, futuri examinis iudicium non moretur. nam intra septem menses adcelerandæ cognitionis terminus constitutus dilationis licẽtiam imperio fundatæ definitionis excludit. Nec enim allegationibus cuiusquam vlla poterit esse reparatio per ignauiam silentij pigrioris, si definitum tempus fuerit euolutum, si post habitam taciturnitatẽ seræ voluerit merita defẽsionis ostẽdere. Decem verò auri libras ab vniuerso officio per singulas nominationes iubemus inferri, si designatus prætor intra quinque mẽses nulla fuerit admonitione cõuentus, ita vt cum præfecto vrbi electi ex ordine candidato cum allegationes suas pretor nominatus exponit, suscipiãt officium, audiríque singulos cupiant patienter. Et si admittẽda sunt, quę dicuntur, arbitrio iustitię vindicari. Sin verò inanis probatur assertio, inprobas voces seuerioris sententiæ auctoritate conpesci. Disceptandi ergo moderatio cũcta componat, cesset potẽtia, ac similiter ambitionis patrocinium repellatur, nullum inique temporibus nostris à quoquam vel opprimi patimur vel defendi. Quòd si quisquam Iudicum hæc præcepta transcenderit, vel nouæ præsumptionis insania quæ sunt sanctionibus consecrata violarit, vt hostis publicus aut expugnator vtilitatis inuentæ cõtra senatusconsulta inportuni furoris temeritate congrediatur, & arbitrio nostro & vestro iudicio notam perpetrati criminis sortietur similis culpę insimulatione nectendis, qui cum eodem residentes propriæ nobilitatis obliti adulantis gratię turpissimam pretulerint vilitatẽ. Nec sanè fas erit huiuscemodi reis veniam relaxari, qui per patrocinia Iudicum distrahẽtes & senatus temptauerint infamare collegiũ, & sub auctione vẽdiderint ius Romanum. Nominatores autem pretorum Iudices esse non patimur, qui dum arbitrium suum cupiant adprobari, insolentius aliquid quàm moderatio patitur, sui contemplatione decernunt. Si quem verò ex nominatis pretoribus pro huius auctoritate grauior condemnatio sauciauerit, ab editionis eum placet onere submoueri, duabus videlicet exsistentibus causis, quod vel erogationi idoneus esse non valeat; vel suscipere, qui culpam meruit, non debeat dignitatem. Cauendum est autem ne sub hac permissione cõcessa, etiam illis qui leui fuerint emendatione correcti, huiusce patrocinij gratia deferatur, cùm his vtique tantum debeat prouideri, quos grauissimi dispẽdij mole fatigatos subitum pondus obpressit. Quòd si probabilis fuerit & iusta conquestio releuatæ necessitatis, gratiam consequatur. Dat. v. Id. Iun. Valentiniano & Valente IIII. AA. coss.

XXIII. Iidem AAA. ad Senatum.

Ab illis editionis peti ordinem non debere, iustitia pariter & cõsuetudo declarat, qui cõsulares ac prætorios codicillos suo excellenti merito ac nostro sũt beneficio consecuti. Lecta Idus Iun. Valẽtiniano & Valente IIII. AA. conss.

XXIIII. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Senatum.

Ne quis prætorum semel præstitutæ expensionis transeat modum. Sed ne officiis aliquid largiatur. Dat. III. Kal. Iun. Antiochiæ Valente v. & Valentiniano Iuniore AA. CONSS.

XXV. Imppp. Grat. Valentin. & Theod. AAA. ad Senatum.

Prætores quatuor vobis tot addimus quot fuerunt. Prima igitur, patres cõscripti, Constantiniani & Constantiani nominis est prætura. Theodosianum enim & Arcadianum prætores primis prætoribus addidistis. Veteres triũphalem prætorem bellicæ felicitatis causa repperetunt, nos iniunximus Augustalem. His omnibus bonorũ insignibus Romani nominis prætura sociatur, huic sociauimus laureatum: Constantiniana & Constantiana prætura per duos dãda libris argenti mille, Theodosiana verò & argẽti mille, Triumphalis verò & Augustalis libris argenti quadringẽtis & quinquaginta: Romana verò & laureata libris argenti ducentis & quinquaginta peragantur: ita tamẽ vt ad vnamque præturam conueniens summæ medietas à singulis vt iam diximus conferatur, ac bini posthac incipiant agnoscere quod singuli antea transigebant. Dat. x. Kal. Nouemb. Constantinop. Richomere & Clearcho CONSS.

XXVI. Imppp. Theodosius, Arcad. & Honorius AAA. Auriliano P V.

Nominãdorum prætorum sollicitudinem inlustris magnificentia tua ad officium censuale sciat esse reuocandum. Dat. III. Kal. Mart. Constãtinop. Theodosio A. III. & Abundantio viro clarissimo Consulibus.

XXVII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Dextro PF. P.

Cunctos quæstores & prætores qui in agris degũt, susceptum & promissum munus pro notitia officij censualis pro eorum dignitate, vel quod spontanea voluntate professi sunt, dare præcepimus. Dat. Kal. Nouemb. Brixiæ, Olibrio & Probino VV. CC. COSS.

XXVIII. Iidem AA. Simplicio PF. P.

Post alia.

Qui ducatum administrarunt, ad editionem vel nominationem præturæ pertineant, præter eos qui grauissimam armatæ militiæ sollicitudinem longa tẽporum serie pertulerunt, & eos qui sacri consistorij nostri arcanis interesse meruerunt. Hos enim à præturæ munere alienos esse censemus. Dat. x. Kal. Ian. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. Augg. CONSS.

XXVIIII. Iidem AA. .... P V.

Nuper quidem huiusmodi præcesserat sanctio principalis, vt theatralis per prætores facienda depensio in aquæductus fabricam verteretur: nunc verò iusta moderatione facias custodiri, vt prætores Romanus & Laureatus natalibus nostri numinis scænicas populo præbeant voluptates. Dat. IIII. Kalend. Ian. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

XXX. Iidem AA. Eutychiano P F. P.

Ex quinque prætoribus qui aquæductus Theodosiaco fuerant deputati, vnum qui centum librarum argẽti munificentiam suam definita erogatione præcludit, æterni principis ac fratris mei Honorij natalium festiuitatibus præcipio deputari. Dat. Prid. Kalendas Ian. Constantinop. Arcadio IIII.

& Honorio III. AA. Conss.

XXXI. Idem AA. ad Senatum & populum. Post alia.

Neminem editorum quos votiui sumptus designarit electio responsum nostræ tranquillitatis soluat, sed designationum ordo seruetur, &c. Dat. XVII. Kal. Maij. Med. Cæsario & Attico CONSS.

XXXII. Iidem AA. *

Prætor diuini numinis nostri pro his prætoribus, qui primę editionis fuerāt adtributi, præbeat populo voluptates. Dat. VI. Kal. Iul. Nicomediæ. Accep. Prid. Kal. Aug. Constantinop. Cæsario & Attico Conss.

XXXIII. Idem AA. Seuero PV.

Prętores qui loco primo sunt, trecentas libras argenti in explecando munere non cogantur excedere. Hi verò qui primos sequuntur, centum quinquaginta libras argenti depensuros esse cognoscant: at verò hi qui loco tertio numerantur, centum libras argenti dependant, nec cuiquam profundendi licentia tribuatur. Quia verò theatralibus & Circensibus ludis per annos singulos celebrandis vnus prætor nutu nostræ clementiæ quingentarum librarum argenti nuper fuerat deputatus: nunc verò hanc quantitatem constat in prioribus prętoribus.

Hic folium integrum deest in authentico.

Vt dignitatum ordo seruetur. *Tit. V.*

Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Clearchum PV.

NIhil est tam iniuriosum in conseruandis & custodiendis gradibus dignitatum, quàm vsurpationis ambitio. Perit enim omnis prerogatiua meritorum, si absque respectu & contemplatione vel qualitate etiam prouectionis emeritę custodiendi honoris locus pręsumitur potius quàm tenetur, vt aut potioribus eripiatur id quod est debitum, aut inferioribus prosit quod videtur indebitum. Dat. IIII. Kal. Ian. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

INTERPRETATIO. *Nemo sibi honores vel dignitatem quam à principe non meruerit præsumat, quia sicut eis qui meruerunt dignitas ornamentum est, ità nota maculandi sunt qui præsumunt.*

II. Idem AAA. ad Prętextatum PV.

Cælestis recordationis Valentinianus genitor numinis nostri singulis quibusque dignitatibus certum locum meritumque præscripsit. Si quis igitur indebitum sibi locum vsurpauerit, nulla se ignoratione defendat, sitque planè sacrilegij reus, qui diuina præcepta neglexerit. Dat. XII. Kal. Iun. Mediolani Richomere & Clearcho VV. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis præsumpserit quam non meruerit à principe dignitatem, sacrilegij reus habeatur. Hic de iure addendum quæ sit pœna sacrilegij.*

De

De consulibus, præfectis, magistris militum & patriciis.
Tit. VI.

Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Senatum PV.

DIuersa culmina dignitatum consulatui cedere euidenti auctoritate decernimus. Sed vt consulatus præponendus est omnibus fastigiis dignitatum in omni etiam curiæ senatoriæ actu, sententia, cœtu, ita si quis consulatu & præfectura vel culmine militari conspicuus est, pridem consulari præferendus hautdubio est. Porro si contigerit vt ad duas has prærogatiuas etiam patriciatus splendor addatur, oportet huiusmodi virum præter ceteros eminere, neque enim vnus tantum honor potest duobus aut tribus anteferri, dummodo consulatui ex his quæ designatę sunt dignitas quęcunque societur. Dat..... April. Antonio & Syagrio VV. CC. CONSS.

De præfectis prætorio siue vrbis & magistris militum.
Tit. VII.

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium PV.

PRæfectum vrbi, præfectum prętorio, magistros equitum ac peditum indiscretę ducimus dignitatis, vsque adeo videlicet, vt cũ ad priuatam secesserit vitam, eũ loco velimus esse potiorem, qui alios promotionis tempore & codicillorum adeptione pręcesserit ......circa expressum ordinem ciuitatum illic potissimum volumus custodiri, vbi intra secretaria extraordinarióśque conuentus subest ratio visendi salutandíque Iudices. Ceterum in amplissimo curiæ nostræ intimóque consessu digestas ordinationibus priscis optineant dignitates. Dat. III. Non. Iul. Nasonaci. Acc. IIII. Non. Sept. Modesto & Arintheo CONSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. Restituto PV.

Quisquis magisterium equitum peditúmq; susceperit, & gesserit ante captam à quoquam præfecturam: is cum priuatus erit, honorémve deposuerit, ex præfectis, qui post prouecti fuerint, præferatur. Sit igitur sedis prior ante prouectis locus conspectior, decernendi loquendíque facultas antiquior, cui est splendor adepti magistratus vetustior, &c. Dat. VIII. Kal. Iul. Thessal. Gratiano. V. & Theod. I. AA. CONSS.

De præpositis sacri cubiculi. *Tit. VIII.*

Impp. Honorius & Theodosius AA. Florentio PV.

QVi sacri cubiculi nostri fuere pręposìti, vel nunc esse cœperunt, vel quos postea sors ad ascẽdendi huius gradum fastigij deuocarit, ea dignitate fungantur qua sunt præditi, qui eminentissimam prætorianam & vrbanam meruerint præfecturã, aut certe militarem magisteriam potestatem, ita vt sit inter eos post depositas administrationes

nulla discretio, siue nostræ serenitatis adoraturi admittuntur imperium, siue pro suo arbitrio sollemnes festiuitates & cœtus vel salutationes, vel quælibet alia officia frequentent, vt in sedibus & consessu is eis ordo seruetur, quẽ ordo prouectionis ostenderit, sub habitu ipsis videlicet consueto, cum manifestè decretum sit eum esse, qui præcesserit, potiorem, vel illum subsequi, quem recentius probauerit examen. Sed vt nos ad hanc promulgationem Macrobij viri inlustris merita prouocarunt, ita obseruationem quoque legis ab eius volumus sumere prouectionis auspicium, vt qui ante ipsum fuerunt sub hac cõdicione, præstituto honore lætentur, vt non suæ promotionis tempora ad legis vsurpationem reuoluant, nec præferri se postulent hiis qui prætorianã vel vrbanam præfecturam vel militare magisterium post eorum prouectionem sortiti sunt, sed perinde habeantur ac si nunc cœperint & in eodẽ ordine permanentes, in quo nunc eos liberalitas nostra constituit prouectionis viri inlustris Macrobij tempora metiãt, vt ex huius administrationis exordio prout quisque prouectus est vel fuerit prouehendus, suę locum vindicet dignitatis. Dat. VIII. Id. Nouemb. Constantinop. Honorio XIII. & Theodosio X. AA. CONSS.

De quæstoribus, magistris officiorum comite sacrarum largitionum & rerum priuatarum. *Tit. VIIII.*

I. Imppp. Valentin. & Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium PV. Post alia.

EOrum honores qui sacrario nostro explorata sedulitate obediunt, hac volumus obseruatione distingui, vt quęstor atque officiorum magister necnon duo largitionum comites proconsularibus honoribus præferantur, &c. Dat. III. Non. Iul. Nasonaci. Accep. III. Non. Sept. Modesto & Arintheo CONSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. Restituto PV. Post alia.

Qui ex quæsturę honore aut efficaci magisteria aut comitiua vtriusque ærarij nostri attonito splendore viguerunt, adclamatione excipiantur solita, nec prætereantur vt incogniti, atque vt non æquandi illis qui gesserint præfecturas, sed eo obseruentur cultu omni cœtu omníque conuentu, neque enim † pars est tio meriti, etiamsi interuenit dilatio vlla, quoniam cohærent his dignitatibus, quæ hisdem iure debẽtur. intersit aliquid inter tempora magistratuum vitámque priuatam. actus depositi dignitas pares eos viros præstat atque honore consimiles. quid enim in his quattuor dignitatibus non ex congrua diuersitate putemus esse commune? quod cum ita sit, hos viros haberi volumus, non vt qui meruerint tantum, sed quasi qui gesserint præfecturas, cum non priuilegiis temporis præferantur, sed honoris æqualitate lætentur. Dat. VIII. Kal. Iun. Thessalonicæ Gratiano V. & Theod. I. AA. CONSS.

† forte, impar est ratio.

De primicerio & notariis. *Tit. X.*

I. Imppp. Gratianus, Valent. & Theodosius AAA. Eutropio PP.

PRæcipua est nostræ pietatis intentio circa notariorum nomen: atque ideo si vnquam huius ordinis viri laborem quiete mutauerint, vel senectute posuerint, seu cum alia dignitate post hanc qualibet

vsi

vsi sunt, non omittant prioris vocabulum militiæ, sed compendium sequenti honoris adsumant: & si quis ex officio vel præcipuæ sublimitatis tuæ temerarius ad census discussiones, perequationes, aliam denique vllam rem inquietator extiterit: officium suum nouerit, vel leuis culpæ offensione detecta grauis multę discrimine fatigandum, & numerariorum corpus extincto iniurię auctore minuendum. Dat. XVII. Kalendas Iul. Thessalonicę, Gratiano V. & Theod. I. AA. CONSS.

II. Iidem AAA. ad Valerianum PV.

Notariorum primicerios, si prout eorum voluntas fuerit de consistorio nostro sine administratione discesserint, non solum vicariis anteponi, sed etiam proconsulibus ęquari sancimus: ita vt nihil nisi tempus intersit. eodem honore atque eodem ordine sequens primicerium tribunus ac notarius perfruetur: alios porrò notarios & tribunos vicariis iubemus æquari, ac si priores id vocari cœperint anteferri, ad verò domesticos & notarios consularibus simili ratione conponimus, &c. Dat. IIII. Kal. April. Acc. XII. Kal. Maij. Syagrio & Eucherio vv. cc. CONSS.

III. Iidem AAA. Floro PF. P.

Notariorum primicerium in numero proconsulum habemus, tanquam comites eis semper fasces cum curialibus dederimus, prætorianos lõge ab hoc abducimus, vt qui ad tribunatum nominis huius accesserint, orientis siue Ægypti comitiuæ videantur infulas consecuti: tribunos residui ordinis nemo dubitet vicariis exæquandos & præferendos his quos adepti honoris præcesserint, reliquos verò quos domesticum inter notarios & familiares nobis nomen insinuat, parem gradum cum consularibus obtinere sancimus, &c. Dat. Id. Decemb. Constantinop. Syagrio & Eucherio CONSS.

IIII. Impp. Theodosius A. & Valent. Cæsar. Hierio PF. P. Orientis.

Eos qui ex primiceriis notariorum ad inlustrẽ meruerint Magistri à vigiliis atque laboribus procedere summitatem, minimè redigendi sunt in ordinem ceterorum, qui honorarios meruerint codicillos: quoniam & res ipsa quod primũ locum sint militiæ nobilis adsecuti, & publica sæpe impleta commoditas nunquam otiosos fuisse testatur, &c. Dat. X. Kal. Oct. Topiso, Theodosio A. XI. & Valentiniano Cæs. CONSS.

De magistris scriniorum. *Tit.* XI.

Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium P. V.

Post alia.

MAgistros scriniorum nostrorum pręferri volumus vicarianę potestati, &c. Dat. III. Non. Iul. Nasonaci. Ac. III. Non. Septemb. Modesto & Arintheo CONSS.

De comitibus consistorianis. *Tit.* XII.

Impp. Arcadius & Honorius AA. Seuerino PV.

COmasij nos & Clearchi virorum spectabilium dignitas admonuit, eos qui tranquillitatis nostrę consistorij dici comites meruerunt, proconsularibus ęquari generaliter iuberemus, vt eorũ menso ordine ante omnes alios ipsi vindicent dignitatem. Dat. VII. Kal. Octob. Constantinop. Theodoro v. c. CONSS.

De comitibus & tribunis scholarum. *Tit. XIII.*

Impp. Honorius & Theodosius AA. Prisciano PV.

PRæpositos ac tribunos scholarum qui & diuinis epulis adhibentur, & adorandi principis facultatem antiquitus meruerunt, inter quos tribunos etiam sacri stabuli & cura palatij numerantur, si primi ordinis comitiuam cum pręposítura meruerint, & casu ad altiora non peruenerint, deposito sacramento inter eos qui Comites Ægypti vel Ponticæ diœceseos fuerint, quorum par dignitas est, haberi pręcepimus. Sin absque honore comitiuę cuiuslibet scholę regimen fuerint nancti absolutos militia inter eos qui duces fuerint prouinciarum numerari iubemus, &c. Dat. XII. Kal. April. Constantinop. Lucio V. C. CONSS.

De comitibus rei militaris. *Tit. XIIII.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. Ampelio P. V. Post alia.

QVi contemplatione meritorum ducto intra prouincias transmarinas strenuissimè milite, primi ordinis comitiuam fuerint consecuti ea reuerentia altissimarum dignitatum viris subiugantur, vt his locum pręstent, qui proconsulatus insignibus adornãtur, &c. Dat. III. Non. Iul. Nasonaci, Modesto & Arintheo CONSS.

II. Impp. Arcadius & Honorius AA. Florentino PV. Post alia.

Neminem militaris corporis virum reuocari ad curiam liceat post primi ordinis comitiuam, dummodo tam probata merita sudati diu laboris quàm fructuum anteacti operis adsequatur. Ceterum si à quoquam hæc fuerint sine vsu prioris militię vel prima vel sola dedecorando ambitu turpiter impetrata: quia videntur in fraudem quæsita, non proderunt: diutius tamen repeti non licebit etiam cum secundi ordinis comitiuam præmiis impetrauerit, &c. Dat. XII. Kal. Ian. Mediol. Cæsario & Attico CONSS.

III. Impp. Honorius & Theodosius AA. Prisciano PV. Post alia.

Eos qui sub comitiuæ primi ordinis dignitate peculiariter ad quamlibet prouinciam vel prouincias defendendas milite credito auctoritate nostri numinis destinantur, & eos qui vicem inlustrium virorum magistrorum militũ susceperint peragendam, ducibus, qui præter Ægyptum & Ponticam in aliis prouinciis administrauerint, adæquamus. Dat. XII. Kal. April. Constantinop. Lucio viro Clarissimo CONSS.

De comitibus, qui inlustribus agentibus adsiderunt. *Tit. XV.*

I. Impp. Honorius & Theodosius AA. ad Priscianum PV. Post alia.

ADsessores qui cum primi ordinis comitiua virorũ inlustrium in actu positorum siue in prouinciis, siue in sacro comitatu iuuerũt consilia vel iuuabunt, inter eos qui vicariam præfecturam administrando meruerint habere, post militiam iubemus depositam: quoniam absurdum est primi ordinis comitiua decoratos inferiores esse vicariis sedis excelsæ, quorum crescit dignitas, cùm vicaria potestate comitis

mitis primi ordinis insignibus decorentur, &c. Dat. xv. Kalend. April. Constantinop. Lucio v.c. CONS.

De comitibus & archiatris sacri palatij. *Tit.* XVI.

Impp. Honorius & Theodosius AA. Prisciano PV. Post alia.

ARchiatros intra palatium militantes, si comitiuæ primi ordinis nobilitauerit gradus, inter vicarios taxari præcipimus, siue iampridem deposuerunt militiam, siue postea deposuerint: ita vt inter vicarios & duces qui administrauerint, & hos qui comitiuam primi ordinis meruerint, nihil intersit, nisi tempus quod quis administrauerit, vel comitiuæ est indeptus insignia, &c. Dat. XII. Kal. April. Constantinop. Lucio v.c. CONS.

De comitibus qui prouincias regunt. *Tit.* XVII.

Impp. Honorius & Theodosius AA. Prisciano PV. Post alia.

SIlentio nõ præterimus hos qui in administratione ciuili ac prouinciæ gubernaculis sub iurisdictionis licentia comites quoque primi ordinis esse meruerint. Nam hos quoque vicariæ dignitatis post depositam administrationem priuilegiis frui oportet, &c. Dat. XII. Kalendas April. Constantinop. Lucio v.c. CONS.

De comitibus vacantibus. *Tit.* XVIII.

Impp. Honorius & Theodosius AA. Epiphanio PV.

NVllam honorabiles viri in publicis salutationibus patiantur iniuriã, néve se illis vllus anteponat, qui primi ordinis comitiuam aut pretio impetrauit aut gratia. Licet enim vnum nomen sit, tamẽ est meritis æstimandum, eósque solos tempore obseruare conueniet, qui post probatos labores in nostro palatio comites esse meruerunt. Ac ne inpune vllius temeritas contra statutum nostrum possit audere, decem librarum auri officiis omnibúsque quos salutationis cura constringit, damnum præcipimus imminere. Dat. Idib. Octob. Rauenn. Honorio VIII. & Theodosio V. AA. CONSS.

De consularibus & præsidibus. *Tit.* XVIIII.

Impp. Arcadius & Honorius AA. Messalæ PP.

HOs qui consularitatis functi sunt dignitate, comitibus Italicianorum & Gallicianorum iure præferimus: si quidem haud exiguus sit titulus meritorum regere & gubernare prouincias. Dat. III. Calend. Octob. Aquileia, Stilicone & Auriliano vv. cc. CONSS.

De comitibus ordinis primi artium diuersarum. *Tit.* XX.

Impp. Honorius & Theodosius AA. Prisciano PV. Post alia.

HIj quos aut vulgaris artis cuiuslibet obsequium, aut operis publici cura temporalis iniuncta, aut rerum publicarum procuratio leuis commissa adeò conmendarit, vt comitiuæ primi ordinis dignitate donentur, sciant se inter eos, qui consulares fuerint amoto officio quod susceperant, nominandos, nisi forte emolumentis contenti, quæ tempore militiæ perceperunt, spreto nomine ac dignitatem consularis viri du-

xerint respuendam, ne conlationis onus sustineant, vel frequentare senatum aliósque huiusmodi conuentus, qui honoratorum frequētiam flagitant conpellantur, &c. Dat. XII. Kal. April. Constantinop. Lucio v.c. CONS.

De professoribus, qui in vrbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt comitiuam. *Tit.* XXI.

I. Impp. Theodosius A. & Valentinianus Cęsar Theophilo PV.

GRammaticos Gręcos Helladium & Syriamum: Latinum, Theofilum, Sofistas, Martinum & Maximum: iurisperitum Leontium placuit honorari codicillis comitiuæ ordinis primi iam nunc à nostra maiestate perceptis, ita vt eorum, qui sunt ex vicariis, dignitate potiantur. Qua in re quicumque alij ad id doctrinæ genus quod vnusquisque profitetur, ordin....dentur, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam facundiámque dicendi, interpretandi subtilitatem, copiámque disserendi se habere patefecerint, & cœtu amplissimo iudicante digni fuerint æstimati, qui in memorato auditorio professorum fungantur officio. Hi quoque cum ad viginti annos obseruatione iugi ac sedulo docendi labore peruenerint, hisdem quibus prędicti viri dignitatibus perfruantur. Dat. Idib. Mart. Constantinop. Theodosio A. XI. & Valentiniano Cæsare CONSS.

De honorariis codicillis. *Tit.* XXII.

I. Imp. Constantinus A. ad Seuerum PV.

SI quis iudicio nostro se adeptū codicillos adstruxerit, & idem vel superna codicillorū impressio vel scriptura adstipuletur interior, tamen si ad hoc pecuniam constabit speratam, nihilominus reiectus in plebem, quo plus extorquere conatus est, abdicetur. hos enim solos, qui intra palatium versati sunt, vel administrationibus functi, ad honores excipi oportebit ceteris cunctis exemptis & suis restitutis. Si qui tamen bonorum virorum suffragio nulla data pecunia, vel prouinciæ legatione suscepta, nostris sunt obtutibus inlustrati, duumviratus curas testimonium prouinciæ lucrati, cetera munerum publicorum obire non abnuant. Qui verò coëmtis procurationum administrationibus post lucra de fisco captata vacationem meruerint, siue perfectissimi sunt, siue inter egregiorum ordinem, locúmque constiterint, decuriones nominentur: quibus illi quoque addendi sunt, qui neque ex administrationibus sunt, & tamen vt perfectissimi delitescunt. Dat. X. Kal. Feb. Sirmio Acc. Non. Apr. Crispo II. & Constantino II. CC. CONSS.

II. Imp. Constantius A. Aconio Vicario Africæ.

Ab honoribus mercandis per suffragia vel qualibet ambitione quærendis certa multa prohibuit. cui addimus, vt quicumque fugientes obsequia curiarum vmbras & nomina adfectauerint dignitatum, tricenas libras argenti inferre cogantur, manente illa præterita inlatione auri, qua perpetua lege cōstricti sunt. PP. V. Kal. Dec. Acc. XVII. Kal. Iun. Thamugadi, Vrso & Polemio CONSS.

III. Idem A. ad Marcellinum PP.

Cuncti qui per suffragia præsidum aut rationalium adepti sunt dignitatem, Iudicibus iniuncta protinus exequi debent: nam sif.... de palatio serenitatis nostræ

nostræ ad exactiones ordinentur, neque his honor in quo sunt positi opem præstet vtilitate publica præualente: quāto magis opus est, iussis obsequi, parere præceptis, inseruire mandatis eos, qui dignitatis fructum antequam mererentur adepti sunt, præsertim cum & statum suarum nouerint ciuitatum, & nullius exactionis rationem ignorent. Illos autem ad huiusmodi officia minime deuocari oportet, quicunque in republica prouinciarum adsecuti sunt debitas dignitates, & per administrationis seriem atque actus in summo splendore versati sunt. Dat. IIII. Kal. Iul. Acyndino & Proculo CONSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. Ampelio PV. Post alia.

Qui contemplatione meritorū honorarios magisterij equitum adepti sunt codicillos, ea reuerentia altissimarum dignitatum vires subiungantur, vt his locum præstent, qui proconsulatus insignibus adornantur, &c. Dat. IIII. Non. Iun. Nasonnaci, Modesto & Arintheo CONSS.

V. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Valerianum PV. Post alia.

Omnes, qui extra palatium constituti codicillis proconsularibus, vel epistulis vicariorum vel insignibus consularium emendicatis atque adsimulaticiis vestiuntur, his quos administratio vel militia prouexit volumus esse postpositos. Dat. III. Kal. April. Med. Syagrio & Eucherio VV. CC. CONSS.

VI. Iidem AAA. Floro PP. Post alia.

Officiis publicis atque militiæ muneribus expertes, quos habent secretæ quietis vmbracula, quibus honorum omnium species suffragio est magis parta quàm merito, inter se potius volumus de tempore agitare discrimen, quàm cum his vlla vsurpatione coniungere, quos non adumbratis honoribus, sed in actu positi sint mortalitate coniunximus. Dat. Id. Decemb. Constantinop. Syagrio & Eucherio CONSS.

VII. Iidem AAA. Postumiano PP.

In honoribus hunc ordinem volumus custodiri, ne singulorum quorūque codicillarię dignitates his qui insignia administrationis gesserint præferētur: scilicet, vt quoniam sublimis apicem præfecturæ ordo procōsularium sequitur dignitatū, quisquis vicariæ potestatis administratione perfunctus expræfectis impetrauerit codicillos, intelligat sibi omnimodis non vsurpandum, vt inter eos qui gestę gaudent amplitudine pręfecturę ordinem salutationis officiúmque pręsumāt. sed inter proconsulares viros qui tamen eiusdem potestatis securem meruerint, fascésque susceperint, in publicis officiis rite prębendum locū sibi patere cognoscant: his tamen anteferendum se qui impetratis fortè proconsularibus codicillis absque administrationis priuilegio imaginarias tantū atque honorarias meruerint dignitates. & id quidē circa illos censemus esse seruandum qui vicarias gesserint potestates. Ceterùm quisquis ex numero ordinariarum potestatum, seu consularis administrationis seu nominis præsidalis expræfectis, aut etiā exproconsulibus honorarios impetrauerit codicillos, præstitutum in deferendis obsequiis ordinem post eos sibi intelligat esse seruandū, qui administrādi vicarias gesserint potestates. hac tamē quantum ad ordinariarum potestatum spectat meritum discretione seruata,

vt his qui præsidialis administrationis gesserint dignitates seu epistulas ex vicariis siue ex proconsulibus, seu quod adpeti intempestiuis solet ex præfectis meruerint codicillos, cessante omni ambitionis studio debeat anteferri perfunctæ priuilegio administrationis susceptæ in prouinciis consularitatis gesserit dignitates, memor quisque tamen honorum, memor quisque meritorũ ex his qui qualibet administratione perfunctus eum gradum honorariæ aditionis petat, quod proximiore confinio loco ordinis sui cognoscit esse contiguum. Quòd si quis neglexerit ordinem constitutum, vel amplius in hisdem honorariis dignitatibus vsurpandum impetrandúmque crediderit quàm proprij loci ratio & forma permittit, sciat se non solum eo quod contra legẽ impetrauerit, esse priuandum, sed viginti quoque auri libris multandũ. Dat. IIII. Kal. Ian. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

VIII. Imp. Theodosius A. & Valentinianus Cæs. Hierio PP.

Lege auita probatũ est, si quis per gradus suo ordini coNpetentes iNpetratis honorariis codicillis, ad summum pręfecturæ peruenisset vsque fastigium, nõ prærogatiua temporis vteretur, nec aduersus eum, qui indeptus insignia magistratus re ipsa quod meruisset iNplesset, quia interuallo fuerit forte prægressus aut præuenisset imaginario eandem quam ille actu inlustrauit apice dignitatem sibi crederet adrogandum, sed modis omnibus sciret se in officiis publicis ei post ferendum qui eundem locum positus in potestate gessisset, id nos quoque volumus custodiri, ne quis sibi expetat siue imaginarios siue inter agentes codicillos acceperit, vt ei qui egerit ratione temporis præferatur, quin & de consistorianis comitibus hoc nobis vniuersi placere cognoscant, vt hij qui vel absentes sunt vel testimonialibus tãtum adepti sunt dignitatem præcedant, qui admitti intra consistorij arcanum meruerunt & actibus interesse & nostra adire responsa, præterquam si de aliquibus professionum & militiæ meritis scriniorúmque sacrorum emensis sudoribus lege specialiter est statutum, quod & aui nostri sanctio promulgauit, & nostra mãsuetudo constituit: ita vt omnibus conuentibus, officiis adque consessibus legẽ executioni tradi tua celsitudo prouideat, id est vt prior sit sẽper ille qui loci sui administratione perfunctus est, nec vnquam honor delatus ex debito ei qui ad similitudinem tribuitur coNparetur. Nemo igitur sibi arbitretur annorum adnumeratione plaudẽdum quod inter eos tãtummodo valere decernimus, qui se aut actibus subsequuntur, aut codicillorum parili imagine fulciuntur non aliàs adspiraturo quoquã, ad consistorianorum comitum dignitatem, nisi ad eius claritudinem viam sibi ex constitutionis auitæ norma præstruxerit. Dat. X. Kal. Oct. Piso, Theodosio A. XI. & Valentiniano Cæs. CONSS.

De decurionibus & silentiariis. *Tit. XXIII.*

I. Impp. Honorius, & Theodosius AA. Vrso PV. & Auriliano Comiti Or. & Strategio PP. Illyrici.

DEcuriones nostri palatij post emensum fideliter obsequiũ, post deposita sacramẽta militiæ, ex quo hæc sanximus, inter eos qui ex ducibus sunt tanquam & ipsi administrauerint, esse præcipimus in adoranda nostra serenitate & in salutandis administratoribus, & reliquis

liquis prædicti honoris priuilegiis:sed ita vt in amplissimo &venerabili ordine inter adlectos& inmunes à senatoriis descriptionibus habeantur, nec describtio glebalis eos ideo adtineat.Dat.Prid.Kal.Nou.Cõstãtinop. Honorio x.& Theodosio vi.AA.CONSS.

II.Idem AA. Venantio PP.

Vnusquisque decurio vel silentiarius siue post hanc militiam honoratam quietem elegisse fuerit adprobatus, siue ad superiorem gradum successu meliore transcenderit, nihil quod honoratis pro rerum necessitate iniũgitur, cogatur exsoluere, sed à tironum & equorum præstatione habeantur inmunes: nudam conlationem quæ plerumque poscitur soluant, nihil his vlla potestas iniungat, aut necessitas inponat. Dat.vii.Id.Mart.Rau. Asclepiodoto & Mariniano CONSS.

III. Imp.Theodosius & Valentinianus AA. Flauiano PP.

Decurionibus & silentiariis, vel his qui post hãc militiam honoratę quietis otio perfruuntur,vel ad superiorem gradum successu meliore transcendunt: omnia priuilegia,quæ iamdudum diuorum principum iudicio meruerunt,legis istius præceptione nouere esse firmata.Illa quoque quæ prioribus indultis omissa videntur adicienda esse censemus, ne angarias vel parangarias siue paraueredos vlla eis amplissimę pręceptionis inponat auctoritas.A sordidis quoque muneribus,excoctione calcis,& superindicticiis titulis nõ præiudicatura quacunque generalitate pragmatici peculiari eos beneficio esse iubemus alienos,permissa veniendi ad comitatum licentia præter euocatoriæ securitatem, & multa decem librarum auri Iudicibus prouinciarũ eorũmque officiis infligenda,si statuta numinis nostri crediderint esse temnenda. Dat.viiii.Kalend. April. Rau. Aetio & Valerio CONS.

IIII. Idem AA.Dario viro inlustri PP.Or.

Decurionum & silentiariorum meritis prouocati conlata in eos beneficia quę dominus ac filius noster Valentinianus semper Augustus erga eos cõtulit, confirmamus specialibus eosdem priuilegiis honorantes, vt eorum videlicet possessiones, nullas angarias siue parangarias, vel etiam praraueredos alicuius calumnia dare cogantur,nec sordidis sint adstricti muneribus: omni quoque eos excoctione calcis,omni superindicti grauamine liberamus,licentiam post militiam tribuẽtes,vt vbi eis fuerit visum etiam accedẽdi ad sacratissimũ comitatum habeant facultatem prouinciarum rectoribus eorũmque apparitionibus,denarum librarum auri dispendio feriendis,si mansuetudinis nostrę statuta violare temptauerint.His addimus,vt cùm optatam quietem acceperint,& inter Senatores cœperint numerari:honore curiæ sine aliqua fũctione lætentur,inmunitatísque gaudio plena dignitatis lætitia potiantur:nec prętoriano nomine pulsandi,nec gleuali onere prægrauandi,sed vt dignitatem solã habeãt ex Senatu.Domos quoque eorum vel in hac sacratissima vrbe, vel in qualibet alia positas ciuitate immunes ab omni hospitũ cuiuslibet dignitatis inquietudine vindicamus,sub hac videlicet definitione,vt triginta tãtummodo numero hæc priuilegia consequantur.Decuriones quoque tres quos numero plures fieri inueterata consuetudo permisit,sed eos tum demum potiri decernimus beneficiis supra scriptis,cum cõtinuos tredecim annos inculpatas excubias peregerint. Inlustris auctoritas tua statuta nostræ clementiæ edictis

propositis ad omnium notitiam faciet peruenire. Dat.xviii.Kal.April.Constantinop.post consulatum Isidori & Senatoris.

De domesticis & protectoribus. *Tit.* XXIIII.

I. Imp.Iulianus A.Secundo PP.

SCias senũ capitum domesticis per singulas quasque scholas quinquagenas iussis in præsenti esse iuxta morẽ debere præstari: ceteris qui vltra numerum in præsẽti esse voluerint, neque annonarias, neque capitum esse mandandum, sed omnes cogendos ad plurimos suos ac terminos redire. Dat.xv.Kalend.Septemb.Antiochiæ, Mamertino & Neuitta CONSS.

II. Impp.Valentinianus & Valens AA. ad Seuerum Com. domesticorum.

Domesticorum filios vel propinquos paruos vel impuberes domesticorum cœtibus adgregamus, ita vt non solum matriculis inserantur, verumetiam annonarũ subsidiis locupletẽtur. quaternas enim annonas eos quos armis gestãdis & procinctib. bellicis idoneos adhuc nõ esse cõstiterit, in sedibus iubemus adipisci his condicionibus, vt annonæ, quæ amplius insumuntur, vel per tractorias deferuntur, recidantur. Dat. IIII.Kal.Sept.Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

III. Idem AA.ad Seuerum Comitem domesticorum.

Sicuti variis itineribus protectorum domesticorum schola conpræhensos ad eam venire perspicimus, ita etiam sportularum diuersa esse debebit insumptio. graue enim admodum est viros post emensum laborem, qui nullius rei cupidiores fuere quàm gloriæ, huiuscemodi erogationibus fatigari: eos tamẽ penitus sollemnitas inter quinos denos & solidos sportularũ nomine primatibus distribuere præcipimus. eos autem qui vel suffragio vel potentia vel gratia sacram purpuram adorare peruenerint, quinquagenos solidos volumus insumere. Dat.XIIII.Kal.Sept.Med.Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA.ad Eusignium PP.

Domestici ac protectores osculandi, cum salutauerint, vicarios tui culminis habeant potestatem. Pœna enim sacrilegij similis erit, si his honorificẽtia non deferatur, qui contingere nostram purpuram digni sunt æstimati. Dat. Prid. Non.Mart.Med.Valentiniano A.III.& Eutropio CONSS.

V. Idem AAA.Addeo Com.domesticorum.

Omnes qui domesticorum iniuncti nomini nũquam nostris obsequiis inhæserũt, neque certis quibusque officiis deputati publicas executi sunt iussiones, protinus matriculis eximãtur: deinde hij, qui amissam militiã nostro iudicio receperunt. Siquidem post vnius anni siue biẽnij spatium loco sunt pristino restituti, in suo ordine permanentes fructũ beneficij non amittant. Sin verò longo post tempore ambitione atque suffragiis, vt rursus sociarẽtur nisi sunt, ita nouissimorum numero iungantur, non vt nunc sternantur extremi, sed vt eum vnusquisque optineat locum, in quo esse eo tẽpore potuit vltimus cùm esset post biennium restitutus. Dat.Prid.Kal.Ian.Constantinop. Theod. A.III.& Abundantio v.c.CONSS

VI.Im pp.

vi. Impp. Arcadius & Honorius AA. Addeo Com. & Magistro vtriusque militiæ.

Diuale præceptum quod supplicantibus domesticis dudum deuotissimis laboriosos prætulit otiosis, & abuti prohibuit tẽporis priuilegio eos, qui sibi potius quàm reipublicę omni militiæ suæ tempestate vixisset, erga protectores quoque valere præcipimus, ac volumus incõcussum æternumque durare, vt semper renouari possit. Inlustris itaque auctoritas tua & eos militia soluere non morabitur, quos nihil vnquam vel necessitatibus nostris vel expeditionibus bellicis profuisse constiterit, & his locum priorem auctoritate huius legis decernat, quos viderit otiosis oportere præferri. Dat. v. Non. Oct. Constantinop. Olybrio & Probino CONSS.

vii. Impp. Honorius & Theodosius AA. Epifanio PV.

Domestici atque protectores cum primum ad decemprimatus gradum ordine militię temporis prolixitate peruenerint, statim sibi præter primicerium decem sequentes Senatoriam vindicent dignitatẽ, séque cum adlectione clarissimos nostro iudicio gratulentur, recedẽtibúsque proceribus succedẽs sibi per matriculę ordinem vsque ad pręscribtum modum vindicet quisquis accedit, ad nullas præterea senatorij ordinis vocentur expẽsas, quibus nõ ambitio, sed meritum & nostrum spontaneum cognoscitur iudicium detulisse. Dat. vi. Kal. Ian. Rau. Constantio & Constante CONSS.

viii. Idem AA. Monaxio PP.

Deuotissimis domesticis, quos nobis, vt indicio nominis apparet, familiarius militando optatam protulimus sanctionem, vt præter primicerios decemprimi eorum cùm ad memoratum decemprimatus gradum peruenerint, statim clarissimo nomine decorentur, & inter allectos velut excõsulares habiti senatoria se præditos gaudeant dignitate, ad eundem clarissimatus honorẽ sequẽtibus cum priores exierint accessuris, ita tamẽ vt inmunes à senatoriis functionibus penitus habeantur. Dat. xv. Kal. Constantinop. Theod. A. vii. & Palladio CONSS.

viiii. Idem AA. Monaxio PP.

Deuotissimos Protectores qui armatam militiam subeuntes non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris nostri sollicitudinem patiuntur, vnde etiam protectorum nomen sortiti sunt, inglorios esse non patimur, sed vt deuotissimis nuper protectoribus domesticis, ita his quoque honorem congruum condonamus, vt præter primicerium decemprimi eorum clarissimatus dignitate fruantur, & per ordinem primis exeuntibus qui ad decemprimorum numerum vocante gradu subierint, consularem cum ipsa loci accessione clarissimatus sibimet vindicent dignitatem, & in amplissimo ordine inter allectos velut exconsularibus habeantur, nullis senatoriis muneribus adstringendi. Dat. xv. Kal. Ian. Constãtinop. Theodosio A. vii. & Palladio CONSS.

x. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Hierio PP.

Præter primicerios protectorum domesticorum decemprimi scholarum, cùm ad huius vocabuli dignitatem deuote ac strenue militando peruenerint, statim clarissimatus honore decorati inter adlectos veluti excõsularibus esse mereãtur, ita vt à senatoriis functionibus penitus habeãtur inmunes, nullóq;

extrinsecus onere pręgrauentur, ceteris quoque vbi egressis prioribus ad prędictum suo ordine numerum locúmque conscenderint priuilegiis paribus honorandis. Dat. XVII. Kal. April. Hierio & Ardabure CONSS.

XI. Idem AA. Heliodoro PV.

Constantinopolitani amplissimi Senatus consensu nostróque iudicio domestici decursis gradus stipendiis sub eo sint genere senatores, vt primicerius quidem post acceptum tribunatum, inter eos dignitate potiatur, qui ducatũ agere meruerunt: alij verò qui decursis stipendiis ab eodem decem vsque numero subsequuntur, quibus iam ante decretum est, dignitatibus perfruantur: sed ita vt inter eos sine dubio censeantur, qui inmunitatem sibi laboribus redemerunt, vt fructus domesticis impio termino consequenti, etiamsi mortalitas interuenerit, perire non possint, sed quodammodo superstes illis solatiis seruetur occasio, ac si primicerij limen ingressi in ipsa desideratę spei longa expectatione fructus interruperit fati necessitas, non statim qui pręcerpat eos quem vocat secundus ordo succedat, sed liberis successoribúsq; tantum gradu venientibus agnatorum, quorum maximè cura emolumentorum perceptione gaudebat residui temporis vsque ad annum quę debentur sollemniter colligantur. Dat. III. Id. Iun. Constantinop. Valerio & Aëtio VV. CC. CONSS.

De præpositis laborum. *Tit.* XXV.

Impp. Honorius & Theodosius AA. Monaxio PP.

QVi ex deuotissimis domesticorum scholis prępositi laborum nostro iudicio & stipendiorum sudoribus promouentur, ad similitudinem decem primorum domesticorum clarissimi sint inter allectos, ita vt ex consularibus habeantur. nam senatorio nomine & inmunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus inlustrat. Dat. III. Id. Nouemb. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio CONSS.

De proximis comitibus dispositionum, ceterísque qui in sacris scriniis militant. *Tit.* XXVI.

I. Imp. Iulianus A. ad Secundum PP.

IN rebus prima militia est, secundus in literarum præsidiis pacis ornatus: ideóque scriniorum nostrorum merita perpendentes, secundum eis in priuilegiis locum tribuimus, vt omnes qui quindecim annis in scriniis laborauerunt, memoriæ ac dispositionibus epistularum ac libellorum, licet patre vel auo ceterísque maioribus curialibus orti ac proditi sint, tamen ab omni hac necessitate habeantur immunes, nec ad curiam reuocentur. Dat. VII. Kal. Octo. Antiochię, Acc. V. Id. Nouemb. Naisis, Mamertino & Neuitta V. C. CONSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. ad Valerianum.

Clarissimos viros proximos scriniorum & magistros dispositionum vicariorum ordini copulamus, ita vt prior aliunde prouectus palatinis honorariis præferatur, vt prius è palatio cum huiusmodi dignitate dimissus priorem locum

cum aliis post etiam vera administratione venientibus sortiatur. Dat. IIII. Kal. April. Med. Syagrio & Eucherio CONSS.

III. Idem AAA. ad Hypatium PP.

Obsecundatoribus sacrorum scriniorum, quorum mentibus ingeniisque committimus, quidquid in alios quoque perennium sæpe proferimus sanctionum, equorum ad militare subsidium ab honoratis proximè venire iussorum missam † faciamus. Nullis igitur vel ætate præsenti, vel in relicum tale si quicquam emerserit, aut equorum oblationibus, aut quibuscumque præterea de collatiuo omnium postulatis parere cogantur. Dat. XVIII. Kal. Ian. Pataui, Antonio & Syagrio CONSS.

† forte deest oblationem

IIII. Idem AAA. Cynegio PP.

Proximos memoriæ, epistularum, ac libellorum, ita vicariorum honore cumulamus, vt inter eos merito dignitatis habeantur, qui pro præfectis diœceses sibi creditas temperarunt ex eo tempore ex quo eos splendor indepti proximatus ostentat, insequentibus præponendi, qui vicarias postea administrauerunt. Dat. prid. Kal. Ma. Constantinop. Honorio nobilissimo puero & Euodio CONSS.

V. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Constantio PP.

In sacris scriniis nostris militantes ordinarij Iudices à salutatione non arceant, etiam inuiti in consessum accipiant, scituris vel principe vel corniculario, vel capitibus ternas libras auri ex suis facultatibus eruendas si consistoriũ nostrum sæpe ingredientibus secretarij iudicium non patuerit ingressus, aut reuerentia non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum Iudice societas denegata. Dat. VI. Id. Nouemb. Triueris, Timasio & Promoto viris clarissimis CONSS.

VI. Impp. Arcadius & Honorius AA. Osio magistro Officiorum.

De his qui in sacris scriniorum proximi † transacto biennio conquiescant, déntque locum ceteris, qui ad vltimum gradum peruenire festinant. eos sanè, qui ante hoc statutum in locis memoratis inuenti sunt, ad metam triennij concedimus peruenire. Dat. XV. Kalend. Febr. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

† forte deest militarunt

VII. Idem AA. Cæsario PP.

Priuilegia quę diuę memoriæ Iulianus in sacris scriniis militantibus tribuit, & illum honorem, quem augustæ memoriæ Valentinianus hisdem detulit confirmantes, scilicet vt ingredientes sponte sine vllo nuntio secretarium iudicantum, considendi etiam Iudicibus habeant potestatem. Id etiam nostra moderatione decernimus, vt viginti annis in militia scriniorum memoriæ, epistularum, libellorúmque versatus consularis inter adlectos dignitate cumulatus abscedat, eúmque honorem vel apud Rectorem, vel in cœtu amplissimi Senatus obtineat. ita autem eos post militiam esse volumus otiosos, vt ab omni publica molestia habeantur inmunes, nec iniungendi quicquã quis in eos habeat potestatem. Dat. XVI. Kal. Mart. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

VIII. Idem AA. Claudio PV.

In scriniis palatij militantes post viginti annos transactæ militiæ, si disce-

dendum sibi esse decreuerint, consulari honore fulti inter adlectos habeãtur: húncque honorem dignitatis in Senatu teneant, qui exconsularibus deferri consueuerit: nec eos quisquam iniungendo aliquit vel iubendo possit ab imperito otio separare. Dat. xv. Kalend. Mart. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

VIIII. Idem AA. Cæsario PP. inter alia.

His à quibus dispositionum nostrarũ norma seriésque seruatur, eadem priuilegia honorésque peractæ militiæ tribuimus, quæ scriniorum nostrorum meritis nuper præcipimus custodiri. Dat. VI. Id. April. Constantinop. Cæsario & Attico CONSS.

X. Idem AA. Cæsario PP.

Ad similitudinem proximorum, qui in scriniis militantes comitum dignitatibus adornãtur, hij quoque qui priores in scrinio dispositionum fuerint, & comitis acceperint dignitatem, ex eo die quo promoti in scriniis fuerint, eorum numero socientur, qui potestates vicarias perceperũt, scilicet vt à Nestorio viro clarissimo, qui nunc in loco memorato versatur, dignitatis huius sumatur exordium. Dat. VI II. Kal. Iul. Cõstantinop. Cęsario & Attico CONSS.

XI. Idem AA. Hadriano magistro officiorum.

Per omnia scrinia nostra singulis annis emensis qui sunt in capite constituti, vno anno teneant proximatum, locum per ordinem succedentibus dantes, manente penes eos nihilominus dignitate, quam diuus pater noster huius ordinis viris singularis meritorum arbiter dedit, scilicet vt quicunque exproximo post stipendia tandem acta discesserit, vicariis conferatur, ac si eam ipsam egerit dignitatem, integris omnibus priuilegiis, quæ cunctis scriniis omnes retro principes diuersis legibus præstiterunt, atque nulla posthac de statuto tempore possit esse contentio, genuinus natalis nostri dies quotannis comitiuam proximatus mansura in longum ætate celebrauit, vt expeti ambitione non possit, quod laboris præmiũ speciali munere æstimauimus. Dat. III. Non. Iul. Med. Cæsario & Attico CONSS.

XII. Idem AA. Clearcho PV.

Omnes, qui exproximis venerando cœtui Senatus fuerint adgregati, siue hi de scrinio memoriæ, siue epistularum, vel libellorum, siue dispositionum comites fuerint, ad septenos duntaxat annuos solidos teneantur, nulláque extrinsecus conlatione vexentur, nec molem promissionis, nec scriptionis iniuriam perhorrescant. Dat. prid. Id. Septemb. Constantinop. Vincentio & Frauitto CONSS.

XIII. Idem AA. & Theodosius A. *

Sicut iampridem à prętura immunitatem tribuimus his, qui post emeritam in armis militiam ad honorem ducatus nostræ serenitatis prouexit iudicium, ita nostrorum scriniorum proximi etiam deposita militia præturæ immunitate potiantur. Dat. VIII. Kalend. Feb. Constantinop. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS.

XIIII. Idem AA. Epiphanio PV.

Quamuis innumeris legibus scriniorum gloria decoretur, iubemus tamen, vt primo omnium sit eorum secura possessio ab omnibus sordidis muneribus excusata, superindictum non timeãt, venalicium non petantur, solúmque canonicæ

nonicæ indictionis præstent tributum, glebalis auri solutionem nesciat labore dignitas conquisita, extraordinarium munus ignoret, nec vllam temonis patiatur iniuriam, equorum tironúmque præstationem nullus agnoscat, qui honorem Proximi & comitiuam primi dispositionum longi temporis sudore quæsiuit. Et hæc eadem patrimoniis censuimus deferenda, quibus omnia inlibata seruamus, quæcunque diui genitoris nostri & cunctorum principum statuta detulerunt. Ipsis verò veniendi ad comitatum liberam licẽtiam perpetuámque præstamus, nec in eorum personis expectari augustam præcipimus iussionem. Quod autem omnibus constat deferri adiectu alterius dignitatis perire non patimur: vt etiamsi prosperioris fortunæ iudicio ad honoris ornamenta processerint, vetera tamẽ eis scriniis labore priuilegia quæsita seruentur, & integrum circa eos eorúmque facultates semper maneat quod anterioris ætatis industria conquisiuit, &c. Dat. Id. Octob. Rau. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS.

XV. Impp. Honorius & Theodosius AA. Melitio PP.

Quotiens equorum aliarúmque rerum procedit indictio, in sacris scriniis militantes immunes ac segreges habeantur, ita vt neque in militia neque post militiam huius sollicitudinis molestiam sustineãt. quibus exceptis circa alios cùm ratio flagitauerit, indictio postulabitur, scientibus Iudicibus, eorúmque apparitionibus decem librarum auri multa se subiiciendos, si ab eorum in futurum conuentionibus non temperarint. Dat. XVI. Kal. Decemb. Rau. Varone V.C. CONS.

XVI. Idem AA. Faustino PP.

Peculiari præceptionis nostræ fauore præstamus, vt in scriniis memoriæ, epistularum libellorúmque ab exceptoribus vsque ad melloproximos dignitatem Clarissimorum honorémque percipiant, & sicuti reliqui, qui in hisdem scriniis militant, liberum cum ordinariis Iudicibus ingressum in secretarium consessúmque habere legibus meruerunt: ita hij quoque in quos hanc stipẽdiorum meritis clarissimatus conferimus dignitatẽ, cum spectabilibus etiam se habere reuerentiam recognoscant, vt consedendi ingrediendíque secretarium sciant à nobis licentiam contributam sub multæ interminatione, quam officio sanctio dudum indulta constituit. Dat. VIII. Id. Iun. Rau. Lucio V.C. CONS.

XVII. Idem AA. Eustathio viro inlustri quæstori & Helioni viro inlustri magistro Officiorum.

Pro biennio annum solum agere deinceps decernimus eos, qui in tribus scriniis, memoriæ, epistularum, libellorúmque, ordine ac merito stipendiorum ad gradum peruenerint Proximorum. Sed inter cetera priuilegia, quæ diualibus beneficiis sacris scriniis adtributa sunt, quæque salua atque intemerata in perpetuum manere decernimus, vt eorum qui potestatem vicariam administrauerint, pro tenore veterum & nostrarum sanctionum, hij qui proximatum egerint, honore censeantur: secundi etiam ordinis comitiuæ codicillos accipiant, cum eum locum nancti fuerint in quo hactenus tertiæ comitiuæ gradu fruebantur, ita vt ex lege iam debitos atque sollemnes codicillos genuino die natalis meæ clementiæ in posterum dum agunt proximatum singulis quibusque annis accipiant, post depositum actum inter eos, qui

vicariam potestatem egerit honorandi. quam legem secundum ipsorum petitionem, præterea tres melloproximos, id est, Benagiũ, Hypatium, & Theodorum, circa omnes alios valere præcepimus. Dat. VIII. Id. Feb. Constantinop. Theod. A. VII. & Palladio CONSS.

XVIII. Impp. Theodosius, & Valentinianus AA. Acacio C. S. L.

Tam proximo scriniorum quàm comiti dispositionum pro delata eis comitiuæ secundi ordinis dignitate vestem ex integro in posterum præberi tua Celsitudo disponat. Dat. VII. Kal. Decemb. Constantinop. DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. PP. AA. CONSS.

De agentibus in rebus. Tit. XXVII.

I. Imp. Constantius A......... PP. Post alia.

De Agentibus in rebus si quis annos viginti transierit in obsequio, minime eum ad curiam reuocari, quod & circa scrinia nostra & cancellarios & largitionales & officiales comitum rerum priuatarum volumus obseruari, &c. Dat. VIII. Id. Mart. Constantio A. VII. & Constante Cæs. CONSS.

II. Imp. Iulianus A. Secundo PP.

Ex his qui in palatio Agẽtes in rebus militauerint, post tertium annum militiæ nemo curiæ tradatur, nec ille qui in consulatu meo quarto missione donatus est. PP. Beryto, die Kal. Mart. Iuliano A. IIII. & Sallustio CONSS.

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. ad Florum Mag. Officiorum.

Non plures in aliquem gradum honoris ascendant, quàm quantos singuli quique anni Agentium in rebus schola ad finem emeriti laboris inuitant, ita duntaxat, vt per singulos gradus binorum nobis tantum addendorum extra ordinem seruetur potestas, quorum eximius labor, vt vim hanc legis excludamus extorserit: quod quidem seruandum vsque ad circitores erit. nam vt sterni continuo quisque possit sine quæstione aliqua, & sine præscribto numero, sine adnotatione nostra sufficiat impetrari: in ceteris autem etiamsi adnotatio specialis extiterit, quæ tamen duorum numero transeat, eam esse iubemus infirmam, ita vt ne insequenti quidem anno habeat firmitatem, nisi insequẽs annus nullos numero duos qui ex adnotatione nostra augmentum accipere debeant honoris inuenerit. Quod si post antiquam aliquis missionem, veterémque militiam præpostera sacramentorum cupiditate per ambitionem ad stipendia redire temptauerit, hac proposita optione socientur, vt vltimos se militaturos nouerint equitum. quod de vniuersis quibusque officiis specialiter cauemus, à quibus nonnulli ad Agẽtum in rebus scholam cum propria dignitate transierint, vt scilicet hi ex quacunque militia sinantur excedere. Quod in posterum custodiendum ita ratum sit, vt periculum se & adiutor & subadiuuæ subituros esse cognoscant, si huius sanctionis nostræ normam vnquam etiam insequentibus magistris desierint intimare. Dat. XVI. Kal. Iul. Thessalonicæ, Gratiano V. & Theodosio I. AA. CONSS.

IIII. Idem AAA. Palladio magistro officiorum.

In schola Agentum in rebus nemo facile sub nostra quoque adnotatione speciali prorumpat, nisi sub maiore scholæ parte quisque aduenerit probãdus adsistat qualis moribus sit, vnde domo, quam officiorum originẽ ac sortem fateatur. Noui quinquennio vacent à primi quoque honoris auspiciis ante missionibus crebris futuris parent, prodantúrque nominibus dehinc per singulos gradus iusta & firma præcedentium dimissione succedant. Sane si militantibus probéque in actu reipublicæ diuersatis singulorum graduum quos meruerint non negamus accessum, ita vt ipsis quoque sit præcedentium ordo venerabilis, ac sub maiore parte scholę etiam de huius gradu bonorum adtestatio & consensus accedat. Dat. XII. Kalendas April. Constantinop. Antonio & Syagrio CONSS.

V. Idem AA. & Arcadius A. Cynegio PP.

Quoniam Agentibus in rebus huiusmodi præstitimus codicillos, vt post principatum in amplissimo ordine inter adlectos Consulares habeantur, id etiam huius legis auctoritate præstringimus, vt eodem gradu vel ordine ab vniuersis iudicibus honorentur. Dat. III. Non. Mart. Constantinop. Honorio nobilissimo puero & Euodio CONSS.

VI. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Proculo PV.

Priuilegia erga eum qui ex Agente in rebus princeps fuerit, antiqua custodiri præcepimus. Sit senator, merito Consularibus adgregetur, sed vt eum functio vlla non teneat, conlatio non defrudet. Dat. VI. Kal. Decemb. Med. Valentiniano A. IIII. & Neoterio CONSS.

VII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Osio magistro officiorum.

Agentes in rebus, quos diuæ memoriæ pater noster petitionem secutus vnius gradus dicitur adiectione cumulasse, delato honore potiri præcepimus, ita vt ad centenam dignitatem hic ordo seruetur: Si quis igitur centenarius est secutus, quoniam primis non patimur præiudicari, quos constat ad hunc locum longo tempore & probato labore venisse, his præponatur quos merito præcedit. Quisquis autem adipiscitur gradum, hoc honore contentus præponi his qui ordine priores meruerint non labore. Dat. VI. Kal. Iun. Constantinop. Olybrio & Probino VV. CC. CONSS.

VIII. Idem AA. Osio magistro officiorum.

In numero Agentium in rebus crescant, quos comitum secundi ordinis vel cubiculariorum nostrorum primi duntaxat loci, vel tribunorum vrbanicianorũ petitio fecerit militare, ita vt vrbanicianis semel tantũ per anni totius spatia suffragandi licentia sit. ceteros diuersorum officiorum ab omni copia huius petitionis excludimus. celsioris verò militiæ ac fastigij viros numerari non necessarium fuit, cùm eos quos superius numerauimus inserendo, non vnde incipere, sed quousque procedere quod inferioribus denegatum est, curauerimus exprimere. sed & sumentibus ducenariis principatum hanc tribuimus facultatem, vt his pro se liberos ac fratres suos in eadẽ militia serenitatis nostræ nutu liceat conlocare. Dat. VII. Kalendas Feb. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio IIII. AA. CONSS.

VIII. Idem. AA. Osio magistro officiorum.

Is qui nutu nostro in schola Agẽtum in rebus augmenta perceperit, in eo gradu in quo promotus est, vltimus habeatur, nec pręponatur alteri, qui in eodem gradu militię primus antea militauit. Emissa Prid. Kal. Feb. Cõstantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

X. Idem AA. Cæsario PP.

Inter eos qui consularitatis gesserint dignitatem, & eos qui meruerint principatum, is gradu potior habeatur, qui prior locum dignitatis acceperit. quam sanctionem omnia debebũt officia custodire, non defutura pœna quindecim librarum auri, quam in contumaces olim diualis sanctio definiuit. Dat. IIII. Kal. Mart. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

XI. Idem AA. Hadriano magistro officiorum.

Consultissima definitione statuimus, vt exsecutionem Agentis in rebus inconsultis nobis nemo mereatur: concessum vero quisquam reuocare non audeat. Dat. XVII. Kal. April. Med. Theodoro v.c. CONS.

XII. Idem AA. Theodoro PP.

Agentũ in rebus schola nobis maximè necessaria nullo beneficio impetrati muneris vtitur, quo sibi in ordinem splendidissimæ curiæ præstitam humanitate licentiã vindicaret, cum diuę memoriæ pater noster hisdem Agẽtibus in rebus voluerit esse cõsultum. Magnificentia igitur tua ordinum Iudices admonebit, vt his lex diuæ memoriæ patris nostri inuiolata seruetur. Dat. VIII. Kal. Nou. Med. Theodoro v.c. CONS.

XIII. Idem AA. & Theodosius A. Hadriano PP.

Agentibus in rebus, qui post iugis militiæ tempus veluti præmium laboris exacti gesserint principatum, etiam illud beneficio nostræ liberalitatis adiũgimus, vt conlatione iuniorum, qui nuper honoratis indicti sunt, ea duntaxat condicione habeantur exortes, si post principatus officium nulla vlterius honoris fuerint administratione perfuncti. Dat. Kal. Iul. Rauen. Theodosio A. I. & Rumorido CONSS.

XIIII. Idem AA. Anthemio magistro officiorum.

Nullus de schola Agentum in rebus de cetero locum mortui conetur inuadere: sed his qui ordine stipendiorum & laborum merito ad gradum militiæ sequebatur, statim atque illum fata subduxerint, in eius præmia percipienda succedat, omni obreptione cessante. Dat. Prid. Kal. Iul. Constantinop. Honorio A. VI. & Aristeneto CONSS.

XV. Impp. Honorius & Theodosius AA. Namatio magistro officiorum.

Omnes omnino Agentes in rebus, quibus vel spatium commeatus vel iniuncti negotij tempus emensum est, ad comitatum reuersi adprobent causas necessariæ tarditatis, vt diligenti constet examine qui ordinem suum tenere mereantur. Quod nisi intra diem Kalendarum Februariarum fecerint, in perpetuum matriculis eximentur. Meminerint igitur rectores prouinciarum per singulos Agentes in rebus senas auri vncias eruendas, si in prouincia sibi credita quenquam huiusmodi desertorum post diem præstitutum latere permiserint. Ideóque sub prosecutione latitantes transmittant, vt tandem aliquando

aliquãdo ad comitatum retractos non sola percellat iactura militiæ. Dat. VII. Id. Dec. Rau. DD. NN. Honorio VIIII. & Theodosio IIII. AA. CONSS.

XVI. Idem AA. Anthemio PP.

Nemo post insignia principatus, quæ stipendiis ac sudore promeruit, nec reuocari ad originem, si forte natus est curialis, nec nominari, quod nefas quidem dictum est, perhorrescat. In medio sanè militiæ tempore si quem huiusmodi lis iurgiúmque perculerit sua defensione nitatur: nec enim ordines ciuitatũ suis decurionibus passim spoliari oportet. Quòd si forte quis vt adsolet honorarij principatus insignibus impetratis hisdẽ priuilegiis vti voluerit, ita impetrata largitate fruatur, si incassũ se pulsari sub iudiciaria cognitione probauerit, nisi forte annosa militia & longa stipẽdiorum mole vexatus, & in ordine non temnendæ militiæ constitutus principatum non vt laborum compendiũ voluit expectare, sed vt portum quietis maluit indipisci, quod etiam in his custodiri oportet, qui armata militia perfruuntur, ita vt diui Valentiniani Cõstitutio valeat, potianturque & ipsi fructu stipendiorũ suorum, si eadẽ sine vllo næuo excusationis incurrere valuerũt. Sed his addimus, vt si quis ex lucratiua causa de substantia aliquid perceperit curialis, pro contingenti portione onera quæ huiusmodi facultates sequuntur, & vniuersas describtiones sustineat. Dat. VIII. Id. Octob. Lucio v. c. CONSS.

XVII. Idem AA. Helioni magistro Officiorum.

Merito magnificentia tua concessam sibi pridem à nostra maiestate licentiam pro remouendis his quorum consortio Agẽtum in rebus schola laborabat, ad nostram denuo auctoritatem credidit reuocandã. Nulli igitur posthac sine nostræ maiestatis auctoritate discingendi Agentẽ in rebus, nulli eximẽdi pateat copia. nam probata schola & animaduersionem vereri Iudicis, & nullã debet timere contumeliã vilitatis. Dat. III. Id. Nou. Constantinop. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONSS.

XVIII. Idem AA. Helioni magistro Officiorum.

Ad scholam Agentum in rebus passim plurimi velut ad quoddam asylum conuolarunt, quos vita culpabiles, & origo habet ignobiles, & ex seruili fæce prorupisse demonstrat. Et quoniam sublimitati tuæ adnuimus eam quã quæsierat potestatẽ, adhibenda est competens medicina, vt exploratione diligenter agitata, discingendo abicias punitione cohercẽdos, quo remotis, abiectis, pessimis, criminosis, spectata militia in statum pristinum reuocata bonorum virorum collegio frequentetur. Dat. XIII. Kal. Feb. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio CONSS.

XVIIII. Idem AA. Helioni magistro Officiorum.

Agentum in rebus indiscreta merita esse nõ sinimus, nec indignos frui priuilegiis laborantum. ideóque sancimus, vt nullus ex his emendicato suffragio ad honorem principatus audeat adspirare, nisi quem ordo militiæ ac laborum testimonium ad hũc honoris gradum prouexerit. Quòd si quis corporali inbecillitate quassatus, eóque modo laboris inpatientia lõgam militiæ seriẽ tolerare nõ patitur, is nõ ante dignitatẽ principatus honorariã mereatur, quam si viginti annorũ stipendia conpleuisse scholæ totius adtestatione docuerit. hos sanè qui quoquomodo per ambitionẽ sine vllo stipendiorũ suffragio memoratam principatus adepti sunt dignitatẽ post eos qui laborũ merito con-

secuti sunt, numerari decernimus. Dat. v. Kal. Decemb. Constp. Honorio A. XI. & Constantio II. v. c. CONSS.

xx. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Helioni patricio & magistro Officiorum.

Qui ex Agẽtum in rebus numero militiæ ordine ac labore decurso ducenę dignitatis meruerit principatum, aut qui viro inlustri magistro officiorum, vt probatus fuerit adiutor, eo tẽpore quo iam honoratis viris cœperit adgregari, eorum qui vicariam egerint pręfecturam honore potiatur, conseruatis sine dubio veteribus priuilegiis diuorum in eos principum largitate collatis. Dat. x. Kal. Ian. Constp. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

xxi. Idem AA. Hierio PP.

Quicũque inpleto militiæ suæ ordine ac labore finito ad ducenę peruenerit principatum, quíque magistri officiorum iudicio probatus adiutor extiterit tempore quo iam honoratorũ virorum cœtibus inseritur, eorum qui vicariam egerint præfecturam insignibus perfruãtur, priuilegiis proculdubio hisdem quibus antehac vsi videntur reseruatis. Dat. x. Kal. Ian. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

xxii. Idem AA. Proculo PV.

Agẽtum in rebus schola quæ nostro iudicio vicarianam dignitatem adepta est, id quidem suos primates post stipendiorũ finem mereri nõ ambigat. Verum amplissimi ordinis adsertioni pareat, vt quoniam hi quos militiæ finis ad principatus honorem adduxit, senatoriis se ęstimant functionibus eximẽdos, in priore dignitate permaneant, cuius immunitatem amplexi sunt, & cetera. Data prid. Kal. Febr. Constp. Tauro & Felice CONSS.

xxiii. Idem AA. Paulino magistro Officiorum.

Cuncta quæ super Agentum in rebus militia, ordine, loco, numero statuisti, amplectimur. Inlustris igitur auctoritas tua, quæ nouellæ matriculæ super statutorum numero vel ordine confirmando, quæque de reliquis ordinandis huius legis sanctione decernimus, nauiter seruanda & custodienda cognoscat, videlicet vt statutorum numero in mille centum septuaginta quattuor nominibus adsignato, qui recenti matricula definitus esse cognoscitur, reliqui qui extra memoratum statutorum numerum positi esse noscuntur, ita concessa potiantur militia, vt hij quoque certis locis laborum ac stipendiorum meritis conlocati vacantes præeuntium gradus obsequendi ordine mereantur, nec tamen hi qui plurimis iustissimisque causis matricula videntur exclusi militia, quæ eis humanitatis intuitu sub huiusmodi forma indulta est, tamquam penitus spreti aut abiecti deiciantur, quibus beneficij loco ponendum est, quod cum tertio euocati non venerint, tamen eis militare permisimus. Dat. XVI. Kal. Mai. Constp. Theod. A. XIII. & qui fuerit nuntiatus.

De principibus Agentum in rebus. Tit. XXVIII.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Potitum Vicarium vrbis.

NEmo officialium in munus aliquod nisi principe ordinante mittatur. Si quis autem scriniariorum vel cuiusquam alterius loci quemquam officialium in aliquod munus principe nesciente direxerit, triũ librarum

rum auri condemnatione plectetur. Dat. prid. Non. Aug. Triuerini, Acc. VII. Id. Sept Romæ, Auxonio & Olybrio CONSS.

II. Idem AA. ad Probum PP.

Agentes in rebus si principatus forte deposita forsitan prouinciæ gubernacula hisdem non euenerint, par erit salutationis loco his quidem qui præsidatum gesserint cedere, sed eos qui rationales fuerint præuenire. PP. IIII. Id. Mar. Hadrumeto DD. NN. Gratiano A. V. & Theod. I. CONSS.

III. Idem AAA. & Arcadius A. Cynegio PP.

Agentes in rebus post palmam laboris emeriti principatus honore muneramus. atque ideo officiales tam ad necessitates publicas quàm priuatas nõ nisi principe mittatur auctore, nullarúmque sine ipso cuiquã mandetur exhibitio personarum. Dat. prid. Kal. Mar. Constp. Honorio Nob. P. & Euodio CONSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. ad Pinianum Præf.

Nulla exsecutio sine adnotatione principis vsurpatione officij concedatur, hoc adiecto vt etiamsi intercessio in locis degentis officij fuerit inpertita, adscriptio tamen principis exsecutionem fieri oportere demãdet. quæ definitio si fuerit prætertita, decẽ librarũ auri fisco nostro ab officio sinceritatis tuæ statim iubemus inferri. Qua admonitione etiam causarũ patronos volumus esse conuentos, ne ignorante principe vllam postulationem introducãt: néve sub vnius persona suscepti fraude quadam aliena negotia inserenda esse pertemptent. Dat. VI. Id. Sept. Med. Valentiniano A. III. & Eutropio CONSS.

V. Impp. Arcadius & Honorius AA. Theodoto PV.

Omni citatoria omnium scilicet causarum atque personarum, licet sint senatoriæ dignitatis, ad principes specialiter reuocari præcipimus, actus verò ceteros, qui in sacratissimo cœtu Senatus tractari consuerunt, cẽsualium sollicitudine celebrari: nec aliquid præiudicij ex subreptiuo rescripto supplicibus inferri. Dat. XII. Kal. Iun. Constp. Olybrio & Probino Consulibus,

VI. Idem AA. ad Anatolium PP. Illyrici.

Crebræ à nobis legis missæ sine notione principum, qui de Agentum in rebus numero ad gubernanda officia diriguntur nulla vrguentium rerum præceptio, quæ de iudicio prolata fuerit, impleatur: siquidem deceat diurno fatigatos obsequio hac saltem consolatione fulciri, vt adiuti commodis de principatu discedant. Dat. prid. Id. Nou. Theodoro V. C. CONS.

VII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Palladio Proconsul. Africæ.

Proconsularis apicis dignitatis adiectione principes Agẽtes in rebus præcipimus decorari. Dat. VII. Kal. Octob. Rau. Varane V. C. CONS.

VIII. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Valerio magistro Officiorum.

Ex Agentibus in rebus principibus domesticos in suis actibus habere liceat eos quorum fidem industriámque probatam sibi æstimant: & si sæpe eodem officio fuerint ante perfuncti. Et si qui Agẽs in rebus post vigintiquinque annorum curricula ob aduersam corporis valetudinem militiæ finem minime valuerit expectare, sed ad honorariam ex principe dignitatem testimonio scholæ prosilierit, hisdem eum priuilegiis muniri cẽsemus, quibus hij qui ad principatus actum progressi sunt, potiuntur. Sed in salutationibus Iudicũ cõ-

sessibúsque priores eos qui per lõgæ militiæ metas ad principatus actum peruenerint,& si actus tempore posteriores sint,esse præcipimus: nihil censualibus vel apparitoribus aduersus priuilegia eorum excogitantibus,tanquam in actu principatus fuerint versati: vicenarum librarum auri condẽnatione proposita. Dat.IIII.Kal. Feb.Constantinop. Theodosio A.XV.& qui fuerit nuntiatus.

Eodẽ exẽplo Isidoro PP.Regino PP. Illyric.Leontio PV.Theodoto Comiti Ægypti,Abthartio Comiti Orien.Cleopatro præfecto Augustali, Hesychio procons. Achaiæ,Eustathio vicario Asiæ,Nectario vicario Ponticæ.

De curiosis. *Tit. XXVIIII.*

I. Imp. Constantius A. ad Lollianum PP.

Hij quos Curagẽdarios siue Curiosos prouincialium consuetudo appellat,proprio arbitrio quos esse reos putauerint,feralibus carcerum tenebris mancipare non dubitant.Memorati igitur curiosi & stationarij, vel quicũque funguntur hoc munere,crimina Iudicibus nuntianda meminerint,& sibi necessitatem probationis incumbere non citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit. Cesset ergo praua consuetudo per quam carceri aliquos INmittebant. Dat. XI.Kal. Aug.Med. Acc.XII.Kal.Sept.Arbitione & Lolliano CONSS.

II. Idem A.& Iulianus Cæs. ad Taurum.

Agentes in rebus in curis agendis & auectionibus publici cursus inspiciendis nostrorum memores præceptorum credimus in omnibus velle profutura reipublicæ.Sed accedunt ex officio mirandæ prudentiæ tuæ qui parem sibi licentiam vindicent.Contigit etiam vt vicarij quoque mittant ex officiis suis huiusmodi negotiis operam præbituros. Adimatur ergo hæc licentia facinoribus & officiis vniuersis, curarúmque publici cursus copia denegetur: nã solos Agentes in rebus in hoc genere iussimus obsequium adhibere. Nec verò multos esse per singulas prouincias iussimus,quippe sufficit duos tantummodo curas gerere, & cursum publicum gubernare,vt licet in canalibus publicis hæc necessitas explicetur, numerus tamen amplior esse non debeat. Hi verò peruigili diligentia prouidebunt, ne quis citra euectionis auctoritatem moueat cursum,vel amplius postulet, quàm concessit euectio: vt habens vnius copiam rædæ flagitet mulas duas,aut redã vsurpet,cui birotum vel veredum postulare vel clabulare permissum est. Quisquis igitur aliquid tale perpetrare temptauerit,improbi cœpti priuetur effectu. Demonstretur etiam Iudicibus vel curiosis euectio,& si quis nobis iubẽtibus festinare memoret in obsequiũ necessarium,nec præualeat contumacia vel dignitas. Contin....etiam in cursu clabulari,vt forte quis pro animalibus minime præbitis pecunias pendere cogatur,lucro eius qui cursui præsiderit, INprobè vindicandas.ergo numum vetamus exposci pro animalibus in cursu minime constitutis. Quòd si forte aliquis peræstimauerit perpetrandum,eius quadruplum quod accepit, inferre cogatur. Dat. XV. Kalendas Maij, Mediolani,Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs.II.CONSS.

III. Idem A.ad Agentes in rebus.

Per id tempus,quo cursus tuendi sollicitudinem sustinetis, condemnatio-

nes

nes pręfectorum prætorio erga eos solos inritæ sunt futuræ qui seruauerint honestatem: erga eos verò qui inhonestè & contra decus sæculi vel honorem militiæ versabuntur, non solum condemnatio mansura est, verumetiam si ad nostrę serenitatis notitiam culpabilia gesta peruenerint, in eos erit acrius vindicandum. PP. Prid. Kal. Dec. Eusebio & Hypatio CONSS.

IIII. Idem A. ad Agentes in rebus.

Cesset omnis ambitio atque suffragium in schola vestra. etenim cuncti ita agere debebitis, quatenus labore atque ordine ad cursum regendum, & ad curas agēdas iudicio scholæ & ordinis merito dirigamini, ita vt nihil vestri principis ex his quæ geri in republica videritis, notitię subtrahatis, scientes pœnis eum debitis subiugari, qui tantum facinus ausus fuerit perpetrare. PP. eodem die, hisdem CONSS.

V.

In his duntaxat prouinciis, in quibus cursus à prouincialibus exhibetur, quoniam auaritię occurri pæne iam non potest, singulos solidos per singulas rędas, id est quas quadrigas vel flagella appellant, percipiatis per id tēpus, quo curarum & cursus tuendi sollicitudinē sustinebitis, è cursu verò clabulari singulas angarias in his scilicet stationibus, in quibus cursus est cōlocatus, ad exhibendam humanitatem venientibus excusetis, ne quis audeat contra præceptum hoc amplius accipere, aut sperare quicquam, aut aliquid excusare vltra quàm continet forma præcepti. Dat. Prid. Kalendas. Nou. Eusebio & Hypatio CONSS.

VI. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Florum magistrum officiorum.

Felicis natalis nostri die (iidem vt principis) primi quoque scholarum mittantur ad prouincias curiosi anniuersarium munus acturi, ita caute atque ita sollerter, vt sub binorum tantum copia veredorum vltra vsurpationē cessante ne capita contrahātur. Remotas quoque peragent stationes, & callida machinamenta commeantium, ac simulatæ obseruationis ingenia & fraudes depellant. Dat. III. Non. Febr. Constantinop. Eucherio & Syagrio CONSS.

VII. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Neoterio PP.

Qui vel honore militiæ vel fiducia iussionis Agentibus in rebus maiorē ad obsistendum remur futuram esse constantiam ex his quos in eminentioribus tantum vrbibus sollicitudinem cursualem agere mandauimus, magnificentia tua noscat vnum esse considerandi transeuntium euectionibus relictū, neque eos quicquam vltra hanc formam in cursum habere commune. Dat. V. Cal. Iun. Valentiniano A. IIII. & Neoterio CONSS.

VIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Marcello magistro offi.

Agentes in rebus singulos per singulas prouincias mittendos esse censemus: quibus tamen speciendarum euectionū tantum debeat cura mādari, vt nihil prorsus commune aut cum Iudicibus aut prouincialibus habeant: nec naues debebunt inlicita concussione vexare: nec libellos aut contestationes suscipere, aut in carcerem quemquam tradere, sed cursui solum vacare. Dat. Cal. Iun. Constantinop. Olybrio & Probino CONSS.

VIIII. Idem AA. Euchario Proconſ. Africæ.

Curſus publici præpoſitos ſcire præcipimus, ſi ſibi & militiæ ſuæ conſulūt, nihil eos cōtra veterem diſciplinam debere præſumere: cui cum generatur iniuria, haut dubie ſacrilegij crimine obligantur. Libera quinetiam facultas mācipi ſit cōtemplatione proprij diſcriminis coëmpta ſanitate robuſta vſui curſus animalia ſua ſollicitudine præparare, &c. Dat. Prid. Kal. Mart. Honorio VIIII. & Theodoſio V. AA. CONSS.

X. Imp. Honorius & Theodoſius AA. Syneſio.

Conſtitutione ceſſante, qua ſuper curioſis ex viri inluſtris comitis & magiſtri officiorum iudicio dirigendis intra certum numerum forma concluditur, antiqua conſuetudo ſeruetur, vt curioſi idonei per diuerſas regiones atque prouincias, litora inſuper portúſque & loca alia tranſmittantur commonitoriis competentibus atque mandatis inſtructi pro adminiſtratione tuæ ſublimitati commiſſa, próque huius legis auctoritate ad quod nos ablatarum imperialium ſpecierum mouit occaſio, vt INPENſiorem ſollicitudinem adhiberi magnopere iuberemus, quo idoneus quiſque à tua magnificentia deſtinatus inter alia adiuncta & congrue procuranda hæc quoque ſtudeat obſeruare. Dat. V. Id. Nouemb. Conſtantinop. Honorio VIIII. & Theodoſio V. AA. CONSS.

XI. Idem AAA. Hadriano PP. Poſt alia.

Curioſos præcepimus remoueri, curialib⁹ inſuper & nauiculariis omnibúſque corporibus ita ſubueniri volumus, vt nihil apparitoribus vniuerſorum Iudicum liceat, qui ex collecta prouincialiū præda ad maiores militias feſtinant. Dat. V. Non. Mar. Rauen. Conſtantio & Conſtante Conſſ.

XII. Idem AAA. Palladio PP.

Dalmatiæ litora omnéſque inſulas, eorum, qui ſibi curas vindicant, enormibus cōmodis prægrauari coNpertū eſt, vt nullus audeat ad loca tutiora etiā aceruitate temporis cogēte ſuccedere, atque ideo omnes omnino ex memoratis partibus cenſemus remouendos, vt ſecuritas antiqua vel conſiſtentibus, vel commeātibus reparetur. Si qui igitur auſus fuerit poſt hāc prçceptionum formam id officium à quo depulſus eſt, vſurpaſſe, ferro vinctus ad vindictam cura Iudicum dirigatur ad ſacratiſſimum comitatum. Dat. VI. Id. Ian. Rauen. Honorio X. & Theodoſio VI. AA. CONSS.

De palatinis ſacrarum largitionum & rerum priuatarum. *Tit.* XXX.

I. Imppp. Gratianus Valentinianus & Theodoſius AAA. Aſellæ.

PAlatini omnes quos cōſiſtorij noſtri comites propter diuerſas neceſſitates ad prouincias dirigendos putauerint, ſine vllo metu iudiciariæ commotionis propter quæ diriguntur impleant, conueniendis Iudicibus more ſolenni. Dat. VI. Kal. Mar. Sirmio, Auſonio & Olybrio CONSS.

II. Idem AAA. Pancratio C. R. P.

Priſco iam nunc ordine reuocato de palatino potius officio ad gerendum principatum officij comitis domorum per Cappadociam mittātur: quales comes etiam domorum, ſi ſecus ſe geſſerit, vereatur. Idoneos itaque ſingulis annis

nis è numero mittendariorum ad hoc eligere debebis, & mittere. Dat. Prid. Non.Iul.Scopis, Ausonio & Olybrio CONSS.

III. Idem AAA. Cateruio C.S.L.

Primicerij Scriniorum, receptoriorum etiam per triennium iuxta instar sacrorum scriniorum administratione fungantur, ita vt nullus ambitu æui tempora longioris vsurpet. Dat. XIIII. Kal. Sept. Bauxare, Auxonio & Olybrio CONSS.

IIII. Idem AAA. ad Hesperium PP.

Nihil omnino vllis Iudicibus cum palatinis nostræ clementiæ quicunque à consistorianis comitibus diriguntur, commune atque cõiunctum sit: sed excepta reuerẽtia, quæ non solum ab inferioribus, sed etiam à maioribus Rectori prouinciæ debetur atque defertur, suis quisque necessitatibus obsecundet, nec temere apparitor prouincialis debiti reum, quem rationalis officium ad solutionem cogit, abducat. Dat. VIII. Id. Decemb. Sirmio, Auxonio & Olybrio CONSS.

V. Idem. AAA. Nebridio. C.R.P.

Quidam post impletum ordinem militiæ Palatinæ, quam gesserant, honorémque transactum ad exceptorum scrinia transire nituntur. Hac igitur lege sancimus, vt nulli prorsus dehinc ista audendi relinquatur occasio, sed vnusquisque eius scrinij, quod primum militando delegit, ordinem persequatur: nec in alterius loco finem militiæ requirat, qui iam proprij ordinis transegerit principatum. Dat. V. Id. Oct. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

VI. Idem AAA. ad Probum PP.

Ab officiis Palatinorum excellentia tua sciat ita penitus recedendum, vt neque ipsa post modum licitum sibi credat hisdem aliquid iniũgere: & prætera prouinciarũ Rectores prohibeat quicquam vlterius tale conari. Dat. VII. Kal. Nou. Med. post cons. Merobaudis secundò, & Saturnini.

VII. Idem AAA. Trifolio C.S.L.

Scriniis omnibus largitionum comitatensium infra scribtas dignitates decernimus, vt his contenti, ambiendi sibi aditum interclusum esse cognoscant, etiamsi speciale beneficium emẽdicato suffragio quisquam voluerit impetrare. Annonas etiam iuxta definitum dignitatum modum volumus postulari, nec amplius quicquam præsumi. Breuis quas dignitates per singula scrinia officium sacrarum largitionum habere statutum est. Scrinium exceptoris perf. ord.p.ñ.I. Ducenarij.ñ.II. Scrin. tabulariorum perf.ord.III. Cẽtenarij.ñ.II.perf. ord.III.N.I.perfectiss. cũ cõsulares ñ.II.Epistularij.N.II. Ducenarius N.I. Form. prim.N.III.Cẽtenarius N.I.Cẽtenarij ñ.II.Form.sec.N.II.Epistulares ñ.II.Epistulari ñ.III.For.III.N.II.Forma I.N.III.Forma.prim.N.VI.Scrinia can.For.sec.N.III. Mittendarij For.sec.N.V.perfectiss. Sãt.N.Ducennarij N.II.Formæ.tertiæ N.III. Centenarij N.II.Cẽtenarij N.VI.Scriniarij numeror.Epistulares N.III.Epistular. N.XII.perfect.ord.sec.N.I.Formá prim.ñ.IIII.For.prim.ñ.XI.For.sec.ñ. IIII.For. sec.N.XIII.Dat. IIII.Id.Iun.Heracliæ, Richomere & Clearcho CONSS.

VIII. Idem AAA. Trifolio C.S.L.

Placuit iusta & omnibus mittendariis palatini officij profutura suggestio, qua insinuasti, vt ex hisdem annui singuli ex ducenariis terni, ex cẽturiis habi-

to prouiſionis intuitu cingulo liberentur. Dat. IIII. Id.Mart.Conſtantinop. Arcadio A.I.& Bautone v.c.Conſulibus.

VIIII. Idem AAA.Trifolio c.s.l.

De mittendariis palatinis annui ſinguli, ex ducenariis terni, ex centenariis habito prouiſionis intuitu cingulo liberentur,& prioribus decedentibus, locus ſequētibus detur.Dat.IIII.Id.Mart.Conſt.Arcadio A.I.& Bautone CONS.

X. Idem AAA.ad Principium PP.

Si quis iudicum palatino vel profligationem debitorum putauerit eſſe mãdandam,vel eius impertiendum litigatori auxiliũ in lite priuata tam ipſe quã eius officium per ſingulos quibus vetita curanda commiſerit, quinas auri libras fiſci viribus inferre cogatur. Dat. Prid.Kal.Sept. Aquil. Arcadio A.II.& Bautone CONSS.

XI. Idem AAA.Proculo c.s.l.

Olim ſtatuimus, vt vltra definitas dignitates nullus nec annonas nec ſtrenas perciperet. Sed quia pleroſque de diuerſis palatinis officiis ſub occaſione indepti honoris ſtrenas & veſtes, ceteráque ſolemnia vltra ſtatutum numerum percepiſſe cognouimus: & id quod ex ſuperfluo præbitum eſt exigi facias,& deinceps vltra ſtatutas dignitates nihil præberi permittas. Dat. Non. Mai.Conſtantinop.Acc. à Valerio c. s.l.Honorio Nob.P. & EuodioConſſ.

XII.Imppp.Valentin. Theodoſius & Arcadius AAA. Seuero Comiti & Caſtrenſi.

Nullus eorum qui palatinis intra aulam obſequiis deputandi ſunt, ad aliquod munus debet admitti,niſi cui adnotatio noſtra ſortiendæ talis militiæ copiam patefecerit. Dat.XVIII.Kalen.Feb. Med. Valētiniano A.IIII.& Neoterio CONSS.

XIII. Impp.Arcadius & Honorius AA.Oſio c.s.l.

Officium quod ſublimitatis tuæ iuſſionibus obſecundat,eas tantum modo teneat dignitates, quas diuæ recordationis Valētis Conſtitutio comprehendit.nihil vltra nec peti conuenit,nec ſperari. Dat.IIII. Kalen.Decemb.Conſtantinop. Olybrio & Probino CONSS.

XIIII. Idem AA.Martiniano c.s.l.

Officiorum palatinorum ſcriniorúmque primicerij biennio tranſacto diſcedant,nec vlterius in eadem militia commorentur. Eos ſane qui ante hoc ſtatutum in locis memoratis inuenti ſunt,ad metas triennij concedimus peruenire.Dat.XV. Kal. Feb.Conſtant. Arcadio IIII.& Honorio III.AA.CONSS.

XV. Idem AA. Conſtantio c.s.l.

His abiectis de officio palatino,qui inconſideratè ac vulgo ſunt congregati, ſtatutos ducentos 24. ſupernumerarios ſeſcentos decem electiſſimos inhærere præcepimus, & iuxta inſtructionẽ eminentiæ tuæ quæ adnexa eſt,ſingulis ſcriniis vel Rectoribus definitum numerum ſupernumerariorum deputari.Si quis ſanè ad memoratam militiam accedere voluerit, oſtenſa generis fide tunc demum adnotatione noſtri numinis palatinorum cœtui ſocietur. Dat.XIII.Kal.Conſtantinop.Theod.v.c. CONS.

XVI. Idem AA.Meſſalæ PP.

Salutari definitione cẽſuimus DXL.& ſex de officio comitis ſacrarũ largitionum,trecentos priuatarũ,qui tamẽ nullis ſint corporib. obligati,reliquos ſuis officiis

officiis & ordinib. esse reddendos, singulis tamen ita matriculis retinendos, vt patriç prouincia pariter conscribatur, Iudicibus admonēdis de numero statuto, vt ceteri ad sua officia retrahantur, nec posthac sub specie militiæ intra prouinciam possit delitescere qui sibi nec indultum commeatum, nec publicam necessitatem docuerit esse mandatam, curialem suum municipes vindicent, collegiatum proprium corpus adstringat, nec Iudicem suum apparitor quondam desertor euadat, sibi quisque iure tamen obnoxium exsequatur: adiutoribus quoque qui matriculas tractant, supplicium deportationis cum amissione facultatum subeuntibus, si quenquam vltra numerum præstitutum siuerint militare. Dat. XI. Kal. Ian. Med. Theodoro v.c. CONS.

XVII. Idem AA. Longiano C.S.L.

Serenitas nostra salubri sanctione disposuit, vt quingenti quadraginta sex, qui tamē nullis sunt corporibus obligati, palatini sint: supernumerarij autem ex quibus in decedentium locum, quos ratio inuenerit, singuli subrogentur, ad originem tractis desertoribus, sciente adiutore officij palatini, si qui supra statutum numerum vel cohibentia vel neglegentia eius inrepserit, auaritiam eius proscribtione omnium facultatum ac deportatione plectendam: reliquos autem qui superflui fuerint, prouinciis sine dilatione datis auctoritatibus restituantur. Dat. X. Kal. Ian. Med. Theodoro v.c. CONS.

XVIII. Idem AA. Nestorio Comiti R.P.

Non aliter quilibet in officio sacrarum priuatarum cingulum militiæ sibi sumendum existimet, nisi nostræ māsuetudinis adnotationem meruerit. Dat. Prid. Id. Aug. Ancyræ, Stilichone II. & Anthemio CONSS.

XVIIII. Idem AA. & Theodosius A. Monaxio PP.

Dominum ex primiceriis sacrarum largitionum speciali beneficio exvicariis ad similitudinem proximorum sacrorum scriniorum esse præcipimus, ceteros primicerios scriniorum, & qui post illum primicerij totius erunt officij palatini exconsularibus inter adlectos esse decernimus. Dat. XVI. Kalend. Feb. Constantinop. Basso & Philippo viris clarissimis CONSS.

XX. Impp. Honorius & Theodosius AA. Ioanni PP.

Palatinos qui sacrarum remunerationum rationem tractantes inculpatim ad calcem terminúmque militiæ peruenerint, præcepimus ea habere priuilegia, adiutorem & primicerios diuersorum officiorum, quæ nuper Agentum in rebus scholæ à nostra sunt mansuetudine contributa: scilicet, vt à tyronum præbitione memorati reddantur exortes, ceteráque onera non agnoscant, quæ antea cum nihil de hac re statuissemus, ad dignitatis dispendium sustinebunt. Dat. VII. Id. Iun. Rau. p̄ Consulatum Honorij VIIII. & Theodosij V. AA.

XXI. Idem AA. Anysio. C.S.L. & Tauro C.R.P.

Ad similitudinem sanctionis quam de proximis sacrorum promulgauimus scriniorum, etiam in officio sacrarum largitionum atque priuatarum pro biēnio annum sub perpetua obseruatione præcipimus custodiri in venerabili natali perennitatis meæ Theodosij exēplo proximiorum annus suscipiat exordium promotionis, & priuilegia quæ huiusmodi officiis vel primicerio sacris legibus deferuntur, integra inlibatáque seruentur. Dat. III. Kal. Iul. Constantinop. Theodosio A. VII. & Palladio CONSS.

XXII. Idem AA. Anysio C.S.L.

Cessantibus cunctis quæ super biennio de actu mittendariorum olim statuta sunt, ad similitudinem exceptorum eiusdem militiæ completo anno recedere eos, subituris eundem locum sequentibus, præcipimus illis qui nunc agunt biennij actum ex quo cœperunt conplentibus. Dat. IIII. Non. Maij. Constantinop. Monaxio & Plinta CONSS.

XXIII. Idem AA. Asclepiodoto C.S.L.

Quattuor mittendarios, qui per annos singulos ex officio palatino exire solemniter consuerunt beneficiis quibus tuo culmini visum fuerit ex his videlicet quæ suæ iurisdictionis esse, nec aliis ex consuetudine cælitus deputata cognouerit, tua sublimitas prosequatur, etiam in posterum hac consuetudine permansura, vt circumuentione damnata prolixa stipendia siue debita solatia consequantur. Dat. III. Kal. Maij. Constantinop. Honorio XIII. & Theodosio X. AA. CONSS.

XXIIII. Impp. Theodosius A. & Valentinianus Cæsar Hierio PP. F.

Nostræ moderationis arbitrio præstitutum est, vt priuatiani priuilegia largitionalis officij perpetuo consequantur: hoc est, vt tam primicerius officij priuatarum, quam alij quattuor reliquorum primicerij scriniorum eiusdem contemplatione militiæ exconsularibus inter adlectos esse mereantur, & tam in hac alma vrbe quàm in prouinciis honore potiantur, cum inlustres viri memoratarum comites dignitatum ita simili iugiter infularum splendore decorentur, vt non culmine discingantur æquali, sed tempore. Dat. XV. Kalend. Decemb. Constantinop. Theodosio A. XI. & Valent. C. CONSS.

De stratoribus. *Tit.* XXXI.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Zosimum Præsidem nouæ Epiri.

PEr omnes prouincias edictum generale misimus, vt ab stratoribus vnus tantum solidus probæ nomine posceretur, & in offerẽdis equis certam formam, staturam, ætatem prouinciales nostri custodiendam esse cognoscerent, quos etiam fisco certo solidorum modo obnoxios fecimus, si quod stratores petere nunquã metuunt, illi dare stratoribus non timerent. Officium quoque grauitatis tuæ centum argenti libras multabitur, sciens prædictam rem gestam fuisse, non ilico eam seueritati iudiciariæ prodidisse. Dat. XIII. Kalend. Iul. Apolloniæ, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

De castrensianis. *Tit.* XXXII.

I. Impp. Honorius & Theodosius AA. Narsi viro spectabili Comiti & Castrensi S.P.

IN officio spectabilitatis tuę secundum formam diualium responsorum post completum tempus pręfinitum, id est biennium, prioribus decedentibus insequentes ad locum pro merito laborum stipendiorúmque succedant, nec vlla licentia tribuatur his qui inpletum deposuerint officium denuo ad eandem militiam vel sollicitudinem remeandi. Dat.

Dat.vi.Id.Feb.Constantinop.Theod.A.vii.& qui fuerit nuntiatus.

ii. Idem AA. Scholastico viro spectabili Comiti & Castrensi †. *ss.Palat§.*

Nonnulli diuinis impetratis apicibus primæ vel secundæ formæ sacri ministerij supernumerarij ordinati sunt, quibus interpositis & locum qui vacauerit occupantibus statuti, secundæ vel tertiæ formæ de superioribus gradibus excluduntur. Ideóque decernimus, vt qui in prima vel secunda forma diuino beneficio supernumerarij reperiuntur, statuti quinetiam secundæ vel tertiæ formæ alternis vicibus, hoc est per vicissitudines promoueantur, vt nūc vnus ex isto, nunc alter ex illo ordine ad superiorem statutorum locum si vacauerit progrediatur, de cetero obseruando, vt si quis primæ vel secundæ vel tertiæ formæ specialiter inter statutos gradum cælitus valuerit impetrare, supernumerarios vltimus formæ tertiæ in matriculis habeatur. Dat. Prid. Id. Ian. Constantinop. Honorio xiii. & Theodosio x. AA. CONSS.

De decanis. *Tit.* XXXIII.

i. Impp. Honorius & Theodosius AA. Helioni comiti & magistro Officiorum.

QVattuor qui ex corpore decanorum ad primum militiæ gradum peruenerint, biennij spatio primiceratus gerant officium, neque vlterius cuiquā hoc loco liceat immorari, vt omni gratia & ambitione cessante post duorum annorum curricula succedant prioribus subsequentes. Dat. Prid. Non. Nou. Constantinop. Theodosio A. vii. & Palladio v.c. CONSS.

De mensoribus. *Tit.* XXXIIII.

i. Imppp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA. Æmiliano magistro Officiorum.

PRimicerius mensorum ad instar scriniorum biennio expleto Agentis in rebus vltimi militiam sortiatur. Dat. x. Kal. Aug. Ancyræ. Stilicone ii. & Anthemio CONSS.

De priuilegiis eorum qui in sacro palatio militarunt. *Tit.* XXXV.

i. Imp. Constantinus A. Palatinis & benemeritis suis salutem.

A Palatinis tam his qui obsequiis nostris inculpata officia præbuerunt, quàm illis qui in scriniis nostris, id est, memoriæ, epistularū, libellorúmque versati sunt, procul vniuersas calumnias siue nominationes iubemus esse summotas: idque beneficium ad filios eorum atque nepotes ipso ordine sanguinis peruenire, atque INmunes eos à cūctis muneribus sordidis & personalibus permanere cum vniuersis mobilibus & mancipiis vrbanis, neque iniurias eis ab aliquibus inferri: ita, vt qui hæc cōtempserit indiscreta dignitate pœnas debitas exigatur. Dat. iiii. Kal. Nou. Triueris, Volusiano & Anniano CONSS.

ii. Idem A. ad Proculum proc. Africæ.

Si exmemorialibus vel expalatinis nostris aliquis ad agendas curas reipu-

blicæ vel alterius officij fuerit destinatus, minime ab eo repræsentatio postuletur equorum: qui autem in palatio obsequia non præbuerunt, sed ex alio hominum genere sunt, equos solemnes pro huiusmodi actu repræsentent. Dat. VI. Kal. Aug. Constantino A. IIII. & Licinio CONSS.

III. Idem A. ad Rufinum præpositum.

De cubiculis nostris vacatione donatos vel diuersis obsequiis palatinis aut scriniis memoriæ, epistularum, libellorúmque, vel officio largitionum comitatensium, singularúmve vrbium, sed & officio admissionum ad legum nostrarum priuilegia volumus pertinere, vt nec ipsi nec filij, nec nepotes eorum ad curiam vel honores vel onera, munera municipalia deuocentur: meritóq; his ingerimus largitionales vrbium singularum, ne priuilegio separẽtur, quos dignitas propemodum similis copulauit: memorati namque palatinorum matriculis adtinentur, quíque sub castrensi militant: quibus omnibus condonamus, ne exactorum vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam subeant, vel obsequium temonariorum, vel prototypiæ. nam beneficiis nostris ita digni sunt, vt etiam si quis ad diuersas administrationes post obsequia palatina peruenerit, hisdem debeat vti priuilegiis: quoniam maior dignitas nulla debet præiudicium facere. Nemo igitur ex filiis prædictorum vel seruis castrensi peculio conquisitis professionibus censualibus inseratur, vel numero adcrescentium loco vel deficientium subrogetur, si non fuerit innexus voluminibus censualibus, personalibus etiam & corporalibus muneribus liberentur, siue adhuc in palatio obseruent, siue optata quiete donati sunt. Quibus omnibus priuilegiis coniungimus Agentes in rebus, licet militaribus videantur esse subnixi. Dat. V. Kalend. Mai, Sirmio, Constantino A. V. & Licinio Cæsare CONSS.

IIII. Idem A. ad Iulium Verum Vicarium Italiæ.

Palatinis nostris, qui ob spectatũ laborẽ otio donati sunt sub obtentu pensitationum, quæ repræsentari consuerunt, tolerantia munerum sordidorum atque indigni oneris quorundam temeritate inponitur. quod facinus, licet grauiore pœna plectendum est, tamen ita volumus emendari, vt grauitas tua ex officio rationum æris speciem postulet, & in tabulas ei formatæ legis huius apices inprimat, vt si quid tale sustineant, ad eas ilico quasi ad præsentia remedia perfugiant, atque ab intentato onere liberentur. PP. Id. Mart. Crispo II. & Constantino II. CC. Consulib.

V. Idem A. ad vniuersos palatinos.

Ab his qui post inpleta officia fidelis obsequij administrationes publicas meruerunt, concessa quidam conantur priuilegia detorquere, nec intelligunt fastigiis promotionum in sublime prouectos, ab immunitate legitima exui minimè oportere: ideóque præcepimus vt palatini nostri expleto munere fidelis obsequij, cùm ad dignitatum cumulos elati fuerint, nihil de concessis priuilegiis perdant, sed incremẽtis dignitatum vtilis augeatur immunitas. De qua re ad præfectos prætorio, & ad præfectum vrbis scribta dreximus. Dat. III. Non. Iul. Yscoi, Ianuarino & Iusto CONSS.

VI. Impp. Valentinianus & Valens AA. Haue Anthemi Karissime nobis.

Mirati admodo sumus te non consideratis priuilegiis palatinorũ, quosdam ex eorum numero susceptoribus velle coniungere, cùm id minime legis nostræ

ſtræ ſententia comprehendat &c. Dat. XIII. Kal. Octob. Aquileia, Diuo Iouiano & Varriano CONSS.

VII. Idem AA. ad Prætextatum PV.

Omnes, qui intra conſiſtorij ſecreta veneranda notariorum funguntur officio, quíque in ſcriniis militant, quíque inter agentes in rebus plenum vigiliarum munus exercent, admiſſionales etiam, & qui ſub caſtrenſi officio, ſiue comitatenſibus, ſiue priuatis largitionibus obſecūdant, cùm pro merito probitatis & fidei, acceſſu iſtius fuerint ſplendoris ornati, conſtētque eos tunc tēporis honoratos, cùm à palatinis mitterētur obſequiis à primis quibuſque gradibus vſque ad perfectiſſimatus ordinem, tametſi proſecutoriarum adiumēta non habeant, prerogatiua conceſſi honoris vtantur: comitibus autem quorum iam celſior locus eſt, & tribunis ita demum proſit allectio, ſi ſacra ad vrbanæ officium præfecturæ ſcribta pertulerint, quibus eorum vita laudetur. Hæc peculiariter Romæ ſeruentur, vt habito loci honoríſque delectu, habito etiam virium fortunarúmque diſcrimine & laboribus ſingulorum congrua præmia rependantur, & hi ad impetratam adlectionem pertineant, quos poſt glorioſum laborem exhauriri ſenatoriis ſumptibus non oportet. Dat. XIIII. Kalend. Dec. Triueris. Acc. IIII. Id. Decemb. Lupicino & Iouino CONSS.

VIII. Idem AA. ad Probum PP ō.

Circa palatinos noſtros quies inlibata permaneat, quo intellegant cuncti, ne officia impunitum habere, nec iudices, ſi inquietentur hi, quibus poſt documenta fidelis obſequij ſub noſtris acta conſpectibus plena eſt impertienda tranquillitas. Dat. III. Kal. Sept. Briſiaci, Valentiniano nobiliſſimo puero & Victore CONSS.

VIIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. ad Arborium P. V.

Omnes, qui è palatio ſacro, vel priuilegiis ambiuntur, vel prouinciali adminiſtratione donati ſunt, nullis volumus cōuentionibus fatigari. Quiſquis igitur Agentē in rebus, aliúmve palatina dignit[illegible] ſubfultum, qui vel poſt adminiſtratam prouinciam honorati auctoritate fulcitur, vel teſtimonij noſtri adſertione cōfidit, frequēter ſuper dignitate ſua interpellatione pulſauerit, quinque librarum auri inlatione tenebitur. Dat. XV. Kal. Mart. Triberini, Gratiano V. & Theodoſio I. AA. CONSS.

X. Idem AAA. ad Probum PPP.

Rectores prouinciarum inlicitum eſſe cognoſcant quemquam qui è palatio glorioſa adminiſtratione perfūctus ſeu vacatione donatus ſit, vlli neceſſitati extra ordinem ſubiugādum, præterquàm ſemel ad profeſſionem proprij laboris non modo vlla conuentione cogēdum, verumetiam leui ſaltem commonitione pulſandum. Quod ſi quis iudex hoc præceptum temerare contēderit, eius officium penes quod culpam neglectæ iuſſionis hærere manifeſtū eſt, quinque librarum auri condemnatione multandum eſt. Dat. V. Kal. Iul. Aquileia, Gratiano V. & Theodoſio I. AA. CONSS.

XI. Idem AAA. Eutropio PPP.

Ab omnibus ex aula noſtra decedentes viri iniunctis habeantur inmunes: numerariorum faſtus vel rapaces queſtus tamquam experiētes, & idonei po-

tiantur, nec post emeritam missionem ad ministeria senes debiles seu vacãtes obliterata laboris exacti cõsideratione reuocentur. Dat. III. Non. Feb. Constp. Eucherio & Syagrio vv. cc. CONSS.

XII. Idem AAA. ad Cynegium C. S. L.

Quoscumque palatinæ militiæ officiis deputatos per decem annorum spatia quisquam ad ordinem sibi debitum repetere cessauerit, postea super petitione personæ agere nihil poterit. Dat. III. Non. Mar. Constp. Merobaude II. & Saturnino vv. cc. CONSS.

XIII. Impppp. Valentinianus, & Theodosius & Arcadius AAA. ad Pinianum P. V.

Omnes, qui in palatio militando diuersis actibus paruerunt secundum legem domini germani nostri in tãtum eius dignitatis cuius meruerint missionem, optinere norint insignia, vt his omnibus præferãtur in ordine atque cõsessu, qui posteriore tẽpore regẽdas prouincias dignitatésque susceperint Palatinas. Hoc autem generale decretũ si quisquam temeraria vsurpatione violare temptauerit, sacrilegij reus legibus cẽseatur. Dat. prid. Non. Iul. Med. Acc. IIII. Kal. Sept. Honorio NP. & Euodio CONSS.

XIIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. ad Asclepiodotum PP.

Qui intra nostra scrinia vel Agentum in rebus vel palatinorum tam comitis largitionum, quàm comitis priuatarum, vel apparitionis amplissimæ præfecturæ prætorianæ sacramẽta se deuouerit, & quindecimi in transcursu curriculo nulla fuerit à collegis conuentione pulsatus, adsumpti cinguli honore lętetur, nec emessa militia relictæ originis inuidia quatiatur. In cohortalinorum autem militia prędicta tempora propaganda censemus, non quòd maiores in ipsis reipublicæ vires sint, quàm in curialibus cõstitutæ. Sed quòd nõ hisdem priuilegiis inferioris sortis homines debeãt honorari, ideóque decernimus, vt si in ea militia ad quam trãsire conati sunt, vigintiquinque annos singula fortunæ suæ conuentione peregerint, & in officiis sine inquietudine & intermissione permãserint, quibus se quamuis inlicite sociarũt, ipsi quoque securi sint, & à prioris cõdicionis macula liberentur. Liberos autem curialium vel cohortalium quãdoque susceptos siue ante prærogatiuam & tempora expressa præsumptæ militiæ, siue post decursa stipendia originalem sequi cõdicionẽ oportet, quoniam satis est parentibus eorum vacationem à nostra clemẽtia pro remuneratione fuisse concessam. Hæc autem lex non ad illos pertinet, qui vel curiis vel suis officiis per sententias Iudicũ traditi sunt, quosquidem propriam necesse est cui addicti sunt, fortunam amplecti, sed ad eos de quorũ condicione in iudiciis quęstio vertitur, vt datam formã cognitores obseruent. Dat. XV. Kal. Iun. Constp. Asclepiodoto & Mariniano CONSS.

XV. Imp. Constantinus A. ad Seuerum P. V.

Omnes palatinos, quos edicti nostri iamdudum certa priuilegia superfundunt, rem si quam dum in palatio nostro morantur, vel si parsimonia propria quæsiuerint, vel donis nostris fuerint consecuti, vt castrense peculium habere præcipimus. quid enim tam ex castris est, quàm quod nobis consciis ac prope sub conspectibus nostris adquiritur. Sed nec alieni sunt à puluere & labore castrorum, qui signa nostra comitantur, qui præsto sunt semper actibus, quos intentos eruditis studiis itinerum prolixitas & expeditionum difficultas exercet.

exercet. Ideóque palatini nostri qui priuilegiis edicti vti potuerint, peculia sua præcipua retineant: quæ, dum in palatio constituti sunt, aut labore, vt dictum est, proprio, aut dignatione nostra quæsiuerint. PP. X. Kal. Iun. Constantino A. VI. & Constantio Cæsare Conss.

De equestri dignitate. *Tit. XXXVI.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PP.

EQuites Romani, quos secundi gradus in vrbe omnium optinere volumus dignitatem, ex indigenis Romanis & ciuibus elegantur, vel his peregrinis, quos corporatis non oportet adnecti. Et quia vacuos huiusmodi viros esse priuilegiis non oportet, corporalium eos iniuriarum & prosecutionum formido non vexet, ab indictionibus quoque, quæ Senatorium ordinem manent, habebuntur immunes. Dat. prid. Kal. Nouemb. Philippopoli, diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

De perfectissimatus dignitate. *Tit. XXXVII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Paternum Valerianum.

COdicillis perfectissimatus fruantur, qui impetrauerint, si abhorreant à condicione seruili, vel fisco aut curiæ obnoxij non sint, vel si pistores non fuerint, vel non in aliquo negotio constiterint, nec sibi honorem venali suffragio emerint, nec rem alicuius administrauerint.

CODICIS THEODOSIANI LIBER SEPTIMVS.

De re militari. *Tit. I.*

I. Imp. Constantinus A.

SI quis barbaris scelerata factione facultatem deprædationis in Romanos dederit, vel si quis alio modo factam diuiserit, viuus amburatur. Dat. IIII. Kalen. Mai. Seuero & Rufino CONSS.

INTERPRETATIO. *Si quis cum quibuslibet hostibus prædas egerit, aut prædam cum prædonibus diuiserit, incendio concremetur.*

II. Imp. Constantinus A. ad Siluanum Com. & magistrum equitum & peditum.

Si quis miles per commeatum dimissus fuerit à tribuno vel præposito, aut inconsulto eodem ab obsequio militari signisque discesserit, per singulos mi-

lites tribuni & præpositi quina pondo auri fisco inferant. Dat: vi. Kal. Iun. Sirmio, Limenio & Catullino CONSS.

III. Idem A. ad Titianum PP.

Quicunque militum ex nostra auctoritate familias suas ad se venire meruerint, non amplius quàm coniugia liberos seruos etiam de peculio castrensi emptos neque adscribtos censibus ad eosdem excellẽtia tua dirigi faciat. Dat. III. Kal. Iun. Limenio & Catulino CONSS.

IIII. Idem A. ad Cretionem v.c. Com.

Quamuis omni tempore opera dari debuerit, ne sacramentis militaribus † separatio traderentur, qui nec stipendiorum numero, nec contraria corporis valetudine quiete perfrui debẽt, tamen prudentiæ tuæ prosecutione admissa quæ apud nos verbis facta est, pręcepimus, vt qui ante stipẽdia emensa vel integra corporis valetudine otio mancipati sunt, restituantur pristinis numeris. Dat. v. Kal. Iul. Sergio & Nigriniano CONSS.

† lege separati otio tradercitur.

v. Impp. Valentinianus & Valens AA. *

Eorum liberos, qui armis inhęserunt, ad vsum bellicum & castra reuocãtes eis quoque eorum stipendiorum copiam deferemus, qui alterius gradus militiæ salutarem maximæ reipublicę operam persecuntur. Quòd si quosdam aut imbecillitas valitudinis, aut habitudo corporis, aut mediocritas proceritatis ab armatæ militiæ condicione submouerit, eos iubemus in officiis ceteris militare. Nam si post definitam à nobis ætatem ignobile otium adamauerint, curiis obnoxij erunt sine controuersia pro virium qualitate, ita vt hij quos debilitas fortuita, aut morbus & corporis valitudo cõfecta ita eneruauerit, vt ad vsum castrorum militiæque idonei esse non possint, vacationem perpetuam depulsis curialium munerum sollicitudinibus consequantur, &c. Dat. III. Kal. Maij, Hadrianopoli, Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

VI. Idem AA. Mauris Sitifensibus.

Si quis armatæ sacramenta militiæ impigro quinquennij labore pertulerit, auo licet ac patre sit decurione progenitus, ab omni nexu curiali personam duntaxat propriam vendicauerit, diuersis autẽ officiis seruientes quinque & viginti annis in militia decursis pari securitate donamus, &c. Dat. VIIII. Kal. Maij. Treuerini, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

VII. Idem AA. Iouio magistro equitum, & peditum.

Plures de diuersis numeris ante impleta stipẽdia, ad indebitos honores suffragiorum ambitione perueniunt. Siue igitur eos purpuram adorasse constabit, siue excepisse aliquas dignitates, eo quem ceperint honore soluantur, ita vt qui ceteros in labore positos festina cupiditate transierint, nec testimoniũ quidem emeriti laboris accipiant. Quòd si aliquibus fortasse rationibus adtinentur inpliciti, ad eos numeros de quibus per ambitionem exierant, reuertãtur. Dat. Prid. Kal. Iun. Med. Valentin. & Valente AA. CONSS.

VIII. Idem AA. ad Equitium Comitem & magistrum militum.

Omnibus omnino veteranis auctoritas tua denuntiet, quòd si quis filium suum armorum honore condignum non propria voluntate militiæ, quã ipse sudarit, obtulerit, nostræ sit legis laqueis inplicandus. Dat. VIII. Kal. Octob. Heracleæ, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

VIIII.

VIIII. Idem AA. ad Iouinum magistrum equitum.

Tam duces quàm etiam comites, & quibus Rheni est mãdata custodia, sinceritas tua protinus admonebit, vt neque regalibus, neque legatis sua milites iumenta subpeditent. Etenim cum propriis animalibus eousque veniendum est, vbi obsequium cursuale succedit. Sanè sollicitudinem competentem auctoritas tua iubebit adhiberi, vt eorum pecoribus, vbi conlocauerint mansionem, alimenta non desint. Dat. IIII. Kalendas Feb. Remis, Lupicino & Iouino CONSS.

X. Idem AA. ad Iouinum magistrum militum.

Plerique milites secum homines cõdicionis ingenuæ propinquitate simulata, vel condicione lixarum frequenter abducunt: ideóque vt numerosissima pube crescat exercitus, moneantur, vt ipsi sponte huiuscemodi homines, quos penes se esse meminerint, tribunis suis siue præpositis offerant ad tuum officium dirigendos, aut sciant se non absque deuotionis nota & morsu honoris alieni commilitonibus esse postponendos. Etenim his qui occultatores perfidos publicauerint, pro præmio huius indicij gradus vnus addetur. Hi verò ad inferiorem ordinem reuoluentur, qui castris idoneos iuuenes studio inertis obsequij putauerint occulendos. Dat. XVI. Kal. Mart. Remis, Lupicino & Iouino CONSS.

XI. Idem AA. ad Seuerum magistrum militum.

Hij qui inter adcrescentes matriculis adtinentur, tam diu alimoniam à parentibus sumant, quoad gerendis armis idonei fuerint æstimati, ita vt cesset super eorum nomine præbitio fiscalis annonæ. Dat. VIII. Kal. Maij, Triueris, Modesto & Arintheo CONSS.

XII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. Cynegio PP.

Tribuni vel milites nullam euagandi per possessiones habeant facultatem. cum signis propriis in mansionibus solitis ac publicis maneant. Aut si quis tã necessaria scita contempserit, de eo ac tribuno eius ad nostram scientiam Rectorum, ac defensorum relationibus protinus deferatur. Dat. IIII. Id. April. Constantinop. Richomere & Clearcho CONSS.

XIII. Idem AAA. Richomeri comiti & magistro vtriusque militiæ.

Cum supra virentes fluminum ripas omnis legionum multitudo consistit, id prouida auctoritate decernimus, vt nullus omnino immundo fimo sordidatis fluentis commune poculum polluat, néve abluendo equorum sudore deproperus publicos oculos nudatus incestet, atque ita & turbido potum cæno misceat & confundat aspectum, sed procul à cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluuiorum, id est infra tentoria vagus natatus animalium prout libitum videtur exerceat. Sublimis igitur magnificentia tua id sollicitudinis studio & admonitionis præcepto faciet custodiri, vt vnusquisque tribunus agnoscat graui se subdendum esse supplicio in cuius parte neglectum probabitur, quod agnoscit imperatum. Dat. VI. Kal. Iun. Vincentiæ, Tatiano & Symmacho CONSS.

XIIII. Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius AAA. Theodoto magistro Officiorum.

Quicunque infantes vel pueri militare cœperunt, sterni eos inter vltimos iussimus, ita vt ex eo tempore ex quo parere cœperint, locũ sibi incipiãt vin-

dicare, vt laborum suffragiis incrementa militiæ consequantur. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Arcadio III. & Honorio II. AA. CONSS.

XV. Imppp. Arcadius & Honorius AA. Remistheo duci Armeniæ.

Si quis post hac militem in priuato obsequio repertus fuerit retinere, quinque libras auri multæ nomine feriatur. Dat. XII. Kalen. Mart. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

XVI. Idem AA. Theofilo Vicario Asiæ.

Si quos milites per prouincias relictis propriis numeris passim vagari cognoueris, correptos facias custodiri, donec de his clementiæ nostræ auribus intimetur, & quid fieri oporteat, decernamus, ita vt si quis miles in prouincia sine suo numero repertus fuerit, ac post elapsus esse nuntiabitur, facultatum suarum periculo totius officij condemnatione grauissimè vindicetur. Dat. v. Kal. Feb. Constp. Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS.

XVII. Idem AA. Romuliano P.V.

Si qui miles ex his qui præsentes diuino obsequio nostræ clemētiæ deputati sunt, & qui in hac esse vrbe præsente comitatu concessi sunt, quive de aliis numeris vel legionibus sunt, repertus fuerit vel sibi vacās vel alieno obsequio contentus, nobis ilico nuntietur, ita vt conscij, qui talium præsentiam non præbuerint, vinginti libras auri sciant esse multandos. Sin vero quisquā missus à numero vel à tribuno ad comitatum serenitatis nostræ peruenerit, ilico se viris inlustribus comitibus offerre festinet, & causas profectionis exponat, vt & responsum cæleste mereatur, & citam remeandi accipiant facultatem. Dat. Kal. Feb. Constp. Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS.

XVIII. Idem AA. Stilichoni magistro militum.

Contra publicam vtilitatem nolumus à numeris ad alios numeros milites nostros transferri. Sciant igitur comites vel duces, quibus regendę militię cura commissa est, non solum de comitatensibus ac palatinis numeris ad alios numeros militem transferri non licere, sed ne ipsis quidem seu de comitatensibus legionibus, seu de riparensibus castricianis, ceterísque cuiquam eorum transferendi militem copiam adtributam, quia honoris augmentū non ambitione sed labore ad vnumquenque conuenit deuenire. Quòd si qui contra fecerint, per singulos milites singulas auri libras à se nouerint exegendas. Dat. XIIII. Kal. April. Med. Stilichone & Auriliano CONSS.

Quid probare debeant ad quamcunque militiam venientes. Tit. II.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Postumiano PP.

QVotiescunque se aliqui militiæ crediderit offerēdum, statim de natalibus ipsius ac de omni vitæ condicione examen habeatur: ita vt domum, genus non dissimulet & parentes, nec tamen huic ipse rei nisi honestissimorum hominum testimonio adstipulāte credatur. ita enim fiet, vt & curias nemo declinet, & ad militiam nullus adspiret, nisi quem penitus liberum aut genere aut vitæ condicione inquisitio tam cauta deprehenderit. Data XIIII. Kalend. Aug. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

II. Idem

II. Idem AAA. ad Neotherium PP.

Quiſquis cinguli ſacramenta deſiderat in ea vrbe qua natus eſt, vel in qua domicilium conlocat: primitus acta conficiat, & ſe oſtendat non patrē non auo eſſe municipe, penitúſque ab ordinis neceſſitatibus alienum, ſciturus ſe imperpetuum reuocandum, nec temporis nec militiæ prærogatiua, ſi ita non geſſerit defendendum. Ordines etiam vrbium nouerint, ſi cuiquam præſtitiſſe gratiam doceantur, ac non vera actis promēdo per mendacium quenquam abire permiſerint, ſe periculo ſubiacere. Dat. VI. Id. Iul. Med. Arcadio A. I. & Bautone CONSS.

Quis in gradu præferatur. *Tit. III.*

I. Imppp. Theodoſius, Arcadius & Honorius AAA. Rufino PP.

IN omnibus qui militiæ nomen dederunt, ratio eſt habenda meritorum, vt is potiſſimum potiorem adipiſcatur gradum, qui meruerit de labore ſuffragiū: nec quæratur, quis militarit primus, ſed quis māſerit in ſtudio apparitionis adſiduus. Dat. Prid. Idus Feb. Conſtp. Theodoſio A. III. & Abundantio V. C. CONSS.

II. Impp. Honorius & Theodoſius AA. Anthemio PP.

Cum alios in altiores militiæ gradus iugis obſeruatio, nonnullos in eadem militiæ ſtatione cæleſte peruexiſſet oraculum, ac tempore prouehēdæ dignitatis exoreretur contētio quiſnam prior incederet, quiſve ſubſequeretur, cùm vterque pari eiuſdem gradus niteretur auſpicio: non inmeritò placuit, vt quotiens codicillis vel ſacris affatibus vllus ex alio ad alium gradum cum hiſdem ſtipendiis emigrarit, triennio ei poſtponatur, quem ſors militiæ in eum progreſſum duxerit. Dat. X. Kal. Oct. Honorio VIII. & Theodoſio III. AA. CONSS.

De erogatione militaris annonæ. *Tit. IIII.*

I. Imp. Conſtantius A. HABE Felix R. NB.

TRibunos ſiue præpoſitos qui milites noſtros curant, annonas per dies ſingulos ſcribtionis indicio ſibi debitas in horreis derelinquere non oportet, vt procuratores ſeu ſuſceptores vel præpoſiti pagorum & horreorum eam conparent. hinc enim fit, vt à prouincialibus non annonas ſed pecunias poſtulent memorati, ipſis etiam ſpeciebus remaneant vitiatis adque corruptæ, conſtituimus ideoque derelictæ annonæ fiſco conpendium vendicari ſubſcribendario & optione gladio feriendis: quoniam fieri non poteſt, vt vel prouinciales iterata conlatione, grauentur, vel militibus corruptis ſpecies diuidantur, detrectantibus memoratis ad diē ſumere annonas ſuæ congruas dignitati. In qua culpa ſi quis fuerit adpręhenſus, nec perſonæ merito, nec honoris faſtigio defendendus eſt. Dat. XIIII. Kal. Nou. Aquis, Paulino & Iuliano CONSS.

II. Imp. Conſtantius A. ad Taurum.

Cum militibus per Africam conſtitutis laridum vel recens forſitan caro deinceps erogabitur, vngulas oríſque tātummodo ſummitatem præcidi amputaríque præcipimus, ne porcina integra ſeparetur, ſed erogationi proficiat annonariæ. Dat. VIII. Id. April. Arbitione & Lolliano CONSS.

III. Idem A. & Iulianus Cæſar ad Taurum.

Comes militaris rei per Africam conſtitutus contra vetitum ſpecies anno-

narias de conditis arbitrio suo dicitur vsurpasse. hoc de cetero citra vicari arbitrium fieri nō potest, nisi vicarius comitis scribtione conuentus didicerit, qui numerus annonarum & quibus debet erogari, atque id fieri oportere censuerit. Dat. xv. Kal. Ian. Sirmio, Constantio A. v. III. & Iuliano C. CONSS.

IIII. Idem A. Helpidio.

Cum in expeditione milites degant biduo expeditionalem annonam, tertio die panem consequantur ac vinum. Dat. IIII. Kal. Ian. Doridæ, Datiano & Cereale CONS.

V. Idem A. Helpidio PP.

Expeditionalem annonam ex horreis milites viginti dierum debent suscipere, vt eam transuehant propriis in expeditione necessitatibus profuturam. Dat. Prid. Id. Mart. Constp. Eusebio & Hypatio CONSS.

VI. Idem A. & Iulianus Cæs. Helpidio PP.

Repetita consuetudo mōstrabit expeditionis tēpore buccellatū ac panem, vinum quoque atque acetum, sed & laridum carnem & verbecinam etiam milites nostros ita solere percipere biduo buccellatum, tertio die panem, vno die vinum, alio die acetum, vno die laridum, biduo carnem berbecinam. Dat. XVI. Kal. Iun. Hierapoli, Constantino X. & Iuliano C. III. CONSS.

VII. Imp. Iulianus A. Sallustio PP.

Milites ad vicensimum lapidem capitum petere iussimus. Dat. VIII. Id. Ian. Mamertino & Neuitta CONSS.

VIII. Idem A. Secundo PP.

Militibus ad Calendas Augustas capitatio denegetur, ex Calendis Augustis præbeatur. Dat. Calend. Aug. Nicomediæ, Mamertino & Neuitta VV. CC. CONSS.

VIIII. Imp. Iouinus A. Secundo PP.

E vicensimo nō amplius lapide milites sibi iubemus paleas cōuectare. Dat. V. Cal. Oct. Ædesa, Iou. & Varroniano CONSS.

X. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum PV.

Protectores fori rerum venalium iuxta veteris moris obseruantiam in annonarum suarum commoda pretia consequātur. Dat. X. Cal. Mai. Antiochiæ, Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

XI. Idem AA. ad Mamertinum PP.

Susceptor antequam diurnum pittacium authenticum àb actuaris susceperit, non eroget, quòd si absque pittacio fuerit erogatio, id quod expēsum est, damnis eius potius subputetur. In qua re officium grauitatis tuæ in speculis esse debebit non sine detrimento propriarum facultatum: id futurum sciens si neclexerit vt præscribæ formæ tenor custodiatur: nec prius de horreis species proferantur & maxime capitationis, quàm vt dictum est, ad diem pittacia authentica fuerit prorogata. Dat. Idibus Decemb. Triu. Diuo Iou. & Varroniano CONSS.

XII. Idem AA. ad Victorem mag. mil.

ꝛę. adficere possidentes

In prouinciis stationes militum † adfici posse possidentes Vrsicini comitis suggestione cognouimus, à quibus super statutorum graue atque inusitatum quoddam nomē cenaticorum fuerit introductū, quod magnifica auctoritas tua missis competētibus litteris in omnibus prouinciis iubebit aboleri, vt milites

lites recordentur commoda sua, quæ in annonarũ perceptione adipiscuntur, extrinsecus detrimentis prouincialium non esse cumulanda. Dat. VI. Kal. Ian. Bonamansione, Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

XIII. Idem AA. ad populum.

Actuarij per singulos vel vt multum binos dies authentica pittacia prorogẽt, vt hoc modo i missis pittaciis species capitum annonarúmve ex horreis proferantur. Quod nisi fuerit custoditum, actuarius & susceptor, sed & officiũ iudicãtis quod non institerit huic iussioni statutę, obnoxium tenebitur. Dat. Kal. Oct. Aquil. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XIIII. Idem AA. Secundo PP.

Ripariensés milites mensibus nouem in ipsa specie cõsequantur annonam, pro tribus pretia percipiant. Acc. Kal. Dec. Calcedone, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XV. Idem AA. ad Auxonium PP.

Sicut fieri per omnes limites salubri prospectione præcipimus, species annonarias à vicinioribus limitibus prouincialibus ordinabis ad castra conferri, & * inuitò oneris castris cõstituti milites duas alimoniarum partes ibidem de conditis sumant, nec amplius, quàm tertiam in partem ipsi vehere cogantur. Dat. V. Non. Mai. Marcianopoli, Valentiniano N. P. & Victore CONSS.

XVI. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PP.

Actuarij nisi expleto triginta dierum spatio pittacia authentica confestim tradiderint, species quas ex fiscalibus conditis dissimularint excludere, vel numero, cuius ratiocinia pertractant, supersederint erogare, de propriis facultatibus vel militibus ipsis, vel fiscalibus horreis adigãtur inferre. Dat. VI. Id. April. Sirmio, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XVII. Idem AAA. ad Modestum PP.

Fortissimi ac deuotissimi milites, familiæ quoque, sed & ceteri quibuscunque præditi dignitatibus annonas & capitum singulis diebus aut certe conpetenti tempore, id est priusquàm annus elebatur, de horreis consequantur, aut si perceptionem suam ac si debitam studio voluerint protelare: id quod conpetenti tempore minimè perceperint, fisci nostri commodis vendicetur. Dat. prid. Non. April. Antiochiæ, Gratiano A. IIII. & Merobaude V. C. CONSS.

XVIII. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Abundantio Stilichoni, & ceteris Comitibus & magistris vtriusque militiæ.

Ne quis pro speciebus annonariis pretia temptet exigere, vel si cõtra legem datã venire temptauerit, nec illud quod in pretio expetiit permittatur exigere, nec illud quod suo tempore accipere in speciebus neclexerit consequatur, Dat. IIII. Kal. Aug. Constp. Theod. A. III. & Abundantio V. C. CONSS.

XVIIII. Idem AAA. Tatiano PP.

Officiorum annonas dispositione prouidentissima his prouinciis distributas, quæ nec transuectioni publicæ nec arcæ possunt aliquod deferre conpendium, co probamus. Dat. prid. Kal. Aug. Constp. Theodosio A. III. & Abundantio V. C. CONSS.

xx. Idem AAA. Rufino PP.

Nulli militarium pro his annonis quæ in prouinciis delegantur repudiata ad tempus specierum copia,& inopiæ occasione captata pretia liceat postulare: ita vt si quis propter anni abundantiam suscipere oblata neglexerit,ac postea in positis pro necessitate rerum prædiis,repudiata taxauerit, neq; id quod contra hanc legem expetit, sinatur exigere: neque illud quod accipere dissimulauerit consequatur. Dat.IIII.Kal. Aug. Constp. Theodosio A. III. & Abundantio v.c. CONSS.

XXI. Impp.Arcadius & Honorius AA.Cæsario PP.

Si à militaribus prouincialis quælibet damna pertulerint, ac non ipsas species quæ in prouinciis à possessoribus congregantur fuerint consecuti, illico interpellato Iudice admissum crimen ad nostram clementiam perferatur, vt admissum crimen congruè vindicetur. Sin verò tantum nefas simili taciturnitate contexerint,præter eam multam quam Rectores officiáque subire conueniet,etiam detrimentorum quantitas in duplum de eorũ facultatibus exigitur reddenda ac restituenda his qui dispendia talia pertulerunt. Dat.xv.Kal. Mai. Arcadio IIII.& Honorio III. AA. CONSS.

XXII. Idem AA. Hilario PP.

Neque scholæ neque vexillationes comitatẽses,aut palatinæ, neque legiones vllæ,neque auxilia, qualeslibet ad prouincias delegatorias de specierum præbitione pertulerint, audiantur, si pretia poscant vltra ea quæ generali lege diui patris senioris Valentiniani constituta sunt. nec enim fas est, vt exigendis annonis militum nostrorum seruientis noua possessoribus pro arbitrio proprio indicant siue mẽtionem etiam pretiorum nullam delegationem valere præcipimus. Dat. III. Kal. Iun. Med. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

XXIII. Idem AA. Hilario PP.

Prouincialium commodis non conuenit subuenire. Ad omnium vtique numerorum siue vexillationum,aut etiam scholarum tribunos per viros inlustres comites sublimitas tua faciat peruenire,vt meminerint fænum militibus hisdem capitibus præstandum iuxta legem Diui Valentiniani de quinta decima indictione,nec tamen ad oppidum deferendum. Dat. XVI. Kal. Iul. Arcadio A.IIII.& Honorio III.AA.CONSS.

XXIIII. Idem AA.

Excellentia tua erogationis per susceptores factæ modum quantitate breuium conferri perficiat, ita vt ex quo die numeris datum sit, diligentius exploretur, ac si quid amplius actuarios vel optiones accepisse constiterit, quã breuium datorum scriniis nostris veritas continet, memorati in duplum reddere compellantur: susceptoribus ea summa imputanda, quam semel flagitantibus hisdem erogasse monstrauerint. nam ad inlustres quoque magistros vtriusque militiæ sacri apices cucurrerunt, quibus prouida sanctione decreuimus, vt breues ante indictionis principum summa fide ac veritate confecti ad nostra scrinia dirigantur, secundum quos à susceptoribus erogatio celebretur. Dat. VIII.Kalend. April.Constantinop.Honorio A.IIII.& Eutychiano v.c. CONSS.

xxv. Idem AA. Eutychiano PP.

Quoniam clementia nostra poscenti Epifanis ordini consensit, vt Nouembri mense nouellum vinum militi præberetur, propterea quod veteris dispendiosa videtur erogatio. Inlustris auctoritas tua per omnes prouincias cunctis numeris ac militibus à Nouembri mense de nouello vino annonam dari disponat. Dat. x. Kalend. Iun. Constantinop. Honorio A. IIII. & Eutychiano v. c. CONSS.

xxvi. Idem AA. prouincialibus prouinciæ proconsularis.

Opinatoribus nullum sit cum prouinciali commercium: ita vt à Iudicibus vel officio prouinciali omnis summa debiti postuletur intra anni spatium cõferenda. Dat. Prid. Kal. April. Med. Vincentio & Frauitta CONSS.

xxvii. Idem AA. & Theodosius A. Anthemio PP.

Nullus protectorum vel domesticorum, cui aut tuitio locorum, aut quædam longior est commissa necessitas, aut certe Iudicum nostrorum præceptis iussus obtemperat, annonas vel emolumenta percipiat, nisi circumacto anni tempore post completum consulatum in alterius anno consulis commonitorium reparare curauerit. Dat. Kal. April. Constantinop. Arcadio A. VI. & Probo v.c. CONSS.

xxviii. Imppp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA. Anthemio PP.

A prouinciarum Rectoribus caueatur, vt tam numeris, quàm familiis nec non & inpedimentis, præter eas annonas, quæ adærantur, id tantum in specie præbeatur quod militis flagitarit inspectio, ne actuariorum fraudibus vlla relinquatur superpostulationis occasio, cùm per præpositos pistorum & diadotas legis forma caueatur, vt nulli omnino nulla in specie prębeatur annona, nisi quem substantem atque in præsenti constitutum postulare constiterit, hoc quoque legis auctoritate complexo, vt semper dierum per quas resistentes Tribuni emolumenti gratia solemniter stillaturæ nomine consecuntur, species non aliter adærentur, nisi vt in foro rerum venalium distrahuntur. Dat. v. Id. April. Constantinop. Arcadio A. VI. & Probo v.c. CONSS.

xxviiii. Impp. Honorius & Theodosius AA. Anthemio PP.

Si quas sub gratia donationis à militibus auferunt quam merentur annonas duces seu Tribuni, iuxta nummaria defixa pretia sine vlla dubitatione percipiant. Dat. IIII. Non. Maij, Constantinop. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS.

xxx. Idem AA. Anthemio PP.

Limitanei milites & possessorum vtilitate conspecta per primam, secũdam, ac tertiam Palestinam huiuscemodi norma processit, vt pretiorum certa taxatione depensa specierum intermittatur exactio, sed ducianum officium sub Versamini & Mœnæni castri nomine salutaria statuta conatur euertere. Ideóque lege repetita censemus, vt si quis interclusam specierum exactionem refricare tẽptauerit, vel adærationes statutas ausus fuerit inmutare, tam vir spectabilis dux centum librarum auri, quàm etiam eius officium pari condemnationis summa quatiatur, adiecta sacrilegij pœna quæ diualium scitorum violatores palam insequitur. Dat. x. Kal. April. Constantinop. Honorio A. VIII. & Theodosio III. AA. CONSS.

xxxi. Idem AA. ad Anthemium PP.

Militaribus commodis proſpicientes adæratarum annorarum, quæ familiis apud Orientem vel Ægyptum præberi conſuerunt certa ac diſtincta locis & numero pretiā ſtatuimus, verùm quia in hoc & prouincialiū nobis habenda eſt cura præcipua, ne nimia feſtinatione poſcendi conlatorum vires adteri videantur, certum conſtitui tempus placet, quo eadem pretia debeant præberi poſcentibus. quapropter vniuſcuiuſque indictionis annonariam in pretiis rationem; tranſacta ea ſequentis indictionis, menſe Nouembri completo præberi præcipimus. Dat. Prid. Kal. Decemb. Conſtantinop. Honorio VIII. & Theodoſio III. AA. CONSS.

xxxii. Idem AA. Leontio viro inluſtri PP. Illyrici.

Procuratores curiarum, annonarum & cellarienſium ſpecierum gratia minime fatigentur, quas in dignitatibus conſtituti, id eſt Rectores prouinciarum & Comites ſolent accipere. nam cum adærationis æſtimatio prius per cētum & viginti capita exactione ſolidi teneretur, per ſexaginta recens redegit auiditas, exindeque iam nutrita licentia ad tredecim tributarios non dubitauit artare, procuratore damnum quo ipſe ſubditus fuiſſet prouincialibus infligente. ideóque per cornicularium cuiuſcunque prouincialis officij hanc ſollicitudinem impleri conueniet, ita vt nulla ab eodem exactionis moleſtia prouincialibus inferatur, ſed erogandas ſpecies ex horreis publicis & cellariēſium nomine aurum ex titulo manifeſto eidem delegatum pro erogationis qualitate ſuſcipiat, etiam pretium his qui adærare voluerint depenſurus iuxta nudinationem, quæ aut foro rerum venalium continetur, aut ampliſſimæ præfecturæ eſt culmini deputata: nec enim quæri poterunt, qui vel ſpecies accipient debitas dignitati, vel ſi auri perceptione lætentur, æquari ſe tanto culmini non debebunt. Temerantium etiam audacia punienda, officio tui culminis quinquaginta librarum auri multa continuo percellendo, ſi rite diſpoſita obſeruare neglexerit. Dat. XVI. Kalend. Septemb. Conſtantinop. Honorio VIII. & Theodoſio III. AA. CONSS.

xxxiii. Idem AA. Hadriano PP.

Ne interiecti æquoris tractus querelæ prouincialium pereant, Flauianum, & Cæcilianum viros inluſtres per Africam audiētiam cunctis præbere decernimus: militarem quoque annonam, quæ intra Africam contubernalibus erogatur, eorū diligentia indagari præcipimus, vt nihil his poſt eorum examē addatur, & c. Dat. V. Non. Mart. Rau. Cōſtantio & Cōſtante VV. CC. CONSS.

xxxiiii. Idem AA. Conſtantio magiſtro militum.

His ſcholaribus quibus laborum intuitu regendos numeros dederimus, de ærariis annonis ſingulos ſolidos per opinatores caballationis quoque rationē pro adminaſtrato tempore debitam quando militibus erogatur, ſine mora præberi oportet: vel ſi quis eorum antequam accipiat, in fata cōceſſerit, quod ex vtraque cauſa ei debebatur, heredibus eius reſtitui. Dat. XIII. Kal. Decemb. Conſtantio & Conſtante VV. CC. CONSS.

xxxv. Idem AA. Aſclepiodoto PP.

Annonas omnes, quæ vniuerſis officiis atq; ſacri palatij miniſteriis & ſacris ſcriniis ceteríſque cunctarum adminiculis dignitatum adſolēt delegari, quáſque hij qui ad earum exactionem mittuntur, pro cupiditate ac libidine ſua grauiter

grauiter ex prouincialium visceribus eruebant, ad similitudinem militũ, quibus ærariæ præbentur annonæ, adærari præcipimus: vt omnibus superius designatis emolumenta debita in pretiis dispositio culminis tui pro publica auctoritate taxatis præcipiat erogari. Dat. XVI. Kalend. Mart. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano CONSS.

XXXVI. Idem AA. Procopio magistro militiæ per Orientem.

Si quando tribuni siue comites vel præpositi numerorum per prouincias annonas voluerint, hoc est quas pro dignitate sua consequuntur in ære percipere, non aliis eas pretiis, nisi quæ in foro rerum venalium habeantur, adęrandas esse cognoscant, si alias annonas quæ non suæ dignitatis erunt, sed alio modo, dum tamen licito suis commodis adquisitas in auro sibi dari duces siue tribuni voluerint, illis pretiis contenti sint, quę in forma ærariarum annonarum vniuersis militibus sollemni obseruatione præbentur. Sanctionis temerator sciat se & administratione simul & dignitate spoliandum, & facultatum suarum percellendum dispendio. Dat. III. Non. Decemb. Constantin. Victore V.C. CONSS.

De excoctione & translatione annonarum. *Tit. V.*

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. Stiliconi Comiti & Mag. vtriusque militiæ.

OPinatores, quibus species in diuersis prouinciis delegantur, vt pretium maiore taxatione deposcant, contra omnem consuetudinẽ nullis consistentibus familiis excoctionem panis efflagitant. Inlustris igitur auctoritas tua nouam vsurpationem congrua auctoritate percellat, vt cum opinatores in prouinciis delegantur, vetus consuetudo seruetur. Dat. Idib. Sept. Mediol. Theodoro V.C. CONS.

II. Idem AA. & Theodosius A. ad Hadrianum PP.

In excoctione buccellati, quod deuotissimis militibus conuenit præparari, in translatione etiam annonæ nullius excipiatur persona, videlicet, vt ne nostra quidem domus ab his habeatur immunis. Et si quisquam, quod non opinamur, implere quæ sunt præcepta neglexerit, in procuratorem eius seuerissime vindicetur, ita vt si huiusmodi contumaciæ dominum conscium esse constiterit, quadruplum id quod pro eius capitatione poscitur, posthabita dilatione soluatur. Dat. VIIII. Kalend. April. Romæ, Honorio A. VI. & Aristeneto CONSS.

De militari veste. *Tit. VI.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PP.

SIue ex principalium, siue ex honoratorum numero susceptor vestium nominetur, exceptis videlicet his qui palatinæ militiæ priuilegiis fulciuntur, vel qui officiis ac ministeriis perfuncti merito stipendiorum consecuti sunt dignitates, & vir spectabilis Proconsul Africæ moneatur, vt ad excludendas fraudes vno anno non plus hæc necessitas procuretur, ita tamen vt creationis periculum à proconsulari officio nõ recedat. Dat. XIIII. Kalend. Mai, Mediolani, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

II. Idem AA. Auxonio PPō.

Omnem canonem vestium ex Kalend. Sept. ad Kal. April. nostris lagitionibus tradi præcipimus: proposita Rectori prouinciæ vel eius officio cōdemnationis, quæ tuæ iustitiæ videbitur, pœna. Dat. XIIII. Kal. Decemb. Marcianopoli, Valentiniano & Valente CONSS.

III. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. Modesto PP.

Prouinciæ Trachiarum per viginti iuga seu capita conferant vestem: Scythia & Musia in triginta iugis seu capitibus interim annua solutione defendant: per Ægyptum & Orientis partes in triginta terrenis iugis: per Asianam vero & Ponticam diœcesim ad eundem numerum in capitibus seu iugis annua vestis collatio dependatur, ita vt per Orientem prouinciæ in titulo auri conparaticij, quod per iugationem redditur conpensationis gratia perfruantur, exceptis Osroëne & Hisauria. nam easdem cōstat aurum conparaticium minime redhibere. Dat. V. Id. August. Hierapoli, Gratiano A. IIII. & Merobaude v.c. CONSS.

IIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Martiniano Com. S.L.

Fortissimis militibus nostris per Illyricum non binos trimisses pro singulis chlamidibus, sed singulos solidos dari præcipias. Dat. XVI. Kal. Febr. Constp. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

V. Impp. Honorius & Theodosius AA. Asclepiodoto PF.P.

Militaris adæratio vestis à conlatoribus exigatur, sacratissimis videlicet largitionibus inferenda: ita, vt quinque eius partes fortissimis militibus erogentur in pretio: sexta verò portio à gynæciariis clementiæ nostræ absque vlla vel ipsorum vel publica incommoditate pro eadem contextione suscepta iunioribus gregariisque militibus in ipsa, quam maximè eos desiderare constitit, specie præbeatur. Dat. VII. Id. Mart. Constp. Asclepiodoto & Mariniano CONSS.

De pascuis. *Tit. VII.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Germanianum Com. S.L.

DEdimus litteras ad viros clarissimos præfectos prætorio, vt ab his conuenti Rectores prouinciarum scirent in locis rei priuatæ augmēta pensionum non esse facienda, neque sinerent pascua animalium ex rebus priuatis nostris prouincialium licitatione præberi. Dat. V. Kal. Feb. Romæ Valentiniano & Valente AA. CONSS.

II. Idem AA. ad Rufinum PF.P.

Cum nulla ratio sit cur in pascuis saltibus rei priuatæ debeat ampliari, nequaquam pro libidine ordinum augmenta facienda sunt. etenim idcirco grauiorem pensionem inponi ab ordinibus accipimus, vt animalia ex rebus priuatis nostris à locorum pastibus arceantur, quod fieri non oportere diuæ memoriæ Iulianus prorogata iussione constituit. Quare excellens auctoritas tua conuentis Rectoribus prouinciarum non eam licitationis necessitatem patiatur inferri, quam repentinam faciunt ciuitatis, sed eam manere decernant, quam statuit antiquitas. Dat. VIIII. Kalend. Octob. Luceriæ, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

III. Arca-

III. Arcadius & Honorius AA. Simplicio Comiti & magiſtro vtriuſque militiæ.

Inſignis auctoritas tua hac condicione à publicis pratis Apamenis animalia militum prohiberi præcipiat, vt vniuerſi cognoſcant de emolumentis eorum tuíque officij facultatibus duodecim libras auri fiſci commodis exigendas, ſi quiſquam poſthac memorata prata mutilare temptauerit, non minore decernẽda pœna, ſi etiam prata priuatorum Antiochenorum fuerint deuaſtata: ita tamen, vt ſine læſione prouincialium prouideant curiales quo pacto animalium militarium paſtui conſulatur. Dat. v. Id. Mart. Conſtp. Honorio A. IIII. & Eutychiano v.c. CONSS.

IIII. Impp. Honorius & Theodoſius AA. Auriliano PF.P. & patricio.

Poſſeſſores nihil plus debent, quàm quod noſtro arbitrio noſtræ perennitatis & magnificæ ſedis tuæ diſpoſitione per annos ſingulos iubentur inferre. nec verò milites aliquid præſumere debent, niſi quod largitate noſtri numinis conſequentur. ideóque poſſeſſores vel coloni ſuper pratis nullam moleſtiam patiantur. Dat. Non. Septemb. DD. NN. Honorio x. Theodoſio VI. AA. CONSS.

V. Idem AA. Comitibus & magiſtris militum.

Prata prouincialium noſtrorum perniciosum eſt militum moleſtiis fatigari. ideóque legem ad ampliſſimam præfecturam promulgata cenſuimus, ne hoc deinceps vſurpetur. ſuper qua re vniuerſos, quorum intereſt, conuenire tua magnificentia non moretur, ne permittant poſſeſſores vel colonos pratorum graui qualibet inportunitate vexari. Dat. Non. Septemb. Honorio x. & Theodoſio VI. AA. CONSS.

De metatis. *Tit. VIII.*

I. Imp. † Conſtantinus A. ad Senatum.

† *Conſtantinus.*

INuitis Senatoribus noſtris in eorum domibus nullus hoſpitali iure conmaneat. Dat. v. Non. Maij, Tauro & Florentio CONSS.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. Remigio magiſtro Officiorum.

In ſynagogam Iudaicæ legis hoſpitij velut merito intuentes iubeas emigrare, quos priuatorum domus, non religionum loca habitationum merito conuenit adtinere. Dat. Prid. Non. Maij, Triueris, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius AAA. Palladio magiſtro Officiorum.

Ab hoſpitalitatis munere domum priuatorum nullus excuſet, præter eos qui ex præfectiſſimum ſibi faſtigium dignitatis agendo repererunt & ex magiſtris equitũ ac peditum, quos decurſi actus inluſtrata auctoritas atq; ex comitibus cõſiſtorianis, qui participantis Auguſti pectoris curas agẽdo claruerunt: ex præpoſitis quoque ſacri cubiculi, quos tanta & tam adſidua noſtri numinis cura inter primas poſuit dignitates: ea tamẽ lege, vt ſingulas domos ſibi ad manendum quas voluerint teneant, hoſpitibus verò ceteras ſolito iure

præbeant. Dat. xvi. Kal. Octob. Constp. Richomere & Clearcho CONSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Theodoto magistro officiorum.

Si quis mensorum nostrorum manu qua deputatas singulis quibusque domus enotāt, & postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitauerit: ad instar falsi reus ex hac auctoritate teneatur. Dat. vi. Kal. Nou. Constp. DN. Theodosio A. III. & Abundantio v.c. CONSS.

v. Impp. Arcadius & Honorius AA. Osio magistro officiorum.

In qualibet vel nos ipsi vrbe fuerimus, vel hij qui nobis militant cōmorentur, omni tam mensorum quàm etiam hospitum iniquitate summota, duas dominus propriæ domus, tertia hospiti deputata, eaten⁹ intrepidus ac securus possideat portiones, vt in tres domus diuisa partes, primam eligendi dominus habeat facultatem, secūdam hospes, quam voluerit, exequatur: tertia domino relinquenda. Plenum enim æquitate atque iustitia est, vt qui aut successione fruitur, aut empto, vel exstructione gaudet: electam præcipue iudicio suam rē teneat & relictam. Ergasteria verò quæ mercimoniis deputantur, ad prædictæ diuisionis iniuriam non vocentur, sed quieta sint & libera, & ab omnibus hospitantium iniuria defensata, solis dominis cōductoribúsque deseruiāt. Sanè si stabulū, vt adsolet, militari viro in tertia domus parte defuerit, & ergasteriis nisi id dominus qualibet occasione prouiderit, pro animalium numero vel domus qualitate deputabitur. Inlustribus sanè viris non tertiam partem domus sed mediam hospitalitatis gratia deputari decernimus, ea duntaxat condicione seruata, vt alter ex his quilibet, quíve maluerit, diuisionem arbitrij æquitate faciat, alter elegēdi habeat optionem, & firmissimum perpetuo quod iussimus perseueret, ita vt triginta libras auri, qui inlustri sunt prædití dignitate, fisco nostro se inlaturos esse cognoscant: ceteri verò militia sciāt se esse priuandos, si generale præceptum amplius vsurpando quam iussimus repræhēsibili temeritate violauerint. Dat. VIII. Id. Feb. Constp. Honorio IIII. & Eutychiano CONSS.

VI. Idem AA. Vincentio PF. P.

Cunctos Iudices scire volumus à prætoriis ordinariorum Iudicum his præsentibus abstinendum. Dat. XVI. Kal. Feb. Med. Stilichone & Auriliano vv. cc. CONSS.

VII. Idem AA. Pompeiano Proconsf. Africæ.

Prædia ex Gildonis hostis publici & satellitum eius bonis sociata domui nostræ ne transeuntes hospitij gratia intrent, decernimus, vt sciant omnes à possessoribus nostris penitus abstinendum, quinque auri libras multæ nomine inferre cogendo, quisquis prædium nostrum manendi causa inportunus intrauerit. Dat. VI. Id. Iun. Med. Stilichone & Auriliano CONSS.

VIII. Idem AA. Aemiliano magistro officiorum.

Secuti suggestionem tuam à fabricensium domibus omnem molestiā hospitum præcipimus amoueri. De qua re & ad illustrem virum comitem & magistrum militum per Orientem sacras literas dedimus, vt de Antiochenæ ciuitatis fabricensibus excusandorum hospitiorum facultatem absente scilicet sacro comitatu, quo & Antiochensibus & ceterarum ciuitatum fabricis similis

ſimilis domorum excuſatio præbeatur. Dat. XI. Kal. Feb. Conſtp. Stilichone & Aureliano CONSS.

VIIII. Impp. Honorius & Theodoſius AA. Sapidiano.

Licet proximè iuſſerimus quinque librarum auri condemnatione propoſita prædia, quæ ex Gildonis bonis ad noſtrum ærarium delata ſunt, ab hoſpitibus excuſari, nunc etiam præcipimus, vt omnes domus ex eodem iure venientes, in quibuſlibet ciuitatibus ſunt conſtitutæ, ab hoſpitibus excuſentur, quo poſſint cõductores facilius inueniri. Si quis igitur contra noſtram fecerit iuſſionẽ, multa pridem ferietur inflicta. PP. Karthag. VIII. Id. Aug. Honorio VIII. & Theodoſio III. AA. CONSS.

X. Idem AA. Ioanni PF. P.

Deuotum poſſeſſorem ab omni inquietudine liberamus. Primo igitur omnium ad nullum prædium per Africam vel publicum vel priuatũ domus noſtræ vel cuiuſcũque iuris nullus menſor accedat, ſi à quoquam fuerit deſtinatus. Licẽtiam enim domino, actori, ipſique plebi ſerenitas noſtra conmiſit, vt eum qui præparandi gratia ad poſſeſſionem venerit multandi expellendi habeat facultatem, nec crimen aliquod pertimeſcat, cum ſibi arbitrium vltionis ſuę ſciat eſſe cõceſſum, rectéque ſacrilegium arceat, qui primis inuenerit. Adminiſtrantem verò, eius quoque officij proceres, quorum præcepto inhibitã perſonam ad agrum aliquem deſtinarit in tẽpore proſcribi debere cenſemus. Solam ſane hoſpitalitatem ſub hac obſeruatione concedimus, vt nihil ab hoſpite quod vel hominum vel animalium paſtui neceſſarium creditur, poſtuletur: omniúmque ſit adceleratum iter atque cõtinuum, nec vlli liceat reſidere, ne diuturnitas conmanẽtium vlla ex parte prædium vexet. Decem etiã librarũ auri multa ferietur, quiſquis adminiſtrator togatus, apparitor vllus aut militãs vel iter agens vllo in loco aliquid ab hoſpite poſtularit. In tãtũ enim inhiberi ſceleratũ morẽ iubemus, vt ipſis quoque prębentibus inpunitum eſſe nõ patimur, ſi quid vel ſponte cõtra præceptum noſtrũ probati fuerint obtuliſſe. Dat. Prid. Id. Iun. Rau poſt. Conſ. Honori VIIII. & Theodoſio V. AA. CONSS.

XI. Idem AA. Probo C. S. L. Poſt alia.

De hoſpitalitate Iudicum & omnium perſonarum, quid ſibi etiam ipſe poſſeſſor præſumere debeat, quáve cenſura omnia, quæ ad ſui diſpendium pertinebunt, ſubmota ſint, iam miſſa ſuper hac re auctoritas declarauit prælata litteris ad Eutychianum præf. vrbi. Die IIII. Id. Ian. Conſtantio & Conſtante VV. CC. CONSS.

XII. Idem AA. Hadriano Proc. Africæ.

Hoc proſpectum eſt vt infauſta hoſpitalitatis præbitio tolleretur, nec priuatum quiſque à domino ædium poſtulet, &c. Dat. V. Non. Mart. Rau. Conſtantio & Conſtante CONSS.

XIII. Idem AA. Euſtatio PF. P.

Deuotiſſimos milites ex procinctu redeuntes, vel proficiſcẽtes ad bella muri noui ſacratiſſimæ vrbis ſingulæ turres in pedeplanis ſuis ſuſcipiant: nec aliquis poſſeſſorum grauiter ferat, quaſi illa diſpoſitio neque ſuper publicis ædificiis proceſſerat violata, cum priuatæ quoque domus tertiam partem talis rei gratia ſoleant exhibere. Dat. V. Non. Mart. Conſtp. Honorio XIII. & Theod. X. AA. CONSS.

XIIII. Impp. Theod. & Valentin. AA. Helioni patricio & magistro Officiorum.

Vniuersi cuiuslibet ordinis, cuiuslibet etiam dignitatis, si quidem felicibus pro salute rei publicæ expeditionibus occupati aliarum prouinciarũ, aliarúmque vrbium domiciliis detinentur, propriis domibus nullo vetante pro dignitatibus suis, vel præstitis sibi beneficiis perfruantur. Si verò secundũ communia vota securi intra huius florentissimæ vrbis tecta residemus, nullius specialiter domum, inlustrium quoque etiamsi ad summa conscéderent fastigia dignitatum, præter singulas tantum in quibus eosdem manere constiterit, excusari ab hospitibus præcipimus cessante omni beneficio principio. Dat. x. Kal. Iul. Constp. Hierio & Artabure vv. cc. CONSS.

XV. Idem AA. Ioanni Comiti & magistro Officiorum.

Nemo in hac alma vrbe, qui propriæ domus possessione lætatur, militari sacramento munitus alterius domum infestare pertemptet, sed aut sua contentus, abstineat aliena, aut certè in suis recipiat, qui in alterius sibi metatum existimat vindicandum. nec enim videtur esse conueniens cum inlustribus viris vnam in qua ipsi habitant domum excusare concessum sit, alios & suas omnib. domus extruere & alienis ædib. inferre molestiam. Dat. VIII. Kalend. Mar. Constp. Theod. A. XIII. & qui fuerit nuntiatus.

XVI. Idem AA. Valerio magistro Officiorum & excons. ordinario.

Consularis viri binas proprias domos in hac alma vrbe ab hospitum molestia habeant sibi immunes. Sin verò fati munus expleuerint, atque ad liberos vel parentes, fratres, sororésve, vxores etiam domus eorum fuerint delatæ, vna è duabus aliena sit à metatorum molestia. Sed & si vnam quis eorum dereliquerit domum, illa ipsa in memoratorum excusetur personis. His verò qui præfecturæ dignitatem, aut ipsius apicis administratione, aut actu magisteriæ militum potestatis, aut quòd præpositi sacri nostri cubiculi fuerint, aut quòd honorarios eiusdem præfecturæ meruerint codicillos cum priore lege vna domus excusaretur, alterius etiam si habere in hac alma vrbe eos contigerit dimidiam partem nostra liberalitate dum in vita versantur, ita excusari decernimus, vt de altera parte dimidia pars tertia hospitibus deputetur, post fata verò si ad parentes, liberos, fratres, sorores, vxorésve fuerint delatæ, duas ab vno domo partes ipsis electionem habentibus metatorum molestia liberari, tertiæ videlicet partis parte tertia hospitibus præstanda. Aliis sanè inlustribus viris quibus vna domus honoris excusatur gratia, hoc præbendum esse censemus, vt si ipsi decesserint, & eorum domus ad suprascriptas personas peruenerint, medietatem domus quam ipsi elegerint, habeant excusatam, altera videlicet parte dimidia hospitiorum præbitioni in parte tertia subicienda. Dat. IIII. Id. Mart. Constantinop. D. N. Theodosio A. XV. & qui fuerit nuntiatus.

De salgamo hospitibus non præbendo. *Tit. VIIII.*

I. Impp. Constantius & Honorius AA. ad prouinciales.

QVicunque propria voluntate eum quem domum receperit, necessariis rebus, oleo & ligno, aliísve huiusmodi voluerit adiuuare, facultatem sibi istius rei sciat esse concessam. quòd si quis contra interdictum nostrum eadem ipsa à vobis violenter voluerit vsurpare, inter-

interpellandi præpositum habebitis copiam. de qua iniuria conquerendi liberam facultatem, vt nec spontanea in vobis humanitas retardetur, nec contra voluntatem vestram ac patronorum vestrorum familiaris res adteratur. Dat. prid. Id. Aug. Acc. Capuæ, Acindyno & Proculo CONSS.

II. Idem AA. Leontio PF.P.

Ne quis comitum vel tribunorum, aut præpositorum, aut militū nomine culcitas, lignum, oleum à suis extorqueat hospitibus, nec inuitis vel magistratibus vel hospitibus in prædictis speciebus aliquid auferant, sed prouinciales nostri ab hac præbitione securi, comitibus, tribunis vel certe præpositis militibúsque graui vexationi subiacentibus. Dat. v. Id. Octob. CONSS.

III. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Abundantio, Stilichoni, & ceteris Comitibus vtriusque militiæ.

Nemo militans à suo hospite salgami aliquid nomine postulet, id est, ne lignum aut oleum culcítæve poscantur. Dat. IIII. Kalend. Aug. Const. Theod. A. III. & Abundantio v. c. CONSS.

IIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Aureliano II. PP. 6.

Nullus eorum, qui per quaslibet ædes habitaculi causa recepti fuerint vel oleum & ligna flagitare contendat. nam & sic militibus nostræ sufficient largitates, & conlatoribus annona tantummodo semper imminebit indictio. Dat. VI. Id. Mai. Theodosio A. VII. & Palladio v. c. CONSS.

Ne quis in palatiis maneat. *Tit.* X.

I. Imppp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA. ad Anthemium PP.

NVlli manendi intra palatia nostra in qualibet ciuitate vel mansione facultas pateat, sed eas prouinciarum Rectores & Vicarios inlustrissimæ præfecturæ per diœceses quas sortiti sunt maneat cura, vt ab eorum vsurpatione qui in his transeuntes manere consueuerant, sacræ domus seruentur inmunes, & eorundem prouisione nulla neglegētia vel senio quatiantur. quod nisi omni instantia fuerit obseruatum, triginta libras à vicariis, viginti à consularibus seu præsidibus, totidémque ab eorum officiis multæ nomine profligentur, ita vt nec ne curiales quidem à condemnatione se cognoscant inmunes futuros. Hi quoque qui huiusmodi sibi mansionem praua temeritate præsumpserint, si vel dignitate aliqua vel fortunis nituntur, viginti librarum auri condemnatione subiaceant: qui humilioris fortunæ sunt, exilio tradantur. Equos sane nostros ab stabulis prohiberi palatiorum superuacuum iudicamus. Dat. VI. Id. Iul. Ancyræ, Stilichone iterum & Anthemio CONSS.

II. Idem AA. Anthemio PF.P.

Ordinarij Iudices in remotis ab aggere publico ciuitatibus, si prætoria non sint, metu legis adempto quæ de palatiis lata est, in ædibus etiamsi palatij nomine nuncupentur, commanendi habeant facultatem. Dat. VIIII. Kalend. Decemb. Constantinop. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS.

Ne Comitibus & Tribunis lauacra præstentur. *Tit.* XI.

I. Impp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA. Anthemio P.F.P.

OMnem vel ex pristini seueritate decreti, vel ex hoc sacro præcepto, quod sub eadem pœna profertur, inquietudinem à curiis & ciuitatibus præcipimus prohiberi, nec vllas priuatas ab his succendi balneas ad Tribunorũ siue ad minorum Comitum vsus, sed inlustribus tantum viris comitibus ac magistris militum, si tamen id voluerint, concessum esse cognoscant hoc ministerium. Dat. v. Kal. Decemb. Constantinop. Arcadio A. VI. & Probo V.C. CONSS.

II. Impp. Honorius & Theodosius AA. Monaxio P.F.P.

Lege dudum lata, quæ omnem licentiam exigendi ab prouincialibus lauacra Tribunis & Comitibus inferioribus denegauit, duci limitis Eufratensis diurnos tremisses pro lignis & balneis exegisse conperimus. Ideóque præcipimus memorati limitis ducis, quos abhinc triennio talia sibi contra legem lucra vindicasse constiterit, in duplum ea redhibere, & in posterum sub eiusdẽ pœnæ metu hanc exactionis licentiam prohiberi. Dat. v. Kal. Aug. Constantinop. Honorio A. XI. & Constantio II. V.C. CONSS.

De commeatu. *Tit.* XII.

I. Imp. Constantinus A. &c.

NE cui liceat præpositorum vel decurionum vel tribunorum, cohortium quocunque genere cuiquam de militibus castris atque à signis, vel his etiam in locis, quibus pertendant discedẽdi commeatum dare. Si quis verò contra legem facere ausus fuerit, & militem contra indictum commeatum demiserit, atque id temporis nulla eruptio eveniat, tunc deportatione cum amissione bonorum adficiatur. Sin verò aliqua barbarorum incursio extiterit, & tunc cum præsentes in castris atque aput signa milites esse debeant, quisquam afuerit, capite vindicetur. Dat. IIII. Kal. Mai. Seuero & Rufino CONSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Syagrium magistrum Officiorum.

Quicunque de scriniis aut Agentibus in rebus, vel etiam ex officiis palatinis his videlicet, qui sacrarum & priuatarum remunerationũ Comitibus obsecundant, sex mensium spatium supra diem commeatus aut iussionem euectionis afuerit, is in inferiorem locum quinque ante latis posterioribus reuoluatur. Is verò qui anni vacationem arbitratu proprio iudiciarij præcepti oblitus adsumpserit, à decem post se militantibus transeatur, ac deinde cùm iam aliquis desidia quadriennio officium proprium adire neglexerit, quadraginta de sequentibus postferatur. Qui verò ne post quadriennij quidem tempus militandum, non immerito matriculis auferatur. Dat. Kal. Octob. Auxonio & Olybrio CONSS.

III. Impp. Arcadius & Honorius AA. ad Andromachum P.V.

Post alia.

Hi qui vacationem temporariam, vt sæpe adsolet, impetrarint, nihil sibi necessitatis vsurpent, nullorum actibus misceãtur, quorum si quis post exactum commeatus diem indultum beneficium morãdo corruperit, nihil agere intra pro-

prouinciam possit, intellegens se præterea præcepto Rectoris prouinciæ ea tenendum legis pœna, qua desides gradus proprij deminutione puniti sunt. Dat. Prid. Non. Iun. Med. Olybrio & Probino CONSS.

De Tironibus. *Tit. XIII.*

I. Imp. Constantius A. ad PP. Post alia.

Votiens iuniores exhibendi sunt, non ante probentur, nisi præsentibus decurionibus origo eorum quæratur, ita tamen vt decurionibus hæc fiducia denegetur, ne forte quis fugiens militiam addito nomine decurionis è militia abscedat, de auxiliaribus sanè cuneis minimè ducibus licentia concedatur, nisi prius certus redditus iudex rescribat vtrum minime decurio sit, ita vt ab anno & decimo & nono ad militiam eligantur. Dat. Prid. Non. Iul. Constantio A. VI. & C. CONSS.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Fortunatianum.

Domum nostram ad exhibenda tironum corpora per eas prouincias à quibus corpora flagitantur nolumus perurgueri: ceterum sinimus conueniri, in quibus pretia postulantur, ita vt ex certa præbitione redituum vicem concessionis istius repensemus. Dat. prid. Kal. Feb. Marcianopoli, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

III. Idem AA. ad magnum Vicarium vrbis Rom.

In quinque pedibus & septem vnciis vsualibus delectus habeatur. Dat. V. Kal. Mai. Lupicino & Iouino CONSS.

IIII. Idem AA. ad Magnum Vicarium vrbis Romæ.

Eos qui amputatione digitorum castra fugiunt, secundum Diui Constantini decretum tua sinceritas nō sinat manus deformatione defendi, siquidem possint in quacumque reipublicæ parte prodesse, qui se sponte truncauerunt. Dat. V. Kal. Mai. Lupicino & Iouino CONSS.

V. Idem AA. ad Viuentium PP. Galliarum.

Si quis ad fugienda sacramenta militiæ fuerit inuentus truncatione digitorum damnum corporis expedisse, & ipse flammis vltricibus concrementur, & dominus eius qui non prohibet, graui condemnatione feriatur. Dat. VI. Kal. Mai. Triberis, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

VI. Idem AA. ad Modestum PP.

Si oblatus iunior fuerit, qui censibus tenetur insertus, ex eo tempore, quo militiæ sacramenta susceperit proprij census caput excuset, ac si quinquennij tempus fida obsequij deuotione conpleuerit, vxoriam quoque capitationem merito laborum præstet inmunem: ea scilicet seruanda ratione, vt quam sibi vxorem copulauerat affectu, & in priore lare derelictam memorarit, in probata census sarcina sustineat. Nullus vero tironem vagum aut veteranum possit offerre, cum ad spontaneam singuli militiam propositæ inmunitatis commodis inuitentur. circa eos enim leges iubemus valere beneficium, qui indigenas atque ipsius prouinciæ finibus innutritos vel adfixos censibus vel adcrescentibus suis obtulerint iuniores. neque enim conuenit illum immunitate gaudere, qui vana oblatione vagi atque fugitiui vel veterani filij statum futuræ conuentionis inriserit. quod hactenus decernimus custodiri, vt oblatus numerus ex adcrescentibus primitus reparetur, ac si compensatio non potue-

rit conuenire, neque ex iunioribus modus qui oblatus fuerit, quiuerit reparari, ita demum de publicis fascibus hij qui ex superfluo veniunt, eximantur. Dat. XIIII. Kal. Octob. Hierapoli, Valentiniano & Valente III. AA. CONSS.

VII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Modestum PF.P.

Tironum præbitio in patrimoniorum viribus potius quàm in personarum muneribus conlocetur vt † proto.....munus, quod prouinciarum interna depascitur, ab imis, vt dicitur, radicibus eruatur. nam inter reliqua vitia hæc duo vel maximè intolerabilia iudicamus, quòd aurum sæpe pro corporibus INMANE deposcitur, ADque aduenarum coëmtio iuniorum insolentius quàm conuenit, æstimatur. Contra nec sanè reperta est & facilitas & commoditas exigendi, cum neque excusari quisquam poterit, vt ante priuilegio cõsueta fuerat hominis vendicatio, nec vllus qui releuandus fuerit perpetuæ ingrauationi addici.. Illud etiam similiter definitum est, vt hij tantum à consortibus segregentur, quorum iugatio ita magna est, vt accipere non possit adiunctũ, cum pro suo numero in exhibendo tirone solus ipse respondeat. Inter quos verò possessiones exiguæ necessitas coniunctionem postulat functiones annorum & præbitiones vicissitudo seruetur. quippe vt senatores, ceterique qui primo anno & suo & consortis nomine tironem dederint, in sequenti vice habeantur immunes, illique in præbitione succedant à quorum conuentione fuerit antè cessatum. Quem ordinem cùm corpora postulantur, conueniet custodiri. Sin verò aurum fuerit pro tironibus inferendum, vnumquemque pro modo capitationis suæ debitum redhibere oportet. & ne aliquid dubium relinquatur, & solidorum numerum, qui temonario inferendus est, designamus, vt siue Senator, honoratus, principalis, decurio, vel plebeius tironem suo ac sociorum nomine ex agro ac domo propria oblaturus est, ita se à coniunctis accepturum solidos nouerit, vt integri pretij modus, in triginta tantummodo & sex solidis colligatur, vt deducta portione, quæ parti ipsius competit, reliquum consequatur, sex tironi gratia vestis ac sumptuum præbiturus ipsorum etiam qui militaturi sunt priui legibus accedentibus facilius denotio prouocatior, videlicet, vt vniuersi qui militaria sacramenta susceperint, eo anno quo fuerint numeris adgregati, si tamen in suscepto labore permanserint immunes propriis capitibus mox futuri sint. Completis verò quinque annorum stipendiis, qui comitatensibus numeris fuerit sociatus, patris quoque & matris necnon & vxoris suæ capitationem meritis suffragantibus excusauit. Hij verò qui in ripa per cuneos auxiliáque fuerint constituti, cum proprio capite vxorem suam tantum post quinque annos vt dictum est, præstet immunes, si tamen eos censibus constiterit adtineri. Et quia publica vtilitas quoque cogitanda est, ne sub hac indulgentia insertæ capitationis numerus minuatur, ex incessibus atque adcrescentibus in eorum locum qui defensi militia fuerint, alios præcepimus subrogari. Dat. IIII. Non. Iun. Antiochiæ, post consulatum Gratiani A. III. & Equiti v.c. CONSS.

† forte protestasia.

VIII. Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. Edictum ad prouinciales.

Inter optimas lectissimorum militum turmas neminem è numero seruorum dandum esse decernimus, néve ex caupona ductum, vel ex famosarum mini-

ministris tabernarum, aut ex cocorum, aut pistorum numero vel etiam eo quem obsequij deformitas militia secernit, nec tracta de ergastulis nomina. Pœnam etenim grauis dispendij nulla excusatione fugituri sunt, si hoc cuiusdam indicio inlustribus viris magistris equitum peditum fuerit intimatum: sed cum illum animaduersio dura damnauit offerentem, triplicata nobilioris tironis fatigabit inlatio. Dat. IIII. Kal. Feb. Constp. Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS.

VIIII. Idem AA. Neoterio PF. P.

Ex oportunis regionibus suppleméta numeris mansuetudo nostra decreuit agitari in id delectos quosque viros atque ab omni suspicione prauitatis alienos iussimus destinari, in his si male se gesserint corrigendis, non mediocrem fore denũtiamus seuera animaduersione sententiam, cum Iudices supplicium existimationis extremum, & vltio inexpiabilis exceptura videatur, ne his quidem prouincialibus temperatura, quos in officium ministeriúmque prædarũ vel capiendi vbertas vel formido simulata deduxerit. PP. VI. Kal. Maij, Antiochię, Gratiano V. & Theodosio I. AA. CONSS.

X. Idem AA. Eutropio PP.

Qui spurca amputatione digitûm declinat vsum armorum, non euadat illa quæ vitat, sed insignitus macula ferat inpositum militię laborem, qui declinauerit dignitatem. Ipsis quinetiam prouincialibus, qui ex horum ausis iuniorũ sæpe patiuntur pænuriam præbendorum, hęc optio inmobilis decernatur, vt tempore delectus agitandi, vbi conmune cœperint conueniri, duos mutilos iuniores pro vno integro eminentiæ tuæ dispositionibus offerant. Dat. Non. Sept. Hadrianopoli, Eucherio & Syagrio CONSS.

XI. Idem AA.

Quisquis mancipium iuris alieni in tirocinium militiæ duxerit offerẽdum, conuictus ac proditus auri libram ærario nostro cogatur inferre. Dat. Id. Maij, Tyro metropoli, PP. Byrito, Antonio & Syagrio CONSS.

XII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Sperechio Com. R. P.

Publica suasit vtilitas iuniores in arma cõscribere: ideóque ne patrimonium quidem nostrum à præstatione præsenti inmune esse patimur. Igitur per omnes prouincias per quas res nostra distenditur ex patrimonio sacro maturitate qua conuenit, præberi volumus iuniores. Dat. XV. Kal. Iul. Med. Cæsario & Attico viris clarissimis CONSS.

XIII. Idem AA. Theodoro PF. P.

Amplissimi ordinis petitionibus adnuit nostra clementia, vt pro tironibus pretia inferãtur. Damus itaque optionem, vt quod conducibile Senatui videtur, eligẽdi habeat potestatem, id est aut tirones aptos officiis militaribus prę-stẽt, aut pro singulis viginti quinque solidos numerent, post initam videlicet sumptuũ rationem & vestium & pastus. Quod si aurum dare maluerint, mox ad nostrum ærarium deferatur. Dat. VIII. Kal. Oct. Pataui, Cæsario & Attico viris clarissimis CONSS.

XIIII. Idem AA. Mineruio C. R. P.

Æternæ vrbis merita reuerendam nobis amplissimi Senatus effecit voluntatem, ideóque pro tironibus in corporibus postulatis pretia cõferri iubemus

ab amplissimo ordine, quod in fundis etiam perpetuariis nostræ rei priuatæ seruari præcipimus. Dat.Prid.Id. Nouemb.Cæsario & Attico CONSS.

xv.Idem AA.Decio PV.

Ad conlationem iuniorum eos tantum oportet adtineri,quos cōstat dignitates legitimas beneficiis cōsecutos, non tamen iusta priuilegia suffragantur. Dat.VIII.Id.Decemb.Rau.Arcadio A.V.& Honorio A.V.CONSS.

XVI. Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodosius AAA.Prouincialibus.

Contra hostiles impetus non solas iubemus personas considerari, sed vires, & licet ingenuos amore patriæ credamus incitari,seruos etiam huius auctoritate edicti exhortamur,vt cum primum se bellicis sudoribus offerāt, præmiū libertatis si apti ad militiā arma susceperint, pulueratici etiam nomine binos solidos accepturi,præcipuè sanè eorum seruos, quos militia armata detentat, fœderatorum nihilominus& dediticiorum,quoniam ipsos quoque vnà cum dominis constat bella tractare. Dat.xv.Kal.Maij.Rau.Arcadio A.VI.& Probo viro clarissimo CONSS.

XVII. Idem AAA.Prouincialibus.

Prouinciales pro INminētibus necessitatibus omnes inuitamus edicto,quos erigit ad militiam innata libertas.Ingenui igitur qui militiæ obtentu arma capiunt amore pacis & patriæ,sciāt se denos solidos paratis rebus de nostro percepturos ærario,quibus tamen ternos ex summa supradicta iam nunc solidos præberi mandauimus.nam optimos futuros cōfidimus,quos virtus & vtilitas publica necessitatibus obtulit. Dat.XIII.Kal.Maij,Rau.Arcadio A.VI. & Probo CONSS.

XVIII. Idem AAA.Stiliconi Comiti & magistro militum.

Iuniorum conlatione,vel qui proxime in pretio ab honoratis pro rerum necessitate petiti sunt,vel si vnquam tale aliquid reipublicæ ratio flagitauerit,INmunes haberi oportere decernimus, qui militiæ prærogatiua ad tribunatus præposituràsve peruenerint. Dat.XI. Kal.April.Honorio IIII.& Theodosio II.AA.CONSS.

XVIIII. Impp.Honorius & Theodosius AA.Com.S.L.

Tirones in scholis loco semper posteriore ponantur.nec enim patimur quēquam celsiorem gradum obtinere,nisi cui & laborum adsiduitas & stipēdiorum prolixitas suffragatur.Dat.VII. Kalendas Decemb.Rau.Basso & Philippo CONSS.

XX. Idem AA.Machedonio C R.P.

Tirones tricenis solidis æstimatos ab omnibus officiis Iudicū Africæ exemplo pręcedētis temporis postulamus,quod simul etiam ab honoratis memoratarum prouinciarum,necnon Sardiniæ,Siciliæ & Corsicæ, eos sanè honore excipi ab his conueniet,quibus aut præsenti tempore publicum munus iniūctum est,aut in Italiæ siue vrbis solo barbara vastitate depulsi sunt.Dat. VI. Id. Feb.Rau. Varane V.C. CONS.

XXI. Idem AA. Hadriano PF.P.

Tempore tironatus eorum procuratores qui refugas occultandos putauerint,aut non ipsi sponte produxerint,in iudicio pręsententur,ac pœnas veluti rebelles ac decretorum temeratores conpellantur exsoluere. Dat.III.Kal.Feb. Theodosio A.VII.& Palladio V.C. CONSS.

XXII. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Volusiano PF.P.

Mansura in seculum auctoritate præcipimus proconsularis prouinciæ non eadem sacerdotalium quæ est de ceteris in præbendis tironibus habendã esse rationem. non inique siquidem ea potissimum ab hoc officio prouincia videtur excepta, quæ omnium intra Africam prouinciarũ obtinet principatũ, cuiúsque maioribus sacerdotes fatigantur expensis, in quarum solatium indemnem esse conuenit dignitatem. Dat. v. Kalendas Mart. Rau. Felice & Tauro VV.CC. CONSS.

De burgariis. Tit. XIIII.

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. Vincentio pp õ. Post alia.

IN Burgariis eadem volumus obseruari, quæ de mulionibus lex nostra præcepit, vt hij quoque, qui intra Hispanias vel in quibuscũque locis ausi fuerint burgarios vel sollicitare vel receptare, eodem modo teneantur, similísque eos qui publicis vestibus deputatos sollicitauerint vel receperint, & de coniunctione & de agnatione, & de peculiis & de cũctis rebus quas in illis deprehendimus, pœna cohibeat. Dat. XI. Kal. Mart. Mediolani, Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS.

De terris limitaneis. Tit. XV.

I. Impp. Honorius & Theodosius AA. Gaudentio Vicario Africæ.

TErrarum spatia quæ gentilibus propter curam munitionémque limitis atque fossati antiquorum humana fuerant prouisione cõcessa, quoniam comperimus aliquos retinere, si eorum cupiditate vel desiderio retinentur, circa curam fossati, tuitionémque limitis studio vel labore nouerint seruiẽdũ, vt illi quos huic operi antiquitas deputarat, alioquin sciant hæc spatia vel ad gentiles si potuerint inueniri, vel certe ad veteranos esse non immerito trãsferenda, vt hac prouisione seruata fossati limitísque nulla in parte timoris esse possit suspicio. Dat. III. Kal. Maij, Rau. Honorio VII. & Theodosio III. AAA. CONSS.

II. Idem AA. Asclepiodoto PF.P. & Conf. ordinario.

Quicunque castellorum loca quocunque titulo possident, cedant ac deserant, quia ab his tantum fas est possideri castellorũ territoria quibus adscribta sunt, & de quibus iudicauit antiquitas. Quòd si vlterius vel priuatę cõdicionis quispiam in his locis vel non castellanus miles fuerit detentator inuentus, capitali sententia cum bonorum publicatione plectatur. Dat. Non. Mart. Constp. Asclepiodoto & Mariniano CONSS.

De litorum & itinerum custodia. Tit. XVI.

Impp. Honorius & Theodosius AA. Theodoro. PF.P.

HOstis publicus Stilico nouum adque insolitum repererat, vt litora & portus crebris vallaret excubiis, ne cuiquam ex Oriente ad hanc imperij partem pateret accessus. huius iniquitate rei moti, & ne rarior sit diuersarum mercium commeatus, præcipimus hac sanctione, vt litorum desistat ac portuum perniciosa custodia, & eundi ac

redeundi libera sit facultas. Data IIII. Id. Decemb. Rau. Basso & Philippo CONSS.

II. Idem AA. Anthemio PF.P.

Omnes stationes nauium, portus, litora, omnes abscessus prouinciarum, abdita quinetiam loca, & insulę tuæ magnificētiæ dispositione solerti custodiātur indagine, vt nullus vel vi, vel clam, vel apertò, vel etiam occultò nostri possit imperij regiones inrepere, qui nō aut interiectis prohibeatur obicibus, aut cū accesserit, ilico teneatur, nisi sacros apices à domino patruo meo Honorio ad me perferre apertissima ratione monstrauerit, cum eadem diligētia obseruando, vt si ad alium quemquam à memorato principe dixerit habere affatus, petitore detento sacræ literæ cum omnibus chartis signatæ ad meam clementiam transmittantur: hoc enim & tyrannici furoris & barbaricæ feritatis occasio persuadet, & inter me dominúmq; & patruum meum Honorium vicissim recurrente admonitione conuenit. Dat. VIII. Kalendas Maij, Constantinop. Varane v.c. CONS.

III. Idem AA. Eustathio PF.P.

Saluberrima sanctione decreuimus ne merces inlicitè ad nationes barbaras deferantur: & quæcumque naues ex quolibet portu seu litore demittūtur nullam concussionem vel damna sustineant, gestis apud defensorē locorum præsēte protectore seu duciano, qui dispositus est sub hac obseruatione cōfectis, vt & ad quas partes nauigaturi sunt, & quod nullam concussionem pertulerūt apud acta deponant: quorum authenticum nauclerus siue mercator habebit, forte, scheda apud defensorem manente. Dat. XIIII. Kalend. Oct. Constp. DN. Theodosio A. VIII. & qui fuerit nuntiatus.

De lusoriis Danuuij. *Tit. XVII.*

Impp. Honorius & Theodosius AA. Constanti magistro militum per Trachias.

NOnaginta recenti fabricatione cōtextas decem his adiectas ex veterum reparatione lusurias limiti Mysiaco, centum verò decem nouas additis antiquarum instauratione quindecim Scythico, qui in latius diffusiúsque porrigitur sub hac deputari cōdicione sancimus, vt per singulos annos veterum renouatione curanda quattuor iudiciariæ in Mysiaco limite, & decem agrarienses. in Scythico verò quinque iudiciariæ & duodecim agrariēses nouè deintegro constructæ, instrumentísque suis vniuersis armatæ ducis instantia apparitionísque eius periculo contexantur, vt hoc supplemento per septennium integri numeri constituti reparatio maturetur, sublimitate tua pro sua industria disponente vnde earum contextio vel constructio debeat procurari, quod quidem iam rectè credimus cōstitutum, nobísque indicari pręcepimus. nam si memoratus lusuriarum numerus cum omni suo instrumento non fuerit apparatus, dux quidem cuius tempore dispositio fuerit ista neglecta, triginta librarum auri, officiū verò eius quinquaginta proculdubio multabitur, etiam sublimitatis tuæ officio quinquaginta libras auri condemnatione subiciendo, si non per singulos annos aut completum numerum aut certe negligentia prætermissum magisteriæ potestati suggesserit. Illo nihilominus obseruando, vt istis secundum dispositionem

tuæ

tuæ præstantiæ ad belli aleam præparatis, atque in conflictus specula munitissima statione vel discursus opportunitate deligentibus hac dútaxat quæcunque ex veteribus fuerint reformatæ transuectioni speciei annonariæ secernantur. Dat. v. Kalend. Febr. Constantinop. DN. Theodosio A. v. & qui fuerit nunciatus.

De desertoribus & occultatoribus eorum. Tit. XVIII.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. Edicta duo per Italiam & Alpes.

VNusquisque apud quem desertor fuerit deprehensus, si plebeiæ & humilioris condicionis est, metalli se sciat supplicio puniendum. qui autem superioris cuiuscunque loci dignitatísve sit, media se bonorum parte cognoscat esse multandum. in hac pœna sit & officium vniuscuiusque Iudicis, quod fortè desertores in consortio sui probatos habet, nec eos prodit. Dat. VII. Kalendas April. Mediolani, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. ad Hesperium PF.P.

Actor eius fundi, in quo alienigena vel idoneus militiæ, vel ante iam traditus latuerit, vltima flammarum animaduersione cõsumatur, hoc interim nos constituisse sufficiat. nam si parum profecerit in seruos interminatio constituta, in dominos peccatum deinceps emendatura decernat. Dat VI. Non. Iul. Aquileia, Auxonio & Olybrio vv. cc. CONSS.

III. Idem AAA. Neoterio PF.P.

Si temonarius prodiderit desertorem, protostasiæ onere biennio releuetur. PP. III. Kal. Maij, Antiochiæ, Gratiano v. & Theodosio I. AA. CONSS.

IIII. Idem AAA: ad Syagrium PF.P.

Si quis latebram præbuerit desertori, possessionis, in qua latuerit, amissione multatus etiam grauiorem sententiam pertimescat. Porrò actorem flammis subiciendum esse non dubitet, qui in perniciem fortasse domini aut sceleris participatione confouit, aut dissimulatione neglexit. At verò si desertorem seruus perdiderit, libertate donetur: si mediocris loci ingenuus immunitate potiatur. Neque solùm eos loquimur, qui proxime signis felicibus adplicati militiæ rudimenta timuerunt: verum qui stipendiis militaribus degenerem latebram præbuisse monstrantur. Desertor autem habebitur quisquis belli tẽpore aberit à signis. Horum qui sponte processerit, peccati anterioris supplicium non timebit. Sin verò flagitiosa ignauia delitescat, per eum in cuius domo fuerit, inuigilantibus forinsecus quoque officiis publicis vbicunque correptus seueritati Iudicis offeratur degeneri morte gladium subiturus: Si autem Rector Prouinciæ propositam seueritatem vel gratia vel dissimulatione distulerit, patrimonij atque existimationis damno subiciatur, & in officij primores capitaliter vindicetur. PP. Id. Iul. Rom. Gratiano VI. & Theodosio I. AA. CONSS.

V. Idem AA. Neoterio PF.P.

Si quis fortè desertorem agro tectóque susceperit, atque aput se diu passus fuerit delitescere, actor quidem vel procurator loci hoc sciens prudénsque conmiserit, capitali supplicio subiugetur. Dominus verò, si huius rei cons-

cius fuerit, prædij in quo latuerit desertor, amissione puniatur. Dat. XVII. Kal. Febr. Eucherio & Syagrio VV.CC. CONSS.

VI. Idem AA. ad Seuerum PF.P.

Desertorum iugiter pretia vindicamus, quos intra annui temporis metas, inter ipsa traditionis exordia deseruisse cõstiterit. ipsorum quippe est prouidẽtiæ, quos huiusmodi munus amplectitur militaturis potius quàm fugacibus instruere necessaria supplementa. Si verò in desertoribus occulendis actorum scelus atque conmissum sit, flammis scelera puniãtur. Si dominũ quoque conscientia talis inuoluerit, prędiis, quæ latebram præstiterunt, sacro patrimonio vindicatis grauioris exitij dominũ quoque casus inuoluat. PP. Rom. IIII. Non. April. Antonio & Syagrio CONSS.

VII. Idem AA. Constantino vicario diœcesis Ponticæ.

Quisquis in fundo suo desertores vel latrones habere se meminerit, nisi eos ex die Cõstitutionis emissę in sex menses prodiderit, aut conprehensos etiam seueritati iudiciariæ obtulerit, sciat dissimulatione cõuictus fundum ipsum in quo prædicti postea potuerint inueniri, fisci nostri viribus esse nectẽdũ. quòd si fortè contigerit, vt inscio domino memorati latuisse videãtur, pari cõstituti temporis dimensione seruata actores capite dãnẽtur. Quam condicionem & circa actores rerum nostrarum volumus custodiri. Dat. IIII. Id. Iul. Constp. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

VIII. Idem AA. ad Flauianum PF.P.

Quisquis desertorem vel à se receptum, vel in suo latitantem cognoscit, nisi eum ex die publicati huius edicti intra duos mẽses adhibita inquisitione correptũ ordinario Iudici offerre curauerit, detectus in crimine, pro qualitate atque ordinis personæ incurrat in legem. & siquidem potuerit corporali iniurię subiacere seruata ex iure substãtia & fustibus coherceatur, vel metalloperi publico deputetur, & nonnunquam se alterius erigente censura exilio perpetuæ relegationis plectatur. Quod si eiusmodi fortasse fuerit, vt iniuria corporali intuitu generis aut honoris excipiatur non procrastinata auctoritate sentẽtiæ per singula capita eorum quos contra interdictum retinere atque occultare non timuit, denos iuniores maximè idoneos militiæ offerat, aut quinquaginta pondo argenti restituat. Quòd si procurator possessionis, siue actor, vel etiã colonus latebrã desertori domino ignorante præstiterit: detectus in crimine, capitali supplicio mancipetur. ceteros quoque similis conscientiæ exemplum triste deterreat, illorum tantummodo probationibus euidenter ostensis innoxiis relinquatur habitatio, quos iamdudũ fiscus adærauit. Oblati autem Iudicibus nisi in continua quacunque prouincia, vel tuæ præstantia potestatis, vel hij duntaxat ordines militares viri, qui possint de capite eorum ferre sentẽtiã, degere videbuntur interrogati & seueritati necessariæ subiaceant, & ad sinceritatem tuam per ordinarij Iudicis executionem, vel officia Rectoris dirigãtur cum prosecutione, &c. Dat. III. Kalendas Mart. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

VIIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. ad populum.

Quisquis in domo patrimonióve suo, vel qualibet obstrusa & lõgissima à se possessione discreta desertorem latere cognoscit, ad eos, quibus cura indagãdi man-

mādata eſt, vel ſi fortè defuerint, ad Rectorem prouinciæ protinus ſpontanea oblatione deducat, veniam delicti veteris habiturus. exactis enim quattuor menſibus poſtquam edictum noſtrum intra eam vrbem, quam quiſque habitat fuerit publicatum, ſi quis noluerit moderationi præſentis obedire præcepti, hæc in eum pœna imponetur, vt & qui occultatus fuerit, eruatur, & latebræ auctor pro vno deſertore vel pro duas præterea auri libras vel duos iuniores militaris roboris ac ſtaturæ cogatur fiſco abſciſa ſpe totius defenſionis inferre. Et quoniam plurimos cognouimus priuſquam victricibus aquilis ſociarentur, vel illuc vnde electi fuerant, vel quo placuerit abire, alios autem litterarum initiatos auſpicio quamquam necdum dicantur meruiſſe ſub ſignis, præcipimus vt poſt tempus definitum quicunque ex iunioribus fuerit retentus præter eum vel duos tirones per ſingulos vel duas auri libras malo coactus fiſco noſtro adnumeret. Qui vero cauſarias vel honeſtas indepti ſunt miſſiones, ab inuidia & formidine deſertionis amoueantur. Et ſi hæc ſunt tyrannico tempore conſecuti, dummodo eos meruiſſe vel peracto militiæ labore, vel probata debilitate pateat: ſi qui etiam ex ſeruorum numero militiæ ſe ſociarunt, quos dominis ſuis legitima Iudicum reformauit auctoritas, ſine metu legis ab his quibus rectè docentur, reddi ti tenebuntur. Dat. VI. Kal. Maij. Med. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

x. Idem AA. Vincentio PF. P. Galliarum.

Protectores, qui ad inquiſitionem vagorum per prouincias dirigũtur, nullas in retinendis fugitiuis duntaxat indigenis iniurias poſſeſſoribus parēt: quia hoc illis tantum permittitur, vt deſertores veteranorum filios, ac vagos, & eos quos militiæ origo conſignat, ad delectum iuniorum prouocet. Dat. XVI. Kal. Iun. Med. Stilicone & Aureliano VV. CC. CONSS.

XI. Idem AA. & Theodoſius A. Hadriano PF. P.

Si qui deſertores oberrare in prouinciis fuerint comprehenſi, eos & comprehendi protinus volumus, & ad Iudicē deduci, vt auditi cum de crimine deſertionis ſuæ cōfeſsi fuerint, carceris cuſtodię deputentur, de quorũ nominibus ad tuam ſublimitatem ſubditis confeſſionibus referatur, vt inſtructi magiſtri militum, quid de his fieri oporteat, pro ſui auctoritate conſtituant. Sin vero inuenti reſiſtendum atque armis obtinendum putauerint, tāquam rebelles in ipſis temeritatis ſuæ conatibus opprimantur: ita tamen vt prouinciarum Iudices ſollicita cautione diſquirant, ne ſub falſarum tractoriarum nomine deſertionis ſuæ crimen defendere moliantur, ne ſubpoſitis aut cōmentis epiſtulis euadendi habeant facultatem: deſertorum quoque occultator iuxta promulgatas leges ſeueriſſimè vindicetur. Dat. VI. Kal. Mart. Rau. Theod. A. I. & Rumorido CONSS.

XII. Idem AAA. Hadriano PF. P.

Si quis militem profugum deſertorémque caſtrorum in prædio ſuo ſuſceperit, niſi eum ipſe prodiderit, aut comprehēſum ſeueritati iudiciarię poteſtatis obtulerit: ſciat ſi in diſſimulando conuictus fuerit, fundum ipſum in quo prædictus poſtea potuerit inueniri, fiſci noſtri viribus ſociandum. Quòd ſi forte contigerit, vt inſcio domino in eius prædiis habitarit, fundo à nexu huius legis exuto actorem conſcium ſeuero ſupplicio damnandum eſſe cenſe-

mus. Quam condicionem etiam circa actores domus nostræ volumus custodiri. Dat. VIII. Kal. Aug. Rau. Theod. A. I. & Rumorido CONSS.

XIII. Idem AAA. Hadriano PF. P.

Desertores modis omnibus adtinendos esse cēsemus. Vniuersi igitur prouinciales sciant opprimendorum sibi desertorum facultatem esse permissam, quibúsne sit tarditas pœnæ solatio, velox vbicũque iubemus esse supplicium, quod ad notitiam primatium vrbium, vicorum, castellorúmq; deueniat, quo scire possint etiam occultatores eorum ad subeundam pœnam, quę diui genitoris nostri est constituta legibus adtineri. Dat. VI. Non. Oct. Theod. A. I. & Rumorido CONSS.

XIIII. Idem AAA. Hadriano PF. P.

Opprimendorum desertorum facultatem Prouincialibus iure permittimus, qui si resistere ausi fuerint, velox vbicunque iubemus esse supplicium. cuncti etenim aduersus latrones publicos desertorésque militiæ ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum: hac tamen condicione seruata, vt ab his iunioribus, qui proxima indictione præsenti tempore conferuntur, supplicio temperetur, qua per Prouinciales intra præscribtum legibus tempus ad ea signa quibus destinati fuerant, redhibendi sunt, ne possessores redhibitionis damna percellant, propter eos, qui necdum pæne auspicati militiam fugerunt. sed vt in his patientiam tenemus, ita omnes qui vltra memoratam indictionem & nostræ beneficia sanctionis castra & militiam deseruere, condemnationibus obnoxios esse præcipimus. occultatorésque eorum ad subeundam pœnam, quæ Diui genitoris nostri constituta est, legibus, volumus retentari. Dat. VI. Non. Oct. DN. Theodosio A. I. & Rumorido V. C. CONSS.

XV. Idem AAA. Longiano PF. P.

Qui relictis militaribus castris se ad deprædationes vel latrocinium contulerint, seueritatem publicam non euadant. Dat. VIIII. Kal. April. Rau. Arcad. A. VI. & Probo V. C. CONSS.

XVI. Impp. Honorius & Theodosius AA. Gaisoni Comiti & magistro militum.

Qui sine commeatu aliquo annum in penatibus propriis, vel in quibuslibet locis desidiosa quiete transegerit, decem sequentibus postponatur. in quo verò biennium talis culpa deprehenditur, viginti sibi antepositos congemiscat: tertius autem annus triginta prælatos iure defleuit, ita vt quartus exempto matriculæ nulli veniā derelinquat & cetera. Dat. prid. Id. Iun. Rau. post Conss. Honorio VIII. & Theodosio V. Augustis CONSS.

XVII. Idem AA. Constantio magistro militum.

Omnes tribunos qui per Africam vagorum & desertorum requirendorum sumpserunt officium, ne sub huiusmodi professione vastent prouinciam, submoueri præcipimus. In futurum autem istut nequaquam vocabulum vel officium infaustum constituimus per Africam esse debere, ita vt si quis ad condemnatam huius officij qualitatem prædæ causa adspirare temptauerit, capitalis in eum seueritas exeratur. Dat. prid. Kalend. Mart. Rau. Honorio VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS.

De

De Saturianis & Subafrensibus, & occultatoribus eorum. *Tit. XVIIII.*

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. Messalæ P.F.P.

SAturianorum coniurationem armis sumus, vt oportuit, persecuti: sed aliquotiens inminentis pœnæ euitatione ad diuersa semet latibula contulerunt, quorum occultatores huic seueritati sciant se esse subdendos, vt hæ possessiones, in quibus latebram conlocauerint, fisci nostri corporibus adgregentur, nisi protinus post edicti huius auctoritatem pœnæ ac legibus fuerint restituti. simili etiam se condicione retenendum esse cognoscat, si qui è Subafrensibus, qui in Saturianorum se coniurationem miscuerunt, quempiam præuiderit occultandum. Quisquis igitur huiusmodi hominem aduersus salubris decreti auctoritatem existimauerit latebris subtrahendum, sciat sibi cum eo facinus esse commune. Et si eiusmodi personæ fuerint, quæ multari rerum amissione non possint, proprij capitis luendum esse supplicium. nec hi sanè pœnæ exsortes futuros esse credant, qui deprehensos in quolibet iure tantorum scelerum machinatores silentio prætermiserint; & non statim sub publica testificatione quibus in locis inuenti fuerint, publicauerint. Id quoque obseruandum esse censemus, vt ad ea loca, quæ à memoratis latronibus tenebantur, diligens dirigatur inspector, oblaturus primitus veteribus dominis, vt si hæc possidere desiderant, ne abductis mereant cultoribus translatis abunde familiis rura quæ hucusque infructuosa apud eosdem perditorum temeritas fecisse videbatur, exerceant: vel certe si inconuenientia existimauerint salua tributorum præstatione ad idoneos possessores transferant. Dat. XIII. Kalend. August. Theodoro v. c. CONSS.

De Veteranis. *Tit. XX.*

I. Imp. Constantinus A. Floriano præf.

VEteranis qui ex die quinta nonarũ Iuliarum, cum prima per Thraciam victoria vniuerso orbi inluxit, & qui postea apud Nicomediam nostram missionem meruerunt certa per edictum indulsimus, quæ scribendi tabulis vel encauto & cerussa conscribere detur eis licentiam. Edictum autem continens indulgentiam nostram ad deuotionem tuam misimus, & vt tua dicatio & cuncti alij recognoscant quid præstitimus memoratis. PP. IIII. Idib. April. Licinio v. & Crispo Cæsare CONSS.

II. Idem A.

Cum introisset principia, & salutatus esset à præfectis & tribunis & viris eminentissimis adclamatum est, Auguste Constantine, dij te nobis seruent. vestra salus, nostra salus. vere dicimus, iurati dicimus. Adunati veterani exclamauerunt, Constantine Auguste, quo nos veteranos factos si nullam indulgentiam habemus? Constantinus A. dixit, Magis magísque conueteranis meis beatitudinem augere debeo quàm minuere. Victorinus veteranus dixit. Muneribus & oneribus vniuersis locis conueniri non sinamur. Constantinus Aug. dixit: Apertius indica quæ sunt maximè munera, quæ vos contu-

maciter grauant. Vniuersi veterani dixerunt: Ipse perspicis scilicet. Constantinus A. dixit: Iam nunc munificentia mea omnibus veteranis id esse concessum perspicuum sit, ne quis eorum nullo munere ciuili neque in operibus publicis conueniatur, neque in nulla conlatione, neque à magistratibus, neque vectigalibus in quibuscunque nundinis interfuerint, nulla proponenda dare debebunt. Publicanis quoque, vt solent agentibus superconpellere, ab his veteranis amoueantur, quiete post labores suos perenniter perfruantur. Fisco nostro quoque eadem epistula interdiximus, vt nullū omnino ex his inquietaret: sed liceat eis emere & vendere, vt integra beneficia eorum sub sæculi nostri otio & pace perfruantur, & eorum senectus quiete post labores perfruatur. Filios quoque eorum defendant decertationes, quę in patris persona fuerūt, quósque optamus florescere sollicitius, ne si contumaces secundum eosdem veteranos conprobari potuerint, decimentur his sententiis cum præsidali officio adiungentur probabilius iussionem meam. Curabunt ergo stationarij milites cuiusque loci cohortis & parentes eorum desperationem, & ad sanctimoniam conspectus mei sine vlla deliberatione remittere, vt sint salui cum senuas consecuntur pœnas indulgentiæ. Dat. Kal. Mart. in ciuitate Velouocorum, Constantino A. VI. & Cōstantio Cæs. CONSS.

III. Idem A. ad Vniuersos veteranos.

Veterani iuxta nostrum præceptum vacantes terras accipiant, eásque perpetuò habeant immunes, & ad emenda ruri necessaria pecuniæ in numum viginti quinque milia follium consequantur. boum quoque par & frugū promiscuarum modios centum. Qui autem negotij gerendi habuerit voluptatē, huic cētum follium summam immunem habere permittimus. præter hos ergo qui vel domiciliis vel negotiis detinentur, omnes qui vacatis, & nullum negotium geritis, ne inopia laboretis, ad hoc remedium debetis recurrere. Dat. III. Id. Octob. Constantinop. Constantino A. VI. & Constantio Cæs. CONSS.

IIII. Idem A. ad Maximum P. V.

Comitatenses & ripenses milites atque protectores suū caput patris ac matris & vxoris, si tamen eos superstites habeant, omnes excusent, si censibus inditi habeantur. Quod si aliquam ex his personis nō habuerint, vel nullam habuerint, tantum pro suo debent peculio excusare, quantum pro hisdem si nō deessent, excusare potuissent: ita tamen vt non pactione cum alteris facta simulato dominio rem alienam excusent, sed verè proprias facultates. Veteranos autem post emeritæ missionis epistulas, tam suū quàm vxoris capud excusare sancimus. at si honestam missionem meruerint, suum capud tantummodo excusare, ceteros omnes veteranos de quocunque exercitu vnà cum vxore sua vnius capitis frui excusatione pręcipimus. Ripenses autē veteranos, qui ex priore lege post viginti quattuor stipēdia honesta missione impetrata vnius excusatione capitis fruebatur, etiamsi viginti stipendiis cōpletis honestam missionē meruerit ad exemplum comitatēsium militū vnum capud excuset. Intra viginti etiam stipēdia dimissus, quoniā inbecilli & debiles cēsibus non dedicātur, eodē beneficio vtātur. Alares autē & cohortales dū militant, propria capita excusent. veteranis quoque eadem excusationis solatia habituris, qui quocūque tēpore in quibuscūque partibus meruerint missionem, si ex comi-

comitatensi militia senectutis vel debilitatis causa dimissi fuerint, indiscreto dispendiorum numero duo capita excusaturis, id est suum atque vxoris, & ripensibus indiscrete idem priuilegium habituris, si se ob belli vulnera dimissos probauerint, ita vt si quis eorum post quindecim stipendia intra viginti & quatuor annos ex militia decesserit, sui tantum capitis excusatione fruatur. vxorem enim ripensis † militia decesserit, sui tantum capitis excusatione post viginti & quattuor annos excusari oportet. PP. XV. Kalend. Iul. Antiochiæ, Paulino & Iuliano CONSS.

v. Idem A. Maximo.

Prouidendum est, ne veterani protectoria dignitate cumulati, aut qui honores varios pro meritis suis consecuti sunt, incongruis pulsentur iniuriis: cum si quis in hoc crimine fuerit deprehensus Rectores Prouinciarum conueniat ad tuum iudicium referre, atque ad tuum officium prædictos dirigere, vt factum pro sui qualitate possit facillime coherceri. Dat. IIII. Kal. Ian. Triueris, Ianuarino & Iusto CONSS.

VI. Imp. Constantius A. ad Helpidium Consularem Pannoniæ.

Priuilegia concessa veteranis, qui stipendia iusta meruerunt, prout se quisq; in officiis conpetentibus militasse declaret, omnia conseruentur corporalium seu personalium munerum vacatione eisdem tribuenda. Dat. VIII. Kal. Iul. Sirmio, Constantio A. VII. & Constante I. CONSS.

VII. Idem A. Euagrio P. V.

Quosdam veteranos hoc nomine indignos latrocinia perpetrare conperimus, ideóque præcipimus, vt veterani quibus bona mēs est, aut arua versent, aut certè in optimis negotiis pecuniam tractent, & mercimonia agitent: qui verò neque rus colunt, neque vtilem vitam conmerciis exhibent, mox in ipsos capitaliter exsurgendum. Exui enim omnibus priuilegiis debent, per quos publica quies perturbatur: ita vt si leuissimum aliquid deliquerint, omnibus subiiciantur pœnis. Dat. III. Idib. August. Constantio A. VI. & Constante II. CONSS.

VIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad vniuersos Prouinciales.

Omnibus benemeritis veteranis, quam volunt patriam damus, & inmunitatem perpetuam pollicemur. Habeant ex vagantibus siue ex diuersis vbi elegerint agros, & à lege habeant, vt sibi soli eorundem fructus cessuros esse cognoscant nullum ex his agris stipendium, nullam annuam præstationem postulauimus. amplius addentes, vt etiam ad culturam eorundem agrorum & animalia & semina præbeamus: ita vt is qui ex protectore dimissus erit, duo boum paria & centum modios vtriusque frugis consequatur. Alij verò qui honestas missiones siue causarias consequuntur, singula paria boum & quinquaginta modios vtriusque frugis accipiant. super quibus præbendis ad conpetentes iudices scripta congrua destinata sunt. si quos etiam veterani seruulos familiásve ad agrum duxerint, inmunes perpetuò possideant. Dat. XV. Kal. Decemb. Rom. diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

VIIII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Dagalaifum magistrum militum.

Remotis iniuriis iussimus veteranis nostris vel adgnatis licere emere, ven-

dere, negotiari: quos secundum veterem consuetudinem parentum nostrorũ ab omni munere vniuersisque reditibus auri argentíque, sed & portorij indemnes esse oportet. Dat. VIII. Id. Decemb. Veronæ, Gratiano N. B. P. & Dagalaipho CONSS.

x. Idem AAA. ad Probum PPÕ.

Si quis præpositus fuerit aut fabricæ aut classi aut Lætis, identidem si præpositus Rom. largitionum, vel cohortis gesserit tribunatum, aut quicumque his administrationibus ad quas non nisi cum certis fideiussoribus singuli quique veniunt fortasse præfuerit, qui non vel intra palatiũ congruo labore meruisse, vel armatam inuenitur sudasse militiam, his priuilegiis careat quæ militátibus palatinísque tribuuntur. Dat. x. Kalend. Ian. Triueris, Valentiniano NB. P. & Victore CONSS.

xI. Idem AA. ad Iouinum magistrum militum.

Commoneat tua sinceritas hac sanctione veteranos, vt loca absentium squalida & situ dissimulationis horrentia de solida fructuum indemnitate securi quantum vires vniuscuiusque patientur exerceant. namque decernimus, vt his qui soli relicti terras sulcauerint, sine molestia præiudicióque dominorũ prouectuum emolumenta quærantur, nihilque illis, qui messium tempus adsolent aucupari, agratici nomine deferatur. Dat. XVI. Kal. Feb. Valentiniano & Valente AA. IIII. CONSS.

xII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Stiliconi magistro vtriusque militiæ.

Plerique testimonialibus fraude quæsitis fiunt veterani, qui milites nõ fuerint, nonnulli inter exordia militiæ in ipso ætatis flore discedunt. quisquis igitur Luctus, Alamannus, Sarmata vagus vel filius veterani aut cuiuslibet corporis dilectus obnoxius & florentissimus legionibus inserendus testimonialem ex protectoribus vel cuiuslibet dignitatis obtinuit, vel eas quæ nonnunquam comitum auctoritate præstantur, ne delitiscat, tirociniis castrensibus inbuatur. Si quis præterea vel prima stipendia, vel nondum vt oportebat INpleta, missionis colore deseruit, nihil impetrata valeant, nisi fortè quempiam aut defessæ ætatis aut corporis ægritudo, aut gloriosorum vulnerum cicatrices causaria vel honesta missione defendunt, dummodo hos ista non adiuuẽt qui ætate solida & integro corpore hæc occuparint. & quoniam plurimos vel ante militiam vel post inchoatam vel peractam latere obiectu pię religionis agnouimus, dum se quidam vocabula clericorum & infaustis defunctorũ obsequiis occupatos non tam obseruatione cultus quàm otij & socordiæ amore defendunt, nulli omnino tali excusari obiectione permittimus, nisi qui aut fractus senio, aut membris debilis aut paruitate deformis indignus consortio virorum fortium reperitur. Illius quoque sanctionis oportet admoneri, vt si quis decurionum, primipilariorum, collegiatorum, ciuilium apparitionum vel aliorum necessitatibus inretitus militiæ sacramenta durasset, defendi castrensum stipendiorũ excusatione non possit. Dat. III. Kal. Feb. Med. Stilicone & Aureliano v. c. CONSS.

xIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Stiliconi Comiti & magistro vtriusque militiæ.

Oportet inter eos qui ambitu ac suffragiis ad tribunatos præposituráspue perue-

peruenitit,& eos qui labore, periculis atque ordine militiæ decurso huiusmodi dignitates acceperint, esse discretionem. Quare inmunes eos haberi decernimus, qui militiæ prærogatiua, vt dignum est, ad tribunatum præposituráſve perueniunt. Conmonendi autem sunt Comites aut duces militum, vt & ipsi eos reuelatos esse cognoscant, neque aliquid hoc nomine ab his flagitandum de quibus ad omnes militares Iudices paria scribta dreximus. Dat. XI. Kal. April. Rom. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. CONSS.

De testimoniali extribunis & protectoribus. Tit. XXI.

I. Imp. Constantinus A. ad Rufinum PP ō.

FErri non potest in titulo militaris laudis inrepere eos qui nec aciem viderint, nec signa perspexerint, nec arma tractauerint. Ideóque si qui ex protectoribus, vel ex præpositis, vel ex tribunis epistulas reportauerint, non habeant priuilegium, quod merentur, qui ordine militiæ sub armorum labore decurso ad hunc honorem peruenerint. PP. IIII. Idib. August. Sirmio, Constantino A. III. & Licinio III. CONSS.

II. Imp. Constantius A. ad * PF.P. Post alia.

Si quis de paganis vel decurionibus ambierit ad honores protectoriæ dignitatis, nec tempus, nec stipendia ei post hanc legem conputanda sunt. Hoc & circa eos, qui ad præposituras ambitu peruenerint, custodiri præcipimus, &c. Dat. Kal. Maij, Constantio A. VI. & Constante II. CONSS.

III. Impp. Arcadius & Honorius AA. Florentino P.V.

Quicunque ex protectoribus aut domesticis honorarias missiones meruerint, sub hac norma penes eos dignitas maneat, vt neque municipes curiam, neque collegiatus obsequium propriæ vrbis effugiant, neque negotiator à pensionis aurariæ instituta summa militiæ suffragio subtrahatur, neque ab vllo postremo officio, militia, vel corpore, talis se impetrati quisquam obiectione defendat, sed manente norma soluat omnia quæ ab illo vel cōdicione nascendi vel iure proprij postulantur officij. de liberis etiam eorum cēsemus, ne de his edicti originis munus per priuilegia emendicatæ dignitatis effugiant. quæ quidem omnia officere illis aliquando non patimur, quos emeritos felicibus castris, vel honesta interdum aduersæ valetudinis missio vel vulnerum laudabilis excusatio vel emensum sub signis tempus absoluit. Dat. XIIII. Kal. Maij. Med. Arcad. IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

IIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Theodoro PP.

Eos qui testimoniales non suo merito, sed eorum contemplatione sunt adepti, qui pro his nostram clemētiam sunt precati, par seueritas persequatur. Eos tamen esse in vrbe sacratissima nō vetamus, qui posuerunt illic larem adque domicilium. Dat. X. Kalend. Decemb. Rauenn. Basso & Philippo CONSS.

De filiis militarium apparitorum & veteranorum. Tit. XXII.

I. Imp. Constantinus A. ad Optauianum.

VEteranorum liberos aptos militiæ, quorum quidam vt desides recusant militarium munerum functionem, quidam adeo ignaui sunt, vt cum dispendio corporis militiæ velint necessitatem euadere: iu-

bemus, si ad militiam inutiles resectis digitis iudicentur, curialibus sine aliqua ambiguitate muneribus atque obsequiis adgregari. Dat. XIIII. Kalend. Mart. Sirmio, Accep. VII. Idib. April. Regio Constantino A. V.& Licinio C. CONSS.

II. Idem A. ad Seuerum.

Veteranorum filios propter priuilegia parentibus eorum indulta vacare nō patimur, sed programmate per omnes ciuitates proposito diligenter quęsitos ad alterutrum conpelli iubemus, vt aut decurionatus muneribus obtemperent, aut militent, obseruaturo deuotionis tuæ officio, vt qui probantur ab annis viginti vsque ad viginti & quinque annos ætatem agant. Si autem veteranorum filij qui equestrem militiam tolerauerunt, inter equites probari voluerint, habeant facultatem, ita vt cum singulis equis idoneis prædicto adgregentur obsequio. Quod si quis duos equos habeat vel vnum idoneum, & seruum vnum, cum circitoria militet dignitate, & binas annonas accipiat. qui gradus præbetur aliis post laborem. Singularum autem ciuitatum decurionibus intimetur, vt veteranorum filios, qui prædictæ ætatis sunt, si militare noluerint, vel minus inueniantur idonei, ad curialia vocare non morentur obsequia, si tamen patrimoniis idonei esse noscuntur. Ex his autem qui militare voluerint, si qui minus apti sunt, equestri militiæ deficiente calamitate membrorum, & legionariæ congruisse noscuntur, deducendi ad nos, protectori qui ob hoc missus est consignentur. Dat. III. Kal. Aug. Aquileia, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. CONSS.

III. Idem A. ad Euagrium.

Hi qui ex officialibus quorúmque officiorum geniti sunt, siue eorundem parentes adhuc sacramento tenentur, siue iam dimissi erunt, in parentum locum procedant. Dat. Prid. Non. Aug. Basso & Ablauio CONSS.

IIII. Idem A. ad Leontium PP.

Iamdudum sanximus, vt veteranorum filij, qui post sedecim annos militiæ munus subire non possunt, vel armis gerendis habiles non extiterint, curiis mancipentur. Dat. III. Id. April. Pacatiano & Hilariano CONSS.

V. Idem A. Ablauio PP.

Veteranorum filij vel eorum qui præpositi, vel protectores fuerunt, vel ceterorum qui quemlibet gradum militiæ tenuerūt, si inualidi & inbecilles sint, curiis adgregentur, ita vt rei familiari gaudentes & inaptos militiæ, curiarum societati coniungas. quod etiam nos fecimus sub conspectu nostro his quos deliciosis nutrimentis eneruatos esse perspeximus. Qui igitur ex his patresfamilias sunt, & idonei functionibus publicis eligantur ad augendum curialiū numerum singularum ciuitatum ordinib. commouendis, vt quos norunt idoneos, nominare non dubitent præter eos quos vigor & fortitudo defendendæ reipublicæ idoneos facit. nam & duces singulorum limitum conuenimus, ne deinceps veterani filius inutilis sacramento cingatur. Eos etiam qui iam probati sunt, diligenter inspiciant, vt qui minus idoni repperiūtur, sacramento soluti ad grauitatem tuam mittantur. Dat. & PP. Idib. Nou. Dalmatio & Zenofilo CONSS.

VI. Imp. Constantius A. Antonio duci Mesopotamiæ. Post alia.

Obseruetur ne veteranorum seu militum filij officiis præsidalibus adgregentur.

gentur. Dat. IIII. Non. Feb. Limenio & Catullino CONSS.

VII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Petronium Patricium.

Quicunque castrensi stirpe progeniti diuersorum se nexibus officiorum tradiderunt, manu iniecta retrahantur. sciántque veterani, quibus quies post arma concessa est, liberos suos, quos militaribus aptos ministeriis insitum robur ostendat, offerendos esse militiæ. nam si quis militaris prosapiæ degeneri mente officiorum se cõsortiis adgregauit, ita vt fractis viribus grandæuam proferat senectutem, aut debilitatis obtentu bellico operi inconueniens iudicetur, eundem ignauiæ latebris vel sera indagatio protractum curiarum functionibus placuit mancipari. PP. Beryti, Idib. April. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

VIII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PF.P.

Filios veteranorum, qui armatæ militiæ paruissent, si in officiis publicis vel ministerio chartularum atque obseruatione rationum inueniuntur, sciat tua sinceritas esse reuocandos. etenim hi, quibus vel corporis robur vel statura defuerit, qui comitatensi digni possint esse militia, repensi potuerunt copulari. PP. Rom. XV. Kal. Mart. Modesto & Arintheo CONSS.

VIIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. *

Quicunque castrensi stirpe progenitos diuersis se officiis indiderunt, etiam manu iniecta retrahãtur. Sciantque veterani liberos suos quos militaribus aptos muniis insitum robur ostendat, aut offerendos esse militiæ aut obnoxios nostræ legis laqueis iam futuros. Scribta Petro Cõsulari Phœnicis, Damusco, Prid. Maij, Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS.

X. Idem AAA. ad Felicem Com. Or.

Non solum in diuersis officiis militantes, sed etiam vacantes rebus propriis veteranorum ac militũ filios armatæ militiæ volumus sociari. Nulla igitur sit excusationis occasio. Dat. VIII. Id. Iul. Thess. Grat. V. & Theod. I. AA. CONSS.

XI. Idem AAA. Habe Neoteri K. N.

Si filij primipilarium reperti fuerint, qui ingressi legitimos annos nullis stipendiis fulciuntur, sed anno proximo quo ad curiam fuerint lacessiti, semet militiæ manciparint, ad curiam teneantur, ita vt ne officij quidem cum transacto anno esse ceperint, curialis prępostera audiatur circa eius personam ac sera petitio. Quòd si in eadem domo duo filij erunt, & latum adeo felíxque patrimonium quod possit dupliciũ necessitatũ suscipere functiones, vnum oportebit militiæ, vnũ curię vindicari. Quod seruandum pari norma erit, si tres aut quatuor liberi, vel etiam plures numero familiam eiusdem stirpis ornauerint, vt etiam ex numerosis fratribus vnus ad curiam deuocetur. Dat. VI. Id. Sept. Sirmio, Gratiano V, & Theodosio I. AA. CONSS.

XII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Stiliconi Comiti & magistro vtriusque militiæ.

Quoniam filij veteranorum ad diuersa officia se contulerunt, hac sanctione præcipimus, vt ab his qui nunc sunt in officiis occupati, nulli iuniores repetãtur, ac deinceps post hoc edictum aditum veteranorum filiis militandi per ciuilia officia esse præclusum. Dat. VI. Kal. Oct. Med. Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS.

De oblatione equorum. *Tit. XXIII.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PF.P.

QVicunque honorariis codicillis habetur excomite, tres protinus equos qui digni sunt conprobari, curet offerre. Quicunque autem eodē est ex præside factus indulto, duos pari deuotione mox tradat ita enim promptius instruitur vsus armorum. quod munus in posterum ea lege nouetur, vt quinto quoque anno, hoc est magis aliquando quàm sæpe similis recurrat exactio. Dat. VIII. Id. Iun. Sirmio, Valentiniano NB.P. & Victore CONSS.

De oblatione votorum. *Tit. XXIIII.*

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. Basilio P.V.

QVando votis communibus felix annus aperitur, in vna libra auri solidi septuaginta duo obryziaci principibus offerendi deuotionem animo libenti suscipimus: statuentes, vt deinceps sequentibus annis vniuscuiusque sedulitas principibus suis talia ingerant semper & deferant. Dat. III. Non. Mart. Med. Olybrio & Probino CONSS.

Explicit Liber VII.

CODICIS THEODOSIANI LIBER OCTAVVS.

De numerariis, actuariis, scriniariis & exceptoribus. *Tit. I.*

I. Imp. Constantinus Augustus ad Leontium.

DVDVM sanximus, vt nullus ad singula officia administranda ambitione perueniat, vel maximè ad tabularios, nisi qui ex ordine vel corpore officij vniuscuiusque est. hos enim officia sibi iniuncta tam diu agere iubemus, quoad idoneos esse manifestū est, aut ætate non impediente conplere id posse monstrantur, vt administratione aput vnum iugiter permanente, fides quoque eius appareat. Si quis ergo ex suffragio ambitionis ad officia fisco obnoxia accesserit, multæ nomine denas libras auri exigatur. PP. V. Id. Iun. Hierapoli, Constantino A. V. & Licinio Cæs. CONSS.

II. Idem A.

Ne hij, qui procul ab officio sublimitatis tuæ sunt, nullum meritum per sedulitatem vel obsequia præferentes locum possint laborantibus debitū inrepere, exceptores placet pro loco & ordine suo ad commentarios accedere, & eorū administrationi subrogari, & ceteris propulsatis, ita vt inter exceptores prout

prout quisque locum tempore adipisci meruerit, ordine & merito consequatur. Dat. Kal. Iul. Triueris, Basso & Ablauio CONSS.

III. Idem A. ad Maximum PF. P.

Vtilitate suadente annonarios & actuarios condicionales esse præcipimus, annonis etiam adiuuari, & capitationem eorum qui censeti sunt, haberi inmunem. ideóque tua solertia conpetentia amonebit officia, vt actuariis binas annonas, annonariis vero singulas protinus subministrent. capitatioñe quoque ipsorum tantum, qui ex his censeti sunt, faciat haberi inmunem quoad in actu fuerint constituti. nam postea vel laus eos & dignitas honorabit, vel si in culpa fuerint deprehensi, pœna comitabitur. Emissa III. Non. Maij, Dalmatio & Zenophilo CONSS.

IIII. Idem A. ad Benoricianum Vicarium Asiæ.

Vorax & fraudulentũ numerariorum propositum, qui diuersis Rectoribus obsequuntur, ita inhibendum est, vt & antea sanxerimus, & nunc itidem sancimus condicioni eos subditorum & eculeis adque lacerationibus subiacere, nec vltra biennium hoc fungi obsequio, &c. Dat. XIIII. Kal. Iun. Optato & Paulino CONSS.

V. Imp. Constantius A. ad Taurum PF. P.

Actuarij condicionales sollicite proprio fungantur officio, nec ad quasdam inrepant dignitates, quibus eos perfrui diualia statuta prohibent, hoc vitium corrigentes nos etiam iussimus vtiliter à patre præcepta seruari, & litteris ad magistrum peditum & equitum datis iussioni effectum præcipimus commodari. Dat. Prid. Non. Maij, Rom. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. CONSS.

VI. Imp. Iulianus A. ad Auxonium Correctorem Tusciæ.

Numerarij, qui publicarum rationes ciuitatum versutis fraudibus lacerare didicerunt, subiaceant tortori nomine artis ac fraudis. Verùm cùm quinqueñio administrauerint chartas publicas, vnum integrum annum vacent, vt ad incusantium iurgia facilis adpetitu sit vita priuata. septimo porrò anno cùm eosdem bene creditum munus administrasse claruerit, ex perfectissimis dimittatur, hic abolebit honor dignitatis additæ veterem vtilitatem. Dat. XVI. Kal. Feb. Constantinop. Mamertino & Neuitta CONSS.

VII. Idem A. Secundo PF. P.

Quamquam præcedente iussione omnes numerarios condicionales esse præcepimus, tamen etiam nunc eos, qui sumpserint chartarum notitiam, & eodem officio inhæserint condicionales esse iubemus, vt scientes nullo se priuilegio esse munitos, ac facile per tormenta fraudium suarum tutelas detegi posse, nihil committant in damna reipublicæ. Dat. Kalend. Mart. Mamertino & Neuitta CONSS.

VIII. Idem A. ad Mamertinum PF. P.

Iubemus omnes numerarios non eos modo quos plebe confusa vulgus abscondit, sed primos etiam & magistros eorum officij sedis amplissimæ, tum autẽ Iudicum ceterorum, solutos penitus militaribus sacramẽtis, condicionales etiam fieri, ne dignitas fraudibus faciat vmbraculum, per quinquennium perinde inseruire scriniis. quippe admodum iniquum videtur pro alienis fraudibus rudes & nuper adscitos adiutores conpelli ratiocinia præstare, adq; his

inminere periculum. Dat. epiſtula pp ō. v. Kal. Dec. Viminacio. Iuliano A. IIII. & Salluſtio CONSS.

VIIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Clearchum.

Numerarij qui appellari conſueuerant conſularium ac præſidum duntaxat, tabularij poſt hac noſtra ſanctione vocabuntur, ſcientes ſeſe tormentis eſſe ſubiectos niſi Iudicibus, vel his qui prouecti noſtro iudicio ad prouincias venerint: vel his qui ibidem diutius fuerint commorati, debitorum ac reliquorum modum frequenter ingeſſerint ſub actorum teſtificatione, quos ſcire oportet cum his qui debitores ſunt, ſeſe ad ſolutionem eſſe retinēdos, niſi omnia debita ipſis fuerint indicantibus perſoluta, triennij tamen ſpatio tabulariorum decet tempus omne concludi. Denique cum peregrinos delegi adque ad ſingulas quaſque prouincias oporteat deſtinari peractis triennij ſpatiis, adque hoc tempore completo, biennio poſt adminiſtrationem in prouinciis reſidere debebunt, obſequia Iudicum præſtolantes vt edant rationem corporis adque ſegnitiæ, ac ſubiaceant diſpendiis, quæ communicari hiſdem cum exactoribus conuenit, ſi detrectaſſe fidem prætermiſſis ſuggeſtionibus monſtrabuntur. Dat. XIIII. Kal. Mart. Conſtantinop. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

X. Idem AA. Iouio magiſtro equitum.

Actuariis Palatinorum & comitatenſium numerorũ ſenas annonas, ſenum etiam capitum, pſeudocomitatenſium etiam quaternas annonas, & quaternũ capitum ex horreorum conditis præcepimus per decennium curam eius officij ſuſtinere, vt perſpicue manifeſtéque fides eorum & induſtria conprobetur. quod cum ad nos iuxta numerorum teſtificationem ſuggeſtione excellentiæ tuæ peruenerint, honore perfectiſſimatus in palatio noſtro potiētur, etiā maiorem gradũ dignitatis poſtmodum adepturi. poſt hoc vero beneficium, qui fraudibus ac rapinis minime temperarint, in eos iudiciorum auctoritas exſeratur. Dat. VIII. Kal. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XI. Idem AA. ad Rufinum PP.

Super numerariis celſiſſimi officij tui aliter eſt noſtra ſententia, quàm diuæ memoriæ Iulianus duxerat ſanciendum. Ille lege propoſita numerarios omiſſo cingulo condicionis conſcios vilioris, neceſſitati publicæ obſecũdare præcepit, nos qui malumus obſequia hominũ eſſe volũtaria quàm coacta, ſumere cingulum & militiæ ordinem tenere numerarios iubemus: cum ſi in aliquo fraudium ſcelere fuerint deprehenſi, nullo modo poſſint à corporali iniuria vindicari. Dat. Prid. Id. Decemb. Pariſis, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius AAA. omnibus Rectoribus prouinciarum.

In prouinciis ſingulis duo tabularij conlocentur quoad vnum fiſcalis arcæ ratiocinium ad alterum largitionales pertinere tituli iubeantur, ſcituri quod ſi ex alienis quicquam actibus ad alteram partem inlicita fuerit vſurpatione tranſlatum, is qui Iudicis culpam diſſimulatione texerit, grauiſſimo ſit ſupplicio ſubiugandus. Dat. III. Kal. April. Conſtantinop. Antonio & Syagrio CONSS.

XIII. Idem AAA. Floro PF.P. Post alia.

Numerarij non nisi exacto triennij tempore diuinam nostri numinis purpuram venerentur, capitali supplicio subiugandi, si in fraudem constituti vel statuta tempora subterfugere voluerint, vel ambitu vsurpare maioris militiæ dignitatem. Dat. XVIII. Calend. Octob. Constantinop. Antonio & Syagrio CONSS.

XIIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Seuero. P.V.

Ne diutius ad cunctorum perniciem actuarij numerariorum consortiis adiuuentur, inlustris auctoritas tua cunctos ex numerariis ab actuariorum societate præcipiat abstinere, adque ab eorum cõmunione discedere. Quod si hæc moniti custodire neglexerint, hisdem pœnis, se quibus actuarios, non ambigant subiacere. actuarios vero cunctos intra quinquaginta dies vrbis nostræ terminos conpellat excedere, scituros, quòd si vltra statutum tempus præsentes fuerint compræhensi, viginti librarum auri dispendium subituri sunt. Dat. IIII. Calend. Iul. Niciæ, Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS.

XV. Impp. Honorius & Theodosius AA. Hypatio magistro militum per Orientem.

Ex insinuatione magificentiæ tuæ cognitis his quæ à scriniariis officij tui crudeliter perpetrantur, dum actuariis sua prauitate permixta freti potestate chartarum rationes eorum pro sua voluntate perscribunt, generali lege censemus, vt ad exemplum numerariorum, quorum ob fraudes hæc dudum forma processit, à chartarum cura triennio finito pellantur, nunquam ad eam vlterius admittendi, cum his qui ante ab huiusmodi consortio quoque pacto recesserunt, ita ad principatum officij si maluerint, præstolentur, hac pecunia quam actuariis quolibet genere extorserunt, fisco vindicanda. quod & in posterum obseruabitur, si quis ex scriniariis eiusdem officij aliquos cum actuariis contractus habuerit: quoniam hoc collegium conmerciúmque penitus conuenit inhiberi. Dat. XVII. Kal. April. Constantinop. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONSS.

XVI. Idem AA. Vitaliano duci Libyæ.

Nemo de numerariis tui officij, seu domesticis, vel scriniariis siue adiutoribus post conpletum sui temporis actum ad eandem rursus sollicitudinem audeat adspirare, decem auri librarum condemnatione proposita, si hâc violare voluerit sanctionem, eadem pœna officio quoque proposita, si per ambitionem vel auaritiam ex his aliquid temerari concesserit. Dat. VIIII. Kalend. Nou. Constantinop. Honorio A. XI. & Constantio II. V. C. CONSS.

XVII. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Tauro PF.P.

Qui ad numerariorum gradum veniunt in officio tuæ sedis excelsæ quamdiu eodem funguntur officio, domesticorum militiam non adfectent, ne in alio actu constituti alterius sacramenti priuilegiis perfruantur. conpleto sanè triennij tempore eam tantummodo militiam consequantur, quæ instituto antiquitus more defertur. intra alterius autem triennij metas altiorem quamcunque militiam seu potius dignitatem nullam penitus adipiscendi habeant facultatem, &c. Dat. V. Non. Iul. Constp. Theod. A. XIIII. & Maximo CONSS.

De tabulariis, logografis & censualibus. Tit. II.

I. Imp. Constantius A. ad Catullinum PF. P.

NVllus omnino ex tabulariis, vel scribis, vel decurionibus eorúmque filiis in quocunque officio militet, sed ex omnibus officiis, necnon & si intra nostrum palatium militent necdum inpleto quinquennio reperti & retracti protinus curiis officiísque municipalibus reddantur. Dat. VIII. Kal. Iul. Lauriaco, Marcellino & Probino CONSS.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Artemium Vicarium Hispaniarum.

Si qui tabulariorum necessitate perfuncti vel adspirare cœperint ad curias vel vocari, non prius eos ordo suscipiat, quàm fideliter dederint administratarum suo tempore chartularum apud acta rationem. Dat. Kal. Iun. Triu. Valentiniano & Valente III. AA. CONSS

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. Neoterio PF. P.

Comperimus aliquantos relictis muneribus curiarum scribas, sed & logografos ciuitatum in nomen inrepsisse militiæ, his retractus legem hanc tulimus, ne quis ex hoc hominum numero paria audeat vsurpare: hoc admodum sufficiente numero militiæ subplementis, qui ex vagis veteranorúmque filiis vacantibúsque potuerit fida peruestigatione conpleri. Dat. IIII. Non. Febr. Thessalonicæ, Gratiano A. V. & Theodosio A. I. CONSS.

IIII. Idem AA.

Quicunque decurionum sponte se censuali ministerio mancipamit, condicionem habeat quã ipse delegit, depositurus sui ordinis penitus dignitatem, si eum necessitas quæstioni subdendum inuenerit. Dat. XV. Kal. Oct. Constp. Richomere & Clearcho CONSS.

V. Impp. Arcadius & Honorius AA. Hadriano PF. P.

Generali lege sancimus, vt siue solidis prouinciis, siue singulis ciuitatibus necessarij fuerint tabularij, liberi homines ordinentur, neque vlli deinceps ad hoc officium patescat aditus, qui sit obnoxius seruituti. Sed & si quis dominorum seruum suum siue colonum chartas publicas agere permiserit. consensum enim non ignorantiam volumus obligari, ipsum quidem inquantum interfuerit publicæ vtilitati pro ratiociniis quæ seruo siue colono agente tractata sunt obnoxium adtineri, seruum autem conpetentibus affectum verberibus fisco addici. In præteritum quoque decernimus cura dominorum præsentari eos qui ratiocinia tractauerint, quorum interfuit ab initio prouidere ne publicis actibus priuata seruitia inmiscerentur, vt temporis sui quisque rationem positus in quæstione depromat. Dat. VIII. Kalend. April. Med. Vincentio & Frauita CONSS.

INTERPRETATIO. *Siue in solida prouincia, siue per singulas ciuitates tabularij fuerint ordinati, hoc est, qui rationes publicas tractant, ingenui à Prouincialibus ordinentur: coloni vel serui ad hoc officium nullatenus admittantur, quia quibus fides publica committenda est, tales eligi debent, de quibus querela esse non possit. Quod si dominus colonum, vel seruum suum tabularium esse concesserit, pro consensu dominus hac multa feriatur, vt quicquid colonus ille vel seruus detrimenti admiserit, hoc dominus sine mora restituat: colonus ille vel seruus verberatus, fisci viribus addicatur.*

De

De priuilegiis apparitorum magisteriæ potestatis. *Tit. III.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Artemium correctorem. Post alia.

QVi sese in officiis magistrorum equitum ac peditum militasse ac militare monstrauerint, ab omni nominationis iniuria excusentur. Eligendi autem erunt susceptores è diuersis officiis etiã ex largitionalibus ciuitatum, qui vtique extra palatium degunt. Dat. XIII. Kalend. Octob. Aquil. Acc. xv. Kal. Nouemb. Salerni, diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

De cohortalibus principibus cornicularijs, & primipilaribus. *Tit. IIII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Constantium PP ō.

QVoniam iniquissimè tyrannus constituit, vt qui ex cohortali militia honestam missionem & vacationem rerum suarum meruerint, ciuilibus officiis & curiæ necessitatibus inseruiant: placet hac lege cessante eos qui cohortali militia cõpletis viginti stipẽdiis discesserint, ad nulla deinceps ciuilia munera vel curiæ deuocari. quam rem & circa officiales præsidum obseruari conueniet. Dat. IIII. Kalend. Mai, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. CONSS.

II. Idem A. Edicto suo ad Afros.

Stationariis primipilarium, quorum manifesta sunt loca, corã mandatum est, vt si extra modum aliquid extorserint, sciant se capite puniendos. prętereа ne carcerem habeant, néve quis personam pro manifesto crimine apud se habeat in custodia, néve quis amplius quàm duos agasones ex prouincia secum habeat, vel de Numidia sibi adiungat, néve ex aliis prouinciis agasonem habeat, vel qui alicui iam stationarij minister fuit. PP. VI. Id. Mai, Kartag. Cõstantino A. IIII. & Licinio IIII. CONSS.

III. Idem A. ad Bithynos.

Primipilaribus post emeritã militiam perfectissimatus, vel ducenæ, vel centenæ, vel egregiatus dari dignitas potest. Dat. XII. Kalend. Aug. Gallicano & Basso CONSS.

IIII. Imp. Constantius A. Antonio duci Mesopotamiæ.

Iuxta suggestionem vicarij Mesopotamiæ de his qui officia præsidalia deserentes ad sacramenta militiæ adspirasse noscuntur, iteranda statuti desideratur auctoritas, ideóque etiamnum iubemus, vt retentis his, qui veteranorũ seu militum filij esse noscuntur, ceteros grauitas tua officiis propriis restituere non moretur, & c. Dat. IIII. Non. Febr. Limenio & Catullino CONSS.

V. Idem A. ad viros clarissimos PP ō. Post alia.

Beneficiarios in eodem obsequio perseuerare volumus. & cetera. Dat. prid. Non. Mai, Constantino A. VII. & Constante C. II. CONSS.

VI. Idem A. ad Taurum PP ō.

Primipilaribus, qui ad pascendos milites sollenniter ad limitem destinantur grauia sustinentibus detrimenta hoc modo credidimus consulendum, vt duces qui multa eis extorquere firmantur, nomine munerum vel sportulæ nihil amplius percipiant, quàm percipiebant à patre nostræ perennis memoriæ

regenteRempublicam,ita vt ſpecies à primipilaribus ipſa pręſtetur,nec in nũmum aurũmve dirigatur,ne ſuper inmenſitate pretiorum neceſſitas cõquerẽdi exſurgat. hac igitur remota iniuria idonei mittantur, qui ex more ſuſceptis omnibus alimoniis militaribus eaſdẽ peruehere cõtendant,actis apud Rectorem prouinciæ conficiendis,per quæ deſignabitur quantus ſpecierum modus in vſum alimoniæ militaris à primipilaribus prębeatur,& quid ob munera ducibus mittenda vel ſportulam,cuius habet notitiam officium præſidale. Dat. epiſtula præfecto,cui hæc ſacra fuerat ante lata.xi.Kal.Iun.Mediolani,Datiano & Cereale CONSS.

VII. Idem A.ad Taurum PP ō.

Beneficiarij vel officiales rationalis ſi exhibitione curſus ſeu primipili neceſſitate neglecta,interuerſa etiam ratione fiſcali ad eccleſias putauerint tranſcũdum, curialium retrahantur exemplo. Si verò obnoxij ratiociniis vel neceſſitatibus non ſint ſub notione iudicum officiis conſentientibus,ſi id probabilis vitę ſtudium poſtularit,transferantur,nec ceſſionem metuant facultatum, Quod ſi clandeſtinis artibus putauerint inrependum,ad curialium ſimilitudinem duas concedant liberis:aut ſi proles defuerit, propinquis è propria ſubſtantia portiones,tertiam ſibimet retenturi. Sin vero propinquorum neceſſitudo defuerit, geminæ portiones officiis, in quibus militant, relinquantur, portione tertia tantummodo retentata. Dat. IIII.Kal. Sept. Tauro & Florentio CONSS.

VIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PP ō. Poſt alia.

Qui in proconſulum, conſularium, correctorum,vel præſidum officiis ita ſtipendia merentur, vt reipublicæ partes pro virili captu ſpernui laborũ procurent,ſi curſui veredorum obnoxij vel paſtui primipili, militiam clariorem aditu obſtricti itineris occupauerint,ita infulas adfectati honoris admittẽt,vt neceſſitatem vetuſtæ procurationis agnoſcant. Liberi verò eorum ſi ab ineunte æuo alterius gradus ſacramenta meruerint, paternæ neceſſitatis condicione non aliàs fatigentur,quàm ſi adhuc eos loci quamquam altioris, tamen eiuſmodi docebitur retinere menſuram, vt parua contumelia dignitatis paterni muneris ſubdantur inpẽſis.& quoad huiuſmodi homines in his prouinciis militabũt,quos aut primipili paſtus, aut neceſſitas veredariæ non adigat fũctionis XXV.eos ſtipẽdia à nexu curialis nominationis abſoluãt, liberis eorũ ea cõdicione obnoxiis municipũ complexui relinquẽdis ſi militiæ detractauerint voluntatẽ.Suſcribendarij verò,tabularij,diurnarij, logografi, cenſuales, ſi & cenſu opulẽti erũt & exercitatione quantulacũque eruditionis,poſt emenſum munus ea condicione curiis adgregentur, ſi cum in officiis eſſent vilioribus,nulla eos ſuppliciorum macula turpauerit.Et quoniam infinitum eſt viritim cuncta complecti,hoc quaſi generale concluſio legis amplectitur:vt quicumque alij ſine deſẽſione prædictorum priuilegiorũ in quibuſlibet vrbibus, oppidis,municipiis repperiantur, pro captu virium & mediocritate cenſuum curialia officia ſuæ ſortis agnoſcant,& cetera.Dat.III.Id.Mai, Hadrianopoli, diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

VIIII. Idem AA.ad Probum PP ō.

Secundum diui Iuliani ſtatuta ſportula duci in quinquaginta libras argenti non ab vno primipilari, ſed ab vniuerſis pariter inferatur, nihílque amplius duces

duces sportulæ sollemnis prætexto conentur exculpere. Dat. VIII. Kal.April. Triu. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

X. Idem AA.ad Dracontium Vicarium Africæ.

Principes seu cornicularios stationes quæ personis suis meritò deferuntur, non aliis vendere, sed ipsos potissimú his administratiúculis perfrui iubemus. Quòd si post pastum primipili de his putauerint nundinandum, non alteri quam adiutoribus suis, & tamen his ipsis qui numquam eiusmodi stationes egisse doceantur, habeant libertatem licentiámque vendendi. Dat. III. Kal. April. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XI. Idem AA. Festo Consulari Syriæ.

Solita cohortalibus Syriæ priuilegia quæ à diuo Diocletiano porrecta sunt adque concessa, nos quoque porreximus, ac iubemus eos non ad sollicitudinem vastagæ, non ad functionem nauicularium deuocandos, nô inuitos curialibus cœtibus adscribendos, verum peracto labore militiæ pastus primipili conpetéti sedulitate functione transacta prærogatiuam his recusationis offerimus. Dat. VI. Non. Octob. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PP ô. Post alia.

Officia Rectorum Prouinciarum tuæ magnificentiæ litteris volumus admoneri, vt susceptos in officio proprio vel probatos cohortium nomine legionúmve priuilegiis æstiment inserendos. Dat. XVI. Kalend. Iun. Modesto & Arintheo CONSS.

XIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Seuerum PP ô.

Primipilarium liberos sacramentis, adque militiæ, quæ eorum maioribus fuerat elapsos ad vltima quidem apparitionis & eandem necessitatem minime deuocamus: † auriis tamen quas tempus efflagitat iuuare rempublicam statuimus expensis. Dat. III. Non. April. Med. Antonio & Syagrio CONSS.

† aurariis.

XIIII. Idem AAA. ad Proculum Comitem Orientis.

Qui relicto principatus officio quod gerebat ad Senatoriæ dignitatis nomen ambiit, propriæ redditus militiæ plumbatis cohercendus est. Dat. prid. Non. Iul. Constp. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

XV. Idem AAA. ad Neoterium PP ô.

Si apparitor diffugerit criminosus, edictum quo reuocari possit adiecta côdicione legibus subsequatur, cui nisi fuerit satisfactum, merito in latitantem à Iudice pro qualitate peccati sententia proferetur. veniam enim talibus nos promittimus non daturos, vt saltem huiusmodi oraculi sanctione perterriti, cùm de indulgentia desperare cœperint, aut scelera nulla conmittant, aut nouerint crimina nec fugæ latebris nec indulgentiis relaxanda. Dat. prid. Id. Iun. Med. Arcadio A. I. & Bautone CONSS.

XVI. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Tatiano PP ô.

Ordinariorum Iudicum apparitores, qui vel speculatorum vel ordinariorum adtigerint gradum, nullo annorum numero, nulla stipendiorum côtemplatione laxentur, priusquam primipili pastum digesta ratione compleuerint. Quòd si ante debitum locum, qui huic functioni habeatur obnoxius,

vel ægri corporis labem, vel defessæ senectutis extrema ad inpetrandam quietem crediderit prætendenda, non prius otio condonetur omne quod primipilo debetur expenderit. eos etiam qui pro sceleribus suis soluto militiæ cingulo addicuntur infamiæ, ne integro peculio sub hac occasione lætentur, ita condignæ vltioni volumus subiacere, vt functioni quoque quæ extrema militiæ debebatur, nihil ex eorum facultatibus subtrahatur. Dat. III. Non. Mai, Med. Timasio & Promoto CONSS.

XVII. Idem AAA. Cynegio PP ō. per Orientem.

Cum ante placuisset, vt à primipilaribus secundum dispositionem diui Gratiani species horreis erogandæ comitatensibus militibus ex more deferrentur, limitaneis verò pretia darentur: nunc placuit, vt aurum ad officium inlustris per Illyricum præfecturæ cum certa taxatione, id est, pro octoginta libris laridæ carnis, pro octogenis etiam libris olei, & pro duodenis modiis salis singuli solidi perferantur. Dat. v. Kalendas Iul. Timasio & Promoto CONSS.

XVIII. Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius AAA. Rufino PP ō.

Ex his qui de numero comitianorum, vel ex apparitione culminis vestri cōsulari officio deputati sunt, nullus ambiendi & transfugiendi in alterius militiæ ordinem habeat facultatem. Dat. III. Kalend. Iun. Heracliæ, Arcadio A. III. & Honorio II. AA. CONSS.

XVIIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Euthymio Vicario Asiæ.

In speciebus primipilaribus adærandis eadem pretiorum taxatio seruetur, quæ in venalibus publicis poterit repperiri. is enim qui excedere præcepta nostra temptauerit, seuera iudicis sententia cohercebitur. Dat. v. Kalend. Mart. Constp. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

XX. Idem AA. & Theodosius A. Anthemio PF. P.

Quicunque ad chartas vel tabulas, vel quodcunque aliud ministerium cohortalis optauerit, non ante accedere permittatur, nisi eius nomen matriculis receptum primitus fuerit: pœna proposita his, qui contra statuta cælestia crediderint suscipiendos aliquos aut quodlibet eis officium iniungendum & adtinendis his nihilominus in officio, qui etiam post hæc præcepta meditatione quadam futuræ fraudis olim fortassis ita eorum ordinum actibus interfuerunt, vt obtentu non dati militiæ nominis liberum sibi cum id expedissent præcogitarent abscessum. De his sanè qui huiusmodi artib. antehac sibi euitanda officia, rescriptorum impetratione crediderint, id statuimus, vt rescriptis quæ ad tuæ sublimitatis iudicium emittuntur, nullis præterea ad alios Iudices elicitis eos vti patiamur, vel si obreptio aliqua fuerit impetrata, à nullo alio Iudice suscipiantur. Dat. XVI. Kal. April. Constp. DD. NN. Honorio VII. & Theodosio iterum AA. CONSS.

XXI. Impp. Honorius & Theodosius AA. Anthemio PF. P.

Polychronio qui ex primipilaribus in memoralium scrinia inrepsit, condicioni propriæ restituto, generali lege decernimus omnes, qui ex huiusmodi condicione palatinis semet indecenter inseruerunt obsequiis, omissis adsignari natalibus adque omnes quorum interest huius rei sollicitudo obseruare, ne

re, ne quis desertis adsuetis officiis ad palatina vnquam sacramenta adspiret. Dat. Prid. Non. April. Constp. Varane v.c. CONS.

XXII. Idem AA. Seleuco PF.P.

Quicunque post militiam prouincialis officij, vel certè adhuc militans ad maius priuilegium militiæ ditatus spoliis prouincialiũ properauit, absolutus sacramento eius militiæ originario solo adque statis suis reddatur obsequiis. neque hisdem in futurum nulla adtemptandi maioris splendoris officij adque sacramenti potestas sit. Data Prid. Kal. Mart. Rau. DD.NN. Honorio VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS.

XXIII. Idem AA. Euchario proc. Africæ.

Quia plurimi consuetam proconsularem ceterorúmque Iudicum fugientes militiam diuersis palatinis seu inlustrium potestatum officiis se sociasse dicuntur, decernimus omnes absolutos cingulo militiæ ad propriam functionem reduci. In futurum sanè præcipimus, vt si quis comprehensus ad militiam palatinam adspirare aliquibus indiciis adprobetur, in æternum mancipatui vel susceptioni societur non ante ex eius officij conuersatione remouendus, quàm vitæ finis huiusmodi sententia eundem potuerit liberare. Dat. Prid. Kal. Mart. Rau. Honorio VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS.

XXIIII. Idem AA. Probo Com. S.L.

Quisquis in officio palatino apparitor, vel exutus eodẽ munere, ex proconsulari officio vel ordinarij Iudicis potuerit repperiri, sublatis militiæ priuilegiis functioni propriæ regioníque reddatur. Dat. Prid. Kal. Mart. Rau. DD.NN. Honorio VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS.

XXV. Idem AA. Liberio PP.

Quicunque ex diuersis officiis omnium moderatorum officiales contra vetitum altioris militiæ gradum indebitè obtinuisse noscuntur, in propria reuocentur officia. Vniuersos igitur apparitores, quos extra conscientiam tuam vel stipendiorum meritum claruerit ad militiam conuolasse, præcipimus reuocari, similíque præceptione diuersorum Iudicum officiales antiquæ militiæ restitui, &c. Dat. VI. Kal. Dec. Rau. Honorio VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS.

XXVI. Idem AA. Anthemio PF.P.

Si quis è grege cohortalinorum vrguente criminis insectatione stipendiis fuerit exemptus, aut otio traditus quietis artibus inmoretur, aut si ad pristina sacramenta precum miseratione maluerit repedare indultum nostræ maiestetis oraculum amplissimæ tuæ sedi offerat allegandum, sanctione hac edictis propositis diuulgandum, vt prouinciarum Iudices sciant, si quas cælestes præscribtiones super reddenda militia elicuerit prouincialis apparitor, quas non ante præcelsa sedes tua librauit, auditionem huius legis intercessione depulsam. Dat. XIII. Kal. Mart. Constp. Honorio X. & Theodosio VI. Augg. CONSS.

XXVII. Idem AA. Eustathio PF.P.

Pro singulis libris argenti, quas primipilares viris spectabilibus ducibus sportulæ gratia præstant, quaterni solidi præbeâtur, si non ipsi argentum offerre sua sponte maluerint. Dat. XIII. Kal. Iul. Constp. Hon. XIII. & Theod. X. AA. CONSS.

XXVIII. Idem AA. Asclepiodoto PF.P.

Valentinianæ ceterarúmque legum, quæ diuersa super temporibus vsurpatæ militiæ statuerunt, auctoritate cessante, hæc præcepimus obseruari. primum, vt neque curialis neque cohortalinus, neque curialis aut cohortalini filius condicione deserta ad aliam audeat adspirare fortunam, cui maiorum suorum exempla præiudicant. Dein si quis memoratarum condicionum laqueis irretitus ad militiam armatam per subreptionem vel inlicitum patrocinium transierit, & id curia ex qua tiro ortus est, per decennium iugiter siluerit, vt is qui in castris sine aliqua fortunæ pristinæ conuentione incessanter stipendia meruerit designata, & strenue susceptis armis insudauerit, minime conueniatur vlterius, sed priuilegia & præmia viri fortis expectet, &c. Dat. XV. Kal. Iun. Constp. Asclepiodoto & Mariniano VV. CC. CONSS.

XXVIIII. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Florentio PF.P.

Hij quorum nomina excellentiæ tuæ suggestio conprehendit, omnésque qui exprimipilariis ex quacunque prouincia quamlibet militiam contra licitum præsumpserunt, etiamsi obtinuisse eam speciali adnotatione nostræ indulgentiæ videantur, spoliati cingulo ad priorem statum & cõdicionem pristinam reuocentur, omni aditu cuiuslibet dignitatis ita huiusmodi condicioni præcluso, vt non solum impetratis iam beneficiis careant, verumetiam si quid postmodum elicere temptauerint, id omne in inritum deuocetur. præceptis enim vestris & publicis vtilitatibus in perpetuum debent esse subiecti, nec exsequendarum necessitatum munia declinare. Dat. VI. Id. Iul. Constp. Felice & Tauro CONSS.

XXX. Idem AA. Isidoro PF.P. Post alia. Eodem exemplo Eubulo PF.P. Illyrici.

Si cohortalis apparitor aut obnoxius cohorti ad vllam posthac adspirauerit dignitatem, spoliatus omnibus impetrati honoris insignibus, ad statum pristinum reuocetur, liberis etiam in tali eius condicione susceptis fortunæ patriæ mancipandis. Si qui vero cohortalis vel subiectus cohorti vllam ante hác legem gessit militiã, aut cœptam dudum etiam nunc gerit, aut causidicinam in foro amplissimæ præfecturæ Orientis atque Illyrici vel vrbano profitetur iudicio, in eodem latarum pridem Constitutionum sanctio obseruetur. Post hanc verò legem si quis ex his ausus fuerit vllam affectare militiam, nulla præscribtione temporis muniatur, sed ad condicionem propriam retrahatur, ne ipse vel eius liberi post talem ipsius statum procreati, quod cohorti debetur, valeant declinare. Dat. III. Non. April. Constp. Isidoro & Senatore CONSS.

De cursu publico, angariis & parangariis. *Tit. V.*

I. Imp. Constantinus A. ad Constantium.

SI quis iter faciens bouem non cursui destinatum sed aratris deditũ duxerit abstrahendum per stationarios & eos qui cursui publico prę̃sũt, debito vigore correptus aut Iudici si prę̃sto fuerit offeratur, aut magistratibus municipalibus conpetenti censura tradatur, eorúmque obsequio transmittatur, aut si eius fuerit dignitatis, vt nequaquam in eum deceat tali vigore consurgere, super eius nomine ad nostram clementiã refe-

referatur. qui enim explicauerit mansionem, si forte boves non habuerit, inmorari debet, donec fuerint exhibiti ab his qui cursus publici curam egerunt, nec culturæ terræ inseruientes abstrahere. Acc. XI. Kal. Feb. Caralis, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. CONSS.

II. Idem A. ad Titianum.

Quoniam plerique nodosis & validissimis fustibus inter ipsa currendi primordia animalia publica cogunt quidquid virium habent, absumere, placet vt omnino nullus in agitando fuste vtatur, sed aut virga aut certe flagro, cuius in cuspide infixus breuis aculeus pigrescentes artus innocuo titillo poterit admonere, non vt exigat tantum quantum vires valere non possunt. Qui contra hanc fecerit sanctionem promotus regradationis humilitate plectetur, munifex pœnam deportationis excipiat. Dat. Prid. Id. Maij, Sabino & Rufino CONSS.

III. Idem A. ad Acindinum PF. P.

Præsidibus & rationalibus ceterísque quibus propterea respublicę & annonas & alimenta pecoribus subministrant vsurpandi agminalis seu parauaredi licentia derogetur: quibus illud quoque licere non patimur, ne quid de prouincialibus citra ordinem poscant, nisi hij tantum quorum fides cognita est, cùm vsus necessitatis exegerit. vestræ verò grauitatis vbi ratio exegerit cursus publicus præsto est, quibus si à publico itinere aliqua militari via deuertendum fuerit, vbi euectio non erit, publicis vtemini agminalibus, sed modicè & temperate tantum ad vsum proprium necessariis. Quæ res si neglecta fuerit, vobis æstimationis vestræ notam incurrentibus, præsides periculum sustinebunt, cum super hac re exploratores iam missi sint. Quæ enim mala nostris prouincialibus inferantur, conici ex eo etiam potest, quod nostris itineribus quos publica vtilitas monet, magna atque anxia dispositione vix vicenorum agminalium numerus subministrari queat. PP. XV. Kal. Mart. Const. A. VII. & Constantio Cæs. CONSS.

IIII. Idem A. Menandro.

Certis nuntiis compertum est, quod plures veluti sibi ac necessitatibus propriis petitas angarias taxato pretio distrahunt. quamuis itaque rarò posthac & non nisi merentibus euectiones præbendæ sint, omnes tamen qui vbique sunt, cursus publici obseruatione destricti, inquirant si quis in hoc genere criminis possit intercipi, vt emptor & venditor in insulam relegetur: illis etiam, qui obseruare iussi sunt, pro dissimulatione vel neglegentia idem supplicium luituris. Non improbum tamen est, si is qui angarialem habet copiã ad tutelam vitæ vel laborem adeundum itineris pro solatio sibi quendam sociauerit. namque hoc factum meretur veniam, nec latere poterit explorantes, illud pœna superius dicta plectendum est. Super qua re proconsules, Rectores prouinciarum, præfectos vehiculorum, adque omnes, qui cursui publico prę sunt, admoneri conueniet. Dat. X. Kal. Iul. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. CONSS.

V. Idem A. ad Musonianum PF. P.

Iamdudum nostræ clementiæ iussa exsistunt, vt Rectoribus prouinciarum euectionum faciendarum copia denegetur, quoniam cursui publico magna infertur pernicies, si hæc licentia latius panderetur, ideóque hoc ipsum repeti-

mus quod ante placuerat, ac iubemus eos auctoritatis tuæ litteris commoneri, vt iussis parere festinent. Dat. VIII. Kal. Aug. Const. A. VII. & Constantio C. CONSS.

VI. Idem A. Magno agenti vicariam præfecturam.

Hoc interdicto prohibemus, ne quis agminales ac parauередos æstimet postulādos. in eos enim qui hoc temere præsumpserint, vindicari acrius oportebit iussione nostra cunctis prouincialibus intimata. Dat. Kal. Aug. Constantino A. VII. & Constantio C. CONSS.

VII. Imp. Constantius A. Olybrio Proc. Afric.

Parauередorum exactio patrimonia multorum euertit, & pauit auaritiam nōnullorum. Ideóque prælata iussione nostra prouinciarū Rectores excellētia tua commoneat, vt exceptis Agentibus in rebus, qui ad mouendum militem mitti consuerunt, quisquis alius parauередum exegerit, non ei cedat inpune, sed nec illi qui dederit. Dat. III. Non. Aug. Antiochiæ, Cōstantio A. VII. & Constantio Cæs. Conss.

VIII. Idem A. ad Taurum PF. P.

Euectiones ab omnibus postulentur quacunque conspicui fuerint dignitate. non enim debet esse vnquam efficax vsurpatio, quæ possit animalibus publici cursus inferre perniciem. Quod si quis putauerit esse resistēdum, & sine euectione iter facere detegitur, vbi repertus fuerit, eundem iussimus detineri, ac de eius nomine ad prudentiam tuam & ad Musonium clarissimum virum comitem & magistrum officiorum referri statuimus, redæ mille pondo tantummodo superponi, birotæ ducenta, veredo triginta. non enim ampliora onera perpeti videntur. octo mulæ iungantur ad redam æstiuo videlicet tempore, hiemali decem, birotis trinas sufficere iudicauimus, adque hæc cūcta regionibus præstitutos curare præcepimus, pœna eis proposita. Dat. VIII. Kal. Iul. Med. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæsare II. CONSS.

VIIII. Idem A. ad. Taurum PF. P.

Miranda sublimitas tua nullos euectioni dies addendos esse cognoscat, nec passim redarum tractorias vel euectiones birotum faciat, & Agentibus in rebus tua sublimitas tribui vel fieri euectionem vetamus. sufficere namque posse confidimus, quæ hisdem à nobis vel magistris officiorum comitatus nostri iussis necessaria habita ratione præbentur. Dat. VIII. Id. Decemb. Med. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæsare II. CONSS.

X. Idem A. ad Flauianum Proc. Africæ.

Nulli decetero subiunctorio priuato animalia publica præbeantur, nec rei huiusmodi facultas mulionibus relinquatur, sed penitus conquiescat. Dat. VI. Kal. Nouemb. Sirmio post CONSS. Constanti A. VIIII. & Iuliani Cæs. II.

XI. Idem A. Helpidio PF. P.

Ne quis post hanc legem amplius quàm duas angarias & hoc eorum si qui ægri sunt causa vsurpare conetur, cùm ad destinata proficiscitur, ita tamen, vt pro singulis angariis bina tantum boum paria consequantur. Si qui post hanc legem amplius mouerit, in maximam se reprehensionem sciat esse venturum. Dat. XVI. Kal. Decemb. Indictione IIII.

XII. Imp. Iulianus ad Mamertinum PF. P.

Quoniam cursum publicum fatigauit quorundam immoderata præsumptio

ptio & euectionum frequentia,quas vicaria poteſtas & præſidum atque conſularium officia prorogare non deſinunt, curam ac ſollicitudinem huius rei nos ſubire conpulſi faciendarum euectionum licentiam cunctis abduximus. Exceptis igitur vobis nulli euectionem licebit facere de cetero, ſed vt neceſſitates publicæ impleantur, vicariis denas vel duodenas euectiones manu mea perſcribtas ipſe permittam. Præſidibus verò binas annuas faciat veſtra ſublimitas, quibus ad ſeparatas prouinciarum ſecretáſque partes neceſſariis ex cauſis officiales ſuos dirigere poſſint. Sed his quoque noſtra etiam manſuetudo euectiones ſingulas dabit, vt ad nos referre poſſint, cum id fieri neceſſitas quædam exegerit. Acc. VIII. Kal. Mart. Syracuſis, Mamertino & Neuitta CONSS.

XIII. Idem A. ad Mamertinum PF.P.

Ad ſuggeſtionē comitis adque eorum,qui largitionibus præſunt,inlationi ſpecierum largitionaliū conpetētes euectiones Rectores prouinciarum cùm abſit vicarius facere debēt:quod vniuerſis Rectoribus tua ſublimitas indicare non differat. Acc. XII. Kal. Iul. Mamertino & Neuitta CONSS.

XIIII. Idem A. ad Mamertinum PF.P.

Qui contra adnotationem manus noſtræ plures quam euictio continebit, veredos crediderit vſurpandos, capitalem rem feciſſe videbitur. Etſi inſtantis neceſſitatis gratia non retineatur quis, tamen ille ſit ad cenſuræ tuæ cum ad ſerenitatis noſtræ conſcientiam referendum eſt.& quāquam quid ſit parhippus & intelligere & diſcernere ſit procliue,tamē ne fortè interpretatio deprauata aliter hoc ſignificet,ſublimitas tua noſcat parhippum eum videri, & habendum eſſe,ſi quis vſurpato vno vel duobus veredis quos ſolos euectio continebit,alterum tertiúmve extra ordinem commoueat. Nihil autem intereſſe debet,nec ad crimen vocari,vtrum Agens in rebus ſuo,án ne mulionis itineri ſubiugando modò euectionis datæ formam & licentiam non excedat. Dat. V. Id. Sept. Mamertino & Neuitta CONSS.

XV. Idem A. ad Auitianum Vicarium Africæ.

Mancipium curſus publici, diſpoſitio proconſulis, forma teneatur. neque tamen ſit cuiuſquam tam inſignis audacia,qui parangarias aut parauer edos in ciuitatibus ad canalem audeat commouere,quominus marmora priuatorum vehiculis prouincialium transferātur,ne otioſis ædiū cultibus prouincialium patrimonia fortunæque lacerentur. Dat. VII. Kal. Nou. Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Salluſtio CONSS.

XVI. Idem A. ad Mamertinum PF.P.

In prouincia Sardinia,in qua nulli pæne diſcurſus veredorum ſeu parauer edorum neceſſarij eſſe noſcuntur,ne prouincialium ſtatus ſubruatur,memoratum curſum penitus amputari oportere decernimus, quem maxime ruſtica plebs id eſt pagi contra publicum decus tolerarunt. Excellens igitur auctoritas tua officio præſidali neceſſitatem tolerandæ huiuſmodi exhibitionis imponat,aut certè ſi hoc exiſtimāt oneroſum,ſuis animalibus vti debebūt, quotiens eos commeare per prouinciam neceſſitas publica perſuaſerit. Sane angariarum curſum ſubmoueri non oportet propter publicas ſpecies, quæ ad diuerſos portus deferūtur. Proinde conſiderata rerum neceſſitate, pro locorum ſitu atque itineris qualitate tantum numerum angariarum collocari oportere

decernas, quantum necessarium esse adhibitæ plenissimæ deliberationes suaserint. Dat. VII. Kalendas Decemb. Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Sallustio CONSS.

XVII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Menandrum.

Vehiculis nihil vltra mille librarum mensuram patiemur inponi, ita vt veredariis, vt habeant quod his triginta libras equis vehere concessimus. quidquid igitur supra mensuram exsuperare constiterit, ad dispẽdium eius qui in legem conmiserit, fisco conueniet adscribi. Illud sanè, vt penitus enormium vehiculorum vsus intercidat, sanciendum esse decernimus, vt quisquis opificum vltra hanc quam præscribsimus normam vehiculum crediderit esse faciendum, non ambigat sibi si liber sit, exilij pœnam: si seruus, metalli perpetua supplicia subeunda. Dat. Prid. Idib. Mart. Med. Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

XVIII. Iidem AA. ad Mamertinum PF. P.

Si quando præpositus largitionum species transmittendas necessarias esse suggesserit, ac breuem diuersarum † specierum cui subuectio † vehiculorum poscitur designauerit, à præsidibus diuersorum officiorum euectio competens præbeatur. illud etiam sublimitas tua obseruari omni cautione præcipiat, ne amplius in singulis quibusque carp ẽtis quam bini aut vt summũ terni homines inuehantur, quos tamen directarum rerum custodes vel prosecutores esse constiterit. Dat. III. Id. Maij, Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

ſe directarum. ſe directorum.

XIX. Iidem AA. ad Symmachum P.V.

Magnifica sedes tua euectionum faciendarum arbitrium in publicis tantum causis vsurpet. Verum ingenti procurabitur cautionè, ne parum considerata facilitas ita publicis incipiat visceribus imminere, vt fatigatione nimia pœnitentiam huius concessionis suscipere cogamur. Dat. VIII. Kal. Iul. Philippopolim, Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

XX. Iidem AA. ad Florianum Comitem R.P.

Iuxta Diui Iuliani consultissimam legem ad transferendas largitionum res necessarias competentia Iudices euectionum subsidia perferant. Illud quoque adiectum est ne quidquã oneris vehiculis publicis cumulatius quam ratio fiscalis posceret superponeretur, si quidem nõ amplius in singulis quibusque vehiculis quam binos aut vt summum ternos sedere præceptum sit. Dat. Prid. Id. Septemb. Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

XXI. Iidem AA. ad Artemium.

Competenti ratione prohibemus, ne hi qui familiæ præsunt nouum rapinarum aut fraudium genus exerceant, vt pro rotarum tritura ac ministeriis pecuniam ab angariarũ præbitoribus poscant. Pro rotis igitur & pro angariis præbitores dispendia nulla patiantur. Dat. III. Kal. Oct. Aquileiæ Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

XXII. Iidem AA. ad Volusianum P.V.

Cunctos Iudices laudanda tua sinceritas monebit, vt minime quosque trãsire patiantur antequam seriem euectionis aspexerint, & congrua subnotatione dimiserint. Sane cuiuscunque fuerit dignitatis qui nostra interdicta calcauerit, retẽtetur, dum super ipsius nomine ad mansuetudinem nostram querela

rela dirigatur,cui vindicta non deerit. In eos autem protinus vltio competēs exſerenda eſt,quos ſinceritas tua pro loco gradúque militiæ ibidem coerceri poſſe crediderit.Prætcrea illud adiungimus vt parhippum vel auertarium nullus accipiat,nullus impune præſumat,niſi eum noſtræ ſerenitatis arbitrio aliqua neceſſitate cogēte vir inluſtris magiſter officiorum textui euectionis addiderit. Prolata literis ſub die XII. Kal.Mart.Rom.Accepta IIII. Kal.Apr.Venabri,Conſulatu Valentiniani & Valentis AA.

XXIII. Iidem AA.Mamertino PP O.

Ad procurationem clabularij curſus eligendi ſunt ex eo hominum genere, qui in prouinciis comitiuæ & præſidatus,aut rationū epiſtulis honorariis nixi ab omni ſe ciuilium & publicorum officiorum miniſterio remouerunt:his tamen ab hac moleſtia ſegregatis, qui legationum reuerentia principalium beneficiorum iudiciis honorem ipſis principibus tradentibus ſunt adepti,vel qui emeritis officiis palatinis miſſione donati ſunt. Locandi autem erunt per ſingulas manſiones vel longius vt ſinceritas tua procurationem eorum exiſtimauerit porrigendam.in quo negotio ſi quid neglectum ſecúſve geſtum fuerit,ad eorum quidquid peccatū erit crimen inuidiámque referetur.Quanto autem tempore vnuſquiſque iniuncti officij ſarcinam debeat ſuſtinere,celſitudinis tuæ arbitriis relinquimus ſanciendum : qui viri & euectiones commeantium exactiſſima cura inſpicere debebunt,& animalibus alimenta quæ fiſcus noſter ſuggerit miniſtrare. Dat. VI. Id. Mart. Mediol. Valentiniano & Valente AA.CONSS.

XXIIII. Iidem AA.ad Buleforum Conſularem Campaniæ.

Nonnullos id agere compertum eſt, vt ſi fortè † detecta fuerint animalia, quæ vehiculis deputata ſunt,veredorum numerum qui alteri ſeruiunt neceſſitati ad redas quibus vtuntur vſurpent.Hanc licentiam per mancipes locorum omnifariam prohiberi conueniet,vt ſi quis extiterit,qui formam noſtræ ſanctionis excedat,cuiuſcumque fuerit dignitatis tamdiu reſiſtere ac reſidere cogatur quamdiu animalia quibus iter peragat reuertantur. Dat.VIIII.Kalend. April.Med.Valentiniano & Valente AA.CONSS.

† eg. defecta

XXV. Iidem AA. ad Symmachum correctorem Lucaniæ & Brittiorum.

Compertum eſt vſurpatione quorundam in publici curſus damna graſſante,ab itinere ſolito deuiari.proinde ſi quis iter faciens cuiuſcumque dignitatis fuerit militans ab itinere recto deuerterit,quingentis paſſibus pœna in eū competens proferatur,& ad noſtram ſcientiam referatur.Dat.VIII.Kal.April. Med.Valentiniano & Valente AA.CONSS.

XXVI. Iidem AA.ad Mamertinum PP O.

Curſus mancipes clabularij ex quo genere hominum debeāt ordinari apertiſſima lege decreuimus,quorum ſi prædictæ numerus functioni non potuerit occurrere,curiales ad hoc munus ſunt vocandi. Dat.VI. Kal. Mai,Valentiniano & Valente AA.CONSS.

XXVII. Iidem AA.ad Fortunatum Conſularem Pannoniæ Secundæ.

Neque plures parhippos dimittendos, nec emenſis euectionibus dandam cōmeandi cuiquam facultatem grauitas tua cognoſcat. In eo autē ne admonitionem quidem adhibendam putamus, vt à nullo omnino curſus publicus

ſine euectionis auctoritate moueatur. Dat. v. Kalend. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XXVIII. Iidem AA. ad Probum PP Ō.

Quod iam Gallis prodeſt, ad Illyricum etiam Italiæque regiones conuenit redundare, vt non amplius reda quam mille pondo ſubuectet, & angariæ mille quingenta ſufficiat, veredo vltra triginta nullus imponat. Directa v. Kalen. Ian. Sirmio Valentiniano & Valente AA. CONSS.

XXIX. Iidem AA. ad Domnum Conſularem Siciliæ.

Hi tantum parhippum præſumant quibus nos ipſi in euectione quam facimus veredum cum parhippo tribui iuſſerimus. Si quis vero citra noſtræ adnotationis indultum id licenter exegerit, ſeueriſſimæ ſubiaceat vltioni. Dat. IIII. Non. Decemb. Triueris, Poſt Conſ. Lupicini & Iouini vv. cc.

XXX. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Viuentium PP Ō.

Perſpicue ſanxeramus, vt in carpentis redarum menſuram ſubditam nullus excederet, & nemo amplius redæ quam mille pondo, angariæ, quam mille quingēta, veredo quam triginta auderet imponere. ideóque ad Inl. Magiſtros equitum & peditum ſcripta porreximus, vt per loca quæ huiuſcemodi obſeruationis excubiis munienda ſunt, ſollicitos protectores diligentéſque conſtituant, quo idem & menſuram vehiculorum & vim onerum ſemper inſpiciant, nihilque fieri contra hæc iura patiantur. Quinetiam quotienſcunque aliquis fuerit inuentus exceſſiſſe legem vel vehiculi inormitate vel ponderis: quemlibet locum, quamcumque ille protulerit dignitatem, quidquid vltra menſuram eſſe conſtiterit, apud ſe protector qui inſolentiam depræhenderit retentabit, donec ſuper eo qui interdicta contempſerit ad clementiam noſtram relatio dirigatur. Dat. VIIII. Kalend. Octob. Valentiniano & Valente II. AA. CONSS.

XXXI. Iidem AA. ad Catafronium Vic. Ital.

Nec mulionibus nec carpentariis nec mulomedicis curſui publico deputatis mercedem à quoquam ſinceritas tua fuerit † miniſtrari, cum iuxta publicā diſpoſitionem annonas & veſtem quā hiſdem credimus poſſe ſufficere conſequantur. & cetera. Dat. XVIII. Kalend. Septemb. Triueris, Valentiniano & Valente III. AA. CONSS.

† *rẽ. faciat*

XXXII. Iidem AAA. ad Ampelium.

Euectionum copiam Senatui cum proficiſcendi ad nos neceſſitas fuerit ſerenitas noſtra largita eſt. Nam ſi adclamationibus populi Romani noſtri aliiſque antiquis & ſollemnibus rebus conceſſa iugitas inlibata ſeruatur, prouincialibus etiam quando è re eſſe cenſerent euectionum copia non negata eſt, vt ad nos ſumpta euectione contendant, quanto magis huius arbitrij his facultas eſt deferenda quos collegij merito videre frequentius cupimus? Dat. III. Id. Decemb. Triuer. Gratiano A. II. & Probo CONSS.

XXXIII. Iidem AAA. ad Conſtantium.

Euectionum emittendarum etiam per ceteras prouincias duntaxat in tranſlationem veſtium tua ſinceritas habeat facultatem, vt ſi fortè in itinere vicarius non fuerit, cum veſtes eædem transferuntur, tarditas nulla generetur, certe vbi idem vicarius forte morabitur aut dimittet tuas aut alias ipſe renouauit.

&

& hoc quidem eo constituitur exemplo quo aurum argentúmque transfertur, in quo vtique nullum euectionibus tuis adfertur obstaculum, quominus id quod trásmissum fuerit, ad loca statuta perueniat. Eædem autem vestes militares vsque ad ea loca sunt transferendæ vbi ipsi milites sunt cõstituti. neque enim paulo deuerticulo abducendi sunt ab excubiis sibi pro publica vtilitate commissis. tales igitur vestes à prouinciis dirigantur, quæ priusquam mouentur inspectione grauitatis tuæ displicere non possint. Dat. VI. Id. Iul. Robore, Gratiano A. III. & Equitio V.C. CONSS.

XXXIIII. Iidem AAA. ad Hesperium PP ō.

Quia in omnibus aliis prouinciis veredorum pars quarta reparatur, in proconsulari prouincia tantum detur quantum necessitas postulauerit, & quidquid adsumptum non habuerit, hoc nec pro debito habeatur, nec à prouincialibus postuletur. Non dubitamus autem plus quam quartam ad reparationem necessariam, non esse iumẽtorum: præterea in singulis mutationibus arbitramur ternis veredis muliones singulos posse sufficere. nam vt stabula impensis publicis extruantur contra rationem est, cum prouincialium sumptu citius arbitremur & vtilius adparanda. Iam vero mancipum nõ ab ordine, nec à magistratibus accipienda videntur obsequia, sed ab officio proconsulari qui missione donantur, vel ex aliis officiis, quos idoneos atque emeritos esse constiterit. non enim improbabilis hæc dispositio est, cum & in cubiculariis regionibus hæc consuetudo seruetur. Dat. III. Kal. Mart. Triueris, Gratiano A. IIII. & Merobaude CONSS.

XXXV. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Ausonium PP ō.

A nullo vnquam oppido aut frequenti ciuitate mansione denique atque vico vno die vltra quinque veredorum numerus moueatur, ac si quis eorum qui præpositi vocantur aut mancipes, publico denique cursui nomine aliquo præsunt, hunc quem præscribsimus modum patiatur excedi, seuerissimæ sinceritatis tuæ auctoritate compescetur, aut militans exauctoritatem subibit, aut decurio vel manceps relegatione annua plectetur. Hi autem qui suprascribtum numerum supergredi molientur cuiuscunque sint honoris aut nominis, quinque argenti libris in vnius veredi vsurpatione multentur. Si tamen necessitas maior coegerit, super sollemnem numerum iubemus admitti, quos aut sacras literas ferre cõstiterit, aut habere in euectionibus adnotatum, vt aliqua de causa instantius ire iubeantur, quod vel spectabilis viri officiorum magistri vel sinceritatis tuæ literis oportebit adscribi, vt exsistet euidens causa quæ præscribtum legis excedat. In vehiculis etiam hac volumus ratione moderari ne supra assium numero redamoueatur. quod facinus sublimis auctoritas tua si contra vetitum cernat admitti, pro motu suo seueritate cohibebit. Dat. XII. Kal. Mai, Triuer. Valente VI. & Valentiniano II. AA. CONSS.

XXXVI. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Syagrium PP ō.

Mancipibus supra lustrale tempus cura non immineat mancipatus, nec intra triginta dies amplius cuiquam liceat ex mutatione discedere. quod si quis supra præscribtum numerum dierum ab statione quam receperit excesserit,

capitali animaduersione puniatur. idcirco enim quinquennio deuoluto eos honorem perfectissimatus manere pręcipimus, omniúmque aliarum necessitatum inmunitate fouemus, vt tempus procurationis impositæ solerti fide & integritate succedant. Dat. III. Kalend. Martias, Syagrio & Euchério CONSS.

XXXVII. Iidem AAA. ad Palladium PF. Aug.

Eum qui sagum hippocomorum notabili populatione voluerit vsurpare vel scindere, cuiuslibet fuerit dignitatis sine aliqua exceptione iubeas detineri, vt cum de eius nomine relatio fuerit destinata, quid super eius contumacia statuendum sit opportunius æstimemus. Dat. Prid. Id. Mai, CP. Antonio & Syagrio CONSS.

XXXVIII. Iidem AAA. Floro PP O.

Proficiscente vicario XXX. asini, veredi decem tantummodo moueantur, quinquaginta librarum auri dispendio eius officio si hæc fuerint contempta non immerito subiugando. illud etiam similiter obseruetur, ne quis faciendæ euectionis sibi vindicet facultatem. Dat. VIII. Kal. Mai, CP. Antonio & Syagrio CONSS.

XXXIX. Iidem AAA. Floro PP O.

Quisquis seu ciuili seu militari deposita dignitate aget otium, non prius vsquam fiducia euectionum prodeat, quam edictis causis nostra maiestate consulta vtendi itidem cursus publici acceperit potestatem. reliquos vero etiamsi expresserint tali tenore copiam latius euagādi, à fructu furtiuæ impetrationis arcemus. Dat. XVII. Kal. Aug. CP. Antonio & Syagrio CONSS.

XL. Iidem AAA. Floro PP O.

Faciendæ euectionis copiam denegamus, cum id nostro numini & vestris tantum sit potestatibus reseruandum. his enim tātum ambulandi facultatem Iudices ex suo arbitrio præbituri sunt, quos in transmissione largitionalium titulorum prosecutores viderint constitutos, sciturí si definitionem nostram excesserint, se quidem viginti quinque auri libris, officiū vero quinquaginta esse multandos. Sane vt etiam agēdi itineris possit esse moderatio, seni veredi, singulæ etiam redæ per dies singulos dimittantur. Dat. x. Kalend. Aug. CP. Antonio & Syagrio CONSS.

XLI. Iidem AAA. Filagrio Com. Or.

Capitalis periculi acerbitate proposita, euectionum contractus asinorúmq; merces, & ementis & distrahentis pœna prohibemus. PP. Byrito. Dat. XII. Kal. Octob. Antonio & Syagrio CONSS.

XLII. Iidem AAA. Constantiano vicario diœceseos Ponticæ.

Reparationis conlatione ab officialium persona submota, idoneos mancipes constitutos quinquennij tempus implere præcipimus. Dat. III. Kal. Ianu. CP. Antonio & Syagrio CONSS.

XLIII. Iidem AAA. ad Neoterium PP O.

Quibus ius ante non fuit euectionum faciendarum moderatione Reipub. prosciant. I Inl. enim viri militię equestris ac pedestris magistri qui hac vsurpatione caruerunt, multo in posterum patientius abstinebunt, cum & amantes Reip. sint, & circa communes vtilitates nostris sibi animaduertant moribus esse viuendum. Dat. Kal. Feb. Richomere & Clearcho CONSS.

Y'icarij pro se sciant abstinendum

XLIIII. Iidem AAA. Cynegio pp o.

Nullus euectione vtatur priuatus, tametsi valuerit impetrare, exceptis his quos sublimissimæ administrationis inlustrauit indeptio, & quos magistri equitum ac peditum pōpa sublimat, qui tamen omnes in actu ipso positi Reip. prouiderunt, non hi quos honorarij tantum nominis suffragia prosequūtur, sub hac videlicet definitione, vt cum semel ad propria vel optata peruenerint, vtendæ eiusdem euectionis non habeant facultatem, nisi cōsulta iterum clementia nostra geminæ hisdem beneficium detulerit largitatis, etiamsi administratione deposita ad larem proprium reuertuntur. Dat. VI. Non. Mart. CP. Richomere & Clearcho CONSS.

XLV. Iidem AAA. Cynegio pp o.

Nullus numerū amplius quam singulas vel binas angarias secundum prius nostræ præceptum serenitatis vsurpet. Dat. IIII. Id. April. CP. Richomere & Clearco CONSS.

XLVI. Imppp. Valentinianus Theodosius & Arcadius AAA. Cynegio pp o.

Diuersorum officiorum veterani mancipatum debitum cursui publico repræsentent, etiam si post contra vim legis aliquam indepti sint dignitatem, aut per suffragium ad curiarum honorarium patronatum, aut ad societatem consortiúmque Laurentum, aut ad decuriæ Herculeæ suffragium adspirasse doceantur. In his vero qui non terrena sed celestia priuilegia quæsiuerunt, hoc custodiendum esse sancimus, vt si quemquam ex huiusmodi genere hominum iam tenet religio sacrosancta, eiúsque operam non potest accipere mancipatus, facultates memorati cursus publicus cōsequatur. Dat. v. Id. April. Med. Arcadio A. I. & Bautone V. C. CONSS.

XLVII. Iidem AAA. Cynegio pp o.

Redæ mille librarum onus imponi debet, carro sescentarum, nec amplius, addito eo vt aurum ceteræque species largitionales non ad libidinē prosecutorum vel susceptorum, sed aptis oneri ac ponderi vehiculis deferantur, quibus vtique nō licebit sub capitalis exitij minis quicquam oneris priuati secus quam lex nostra præscribit imponere, neque alios mercede subuehendos veluti proposita licitatione conducere, exceptis his quos necessitas prosecutionis adiunxerit, & quoniam veredorum quoque cura pari ratione tractāda est, sexaginta libras sella cū frenis, XXXV. vero auerta non transeat, ea condicione, vt si quis præscribta moderaminis imperatorij libramenta transcenderit, eius sella in frusta cedatur, auerta vero fisci viribus deputetur. Dat. XV. Kal. Iul. CP. Arcadio A. I. & Bautone CONSS.

XLVIII. Iidem AAA. Cynegio pp o.

Si aurum sacrarum largitionum vel argentum ad comitatum nostrum destinatur, vna reda quingentis auri libris, mille vero argēti, si vero priuatarum, auri tricentis, quingentis vero argenti libris oneretur. Sint præterea duo palatini prosecutores singularum redarum cum tribus seruis, habētes quinquagenarum librarum auertas & saga, quibus par erit eos pro itineris necessitate muniri, ita vt si quid vltra perscribtum nostræ serenitatis inuentum fuerit, ad comitatum nostrum protinus dirigatur. Lineæ vel amictoria quibus hactenus onerari redæ solebant, nec vlterius redis, sed angariis vel nauibus dirigantur.

& si alicubi repertæ fuerint, huiusmodi species thensauris eius vrbis in qua deprehensæ fuerint deputentur per angarias vbi facultas fuerit destinandæ. reliquæ vero delicatæ vestes. sed & linteamen amictorium nostrorum vsibus necessarium, redis sub mille librarum ponderatione mittantur. Dat. IIII. Non. Mart. CP. Honorio NB. P. & Euodio CONSS.

XLIX. Iidem AAA. Cæsario magistro Officiorum.

Hi qui prouinciis præsunt, inspectis euectionibus ex quacunque parte venientium, ad vehiculorum vicem, comites quatuor veredos cum parhippo, tribunos militum ternos mouere permittãt, ceteros domesticos protectores & Agentes in rebus binis vti tantummodo patiantur. Dat. III. Non. Septemb. Valentiæ, Timasio & Promoto CONSS.

L. Iidem AAA. * PP O.

Non patimur hippocomos per eos qui veredis vterentur indigna spoliatione vexari, siquidem nonnullis veredarij saga eorundem dicantur auferre. quocirca per omnes Iudices & curiosos miserabilis remoueatur iniuria: scientibus cunctis quod si obseruata non fuerit nostra sanctio, non solum damna resarcire, verumetiam notam & multam qui neglexerit subire cogetur, vt his retentis qui fuerint detecti hippocomis saga abstulisse, super eorum nominibus ad nostram clementiam referatur. PP. XV. Kal. Iul. Triueris, Valentiniano A. IIII. & Neoterio CONSS.

LI. Iidem AAA. Potamio Præf. Aug.

Publici cursus exhibitio antiqua ex consuetudine inducta curialibus viritim per curias debet pensata locorum, hominum, facultatum qualitate distribui. Dat. III. Kal. Aug. CP. Arcadio A. II. & Rufino CONSS.

LII. Iidem AA. Rufino PP O.

Faciendarum euectionum licentiam in excidium publici cursus à Comitibus Ægyptiaci limitis vsurpatam sublimis magnitudo tua auctoritate huius legis inhibebit. Dat. VII. Kalend. April. CP. DN. Theodosio A. III. & Abundantio V. C. CONSS.

LIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Dextro PP O.

Quia comperimus quosdam animalia publica subtraxisse, ea per inquisitionem mulionum & mancipum volumus redhiberi, atque ideo per muliones & mancipes, nisi animalia perducta fuerint, diligenti inquisitioni & plenæ cognitioni locus non negetur, & cum manifesta ratione deprehenderit inlicita vsurpatione cursum publicum fuisse vexatum, in quadruplum superductorum animalium pretium inferri censemus. & ne idem etiam in futurum admittatur pręcipimus, vt si qui vel per vnam mutationem veredum mulámve aut bouem superducendum esse crediderit, memoratam fisci viribus multam inferat. Dat. XV. Kal. April. Mediolano, Olybrio & Probino CONSS.

LIIII. Iidem AA. Dextro PP O.

Meminimus euectiones inlustribus viris honori potius quam vsui detulisse. Ne igitur cursus publicus pereat, hac lege sancimus, ne quis sibi deinceps cursum publicum priuatus vsurpet, nisi eum aut nobis euocatur aut à clementiæ nostræ veneratione discedit. Si quis ergo posthac contra vetitum sibi cursum publicum inlicita temeritate præsumpserit, motum in se nostræ mansuetudinis excitabit. &c. Dat. VI. Kal. Mai, Med. Olybrio & Probino CONSS.

LV. Iidem

LV. Iidem AA. Florentino P. V.

Duorum veredorum euectiones te præsumpsisse propria relatione signasti, cuius facti veniam indulgemus, sed nihil tale posthac nec vsurpari volumus nec licere. Dat. XII. Kalend. Mart. Mediolani, Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

LVI. Iidem AA. Simplicio magistro militum.

Sufficiunt Iudicum potestatibus euectiones, quas à nostra serenitate vel sede inlustrium Præfectorum necessitatibus publicis accipiunt seruituras. Insignis igitur auctoritas tua statutis nostræ clementiæ sibi faciendarum euectionum vsurpatam licentiam, negatam fuisse cognoscat. tunc namque metu præceptum custodire oportet Iudices inferiores, cum cognouerint à potioribus custodiri. Si vero posthac eadem culpa permanserit, in officium auctoritatis tuæ graui supplicio vindicabitur. Dat. XV. Kal. Ian. CP. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

LVII. Iidem AA. Remistheo duci Armeniæ.

Repetita lege sancimus ne experientiæ tuæ posthac prorsus sit licentia aut euectiones facere, aut sine euectionibus nostris facultatem cursus publici vindicare, cuius rei temeritatem si posthac laudabilitas tua crediderit esse repetẽdam, scias à te X. lib. auri, X. etiam ab officio quod tuis iussionibus obsecundat protinus exigendas, his tantummodo vtendi cursus publici facultate concessa, qui legati de diuersis generibus ad nostram clementiam properare festinant. Dat. V. Kal. Mart. CP. Cæsario & Attico CONSS.

LVIII. Iidem AA. Vincentio PP Õ.

Si quis mulionem mutationibus deputatum vel sollicitatione vel receptione subtraxerit, per singula capita humana X. libras argenti inferre cogatur, & ne sollicitatoribus & occultatoribus sit vllum in aliqua excusatione perfugium, nec mutari quemquam per compensationis simulationem, vel absolui sub ætatis aut debilitatis alicuius obtentu licebit, ideóque Iudex qui sibi hoc vindicauerit, vt seruũ publicum liberet, vnam lib. auri per homines singulos, officiũ quoque eius, si legem supprimẽdo consenserit, simili pœna multetur. Hæc in futurum mansuetudo nostra constituit. in præteritum autem hoc statuisse sufficiat, vt si muliones publici reperti fuerint, licet senes aut debiles, cum vxoribus suis & omni peculio atque agnatione retrahantur. &c. Dat. XII. Kal. Mar. Med. Honorio A. IIII. & Eutychiano CONSS.

LIX. Iidem AA. Messalæ PP Õ.

Si quispiam parauer edum aut parangariam non ostensa euectione, quæ tamen pro publica facta sit necessitate, præsumpserit, periculo Curatoris siue defensoris & principalium ciuitatum ad ordinarium Iudicem dirigatur, singulas libras auri per singulos parauer edos vel parangarias fisci viribus inlaturus. qua in parte si Rector prouinciæ atque officium eius conludium præbere voluerit, duplum ex suis bonis nouerit exigendum. Dat. XV. Kal. Decemb. Stilicone & Aureliano CONSS.

LX. Iidem AA. Messalæ PP Õ.

Animalia publica dum longe maiore ac periniquo pretio pabula æstimantur, per mancipes atque apparitores aperte vexantur. ne id contingat sublimi-

tas tua disponat, vt neque pabula mutationibus desint, neque prouinciales vltra quam iustitiæ sinit ratio prægrauentur. Dat. v. Kalend. Decemb. Med. Stilichone & Aureliano CONSS.

LXI. Iidem AA. Vincentio PP O.

Macrobium inlicita præsumptione euectiones fecisse constitit, cum necessitas publica non flagitaret, quique multam temeritatis excepit. Ne autem idem in futurum contingat sublimitas tua vicarios admonebit, atque eorum officia interminatione proposita, vt ab huiusmodi vsurpatione nouerint abstinendum. Dat. v. Id. Decemb. Mediol. Stilichone & Aureliano CONSS.

LXII. Iidem AA. Cæsario PP O.

Vsurpationem cursus publici penitus iussimus amputari, scilicet vt excepta magnitudine tua præsumendi velocis & clabularij cursus nullus habeat potestatem. quod si quis Iudicum vel contemptus, vel ignorantiæ vitio scita nostri numinis temeranda censuerit, eius quoque officium quod ei paret, sciat se xxx. lib. auri esse multandum. Dat. III. Non. Febr. CP. Vincentio & Frauitta CONSS.

LXIII. Iidem AA. Prouincialibus prouinciæ proconsularis.

Quoniam multos perspeximus inlicita præsumptione parauer edos vel parangarias postulare, hac lege sancimus vt nulli deinceps vsurpandi licentia cõcedatur, nisi in causa publica vel manifestis euectionibus destinato. Si quis contra fecerit, vna libra auri multetur, & cetera. Dat. prid. Kal. April. Mediol. Vincentio & Frauitta CONSS.

LXIIII. Imppp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA. Septimino Proc. Africæ.

Comperimus prouinciales & pabula & pecuniam pro equorum cursualium sollemni ratione conferre extrinsecus parauer edorum onere prægrauari. Prouinciarum igitur Rectores procurent, ne vmquam cursus publicus veniat in querelam, & occasio deceptionis curialis animalia indebita præstare conpellat. Dat. VII. Kalend. April. Rauenn. D. V. Theodosio A. I. & Rumorido CONSS.

LXV. Idem AAA. Hadriano PP O.

Per stationes singulas idoneos mancipes volumus conlocari, amotis deinceps vsurpantium præsumptionibus adteratur. Dat. IIII. Kalend. Mart. Rom. Honorio A. VI. & Aristeneto CONSS.

LXVI. Idem AAA. Anthemio PP O.

Nemo ducum ingressus semel prouinciam suam postmodum itineribus faciẽdis cursu atque angariis ipse siue suum vtatur officium, sed expeditionem militarem iumentis propriis exsequantur. De cohortalinis etiã officiis eadem lege sancimus, ne quis ex his per prouinciã suam discurrens veredo vti conetur in posterum, cùm sacra prohibitu sanctione cognoscant. Quod si quis ducum vel apparitorum vel cohortalium temerario animo ea quæ decernimus, contemnenda putauerit, per singula animalia, quibus vsus fuerit, singularum librarum auri inlatione multabitur. Dat. IIII. Non. Aug. Constp. DD. NN. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS.

De tra-

De tractoriis & statiuis. *Tit. VI.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Rufinum PF. P.

NEmini ex his qui ex castrensibus muniis absoluti ad domum redeūt post labores tractoria præbeatur à sacro separata iudicio. sed vnusquisque in epistulis nostris quibus ad æui reliqui testimonium singulos sequimur, viaticum conficiendi itineris consequatur. Hanc igitur sanctionem sinceritas tua congrua auctoritate custodiat. Ac si quando aliquis ex hoc genere hominum annonas poposcerit, imperialibus literis sua subscribtione subiecta modum debitæ præbitionis inpertiat. Sed ne quis, vt hactenus factum est, quas superfluas impetrauerit, largiatur aut vēdat, ne quis ad quæstum de hac erogatione capiendum, † vlterius nomen opponat. Missa sub die VIII. Kal. Feb. Rom. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

† forte alterum.

II. Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius AAA. Rufino PF. P.

Tractoriæ cum statiuis solitis bidui tantummodo tempus accipiant. nulli verò penitus cum necessariis præbeantur nisi his tantummodo, qui animalia atque equos sacro vsui necessarios prosecuntur, ita tamen vt his dimissis, in tractoriarum corpore præfinitus quinque dierū numerus adscribatur, vt nullus vltra hoc temporis spatium ad residendum in quo libitum fuerit loco copiam nanciscatur. Dat. VII. Kalend. Septemb. Constantinop. Arcadio A. II. & Rufino CONSS.

De diuersis officiis & apparitoribus & probatoriis eorum. *Tit. VII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Versennium Fortunatum Consularem Aquarum.

PRomotionis ordo custodiendus est, vt primus in officio sit, qui prior fuerit in consequendo beneficio principali. Dat. VIII. Id. Mart. Thessalonicæ, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. CONSS.

II. Idem A. ad Philippum PF. P.

Officiales, quos ex diuersis officiis exprotectoribus epistulas impetrasse constiterit, pristinæ reddi iubemus militiæ. Dat. III. Nonas Nou. Arelato Constantino A. VII. & Constantio Cæsare CONSS.

III. Imp. Constantius A. ad Siluanum Comitem & magistrum militiæ. Post alia.

Vniuersi officiales diuersorum officiorum, qui exprotectoribus epistulas meruerunt, officiis pristinis militiæque reddantur: nec opponant quæsitæ sibi vocabulum dignitatis. Dat. VI. Kalend. Iun. Sirmi, Limenio & Catullino CONSS.

IIII. Idem A. ad VV. CC. PF. P. Post alia.

De cohortalibus adque magistrorum equitum & peditum officialibus iubemus, vt minime decetero adorandam purpuram nostram veniant, nisi si sub armis militiā tolerauerint, & omnibus expeditionib⁹ adfuerint. Dat. Prid. Id. Maij, Constantio A. VII. & Constante II. Cæsare Consulibus.

V. Idem A. ad PF. P. Post alia.

De chartulariis magistrorum equitū & peditum, si quis post vigintiquinque annos obnoxius curiæ fuerit repertus, habeat priuilegium militiæ. Et om-

† *re. pedagogiani*

nes autem, qui probauerint in militia, hij duntaxat qui ministeriales & † dagogiani & silētiarij & decuriones exsistunt, ita vt post quindecim annos minime ab aliquo inquietentur, & cetera. Dat. xv. Kalendas Iun. Constantio A. VII. & Cæsare CONSS.

VI. Idem A. ad PP ō. Post alia.

De largitionalibus comitatensibus & officialibus rationales rerum priuatarum custodiri præcepimus, vt post viginti & quinque annos ad curiam minime reuocentur. Hoc idem de officialibus præfectorum vicariorum obseruari sanximus. De primipilaribus verò quia cursum exhibent, anni decem obseruandi sunt. Officiales enim P. V. propterea quod non exhibent primipili pastionem, post vigintiquinque annos minime persequantur. Quod sane ad logografos pertinet, prius promulgatam legem firmam esse volumus. Dat. Prid. Non. Octob. Constantio A. VIII. & Constante C. II. CONSS.

VII. Impp. Constantius & Constans AA. ad Taurum PP ō.

Instaurata necessaria sanctione id volumus de cetero custodiri, ne vllus quē quam Iudicum probare audeat, vel prouehere. Excipimus tamen officia cursus publici sollicitudinem sustinentia, nec enim tanto muneri adminiculum denegari publica permittit vtilitas. Quæ cum ita sint, ceteris officiis vniuersis eíque quod paret laudabili prudentiæ tuæ nullus nisi nostro exsistente statuto debebit adscribi. Dat. VI. Kalend. Ian. Mediol. Acc. VIII. Id. Iul. Datiano & Cereale CONSS.

VIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PP ō.

Præfecturæ cornicularios, qui annis singulis ex numero deputatorum exeunt post transactos corniculos nostrā adorare purpuram volumus: quo honore perfunctis cùm iam missionem tenuerint, liberum otium damus, vt ad susceptionem vel cuiuslibet necessitatis officium, qui ex corniculario adorauerint, minimè deuocentur. Hæc igitur missio ea habeat priuilegia, quæ veterum principum sanctiones habere constiterit. Dat. III. Kal. Feb. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

VIIII. Idem AA. ad Germanianum PP ō.

Qui de ordinariorū officiis Iudicum vel amplitudinis tuæ exceptis his, qui cornicularij honore perfuncti sunt, vel his qui secundum legem purpuram nostram adorarunt, & inter protectores domesticos vel scholares militant, ad eius quod declinare temptarunt, muneris functionem, & ad necessitates constringantur mancipatus. Dat. VII. Id. April. Remis, Gratiano & Dagalaifo CONSS.

X. Idem AA. ad Viuentium PP ō.

Probabile & celebrandum tuæ sinceritatis examen lege firmamus, quod ex officio tui culminis iners vulgus eiecisti & indignos militia diuersis iussisti inhęrere muneribus. ideóque nulli eorum, quos inlustris præstantia tua propositis publicauit edictis, habendi vel adipiscendi gradum alterum sit facultas. Quinetiā si quis de his vnquam interdictā adfectauerit dignitatem, iniecta manu à quocunque Rectore retrahantur, vt à condicione sententiæ non recedant. Dat. XVI. Kal. Iun. Conplati, Valentiniano N. P. & Victore CONSS.

XI.

XI. Impp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA.
Seuero magistro militum.

Si quando præfectus Prætorio vel Vicarius aut Rector prouinciæ significauerit eum, qui chartis ac ratiociniis publicis inuenitur obnoxius, ad præposituram castri ac militum transisse, retractus illi adsignetur officio à quo ad necessitatem præstandi ratiocinij deuocatur, tamen in reiecti vero loco is potissimum destinetur, cui meritorum adstipulentur insignia. Dat. x. Kalend. Ian. Gratiano A. II. & Probo CONSS. Emensa ad magistros militum & comites & duces omnes.

XII. Iidem AAA. ad Iulianum Proc. Africæ.

Nullum militem à quolibet numero ad stationes agendas per Consulares Byzacenam & Tripolitanam prouincias destinari iubemus, sed probati in obsequiis præsidalibus eius officij, in quo parent, vocabulo cēseantur, nec quicquam his sit cum armatæ militiæ nuncupatione commune. Sed & si quis forte ex his qui in legionibus vel in numeris deputentur, gestādis armis idoneus sit, qui tamen pastui primipili neutiquam obnoxium detegatur, ei cui adscribtus est militiæ, indubitanter iungatur. Dat. III. Kal. Iun. Nasonaci, Accept. VI. Kal. Dec. Modesto & Arintheo CONSS.

XIII. Idem AAA. ad Romanum Comit. Africæ.

Nunquam officiales Iudicum in quolibet militum numero deputentur. probatos enim eius officij in quo parent appellatione congruit nominari. Si qui sane in quolibet numero ex apparitoribus pręsidentium nunc repperientur adscripti, neque pastui primipili deteguntur obnoxij, híque armis gestādis pro statura ac robore corporis idonei sunt, reuocentur ad numeros quibus de more hactenus deputati sunt. Dat. III. Kalendas Iulias, Modesto & Arintheo CONSS.

XIIII. Idem AAA. Titiano Com. S. L.

Nullus thensaurensis vel officialis comitis thensaurorum semel deprehensus euersor quocumque pacto aut repetat militiam suam, aut aliam sibi requirat per ambitum dignitatem, vel sese transferat ad aliam quamcunque militiam. Sed neque hij qui nuper thensaurorum custodiam susceperunt, scriniarij etiam comitum thensaurorum, vel ceteri thēsaurenses alterius militiæ sperent se occasione defendi vel ad honores aliquos dignitatésve transire, sed ea perpetuo tenendos esse militia, qua sunt à principio mancipati. Dat. VIII. Kal. Feb. Antiochiæ, Gratiano A. IIII. & Merobaude CONSS.

XV. Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius
AAA. ad Syagrium P. V.

Qui ab hinc quinquennio desertis propriæ apparitionis obsequiis in ordines indebitos euolarunt, pristinis officiis reddantur, &c. Dat. VII. Id. Oct. Syagrio & Eucherio CONSS.

XVI. Idem AAA. ad Principium PF. P.

Præter eos qui de officio eminentium potestatum numero stipendiorū & curriculis euolutis vrbíque præfecti vicariæ etiā potestatis serenitatis nostræ annis singulis adtingere purpurā, venerarique præcepti sunt, nulli prorsus vel ex numero, vel illorum certe qui Prouincialia officia peregerūt, tranquillitatis nostrę muricem adorare sit liberum omniū suffragiorū obreptione cessante.

Adeo autem vnumquenque ea quibus vel ſponte initiatus eſt, vel ſuorum retinetur conſortio maiorum, non ſinimus ciuilium officiorum ſacramenta defugere, vt etiam ad palatina hos adque Agētum in rebus tranſire vetemus officia, niſi omnibus expeditis, quæ eorum peragi poſcit ordo militiæ. Si quis igitur ea, quæ ſunt ſalubriter cauta, violarit, non ſolum ſe ilico ſciat eſſe retrahendum, verumetiā bonorum media parte multandum, ac mācipatus ſtatim muneri ſubiugandum: ita vt per hoc tempus quod hac lege præſcriptū eſt iuſtius functionis muneri ſe eſſe nouerit eſſe ſubdēdum. Omnes itaque Iudices ciuiles arbitrij tua magnificētia moneat, curam his oportere ineſſe quàm maximam, ne quis apparitionis propriæ deſertorem ad indebitam adſpirare patiatur. Retrahi enim oportet contumacem, ac legis laqueis inplicari. Dat. XIIII. Kal. Octob. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone V.C. CONSS.

XVII. Idem AAA. ad Principium PF. P.

Exceptores omnes Iudicibus obſequētes, qui nec militiam ſuſtinent, neque à fiſco vllas cōſequūtur annonas, abſque metu nauare cœptis operam etiamſi decuriones ſint, minime prohibemus, dūmodo munia proprię ciuitatis agnoſcant, & peracto ſecūdum morem exceptionis officio, ad propriā ſibi curiam redeundum eſſe non neſciant. Dat. IIII. Id. Decemb. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone CONSS.

XVIII. Idem AAA. & Arcadius A. ad Euſignium PF. P.

Nullus ex his quos claruerit militare ſolutus indebita denuo ſacramenta ſuſcipiat. Si quis autem id per obreptionem forte meruerit, quinque librarum auri multetur incommodo. Dat. Prid. Id. Iul. Mediol. Honorio NB. P. & Euodio CONSS.

XVIIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Florentino P. V. Poſt alia.

Cuiuſlibet Iudicis apparitores inter quos etiam Præfectianos locamus, ad quamcumque aliam militiam vel palatinam vel militarem ambiendo trāſierint, retrahēdi hos copiam illis quos deſeruere tribuimus, ita vt viliſſima quælibet officia ac mācipatus quoque ſi modo ab his cui nati ſunt, ordo exegerit, adminiſtrent: in quorum idem ſeruandum quod in curialium ſucceſſione decernimus, vt etiamſi patres hæc fugerint, teneatur agnatio, &c. Dat. XII. Kal. Ian. Med. Cæſario & Attico CONSS.

XX. Impp. Honorius & Theodoſius AA. Gracco P. V.

Quicunque apparitores ob culpam vel neglegentiam fuerint iudicato diſcincti, ad nullam militiam adſpirandi habeát facultatem: nec ex reſcribto his vllus aditus reſeretur, quos congruit pœnę grauiſſime ſubiugari, ſi cōtra inhibita quoque ſacratiſſimis conſtitutis adſpirare præſumſerint. Dat. VIII. Kal. Aug. Rau. Honorio X. & Theodoſio VI. AA. CONSS.

XXI. Impp. Theodoſius & Valentinianus AA. Hierio PF. P.

Nemo aliter ad tuæ ſublimitatis admittatur officium, niſi eum emiſſa ex ſacris ſcriniis probatoria conſecrarit: quod & in ceteris officiis quibus ſimilis erat conſuetudo militiæ, diuerſo quidem modo, ſed pari diligentia ſublimitas tua iubeat cuſtodiri, ſed in his quoque, id eſt virorum ſpectabilium, proconſulis Aſiæ, comitis Orientis, præfecti Auguſtalis, & vicariorum, quos etiam monui-

monuimus sub viginti interminatione librarum auri. Irenarchas quoque & actuarios & cornicularios tam classium vrbis Cōstātinopolitanæ, quàm Thymelæ, equorumque curulium ciuitatum diuersarum, non aliter nisi vt cōsueuerat manus sancxerit principalis præcipiat ordinari. Quin si quis talis sub tua fuerit iudicatione conuictus, profecto inritis his, quæ vetita contrectauit, etiam congruam indignationem incurret. his retentis in suo ordine & gradu militiæ, qui qualitercunque ad præsentem diem admissi sunt, &c. Dat. x. Kal. Iul. Nicomediæ, DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

XXII. Idem AA. Theofilo P. V.

Nemo aliter ad tuæ sublimitatis in postero admittatur officium nisi eum emissa ex sacris scriniis probatoria consecrarit. Actuarios quoque Thymelæ & equorum curulium, suarios etiam & optiones per omnes regiones vrbis Constātinopolitanæ, & alia omnia, quæ vel in militia, vel gradibus actibúsque nutum pro solemnitate priscæ institutionis desiderant principalem, nō aliter nisi vt consueuerat manus sancxerit principalis, præcipiat ordinari. Quin si quis talis sub tua fuerit iudicatione conuictus, profecto inritis his, quæ vetita contrectauit, etiam congruam indignationem incurret. his retentis videlicet & in suo ordine & gradu militiæ, qui qualitercunque ad præsentem diem videntur admissi. Dat. Kalendis Iul. Nicomediæ, Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

XXIII. Idem AA. Acacio Comiti S. L.

Comitum thensaurorum diœceseos prouectiones & ipsos thēsaurenses vetus obseruatio principali dexteræ reseruauit, nec aliter voluit eos vel in Iudicū suorum obedientiam vel in committēdis publicis necessitatibus habere progressum, nisi militiā eis emissa ex sacris scriniis probatoria cōdonasset. Quod ita esse decretum ad notitiam eorum quibus hoc videtur esse cōueniens peruenire tua magnitudo constituet non absque indignatione arbitrium principale passura quorundam temeraria vsurpatione diminui, his retentis videlicet in suo ordine & gradu militiæ, qui qualitercunque ad pręsentem diem videntur admissis. Dat. Kalend. Iul. Nicomedię, DD. NN. Theodosio A. XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

De exsecutoribus & exactionibus. *Tit. VIII.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Florianum Consularem Venetiæ.

DIe solis, qui dudum faustus habetur, neminem Christianum ab exactoribus volumus conueniri, contra eos, qui id facere ausi sint, hoc nostri statuti interdicto periculum sancientes. Dat. XI. Kal. Maij, Triueris, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Potitum Vic.

Quisquis fuerit exhibitus vsque ad negotij terminum ab eo cui primū traditus fuerat, obseruari eum apparitore decernimus. Si qua pręsumptione fuerit hęc mansuetudinis nostræ posthabita præceptio, primiscrinio qui iussa te-

merauerit, quinque librarum auri condemnatione multando. Dat. VIII. Kal. Nouemb. Auxonio & Olybrio CONSS.

III. Idem AAA. ad Principium PF. P.

Solis die quem dominicum rite dixere maiores, omnium omnino litium, negotiorum, conuentionum quiescat intẽtio. Debitum publicum priuatúmque nullus efflagitet, ne apud ipsos quidem arbitros vel in iudiciis flagitatos, vel sponte delectos vlla sit agnitio iurgiorum. Et non modo notabilis verumetiam sacrilegus iudicetur, qui à sanctæ religionis instituto ritúve deflexerit. PP. III. Non. Nouemb. Aquil. Acc. VIII. Kal. Decem. Rom. Honorio NB. P. & Euodio V.C. CONSS.

INTERPRETATIO. *Die solis, qui dominicus merito dicitur, omnium hominum actio conquiescat, vt nec publicum nec priuatum debitum requiratur, nulla iudicia neque publica neque priuata fiant. Quod qui non obseruauerit, reus sacrilegij teneatur.*

IIII. Idem AAA. ad Eusignium PF. P.

Nullus apparitor amplitudinis tuæ vel de officiis palatinis ad eam prouinciam ex qua oriundus est, vel in qua conlocauerit larem obtemptu publicæ necessitatis, vel exsecutor priuati negotij dirigatur. Etenim officij celsitudinis tuæ primiscrinius tres libras auri fisci vtilitatibus sine dilatione persoluet, si statuta fuerint temerata, apparitor verò qui huic se muneri passus est deputari, solutus militia, mancipum corpori sociabitur. Hæc verò pœna etiam ceteris inrogata est, vt si domesticus aut protector, strator, vel Agens in rebus, vel palatinus vtriusque officij, vel ad eam prouinciam, in qua natus est, vel ad eam in qua conlocarit larem, cum huiusmodi vsurpatione perrexerit, matriculis quidem exemptus ipse qui se voluit mitti, auri libram vnam fisci viribus inferre cogetur. adiutores verò officiorum palatinorum ac numerarij comitum inlustrium virorum siue actuarij libram fisci viribus soluant, nisi statuta fuerint custodita. Dat. III. Non. Decemb. Mediol. Honorio NB. P. & Euodio V.C. CONSS.

V. Impp. Arcadius & Honorius AA. Dextro PF. P.

Siue à palatinis petantur quæ sunt sacris largitionibus inferenda, siue quid res priuata nostra desideret, vel si quod subsidium publicarum necessitatum magnificentia tua per apparitionem suam arcæ nomine deposcit, remota exigentium permixtione per Rectorem prouinciæ instantibus officiis memoratis exactionem celebrari decernimus, qui ad se intellegit vel desidiæ inuidiam vel industriæ gloriam pertinere. Dat. XVII. Kalen. Iun. Med. Olybrio & Probino CONSS.

VI. Idem AA. ad Prouinciales & ad Proconsules.

Ne per diuersas Prouinciarum partes aut palatinus exactor accederet, aut inlustrium virorum apparitor vagaretur, vel militaris terror inferret formidinem, hac lege sancimus, vt omnis memoratis intentio ad Prouinciæ Rectorẽ sit, cum eo agant, illo insistente disponente adque agnoscente suo periculo rẽ peragendam, compleant vniuersa. Dat. XVII. Kal. Iul. Med. Olybrio & Probino CONSS.

VII. Idem AA. Andromacho P.V.

Quicunque è palatio nostro cuiuslibet tituli ad prouinciã conmearit, conpulsor, exactor, admonitor, portitórve præcepti, Agẽs in rebus, vel palatinus, vel

vel apparitor inlustrium potestatum: hoc tantum potestatis arripiat, quod mandatum curæ suæ specialiter adprobatur: nec quod iniunctum alteri fuit, collegij iure præsumat, ne dum hoc sibi inuicem mutui officij licentia partiũtur, agant cuncti quod singulis credebatur, &c. Data Prid. Id. Iul. Med. Olybrio & Probino CONSS.

VIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Ioanni PF. P.

Post alia.

Die sabbato ac reliquis sub tempore quo Iudæi cultus sui reuerentiam seruant neminem aut facere aliquid vlla ex parte conueniri debere præcipimus, cum fiscalibus commodis & litigiis priuatorum constet reliquos dies posse sufficere, &c. Dat. VII. Kalend. August. Rauenn. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. CONSS.

VIIII. Idem AA. Palladio PF. P.

Siue ex prætoriano officio, siue inlustris comitiuæ sedis largitionum necnon & rei priuatæ nostræ vel ex quacunque apparitione ad quamcunque necessitatem profligandam quis fuerit destinatus, sciat intra anni metas debere collectis ratiociniis ad proprium Iudicem remeare, eíque suam efficaciam ostendere, quid eius instantia exactum fuerit, quídve in debitis habetur, vel penes quos resederit, vel cuius culpa aut causa in eadem prouincia fuerit derelictum. Quod si exacto spatio anni eius regionis visceribus prædator insidens deprehensus fuerit remorari, tunc absolutus cingulo, militia abicietur, primoribus eiusdem militiæ decem librarum auri multa proposita. sin redire dissimulet, ligatus ferreis nexibus cura Prouincialis officij sub elogio ad debitum mittatur examen, nec ei liberum sit, vt hoc se priuilegio aut occasione defendat, quod sibi aliud negotium vel aliam necessitatem post iniunctam esse causetur cum hisdem licentiam auferamus in eadem Prouincia iterare exactionem, &cetera. Dat. X. Kal. Octob. Rauenn. DN. Theodosio A. VII. & Palladio CONSS.

X. Idem AA. Ioanni PF. P. Post alia.

Nullam possessionem alterius pro alienis debitis publicis siue priuatis præcipimus conueniri, &c. Dat. V. Idus Iul. Rauennæ, Honorio XIII. & Theodosio X. AA. CONSS.

De lucris officiorum. *Tit. VIIII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Pacatianum.

ORdines decuriarum, scribarum, librariorum, & lictoriæ consularis oblatis precibus meruerunt, vt in ciuilibus causis & editionibus libellorum, officiorum solennitate fungantur, ita vt vetusta ætate seruatum est, hucusque prærogatiua veniẽte vt militares intercessiones procul vsq; à liberalibus causis sese contineãt. Rectores itaque quæ iussimus, obseruabunt. Dat. XV. Kal. Maij, Constantinop. Constantio & Albino CONSS.

II. Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Seuerum P. V.

Emolumenta ceteráque compendia quibus magnitudinis tuæ apparitio sustinetur, neque his auferri sancimus, quibus pro eiusdem officij liberalitate

conlata sunt, neque in eos veluti ex necessitate transferri futura ætate permittimus, quos huiusmodi largitate vel præmio opinantur indignos, modo vt nihil ab eo necessarij moris aut ordinis pandat antiquitas, sed volentium potius fuisse doceatur, quàm principatus ipsius adque administrationis officiũ. Dat. Kal. Aug. Antonio & Syagrio CONSS.

De concussionibus aduocatorum siue apparitorum. Tit. X.

I. Imp. Constantinus A. Proc. Africæ.

SI quis se à ducenariis vel centenariis, ac præcipue fisci aduocatis læsum esse cognoscit, adire iudicia, ac probare iniuriam non moretur, vt in eum qui conuictus fuerit conpetenti seueritate vindicetur. Dat. VI. Id. Nouemb. Triueris. Acc. XV. Kal. Mart. Carthagine, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. CONSS.

II. Imp. Constantius A. Eubolidæ v.c. Vicar. Africæ.

Præter sollemnes & canonicas pensitationes multa à Prouincialibus Afris indignissime postulantur ab officialibus & scholasticis non modo in ciuitatibus singulis, sed & mansionibus, dum ipsis & animalibus eorundem alimoniæ sine pretio ministrantur. Nec latet mansuetudinem nostram sæpissime scholasticos vltra modum acceptis honorariis in defensione causarum omnium & annonas & sumptus accipere consuesse. quibus tantis conmodis fulti itinere suam auaritiam explere nequeũt. Prouinciales itaque cuncti Iudices tueantur, nec iniurias inultas transire permittant. Dat. III. Kal. Iul. Leontio & Sallustio CONSS.

III. Impp. Arcadius & Honorius AA. Pompeiano Proconsf. Africæ.

Quotiens conpulsor arguitur in deprædatione conuictus non consulta clementia nostra, pœnam subeat legibus conpetentem. Dat. Prid. Kal. Ian. Med. Stilichone & Auriliano CONSS.

IIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Euchario Proconsf. Africæ.

Vniuersa conpulsorum genera ex Africanis prouinciis constituimus esse pellenda, his videlicet restitutis, quæ forsitan per temeritatem sustulerãt. Dat. VI. Id. Aug. Rau. DD. NN. Honorio VIIII. & Theodosio V. AA. CONSS.

Ne quid publicæ lætitiæ nuntij ex describtione vel ab inuitis accipiant. Tit. XI.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Eugramminum.

CVm anni exordia certis inchoanda Cõsulibus nuntiãtur, à tenuioribus sportulæ specie conlationis necessitas separetur, ne scilicet describtione facta pro capitatione aut iugatione quicquam hisdem veluti legitimi muneris exprimitur: iubemus tamẽ, vt viri per prouincias emerito iam honore pollentes, præterea curiales, quos his gradus honore & in conlationibus honestate functionis conuenit esse finitimos, arbitratu suo tribuant, quantum putauerint largiendum. Porro tenuioribus ab hac sorte iniuriosæ necessitatis alienis. quod quidem interdicti seueritate fieri vetamus in posterum, vt Rectores prouinciarum vicenis auri libris, porrò officia quadragenis constituamus esse multanda, si quicquam pauperes hac adscribtione prębuerint, vel his extorqueri quicquã passi fuerint, aut æque quos cõtra vetitum fecisse cognouerint, taciturnitate alicuius dissimulationis aboleuerint. Dat. XVII. Kal. Ian. Constp. Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

II. Idem

II. Idem AA. Prouincialibus salutem dicunt.

Si quando victoriæ, si quando lætitiæ publicæ nuntiantur, vel nouorum Consulum nomina perferuntur, conlationi nullus locus, nulla sit licentia, nihil quisquam exigat, nihil audeat postulare. Si quis verò honoratorum sponte quid offerre voluerit, id tantum recte dandum iudicamus. Ceterum quidquid expostulatum, quidquid fuerit indictum, Rector quidem prouinciæ eius in qua res ita gesta erit, duplum quod indixerit, quódve dare coëgerit, ex suo fisci viribus pendet, officium autem quadrupli summam pro eadem necessitate persoluet. Dat. III. Id. Ian. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

III. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Mamertinum PF. P.

Si quando faustorum nuntiorum gaudia Prouincialibus intimantur, quotienscunque quid per terrarum orbem disseminatur, seu militum inlustres victorias seu strages hostium aut nostri triumphi perferuntur, vel hi quos geremus, aut deferimus consulatus, nulli publica distributione & arbitrio iudicis munera quæ vocant sportulas, deputentur. Ceterum si quis Iudicum vim decretorum nostrorum violauerit, eius rei quæ viritim distributa fuerit & coacta, duplicem pœnam subibit, aut officium quoque ei paruerit, in quatuor partibus multa exaggerata constringat: honorati vero & vrbibus suis eminẽtes ex arbitrio suo quantum mens tulerit, largiantur. Missa à PP õ. die Id. Febr. Med. Valentiniano NB. P. & Victore v. c. CONSS.

IIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. Floro PF. P.

Quidquid nostrorum vmquam nuntiari ceperit prosperorum, bella si desinent, si oriuntur victoriæ, fastis si honor datus fuerit regalium trabearum, compositæ pacis si erit efferenda tranquillitas, sacros vultus inhiantibus si forte populis inferemus: hæc sine pretio nuntiari excipíque sancimus. gerulum iubemus esse castissimum, indices nummarios esse prohibemus. Iudices statuimus esse sollicitos, ne turpi conludio quæratur ex miseris pretium gaudiorum. Quod si id sacrilega fuerit dissimulatione violatum: & accipientem pudoris fortunarúmque manebit excidium, & cogentem par pœna multabit, & officium triginta librarum auri vexatione quatiatur. Dat. IIII. Non. Feb. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

V. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Habe Tatiane K. NB.

Legem nostram, qua nihil ab inuitis Prouincialibus gratulationis nomine exigendum esse decreuimus, volumus custodiri. Dat. IIII. Kal. Maij, Med. Timasio & Promoto CONSS.

INTERPRETATIO. *Quando gaudia publica nuntiantur, nihil inuitis Prouincialibus gratulationis nomine exigatur.*

De donationibus. *Tit. XII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum P. V.

DOnatio siue directa sit siue mortis causa instituta, siue condicionibus faciendi ac non faciendi suspensa, siue ex aliquo notato tempore permissa, siue animo dantium accipientiúmve sententiis quantum ius sinit, cognominata: sub hac fieri debet obseruatio-

ne,vt quas leges indulgent actiones, condiciones pactionésque contineat. Hísque penitus cognitis vel recipiantur,si con placitæ sunt: vel reiciantur, si sunt molestæ, ita vt minorum defensores, si per eos donationum condicio neglecta est, rei amissæ periculum præstent. In conscribendis autem donationibus nomen donatoris, ius ac rem notari oportet, neque id occultè aut per imperitos,aut priuatim, sed vt tabulæ,aut quodcunque aliud materiæ tẽpus dabit, vel ab ipso vel ab eo quem sors ministrauerit, scientibus plurimis perscribatur,& corporalis traditio subsequatur ad excludendam vim adque inruptionem aduocata vicinitate,omnibúsque arbitris adhibitis quorum postea fide probabitur donatam rem si est mobilis ex voluntate traditam donatoris: vel si inmobilis abscessu donantis nouo domino patefactam: actis etiam adnectendis quæ apud Iudicẽ vel magistratus cõficienda sunt. Dat.III.Non. Feb.Romæ,Sabino & Rufino conss.

INTERPRETATIO. *Donatio aut directa est,aut mortis causa conscribitur. Directa donatio est,vbi in præsenti res donata traditur. Mortis causa donatio est, vbi donator dum adviuit rem quam donat sibi reseruat, scribens. Si prius mortuus fuero quã tu, res mea ad te perueniat,vt postea ad illum cui donat, non ad heredes donatoris res donata perueniat. Quod si prius moriatur cui res mortis causa donata est,res in iure permaneat donatoris. Est & alia donatio, vbi donator obligat illum cui donat, vt aliquid faciat aut non faciat, id est,si aliquid iubeat fieri,quod impossibile iudicetur,aut quod honestati contrarium videatur; aut si id ordinet fieri,quod honestum est,& posset impleri: quia tunc infirmatur donatio,quando condiciones honestatis possibilis impletæ non fuerint. Nam si inhonestæ & impossibiles condiciones ponantur,remotis condicionibus firma donatio est. Est item & alia, in qua sibi donator certum tempus possessionis reseruat. Quæ tamen omnes donationes superius comprehensæ, si modum excesserint lege conscriptum, vnde possint certæ personæ de immodica donatione proponere, hoc est si quartã sibi facultatis suæ donator non reseruauerit, nõ valebunt. Sed præterea illa donatio contra legem est,si quis rem in lite positam quæ repetitur,aut recto ordine donet, aut condicionem contra bonos mores,hoc est,causam cuiuslibet criminis donator in donatione conscribat. Minoribus vero si quid fuerit per donationem à quocunque oblatum siue conlatum, Tutores vel Curatores eorum debent studere,ne quid firmitati donationis desit. Quod si eorum negligentia donatio ad effectum perducta non fuerit, ad eorum dispendium pertinebit, ita vt quicquid minores de donatione perdiderint, Curatores vel Tutores illis de propria facultate restituant. In conscribendis autem donationibus hic ordo seruandus est, vt donatio nomen prius contineat donatoris, vel illius cui donatur: deinde res quæ donatur siue in agris siue in mancipiis siue in quibuslibet rebus atque corporibus, nominatim in donatione conscribendæ sunt,non occulte,sed publice,non priuatim vel secrete, sed aut in tabulis, aut in chartis,aut vbicunque legatur facta donatio. Quam tamen donationem,si literas nouit donator, ipse subscribat: si vero ignorat, præsentibus plurimis eligat,qui pro ipso subscribat: & hanc ipsam donationem gestorum solemnitas & corporalis traditio subsequatur, ita vt si mobilia donãtur, præsentibus plurimis tradantur. Si vero ager vel domus donatur, quod moueri non potest, vt inde donator abscedat, & nouo domino pateat res donata, si tamen sibi de his rebus vsumfructum donator non reseruauerit, gesta vero donationum aut apud Iudicem, aut apud Curiam allegandа sunt.*

II. Idem

II. Idem A. Aconio Catullino Proconſ. Africæ.

Si quis in emancipatum minorem priuſquam fari poſſit, aut habere rei quæ ſibi donatur affectum, Italicum ſiue ſtipendiarium fundum crediderit conferendum: omne ius conpleat inſtrumẽtis ante præmiſſis, & inductione corporaliter impleta. quod propter adteſtationem fidei per eum ſeruum quem idoneum eſſe conſtiterit, tranſigi placuit, qui eo vſque in ſtatu ſuo permanebit, donec is cuius facultatibus ceſſerit, annos Lætoriæ legis egreſſus legitimam conpleuerit ætatem, quo tũc demum ſi eius integritas ac fides fuerit conprobata, ſi ita ſederit poſſidentibus, libertatis præmium cõſequatur. Dat. XII. Kal. Maij, Serdicæ, Sabino & Rufino CONSS.

III. Idem A. ad Caſſium P. V.

Promulgatum dudum eſt donationes nullo alio modo firmas poſſe detineri, niſi apud actorum conteſtationem confectæ fuerint. ſed quia multi aliena vel non pleno iure ad ſe pertinentia donantes extra patriam & prouinciam in qua poſſident, acta conficiunt: placet, vt nulli liceat, extra prouinciam larémque ſuum donationum inſtumenta apud acta adlegare, ſed in quo domiciliũ habuerit atque poſſeſſiones conſtitutæ ſunt, apud ſuum ordinarium iudicẽ, vel ſi eum abeſſe contigerit, apud curatorem municipaleſve eiuſdem ciuitatis. nam ſi hoc prætermiſſum fuerit, nullam firmitatem habere donationes ſãcimus. Dat. Kal. Maij, Romæ Sabino & Rufino CONSS.

IIII. Idem A. ad Baſſum P. V.

Iuxta Diui Pij conſultiſſimi principis inſtituta, valere donationes placet inter liberos & parentes, in quocunque ſolo & cuiuſlibet rei liberalitas probabitur extitiſſe, licet neque mancipatio dicatur neque traditio ſubſecuta, ſed nuda tantum voluntas claruerit, quæ non dubium conſilium teneat nec incertum, ſed iudicium animi tale proferat, vt nulla quæſtio voluntatis poſſit inrepere & conlata inter ceteras exceptas Cinciæ legi perſonas obtinere propriam firmitatem, ſiue mancipationis decurſa fuerit ſolennitas, vel certe res tradita doceatur. quam legem ad lites volumus pertinere quocunque tempore iuſſionis noſtræ inueniuntur eſſe ſuſpenſæ, & quæ poſt futuræ ſunt, ne tranſacta negotia refricentur. Dat. Non. Octo. Conſtantino A. V. & Licinio Cæſ. CONSS.

V. Idem A. ad Seuerum Comit. Hiſpaniarum.

Data iampridem lege ſtatuimus, vt donationes interueniente actorum teſtificatione conficiantur, quod vel maxime inter neceſſarias cõiunctiſſimáſque perſonas cõuenit cuſtodiri. ſiquidem clandeſtinis ac domeſticis fraudibus facile quiduis pro negotij oportunitate confingi poteſt, vel id quod vere geſtũ eſt aboleri. Cum igitur ne liberos quidem ac parentes lex noſtra ab actorum confectione ſecernat, id quod neceſſario ſuper donationibus apud acta cõficiendis, iampridem ſtatuimus, vniuerſos teneat, ſaluo tamen iuris priuilegio, quod liberis & parentibus ſuffragatur, ſcilicet ne traditionis vel mancipantionis ſollemnitas ſit neceſſaria. Dat. IIII. Non. Maij, Conſtp. Dalmatio & Zenofilo Conſulibus.

VI. Impp. Conſtantius & Conſtans AA. ad Celſinum.

A venerabili parente noſtro ſtatutum eſt irritas donationes eſſe quæ actorum indicia non haberent, nec ſegnius etiam lenitudinis noſtræ cura

succedit. Dat. VIIII. Kal. Ian. Marcellino & Probino CONSS.

VII. Idem AA. ad Orfitum P.V.

Cum genetoris mei scitis euidenter expressum sit nullam donationem inter extraneos firmam esse, si ei traditionis videatur deesse solemnitas, & idẽ huiusmodi necessitatem liberis tantum ac parentibus relaxauit: in omnibus deinceps obseruari negotiis oportebit, vt donatio inter extraneos minus firma iudicetur, si iure mancipatio & traditio nõ fuerit impleta. Dat. VIII. Kal. Maij, Arbitione & Lolliano CONSS.

VIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Aureliano PF.P.

Donationes debere sortiri perpetuam firmitatem, quas corporalis traditio fuerit subsecuta: sancimus, ne vsusfructus exceptio pro traditione possit intellegi. qui enim post liberalitatem re donata perfrui concupiscit, hoc sibi quo voluerit modo, consignata videlicet possessione debet præcipuum custodire, ne inperfecta vacillet donatio. Gestorum quoque confectionem siue ante traditionem siue post traditionem fieri oportebit, vt instrumentum quo continetur munificentia, apud acta publicetur, in hac quidem vrbe apud magistrum census, in prouinciis verò apud prouinciarum Rectores: vel si præsto non fuerint, apud magistratus municipales: vel si ciuitas ea vel oppidum, in quo donatio celebratur, non habeat magistratus, apud defensorem plebis in qualibet ciuitate fuerit repertus. curatores enim ciuitatum ab huiuscemodi negotio temperare debebunt, ne tanta res eorum concidat vilitate, sed iam allegatas apud curatores donationes & gesta confecta valere necesse est. in posterum omnibus, quæ statuta sunt obseruandis: quoniam si quid fuerit prætermissum, nullius momenti videbitur esse donatio. Gesta autem confici super rebus etiam alibi conlocatis vbicunque sufficiet, ita vt traditio corporalis in locis vbi res donata consistit, omnimodo celebretur. Dat. X. Kal. April. Constp. DD. NN. Honorio X. & Theodosio VI. AA. CONSS.

VIIII. Idem AA. Monaxio PF.P

Legis à nobis paulo ante latæ cetera quidem cautio necessaria nobis admodum visa est, sublata verò in donationibus species traditionis, quam olim retentio vsusfructus induxerat, non sine magna ratione desiderata est, cùm obseruationem iuris contrahere potius quam propagare debeamus. ideóque ius pristinum renouamus, vt quisquis rem aliquam donando, vel in dotem dando vsumfructum eius retinuerit, etiamsi stipulatus non fuerit, eam continuo tradidisse credatur, ne quid amplius requiratur, quo magis videatur facta traditio, sed omnimodo idem sit in his causis vsumfructum retinere, quod tradere. Dat. Prid. Id. Mart. Constp. DN. Honorio A. XI. & Constantio V.C. II. CONSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque de rebus propriis seruato vsufructu cuilibet aliquid quacunque donatione contulerit vel in dotem dederit & sibi vsumfr. referuet, rem tradidisse cognoscitur, quia reseruatio vsufr. etiam si stipulatio inserta non fuerit, pro traditione habeatur.*

De

De reuocandis donationibus. Tit. XIII.

I. Impp. Constantius & Constans AA. ad Philippum PF. P.

Liceat matribus si impios filios probare se posse confidunt publice adire iudicia. Matrem autem ingenuam, liberam, libertam, libertinam, cui scilicet ciuitatis Romanæ iura quæsita sunt, ita vt queri antiquo iure poterant, accipi audirique decernimus. Itémque filios filias, ingenuos ingenuas, libertos libertas, libertinos libertinas, ciues pari condicione Romanos. Secludimus mulierẽ quæ in secundi matrimonij fœdus innubserit, & vnius tantum matrimonij mulieribus reuocãdarũ donationũ pro dimidia parte decernimus facultatẽ. Hic autem qui à matre inpietatis arguitur, quidquid ex eo quod titulo donationis tenet: eo die quo cõtrouersiæ qualecunque principiũ iussu iudicãtis datur, habere repperitur, huius dimidium eripiatur. Cæterum quæ ante adhuc matre pacifica iure perfecta sunt, & ante inchoatum cœptumque iurgium vendita, donata, mutata, in dotẽ data, ceterísque causis legitime alienata, minimè reuocamus. Actionem verò matris ita personalem esse volumus vt vindicationis tantum habeat effectum, nec in heredem detur, nec tribuatur heredi. Quare de ceteris vel alterius status, vel portentuosę vilitatis abiectæque pudicitiæ, satis etiam tacitè cautum putamus. Quis est enim, qui his aliquid arbitretur tribuẽdum esse: cum etiam illis, quæ iure secundas tamen contraxerunt nubtias, nihil ex his priuilegiis tributum esse vellemus? Dat. XII. Kal. Octo. Limenio & Catullino CONSS.

II. Idem AA. ad Philippum PF. P.

Aui nostri pro patribus firma lege sancxerunt, vt si quid patres in liberos munificentiæ titulo cõtulissent, si eos impios in iudicio declarassent, omne id esse reuocandum, ne pietatis prẹmiũ apud scelestos & flagitiosos animos permaneret. Dat. XII. Kal. Oct. Limenio & Catullino CONSS.

INTERPRETATIO. *Donatio in emancipatum filium à patre facta, si læsum pater se esse probauerit, reuocatur. Hic de iure requirendum De reuocandis donationibus.*

III. Idem AA. ad Orfitum P.V.

Si vnquam libertis patronus filios non habens bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos: totũ quidquid largitus fuerit, reuertatur in eiusdem donatoris arbitrio ac dicione mansurum. Dat. v. Kal. April. Arbitione & Lolliano CONSS.

INTERPRETATIO. *Si quis filios non habens, bona sua, vel partem bonorum libertis donauerit, & is qui donauerat filios postea habuerit, donationes in libertis factas ad integrum vacuantur.*

IIII. Idem AA. ad Orfitum P.V.

Si quis forsitan filiorum maternam munificentiam consecutus in matrem impius detegitur, nõ iam dimidiam portionem, vt ante fuerat iussum rei donatæ, sed omnem substantiam proprietatis amittat. Matres verò quæ in secũdas cõuenerint nubtias, reposcere vetamus à filiis, quæ earum perceperint largitate. Quinetiam idẽtidẽ commonemus alia omnia iuxta prioris legis tenorem debere seruari. Dat. VIIII. Kal. Iul. Sirmio, Datiano & Cereale CONSS.

INTERPRETATIO. *Si quis filius donatione matris fuerit aliquid consecutus, & eam post modum læserit, probatis in iudicio læsionis causis, donationem mater si voluerit*

in integrum reuocabit. Quod si mater hæc, quæ filio donauit, ad secundas nuptias transierit, contra donationem per quamcunque occasionem veniendi nullam habeat potestatem, seruatis de reliquo legibus, quæ sub titulo De secundis nuptiis continentur.

v. Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius AAA.
Victorio Proconſ. Asiæ.

Maritus donationes, quas instabiles esse testatur, formata legibus repetat actione. Dat. v. Kal. Iul. Constp. Theodosio A. III. & Abundantio CONSS.

vi. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. ad Senatum. Post alia.

Donationem circa filium filiámve, nepotem neptémve, pronepotem proneptémve emancipationis tempore celebratam pater seu auus vel proauus reuocare non poterit, nisi edoctis manifestissimis causis quibus eam personam, in quam conlata donatio est, cõtra ipsam venire pietatem, & ex causis, quę legibus cõtinentur, fuisse constabit ingratam. quas tamen causas in cognitione discuti oportebit, & nostro admitti iudicio, cùm hoc inter partes cõpetẽti visum fuerit cognitori. alias iubemus non audiri parentis querelas, &c. Dat. VII. Id. Nou. Rau. DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

INTERPRETATIO. *Si quis filio, filiæ, nepoti ex filio, vel pronepoti ex nepote mãcipationis tempore aliquid donauerit, id nisi probatis in iudicio manifestis offensarum causis reuocare non poterit.*

De ingratis liberis. Tit. XIIII.

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA.
ad Prætextatum P. V.

Filios contumaces, qui patres vel aceruitate conuicij vel cuiuscũque atrocis iniuriæ dolore pulsassent leges emãcipatione rescissa damno libertatis inmeritæ multare voluerunt. Dat. XV. Kal. Sept. Ambianis, Lupicino & Iouino CONSS.

INTERPRETATIO. *Filij emancipati, si iniuriam grauem patri, quæ probari possit, intulerint & conuicti fuerint hoc fecisse, rescissa emancipatione, in familiam reuocentur.*

* * *

De iis quæ administrantibus vel officium publicum gerentibus distracta sunt vel donata. Tit. XV.

* * *
*

Agrippina D. τῷ τόπῳ ἐκείνῳ οὐκ ἐπάρχει. Constantinus A. D. Sed iure continetur, ne quis in administratione constitutus aliquid cõpararet. vnde quidem nihil interest, an in suo pago, an in alieno comparauit, cum constet contra ius eundem comparasse. & adiecit, Ignoratis fiscale effici totum, quidquid administrantes comparauerint? Agrippina dixit. τοῦ τόπου ἐκείνου πραιπόσιτος οὐκ ἦν, ἐγὼ ἠγόρασα παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ ἐν διαγωγῇ. Constantinus A. D. Recipient à venditore Codia & Agrippina competens pretium.

Idem

Idem A. ad Veronicianum Vic. Asiæ. Post alia.

Damus prouincialibus facultatem, vt quicunque sibi à numerariis, qui diuersis Rectoribus obsecuntur, conquesti fuerint aliquas vẽditiones extortas, inritas inanésque efficiant, & male vendita ad venditoris dominium reuertantur, amissione etiam pretij inlicitis ac detestandis emptoribus puniendis. Dat. XIIII. Kal. Iun. Optato & Paulino CONSS.

Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Iouinum P.V.

Princeps, cornicularius, commentariensis, numerarius & ordinarij per singula officia possessionum adque ædium, necnon etiam mancipiorum comparationem sciant sibi esse præclusam. Siue igitur in ipsis prouinciis, in quibus memorata officia sustinere noscuntur, constiterit eos esse progenitos, seu in aliis omnimodo à prædictis conparationibus per prouincias in quibus militant temperare debebunt. Solas tamen res paternas memoratos mercari posse præcipimus, ita vt apud Rectorem prouinciæ non minoribus pretiis quàm ratio æquitatis exposcit, venditio celebretur. Dat. III. Id. April. Constantinop. Diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

Idem AA. Senecæ. Post alia.

Vim illius legis aspicito, eíque pareto, qua proximè constitutum est, vt publicum munus agitantes nihil in suscepto mercarentur officio. Dat. V. Kal. Iul. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

Idem AA. ad Probum PF.P.

Omnis se turpibus nundinis administrator abstineat, idem sibi altior Iudex, idem mediæ dignitatis, idem quicunque vel minimus putet esse pręscribtum. Nemo in prouincia quam tuetur, donec in eadem cõmorabitur, aliquid conparandi sumat adfectum: similiter administrantiũ socij adque participes. quędam enim vniuscuiusque portio videtur adsessor. Patronis etiam fisci ab his contractibus iubemus inhiberi, & qui principatum officiorũ gerunt seu corniculum, quíque commentariensiũ nomine exosa miseris claustra custodiũt, tabularios quoque prouinciarum & vrbium singularum pari condicione cõstringimus. idẽtidem numerarij præfecturæ vel vicariæ potestatis obseruent. præterea officiales adque municipes qui exactiones quascũq; susceperint, eos etiam quibus vel discussionis indago vel negotium censuale mãdatur: insuper principales, à quibus distributionum omniũ forma procedit: Curatores etiã lex ista cõtineat. Verùm si qui ex his medio muneris sui tempore vel priuatim aliquid emisse vel publice detegetur, in inritum gesta reuocẽtur: comparatores autem contra interdicta, non modo his quæ per semetipsos vel per aliam fuerint empta personam siue agri sint siue domus siue mancipia seu quæcunque mobilia, sed etiam ea pecuniæ taxatione quam dederint, exuantur: nec vllus inquirat vtrũ ciuiliter rem actã constet an turpide: nec obsit propria reposcenti vel venditio interiecta, vel largitas, vel mentio vlla legati. nã vtcunque in alterũ res fuerit à comparatore trãslata, quam emi in officio non oportuit, liberum corporis persequendi præstamus arbitrium. Adiungimus autem, vt si domini corporum venditorum postquam emptores ceperint esse priuati, quinquennio integro in repetitione cessauerint, continuo sibi fiscus vsurpet, quę contra hoc vetitum vendita docebuntur. Dat. III. Non. Aug. Sirmio, Valentiniano & Valente AA. CONSS.

Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. Floro PF. P.

Quicunque administranti Prouinciam Prouinciáſve adque indifferentes ſub quoquo apice poteſtatis quid donauerit, repetẽdi vſque ad quintum annum proximum, ex quo idem priuatus eſſe cœperit, habeat facultatem. adque hoc ſcito noſtro non vnam Iudicis perſonam conprehendimus, ſed latius ſtudio prouiſionis excurrimus. Siue igitur ei ſiue eius vxori, filio filiæve, nepoti nepti & deinceps in infinitum indiſſidenter emancipato an in ſacris agenti, matri patri, fratri ſorori, ſocero ſocrui, & qui in cõſilio erit domeſticóve coacta quis, ſeu palam vi adhibita ſeu clam & latenter inpoſita prompſerit largitate, eam nõ ſecus repetere queat intra quæ pręſcribſimus tempora, ac ſi de iure ipſius nullo vel inchoatę alienationis titulo receſſiſſet: ita vt ad repetendam poſſeſſionem ne denuntiatione quidem opus ſit, ſed ſufficiat apud Iudicem, cuius ea de re notio erit docuiſſe tempus, quo liberalitas ſit parata. quo patefacto non ſecus ad eundem poſſeſſio cum fructibus reuertatur ac ſi ex eius nunquam iure migraſſet. Donatoris autem heredibus ſimilẽ relinquimus actionem, ſi donator eo tẽpore obierit quo adhuc in poteſtate is degerit, cuius obtentu videtur expreſſa donatio. Sin autem donator ſuperſtes fuit, quamdiu is abierit poteſtate, tum heredum extinguimus actionem, maxime cum donator non ſtantem ab initio donationem taciturnitatis ſuæ videatur firmaſſe conſenſu. Dat. XV. Kal. Iul. Theſſal. Gratiano A. V. & Theodoſio A. I. CONSS.

Idem AAA. Floro PF. P.

Numerarij nihil emant, nihil contrahant, &c. Dat. XVIII. Kal. Octo. Conſtp. Antonio & Syagrio CONSS.

Impp. Arcadius & Honorius AA. Cæſario PF. P.

Omnes quos olim legum forma conplectitur, ampliſſimę etiam poteſtatis nihil adminiſtrationis ſuæ tempore aut emptionis aut donationis titulo conſequantur. Dat. III. Id. Iul. Conſtp. Cæſario & Attico VV. CC. CONSS.

De infirmandis pœnis cælibatus & orbitatis. Tit. XVI.

I. Imp. Conſtantinus A. ad populum.

QVi iure veteri cælibes habebantur inminentibus legum terroribus liberentur, atque ita viuant ac ſi numero maritorum matrimonij fœdere fulcirentur. ſitque omnibus æqua cõdicio capeſſendi quo quiſque mereatur. Nec vero quiſquam orbus habeatur. propoſita huic nomini damna non noceant. Quam rem & circa feminas æſtimamus, earúmque ceruicibus inpoſita iuris imperia velut quædam iuga ſoluimus promiſcue omnibus. Verũ huius beneficij maritis & vxoribus inter ſe vſurpatio non patebit, quorum fallaces plerumque blanditiæ vix etiam oppoſito iuris rigore cohibentur: ſed maneat inter iſtas perſonas legum priſca auctoritas. Dat. Prid. Kal. Febr. Serdicæ. PP. Kalend. April. Romæ Conſtantino A. VI. & Conſtantio C. CONSS.

De iure liberorum. Tit. XVII.

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. ad Cæſarium PF. P.

SAncimus, vt ſit in petendo iure liberorum ſine definitione temporis licentia ſupplicandi, nec implorantum preces, ætas vel tempus impediat, ſed ſola miſeris ad poſcendum auxilium ſufficiat deſperatio liberorum

liberorum. Dat.VIII.Id Maij. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. CONSS.

II. Impp. Honorius & Theodosius AA.Isidoro P.V.

In perpetuum hac lege decernimus inter virum & vxorem rationem cessare ex lege Papia decimarum. & quamuis non interueniant liberi, ex suis quoque eos solidum capere testamentis, nisi forte lex aliam inuenerit derelicta. tãtum igitur posthęc maritus vel vxor sibi inuicem derelinquant, quãtum superstes amor exegerit. Dat.Prid.Non.Sept. Varane V.C.CONSS.

III. Idem AA.Isidoro P.V.

Nemo posthæc à nobis ius liberorũ petat, quod simul hac lege detulimus, & cetera. Dat.prid.Non.Sept. Varane V.C.CONS.

IIII. Idem AA.Ioanni PF.P. Post alia.

Quod inpetratum ius conmunium liberorum superstite Catullino clarissimo viro minus allegatũ esse cognoscitur, nec succedenti obesse permittimus, nec vlli vnquam in simili causa statuimus nociturum. & cetera. Dat.XIII.Kal. Mart.Rau. Honorio VIIII. & Theodosio V.AA.CONSS.

De maternis bonis & materni generis, & cretione sublata, *Tit. XVIII.*

I. Imp. Constantinus A. Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui salutem dicit.

PLacuit salua reuerẽtia & pietate sacris nominibus debita, vt potestas quidem & ius fruendi res liberorum suorum in sacris constitutorum in maternis duntaxat facultatibus penes patres maneat: destituendorum autem liberorum eis licentia derogetur. Cesset itaque in maternis dumtaxat successionibus cõmentum cretionis, & res quæ ex matris successione fuerint ad filios deuolutæ, ita sint in parentũ potestate adque dominio, vt fruendi pontificiũ habeant, alienandi eis licentia derogetur. nam maternũ patrimonium, quod filiis in potestate constitutis obuenerit, cum patre mortuo sui iuris fuerint præcipuum habere eos, & sine cuiusquam consortio placuit. Quod si pater suum filium patremfamilias videre desiderans eum emancipauerit, repræsentare & maternam debebit substantiam, ita vt filius accepto munere libertatis, reíque suæ dominus effectus ne videatur ingratus, tertiam partem custoditæ sibi rei muneris causa parenti offerat, æstimatione si res diuidi cœperint bonorum virorum arbitrio permittẽda, quam tertiam alienare quoque pater si hoc maluerit, habebit liberam potestatem. Ante emancipationem autem parentes penes quos maternarum rerum vtendi fruẽdíque potestas est, omnem debent tuendæ rei diligentiam adhibere. & quod iure filiis debetur, in examine poscere & sumptus ex fructibus inpigrè facere, & litem inferentibus resistere, adque ita omnia agere, tamquam solidũ perfectúmque dominium & personam gerant legitimam, ita vt si quãdo rem alienare voluerint emptor, vel is cui res donatur obseruet, ne quam partem earũ rerum quas alienari prohibitum est, sciens accipiat vel ignorans. docere enim pater debet proprij iuris eam rem esse quam donat aut distrahit: & emptori si velit sponsorem aut fideiussorẽ licebit accipere, quia nullam poterit pręscribtionem opponere filiis quãdoque rem suam vindicantibus. Dat.XV.Kal.Aug.Aquileiæ,

Recit. aput Vettium Rufinum P. V. in Senatu, Non. Septemb. Constantino A. V. & Licinio C. CONSS.

INTERPRETATIO. *Legis istius reliqua pars in aliis legibus continetur, hoc tantum de reliquis legibus plus habet, vt patres, qui filiorum res gubernare iussi sunt, negotia eorum summo studio & integritate agere procurent, vt nihil per negligentiam eorum filiis pereat, sed fructus rerum maternarum sine aliqua negligẽtia redigi vel vendi faciãt, vt ex tempore competenti, sicut lex Nouella dicit, portiones suas filij sine aliqua imminutione percipiant. Res filiorum patribus alienare non liceat, hoc est nec vendere, nec donare. Quod si fortasse præsumpserint, emptor vel qui donator accesserit, grandi se sollicitudine & cura custodiant, ne filiorum res à patre venditas, aut donatas accipiant, aut scientes, aut etiam nescientes. Sed compellant patrem, qui venditor vel donator fuerit, & filiorum res in sua retinet potestate, vt probet suum esse quod tradidit. Etiam vt suspitionem suam possit abstergere, fideiussorem à patre venditore percipiat, qui obligatione rerum suarum damnum emptori non faciat: quia defuncto patre licet filiis res suas à quibuscunque personis, siue venditæ, siue donatæ à patre fuerint, in suum dominium reuocare.*

II. Idem A. Iulio Seuero.

Cum ad patrem aliquid ex materna successione interposita cretione peruenerit, & ad liberos maternarum rerum successiones defluxerint, ita eas haberi placet in parentum potestate, vt dominium tantum possessionis vsurpent, alienandi vero licentiam facultatémque non habeant, vt cum ætates legitimæ liberorum ad emancipationem parentes inuitauerint, & patresfamilias videre liberos suos voluerint, tertiam partem maternorum bonorum eis filiis tanquam muneris causa offerant. quam si suscipiẽdam patres putauerint, faciendæ diuisionis arbitrium permitti oportebit iustitiæ bonorum virorum per quos facta diuisione tertiam partem oblatam parentes ita accipient, vt alienandi quoque eius patres habeant facultatem, si modo vllus potuerit inueniri cui placeat hanc amplecti licentiam, cùm omnimodo filios conducat adniti, vt pio sedulitatis affectu mereantur accipere eã quam patribus dederint portionem. Dat. VII. Id. Sept. Med. Accept. Non. Octob. Constantino A. V. & Licinio Cæs. CONSS.

INTERPRETATIO. *Materna bona filiorum defuncta vxore ita pater possideat, vt vsumfructum de his habeat: sed quantum aut quandiu habeat, lex Nouella constituit: Distrahendi tamen aut donandi ex his nullam pater habeat potestatem. Sanè si filium mortua matre emancipauerit, de bonis maternis, id est, de emancipati filij portione, ipse filius muneris causa de maternis bonis tertiam offerat portionem: quæ tamen in ipsius proprietate mansura est ita, vt eam pater bonis viris diuidentibus consequatur. Si tamen tantum patris nomen ad hoc adduci poterit, vt rem filiorum impia cupiditate suscipiat, aut aliis derelinquat: studere tamen filios decet, vt id quod parentibus causa emancipationis obtulerint, seruitio & pietate recipiant.*

III. Idem A. ad Seuerum Com. Hispaniarum.

Insinuatũ est quosdam patres principalis coniugij copulatione destitutos in perniciem filiorum vltra misericordiam sanguinis properare, & receptis deinceps aliis matrimoniis maiorem sibi in rebus filiorum vindicare personam. qui quoniam in his vsufructuarij remansisse vidẽtur, vsurpare ea ac peruertere confidunt, vt per hoc his qui in orbitate remanserunt, nulla nec possidendi

ſidendi nec litigandi tribuatur occaſio. Ideóque placet ne quis pater receptis deinceps matrimoniis, earum rerum quæ prioris coniugis fuerunt, ſibi ius defendendum exiſtimet, niſi tutelæ vice donec minores probata ætate eſſe videantur. His autem moderatio noſtra cuncta iubet ſeruari adque reſtitui. PP. III. Kal. April. Conſtp. Optato & Paulino CONSS.

IIII. Imp. Conſtantius A. ad Dionyſium.

Cretionis obſeruantiā præcipimus remoueri, per quam filij patrię poteſtati ſubiecti res ex materna hereditate vel ex diuerſis ſucceſſionibus ad ſe deuolutas antehac his in quorum poteſtate fuerant adquirebant, vt intra ſextum annum facultates ad ſe pertinentes * ſi quidem ſuperſtites * intra præfinitum tempus * * ex materna hereditate vel genere * * ad ipſos deuoluta ſunt ad proximos * pertineant quoniam priorem iuſſionem quæ ſine temporis diſtinctione filiorum ſucceſſiones ad patres iuſſerat pertinere, æquitatis ratio corrigi perſuaſit. Si quis verò ex paterno genere vel amicis paternis quacumque ratione reliquerit, id ſimili iuſtitiæ moderamine ad patrem, aut ad patris genus pertineat, vt ex vtraque familia manantes facultates ſingulis quibuſcunque ceſſiſſe potius quàm adepta eſſe videantur. Poſt emenſum verò ſextum ætatis ſuæ annum adæq. ſine eiuſdem cretionis neceſſitate delatas ſibi qualicunque ſucceſſionis genere facultates ad eos, in quorum poteſtate ſunt, iure patrio tranſmittant. PP. Prid. Id. Mart. Heliopoli, Conſtantio A. II. & Conſtante CONSS.

V. Idem A. ad Leontium Comitem Orientis.

Qui ſe patris negat heredem, defuncti aui ſuſcipere facultates non poteſt, maximè emancipatus, niſi per bonorum poſſeſſionem ad huiuſmodi beneficium peruenerit, & quòd maternus auus relinquit, patri adquiritur: & ſi legatū fideicōmiſſūmve eſſet ſolutum bonorum patris effectū eſt. quòd ſi fideicommiſſi dies legatíve iam ceſſerat, ad heredes patris petitio deuoluta eſt. Si verò filiusfamiliàs ab auo ſuo materno heres oſtenditur inſtitutus patre cernere iubente, filióque cernente perſona filij media hereditas peruenit ad patrem, dudum ſiquidem placuiſſe . . . .
gi temporis in heredi . . . .
inefficax eſſe adque patrib . . . .
la ſollemnitas cretionis adq . . . .
excepta cauſa maternorum . . . .
bere certiſſimum eſt, in quibus vis ac vocabulum cretionis expulſum eſt. Nec verò dubitari poteſt, ſi prius quàm legati vel fideicommiſſi cederet dies, aut iuſſu patris diceret cretionem propriæ poteſtatis effectus eſt, arbitrio ſuo eundem hæc potuiſſe conquirere. Dat. VIII. Id. April. Limenio & Catullino CONSS.

VI. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius AAA. ad Heſperium PF. P.

Quemadmodum maternas facultates vēditione vel donatione tranſcribere in alias perſonas patribus non licet, ita ea quæ pater matris ac mater, quæque auus matris aut auia nepotibus pronepotibúſve donauerint, ſiue ab inteſtato reliquerint, patribus alienare non liceat, delatæ verò ab extraneis ſiue ex tranſuerſa linea facultates præterquàm ab his neceſſitudinibus, quas locuti ſumus

patribus conferant quidquid filiis positis in eorum potestate detulerint. Dat. prid. Kal. Aug. Acc. IIII. Kal. Sept. Auxonio & Olybrio vv.cc. CONSS.

INTERPRETATIO. *Pater, vxore mortua, filiorum bona ita possidebit, vt ex his ei nec vendere aliquid liceat, nec donare, nec quolibet alio ordine alienare: Similiter & quæcunque aui vel proaui materni, nepotibus, pronepotibus, neptibus proneptibúsve vel donauerint, vel fortasse reliquerint, in alias personas trãsferre patri quolibet ordine non licebit. Sanè si quid extraneorum donatione vel munere filiis in familia positis facultatis accesserit, vel alij parentes, quàm qui supra nominati sunt contulerint, id totum patribus adquiratur, vt faciendi ex hoc quod voluerint habeant potestatem.*

VII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Florentino P.V.

Quidquid auus auia, proauus proauia, nepoti nepti, pronepoti pronepti cuiuslibet tituli largitate contulerint, id est testamento, fideicommisso, legato codicillo, donatione, vel etiam intestati successione pater filio filiæve integra, inlibatáque custodiat, vt vendere, donare, relinquere alteri aut obligare non possit, vt quemadmodum ipse super his licentiam potestatis totius amittit, defuncto eo filio filiáve præcipua conputentur, nec ab illius qui ex patre sunt consortibus, vindicentur. Supplicandi etiam in futurum contra hæc licẽtiam submouemus, &c. Dat. Id. Octob. Med. Olybrio & Probino CONSS.

INTERPRETATIO. *Quicquid ad nepotes vel pronepotes, auorum vel auiarum maternarum munere, testamẽto vel successione, aut qualibet scriptura peruenerit, id præcipuum, hoc est proprium post patris obitum vindicabunt, neque in coheredum communione mittendum est, quod auorum expressis nominatísque personis maternorum fuerit largitate conlatum.*

VIII. Imppp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA. Anthemio PF.P.

Certis annorum interuallis in bonorum possessione maternæ hereditatis à patre poscenda aut successione amplectenda infantis filij ætatem nostra auctoritate præscribimus, vt siue maturius siue tardius filius fandi sumat auspicia intra septem annos ætatis eius pater aut bonorum possessionẽ imploret, aut qualibet actis testatione successionem amplectatur. hac verò ætate finita, filius edicti beneficium petat, vel de successione suscipiẽda suam exponat voluntatem, dumtamen intra annum ad inpetrandam bonorum possessionem præscribtum vterque de possessione amplectenda suum prodat arbitrium. Cretionum autem scrupulosam sollemnitatem, siue materna filiofamilias, siue alia quædam deferatur hereditas, hac lege emendari penitus amputaríque decernimus. Dat. XVI. Kal. April. Constantinop. DD. NN. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS.

VIIII. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. ad Senatum Vrbis Rom. Post alia.

Siue vxor intestata defecerit superstitibus communibus filiis in patria potestate degentibus, vtitur maritus prisco beneficio iuris ac legum circa vsumfructum retinendum, quãdiu filij in potestate consistunt, aut in præbenda filiis liberalitate circa trientem sibi ex Constantinianæ legis beneficio conquirendum. Si vero viua matre emãcipati sunt filij, tunc demũ quia omni cõmodo destituitur pater, nec retinet vsumfructum virilis ei inter filios, seu vnus seu plures sunt vsusfructus tribuimus portionis. Si vero mulier moriẽs alios ex filiis

filiis emancipatos à patre, alios in patria potestate dimiserit, in casu dispari vtitur maritus defunctæ beneficio, quod casui vtrique perscribimus, id est circa eorum quidem portionem, quos adhuc in sacris retinet vsumfructum ex legum auctoritate tenebit & præmium debitę cùm volet emancipationis accipiet. In eorum verò parte, quos exisse de potestate viuá matre constiterit vsumfructum virilis inter eos portionis secundum præscripta percipiet, in nepotibus, etiam vel neptibus hoc obseruandum esse censemus, vt maritus qui vxore mortua extantibus filiis cum solis nepotibus vel neptibus ex hac lege ad emolumentum vocandus est, si vnus vel vna, plurésve nepotes ex filio vno vel pluribus qui in potestate defecerunt, procreati sunt, hoc iure vtatur, quod de filiis constitutum est. nam licet hoc nouum præsens lex constituat in nepotibus non est tamen ab re, vt in hoc casu deteriores esse nepotibus filij non sinantur. Habeat igitur auus veniens cum nepotibus in potestate durantibus vsumfructum bonorum omnium, quæ ex defunctæ auiæ successione delata sunt. Cum verò is quoque libertatem emancipatione largitur, similiter & ab ipsis sicut de filiis constitutum est, trientem pro præmio manumissionis accipiat: vel si ex pluribus alteros manumittit, alteros retinet, ex parte manumissorum trientem, ex parte verò in potestate manétium retineat vsumfructum. Quod si nepotes sint, neptésve, aut ex emancipato filio, aut ex filia procreati, aut ex ipso in sacris auia viuente dimissi, idem auus virilis cum ipsis portionis habeat vsumfructum. Si verò ex nepotibus neptibúsve tempore quo in auiæ successione vocantur, alij in aui sunt potestate, id est mariti defunctæ, alij sui iuris sint, circa personam quidem eorum qui in potestate consistunt, & in vsufructu consequendo, & in trientis ex emancipationis præmio conquirendo ratio supradicta seruetur. In his vero qui sui iuris sunt, facultas capiendi vsus fructus virilis inter eos portionis habeatur. Eadem autem & de pronepotibus sexus vtriusque sancimus manente definitione, quæ de singulis sancta est, si filij sint pariter ac nepotes &c. Dat. VII. Id. Nou. Rau. DD. NN. Theodosio XII. & Valentin. II. AA. CONSS.

INTERPRETATIO. *Uxor si superstite marito defecerit, & omnes filios in potestate dimiserit, pater de maternis filiorum bonis vsumfructum habeat, vsque ad illud tempus, quod lex Nouella constituit. Quod si post matris obitum filios vel filium pater emancipauerit, de eorum portionibus, quos liberos facit, trientem à filiis pro collata libertate percipiet, iuri suo perpetuo vindicandum. Quod si superstite matre pater filium vel filios emancipauerit, quia non potest matre viua de filiorum portionibus vindicare tertiam portionem, necesse erit vt post matris obitum; si superstes pater fuerit, à singulis emancipatis filiis virilem, id est, de vno mediam, de duobus tertiam, de tribus quartam percipiat portionem in vsumfructum, quoadusque vixerit possidendam. Quod si aliqui filij viua matre à patre emancipati fuerint, & aliqui fortasse non fuerint, circa emancipatos, vel non emancipatos eadem, quæ superius comprehensa est, à patre forma seruetur. Quod si mortua vxore filij non fuerint, & neptes vel nepotes ex filijs auus paternus habuerit, qui omnes in aui potestate consistunt, eadem quæ de filiis, & circa nepotes in omnibus forma seruetur. At verò si aliquos ex ipsis nepotibus auus emancipare voluerit, tertiam similiter partem sicut & de filiorum partibus accipiat portionem: nam & de pronepotibus similiter obseruari lex ista constituit.*

x. Idem AA. ad Senatum. Post alia.

Si sine liberis vnus vel vna morietur è filiis, & superstitem fratrem vel fratres, sororem vel sorores, & patrem relinquat, siue is emancipatus, siue in potestate defecerit, eius portionem, quam ex bonis maternis, vel vnde iure quæsiuerit, pater sine dubio consequatur iugi dominio possidendam. Quòd si nouercam superduxerit, ea quidem quæ filius defunctus extrinsecus adquisierat, sibi habeat pater, perpetuo iure dominij possidenda. Bonorum verò ex matris patrimonio filio qui defunctus est quæsitorum solum vsumfructum retentet ad alios ex eodem matrimonio natos post eius obitum proprietate reditura. Et si ante mortem filij domum secundis nuptiis occupauit, similem casum sequatur, vt filio extrinsecus adquisita perpetuo iure possideat: maternarum autem rerum eius solum vsumfructum retentet. Quòd si filius filiáve extantibus liberis adhuc positi in potestate defecerint, portionis eorũ totius solum vsumfructum morientis retentet, nepotibus, id est defuncti filiis proprietate seruata. Si verò nepotes tempore mortis maternæ extra aui sint potestatem, ipsi ilico in patris sui matrísve successionem vocentur. & cetera. Dat. VIII. Id. Nou. Rau. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

INTERPRETATIO. *Si amissa matre, patre superstite, vnus vel vna de filiis, siue emancipatus, siue non emancipatus sine filiis moriatur, pater mortuo filio in totam illius portionem iure succedit. Quod si aliam vxorem duxerit, hæc quæ de maternis bonis mortuus filius derelinquit, pater vsufructuario tantum ordine possidebit, post cuius obitum ad fratres mortui, ex eodem matrimonio natos, quod ille de maternis bonis habuit, reuertatur. Aliunde vero filio qui moritur adquisita, in proprietate patria residebunt. Quod si filius vel filia, viuo patre, habentes filios moriantur, pater res nepotum, sicut filiorum, iure vsufructuario retinebit. Si vero hij qui moriuntur, emancipatus vel emancipata moriantur, in portionibus eorum in integrum filij sui sine vlla aui potestate succedant.*

De bonis quæ filiisfamilias ex matrimonio adquiruntur. *Tit.* XVIIII.

1. Impp. Theod. & Valentinianus AA. ad Senatum. Post alia.

CVm venerandæ leges vetuerint patribus iure potestatis conquiri quidquid eorum filiis auus auia, proauus proauia, alio modo à linea materna veniente quocumque titulo cõtulissent, hoc quoque conuenit obseruari, vt quidquid vel vxor marito nõ emancipato, vel maritus vxori in potestate positæ quocumque titulo vel iure contulerit, siue transmiserit, hoc patri nullatenus adquiratur. adque ideo in eius tantum cui delatum est, iure durabit. & cetera. Dat. VII. Id. Nouemb. Rauen. DD. NN. Theodosio XII. & Valentiniano II. AA. CONSS.

INTERPRETATIO. *Sicut id quod auus vel auia materna nepotibus pronepotibus positis in patris potestate donauerint, patri non adquiritur, ita & quidquid maritus vxori, vel vxor marito in patris potestate positis donauerint, aut testamento dimiserint, id ad patris dominium minime pertinebit, sed hoc sibi filij ad integrum vindicabunt.*

CODICIS THEO-
DOSIANI LIBER NONVS.

De accuſationibus & inſcriptionibus. Tit. I.

I. Imp. Conſtantinus A. ad Octauianum Com. Hiſpaniarum.

QVICVMQVE clariſſimæ dignitatis virginem rapuerit, vel fines aliquos inuaſerit, vel in aliqua culpa ſeu crimine fuerit deprehenſus, ſtatim intra prouinciam, in qua facinus perpetrauit, publicis legibus ſubiugetur: neque ſuper eius nomine ad ſcientiam noſtram referatur, nec fori præſcriptione vtatur. Omnem enim honorem reatus excludit, cùm criminalis cauſa, & non ciuilis res vel pecuniaria moueatur. Dat. prid. Non. Decemb. Serdicæ. Acc. v. Non. Mart. Cordubę, Gallicano & Baſſo CONSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque damnabile, vel puniendum legibus crimen admiſerit, non ſe dicat in foro ſuo, id eſt in loco vbi habitat debere pulſari, ſed vbi crimen admiſſum eſt, ab eius loci Iudicibus vindicetur, nec de eius perſona ad Principem referatur.*

II. Idem A. ad Ianuarium.

Quicunque ex eo die, quo reus fuerit in iudicio petitus, intra anni ſpatium noluerit adeſſe iudicio, res eius fiſco vindicentur: & ſi poſtea repertus, nocens fuerit deprehenſus, ſæuiori ſententiæ ſubiugetur. Sed & ſi argumentis euidentibus, & probatione dilucida innocentiam ſuam purgare ſuffecerit: nihilominus facultates eius penes fiſcum remaneant. Dat. Id. Ianuar. Acc. v. Kal. Aug. Corintho, Conſtantino A. v. & Licinio Cæſ. CONSS.

III. Idem A. ad Agricolanum.

Cum ius euidens adque manifeſtum ſit, vt intendendi criminis publici facultatem non niſi ex certis cauſis mulieres habeant, hoc eſt, ſi ſuam ſuorúmq; iniuriam perſequantur: obſeruari antiquitus ſtatuta oportet. neque enim fas eſt, vt paſſim mulieribus accuſandi permiſſa facultas ſit, alioquin in publicis olim quęſtionibus interdum, aut admiſſa probatio eſt, aut accuſantis auctoritas. Patroni etiam cauſarum monēdi ſunt, ne reſpectu compendij feminas ſecuritate forſitan ſexus in actionem inlicitam proruētes temere ſuſcipiāt. PP. v. Id. Feb. Probiano & Iuliano CONSS.

INTERPRETATIO. *Feminis, niſi in ſua ſuorúmque cauſa quenquam accuſare non liceat, quia ſuſceptione alienarum cauſarum legibus prohibentur. Aduocati etiam commonendi ſunt, ne contra leges ſuſcipiant in alienis cauſis feminas litigare cupientes.*

IIII. Idem A. ad vniuerſos prouinciales.

Si quis eſt cuiuſcunque loci, ordinis, dignitatis, qui ſe in quemcunque Iudi-

cum,comitum,amicorum,vel Palatinorum meorum aliquid veraciter,& manifestè probare posse confidit,quod nō integrè,adque iustè gessisse videatur: intrepidus & securus accedat, interpellet me,ipse audiam omnia,ipse cognoscam:& si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo; dicat securus, & bene sibi conscius dicat: si probauerit, vt dixi, ipse me vindicabo de eo qui me vsque ad hoc tempus simulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobauerit: & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi summa diuinitas semper propitia sit, & me incolumem præstet, vt cupio felicissima & florente republica. PP. XV. Kalend. Octob. Nicomed. Paulino & Iuliano CONSS.

V. Idem A. ad Maximum P.V.

Quodam tempore admissum est,vt non subscribtio, sed professio criminis vno sermone ex ore fugiens,tam accusatorem,quàm reum,sub experiēdi periculo de patria, de liberis,de fortunis, de vita denique dimicare cogeret: ideóque volumus, vt remota professionis licētia, ac temeritate ad subscribtionis morem,ordinémque criminatio referatur,vt iure veteri in criminibus deferendis, omnes vtantur, id est, vt sopita ira, & per hæc spacia mentis tranquillitate recepta, ad supremam actionem cum ratione veniant, adque consilio. Dat. XI. Kalend. Iun. Sirmio, Acc. Romæ, Constantino A. VII. & Constantio C. CONSS.

INTERPRETATIO. *Si quis iratus crimen aliquod temere cuilibet obiecerit,conuicium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio,id quod iratus dixit,per scripturam se probaturum esse fateatur. Quod si fortasse resipiscens post iracundiam,quod dixit iterare,aut fortasse scribere noluerit,non vt reus criminis teneatur.*

VI. Idem A. Secundo P.P.

Edi criminalia acta vt ciuilia iubemus his videlicet,quorum salus ad discrimen vocatur: neque expectari deprecationem actorum,neque arte accusatoris differri, vt de innocentia iudicantis,adque æquitate consistat. Dat. Kalen. Decemb. Ianuarino & Iustô CONSS.

VII. Imp. Constantius A. Domerio Leontio P.P.

Hi,quos custodia delatę criminationis includit,intra vnius mensis spatium audiantur inquisitione completa,ne si delati criminis causam segnius iudicātis lenitudo distulerit,reciprocos pœnæ sortiatur incursus. Dat. XV. Kal. Nou. Burso & Polemio CONSS.

VIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Maximinum Correctorem Tusciæ.

Non sinendum est,vt quisque negotij criminalis strepitu terreatur, nisi inscribtione conscribtus & exhibitionis iniuriam, & rei condicionē sustineat. Dat. XV. Kalend. Decemb. Remis, Acc. Florentiæ, Gratiano Nob. Cæs. & Dagaeleifo CONSS.

IX. Idem AA. ad Valerianum P.V.

Non prius quemquam sinceritas tua ad tuæ sedis examen iubebit adduci, quàm sollemnibus satisfecerit, qui nititur fidem doloris adserere: cum iuxta formam iuris antiqui,ei, qui cœperit vrguere, aut vindicta proposita sit, si vera detulerit: aut supplicium,si fefellerit. Dat. VII. Kal. Decemb. Remis, Gratiano NB. P. & Dagaeleifo CONSS.

INTER-

INTERPRETATIO. *Tam ciuile negotium quàm criminale, accusationem professio manu accusatoris conscripta praecedat.*

x. Idem A. & Gratianus A. ad Florianum Com. Post alia.

Vltra prouinciæ terminos accusandi licētia nō progrediatur. oportet enim illic criminum iudicia agitari, vbi facinus dicatur admissum. Peregrina autem iudicia præsentibus legibus cohercemus. Dat. Id. Nou. Marcianop. Valentiniano & Valente IIII. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est, nam alibi criminum reus prohibetur audiri.*

xi. Idem AAA. ad Florianum Com. Post alia.

Nullus secundum iuris perscribtum, crimen quod intendere proposuerit, exsequatur: nisi subeat inscribtionis vinculum. Etenim qui alterius famā, fortunas, caput denique, & sanguinem in iudicium deuocauerit: sciat sibi impēdere congruam pœnam, si quod intenderit, non probauerit, &c. Dat. v. Idib. Nou. Constantinop. Valentiniano & Valente IIII. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Nisi inscribtione celebrata per ordinem reum quenquam nō fieri, nec ad iudicium exhiberi, quia sicut conuictum pœna constringit, ita & accusatorem, si non probauerit quod obiecit.*

xii. Idem AAA. Laodicio Præsidi Sardiniæ.

Neganda est accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint. Nam sanctionum veterum conditores adimendam licentiam omnibus censuerunt in accusatores suos inuidiosam dicendi vocē. Nullam itaque optineat in iudiciis auctoritatem periclitantium furor: qui si latius euagetur, ne ipse quidem cognitor tutus erit, aut quæstionem securus agitabit, qui exsequendo iuris seueritatem non potest illorum quos punit, odium euitare. Dat. Prid. Id. August. Carnuti, Gratiano A. III. & Equitio V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Non credendum est contra alios eorum confessioni, qui in criminibus accusantur, nisi se prius probauerint innocentes: quia periculosa est, & admitti non debet rei aduersus quemcunque professio.*

xiii. Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. ad Senatum. Post alia.

Prouincialis Iudex, vel intra Italiam cum in eius disceptationem criminalis causæ dictio aduersum Senatorem inciderit, intendendi quidem examinis & cognoscēdi causas habeat potestatem. verum nihil de animaduersione decernens integro non causæ, sed capitis statu referat ad scientiam nostram, vel ad inclytas potestates. Referent igitur præsides & correctores, item consulares, vicarij quoque, proconsules de capite, vt diximus, senatorio negotio examine habito. Referant autem de suburbanis prouinciis Iudices ad præfecturam sedis vrbanæ, de ceteris ad præfecturam prætorio: sed præfecto vrbis cognoscente de capite Senatorum, spectatorum maximè virorum iudicium quinqueuirale sociabitur, & de præsentibus & administratorum honore functis licebit adiungere sorte ductos non sponte delectos, &c. Lecta in Senatu III. Id. Feb. Valente v. & Valentiniano AA. CONSS.

xiiii. Imppp. Grat. Valentin. & Theod. AAA. ad Marinianum Vic. Hisp.

Qui vel † interneciui exerit actionem, vel crimen suspectæ mortis intēdit,

† *aliàs Qui vel ciuilem interneciui*

t

non prius cuiuſcũq; eapud accuſatione pulſet, quàm vinculo legis adſtrictus pari cœperit pœnæ condicione iurgare: ita vt etiam ſeruos ſi quis crediderit accuſandos, non prius ad miſerorum tormenta veniatur, quàm ſe accuſator vinculo inſcribtionis adſtrinxerit. adpetendorum enim cauſa ſeruorum aut diſpẽdium facultatum eſt, aut pœna dominorum. Dat. VI. Kal. Ian. Patani, Merobaude iterum, & Saturnino COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque alium de homicidij crimine periculoſa vel capitali obiectione pulſauerit, non prius à Iudicibus audiatur, quàm ſe ſimilem pœnam, quam reo intendit, conſcripſerit ſubiturum: & ſi ſeruos alienos accuſandos eſſe crediderit, ſe ſimili inſcriptione conſtringat, futurum vt ſupplicia innocentum aut pœna capitis ſui, aut facultatum amiſſione compenſet.*

XV. Idem AAA. Cynegio P.P.

Conceſſum ſinguli vniuerſique cognoſcát non emendicatis ſuffragiis decretorum, ſed lite ſuis nominibus inſtituta inluſtris & magnificæ celſitudinis tuæ adeũdam poteſtatem. quoniam accuſari vnumquemque per alterum nõ oportet, videlicet, vt iuſtitia & æquitate qua notus es in Iudice punias, ſi innoxios verberauit: in officio, ſi fortaſſe conticuit, quod cædi decuriones innoxios non liceret. Dat. Prid. Kalend. Maij, Conſtantinop. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

INTERPRETATIO. *In criminalibus cauſis vel obiectionibus per mandatum nullus accuſet, nec ſi per reſcriptum Principis hoc potuerit impetrare. Sed ipſe qui crimen intendit, præſens per ſe accuſet, inſcriptione præmiſſa. Iudices vero puniẽdi ſunt, & damnandum officium, ſi fortaſſe tacuerint, ſi innocentem niſi præmiſſa inſcriptione ſubdendum crediderint quæſtioni.*

XVI. Idem AAA. Tatiano. PF.P.

Extra prouinciæ terminos accuſatori non erit licentia progredi: quia oportet illic criminũ iudicia fieri, vbi facinus dicitur admiſſum. Dat. III. Kal. April. Honorio NE.P. & Euodio COSS.

XVII. Idem AA. Tatiano P.P. Poſt alia.

Tunc conuenit potentiores viros adeſſe iudiciis, cum eorum præſentiam criminalis per inſcribtionem cauſa depoſcat. Dat. XV. Kal. Mart. Med. Valentiniano A. V. & Neother. COSS.

XVIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Maximo P F.P.

Ne diuerſorum criminum rei, vel deſidia Iudicum, vel quadam lenitatis ambitione per prouincias detenti in carcere crudelius differantur: moneantur omnes Iudices productos è cuſtodiis reos diſceptationi debitæ ſubdere: & quod leges ſuaſerint, definire. Dat. III. Non. Aug. Conſtp. Arca. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Rei non multo tempore in carcere, vel in cuſtodia teneantur, ſed celeriter aut innocentes abſoluantur, aut ſi conuicti fuerint criminoſi, ſententia puniantur.*

XVIIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Coſſ. Prætorib. Tribun. plebis, Senatui, ſalutem dicunt.

Accuſationis ordinem iamdudum legibus inſtitutum ſeruari iubemus, vt quicumque in diſcrimẽ capitis arceſſitur, non ſtatim reus, qui accuſari potuit, æſtimetur: ne ſubiectam innocentiam faciamus: ſed quiſquis ille eſt, qui crimen

men intendit in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inſcribtionis accipiat, cuſtodiæ ſimilitudinem, habita tamen dignitatis æſtimatione, patiatur: nec impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij. Nemo ſibi tamen obiectu cuiuſlibet criminis blandiatur, de ſe in quæſtione confeſſus, veniam propter flagitia ſperans adiuncti, vel communione criminis conſortium perſonæ ſuperioris optans, aut inimici ſupplicio in ipſa ſupremorum ſuorum ſorte ſociandus, aut eripi ſe poſſe confidens ſtudio, aut priuilegio nominati: cum veteris iuris auctoritas de ſe confeſſos, ne interrogari quidem de aliorum cõſcientia ſinat. Nemo igitur de proprio crimine confitentem, ſuper conſcientia ſcrutetur aliena. Nemo credat ſponte fingenti: commonitoriis, ſecretiſque mandatis fidem penitus abnegamus, &c. Dat. VIII. Id. Aug. Rauennæ, Aſclepiodoto, & Mariano COSS.

INTERPRETATIO. *Ante inſcriptionem nemo efficitur criminoſus: Nam inſcriptione per ordinem facta, tunc à Iudice ſuſcipiendus eſt reus, & cuſtodiæ cum accuſatore tradendus eſt, ea tamen ratione, vt tam accuſati, quàm accuſatoris dignitas æſtimetur, & vnumquenque ante diſcuſſionem ita Iudex faciat cuſtodiri, vt eorum natales aut dignitas patiuntur. Sanè his qui crimina ſua in quæſtione confeſſi ſunt, de aliis ſi dicere voluerint, à Iudice non credatur: quia iure & legibus conſtitutum eſt, vt ſpontanea profeſſione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui ſe criminoſum eſſe confeſſus eſt.*

De exhibendis, vel tranſmittendis reis. *Tit. II.*

I. Impp. Iulianus A. Salluſtio PP.

IVs Senatorum & auctoritatẽ eius ordinis, in quo nos quoque ipſos eſſe numeramus, neceſſe eſt ab omni iniuria defendere. Si quis ergo Senator ſocius criminis inſimulatus fuerit, ante cauſę cognitionem omni terrore calũniæ, omni ſuſpicionis moleſtia careat, vacuus ſit prorſus & liber, antequàm re conuicta crimen agnoſcat, & exuat dignitatem. Dat. Non. Feb. Conſtantinop. Mamertino, & Neuitta COSS.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. Valentino Conſular. Piceni.

Quiſquis fuerit, quem crimen pulſat, quem negotium tangit, comprehenſum eum Iudex ſub cuſtodia conſtituat, atque ita vel cauſæ meritum vel perſonæ qualitatem ad nos referat: vel, ſi longius fuerimus, ad inluſtres viros Prȩfectos prætor. ſiue ad Magiſtros militũ, ſi militaris fuerit perſona, ne ſub ſpecie, vel veræ, vel ementitæ dignitatis facinora dilabantur. Dabimus enim formam, quam vnuſquiſque Iudex ſequetur in eo, qui reus fuerit inuentus: interim ille, qui in ſuſpicionem venerit negotij criminalis, cuiuſcunque honoris eſſe dicatur, comprehenſus ex officio non recedat. Dat. XI. Kal. Feb. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Eutropio P.P.

Nullus in carcerem prius quàm conuincatur, omnino vinciatur. Ex lõginquo ſi quis eſt acciendus, non prius adſimulanti adcõmodetur adſenſus, quã ſollemni lege ſe vinxerit, & in pœnam reciproci ſtilo trepidãte recauerit. Eiq;

qui deducendus erit,ad disponendas res suas,componédósque mæstos penates,spatium coram loci iudice,aut etiam magistratibus dierum xxx.tribuatur, nulla remanente apud eum,qui ad exhibendum missus est, copia nũdinandi, Qui postea quàm ad Iudicem venerit,adhibita aduocatione, ius debebit explorare quæsitum:ac tam diu pari cum accusatore fortuna retineri,donec repperit cognitio celebrata discrimen. Dat.III.Kal.Ian. Constantinop.Gratiano v. & Theod.AA.COSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA.
Drepanio Proconf. Africæ.

Neminem iudicio exhibendum esse præcipimus,nisi de cuius exhibitione Iudex pronunciauerit. Dat.Prid.Non.Feb.Med.Valentiniano A.IIII.& Neotherio COSS.

V. Impp.Honor.& Theod.AA.Cęciliano P.P.

Defensores ciuitatum,curatores,magistratus & ordines,oblatos sibi reos in carcerem non mittant,sed in ipso latrocinio,vel congressu violentiæ,aut perpetrato homicidio,stupro,vel raptu,vel adulterio deprehensos,& actis municipalibus sibi traditos,expresso crimine prosecutionibus arguentium cum his à quibus fuerint accusati, mox sub idonea prosecutione ad iudicium dirigãt, &c. Dat.XII.Kal.Feb.Rau.Honor.VIII.& Theod.III.AA.COSS.

VI. Impp.Honor.& Theod.AA.Cæciliano P.P.

Si quos præcepto Iudicum præmisso inscribtionis vinculo reos factos adminiculum curiæ proprie dirigere iussum fuerit: municipalibus actis interrogentur, an velint iuxta præceptum triumphalis patris nostri XXX. diebus sibi concessis sub moderata & diligenti custodia propter ordinationem domus propriæ,parandósque sibi sumptus in ciuitate residere. Quod si fieri voluerint,hoc genus beneficij cupientibus non negetur.Si verò dirigi velint, mox reos cum suis accusatoribus mittant, nec ad arbitrium aduersariorum in ciuitatibus retineri patiantur,&c.Dat. XII. Kal.Feb.Rau. Honor. VIII. & Theod. AA. COSS.

De custodia reorum. *Tit. III*

I. Imp.Constantinus A ad Florentium Rationalem.

IN quacũque causa reo exhibito, siue accusator exsistat,siue eum, publicę sollicitudinis cura perduxerit: statim debet quæstio fieri, vt noxius puniatur,innocens absoluatur.Quod si accusator aberit ad tempus,aut sociorum præsentia necessaria videatur: id quidem debet quàm celerrime procurari.Interea viro exhibito,non ferreas manicas& inhærentes ossibus mitti oportet,sed prolixiores catenas,vt & cruciatio desit & permaneat fida custodia.Nec verò sedis intimæ tenebras pati debebit inclusus,sed vsurpata luce vegetari: & vbi nox geminauerit custodiam, vestibulis carcerum & salubribus locis recipi,ac reuertente iterum die ad primum solis ortum ilico ad publicum lumen educi,ne pœnis carceris perimatur,quod innocentibus miserum,noxiis non satis seuerum esse cognoscitur. Illud etiam obseruabitur, vt neque his,qui stratorum funguntur officio,neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere, & innocentes intra carcerum septa leto dare, aut subtractos audientiæ longa tabe consumere. Non

Non enim existimationis tantum, sed etiam periculi metus iudicij imminebit, si aliquem vltra debitum tempus inedia, aut quocúque modo aliquis stratorum exhauserit: & non statim eum, penes quem officij custodiæ est, adque eius ministros capitali pœna subiecerit. Dat. Prid. Kal. Iul. Serdicæ Cõstantino A. VI. & Constantio Cæs. COSS.

II. Idem A. ad Euagrium.

Si quis in ea culpa vel crimine fuerit deprehensus, quod dignum claustris carceris & custodiæ squalore videtur: auditus apud acta cum de admisso constiterit, pœnam carceris sustineat, atque ita postmodum eductus apud acta audiatur. Ita enim quasi sub publico testimonio cõmemoratio admissi criminis fiet, vt Iudicibus inmodicè sęuientibus freni quædam adtemperies adhibita videatur. Dat. III. Non. Feb. Heracleæ, Constantino A. VII. & Constantio Cęs. COSS.

III. Imp. Constantius A. Acyndino P.P.

Quoniam vnum carceris conclaue permixtos secum criminosos includit: hac lege sancimus, vt etiam si pœnæ qualitas permixtione iungẽda est, sexum tamen disparem diuersa claustrorum habere tutamina iubeatur. Dat. Non. April. Acyndino & Proculo COSS.

INTERPRETATIO. *Viri & mulieres, etiam si criminis æqualitate iungantur, non tamen in vnius carceris custodia teneantur.*

IIII. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Valerianum Vic. Hispaniar. post alia.

Nullus antè carceris custodiæ mancipetur, quàm ab eo qui in accusationem eius erupit, in codice publico solemnia inscribtionis impleta sint. Prælata litteris v.c. Vicarij, VI. Id. Sept. Veronæ, Valentiniano & Valente AA. COSS.

V. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum P.P.

Ad commentariensem receptarum personarum custodia, obseruatióque pertineat: nec putet hominem abiectum atque vilem, obiciendũ esse iudiciis, si reus condicione aliqua fuerit elabsus. Nam ipsum volumus eius pœna consumi, cui obnoxius docebitur fuisse, qui fugerit. Si verò commẽtariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit, adiutorem eius pari iubemus inuigilare cura, & eadem statuimus legis seueritate constringi. Dat. III. Kal. Iul. Contionaci, Gratiano A. V. & Probo COSS.

INTERPRETATIO. *Si de carcere reus fugerit, ab eo cui est traditus requiratur, qui si eum non potuerit præsentare, nouerit negligens custos, illius se aut damnum aut pœnam qui fugerit subiturum.*

VI. Imppp. Gratianus, Valentin. & Theod. AAA. Eutropio P.P.

De his quos tenet carcer, id aperta definitione sancimus, vt aut conuictum velox pœna subducat: aut liberandum custodia diuturna non maceret. Temperari autem ab innoxiis austera pręceptione sancimus, & prædandi omnem segetem de neglegẽtia Iudicum prouinciarũ ministris feralibus amputamus, Nam nisi intra tricensimum diem semper commentariensis ingesserit numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem, ætatémque vinctorum, officium viginti auri libras ærario nostro iubemus inferre: Iudicẽ desidem ac resupina ceruice tantum titulum gerentem, extorrem impetrata

fortuna, decem auri libris multandum esse censemus. Dat. III. Kal. Ian. Constantinop. Gratiano v. & Theod. I. AA. COSS.

VII. Impp. Honorius, & Theod. AA. Cæciliano PP. Post alia.

Iudices omnibus dominicis diebus productus reos è custodia carcerali videant, interrogent, ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes denegetur. Victualem substantiam non habentibus faciant ministrari, libellis duobus aut tribus diurnis, vel quod æstimauerint commentariensi decretis, quorum sumptibus proficiant alimoniæ pauperum, quos ad lauacrum sub fida custodia duci oportet: multa Iudicibus viginti librarum auri, & officiis eorum eiusdem ponderis constituta, ordinibus quoque trium librarum auri multa proposita, si saluberrimè statuta contempserint. nec deerit antistitum Christianæ religionis cura laudabilis, quæ ad obseruationem constituti Iudicis hanc ingerat monitionem. Dat. VIII. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. VI. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Omnibus dominicis diebus Iudices sub fida custodia de carceribus reos educant, vt eis à Christianis vel à Sacerdotibus substantia præbeatur, & ad balneum prædictis diebus sub fida custodia religionis contemplatione ducantur. Si qui Iudices hoc implere neglexerint, pœnam quam lex ipsa constituit, cogantur implere.*

Si quis Imperatori maledixerit. *Tit. IIII.*

I. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Rufino P.P.

SI quis modestiæ nescius & pudoris ignarus, inprobo, petulantíque maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit: eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid nec asperum sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus ad nostrã scientiam referatur, vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrũ prætermitti, an exquiri debeat, censeamus. Dat. v. Id. Aug. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio v. c. COSS.

Ad legem Iuliam maiestatis. *Tit. V.*

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum P.V.

SI quis alicui maiestatis crimen intenderit, cum in huiuscemodi re conuictus minime quisquam priuilegio dignitatis alicuius adstrictiore inquisitione defendatur: sciat se quoque tormentis esse subdendum (si aliis manifestis indiciis accusationem suam non potuerit comprobare) cum eo, qui huius esse temeritatis deprehenditur. Illum quoque tormentis subdi oportet, cuius consilio, atque instinctu ad accusationem accessisse videbitur, vt ab omnibus commissi consciis statuta vindicta possit reportari. In seruis quoque vel libertis, qui dominos, aut patronos accusare, aut deferre temptauerint, professio tam atrocis audaciæ statim in admissi ipsius exordio per sententiam Iudicis comprimatur, ac denegata audientia patibulo adfigatur. PP. Kal. Ianu. Volusiano & Anniano COSS.

Ne

Ne præter crimen maiestatis seruus dominum, vel patronum libertus seu familiaris accuset. *Tit. VI.*

I. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Maximum PP.

Cum Essent liberti capitalium criminum tumultu, & nefariæ delationis indiciis auctores libertatis incessere, ita vt tam nefandos conatus ferri aut ignium pœna conpescat. PP. Id. Mart. Valente v. & Valentiniano. AA. COSS.

II. Idem AAA. ad Maximum P.P.

Cum accusatores serui dominis intonent, nemo iudiciorum expectet euentum, nihil quæri, nihil discuti placet, set cum ipsis delationũ libellis, cum omni scribturarum & meditati criminis apparatu nefandarum accusationũ crementur auctores: excepto tamen adpetitæ maiestatis crimine, in quo etiam seruis honesta proditio est. Nam & hoc facinus tendit in dominos. Dat. Id. Mart. Valente v. & Valentiniano AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Seruus dominum accusans non solum audiendus non est, verum etiam puniendus, nisi forte dominum de crimine maiestatis tractasse probauerit.*

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano P.P.

Si quis ex familiaribus, vel ex seruis in quemlibet dominum cuiuscunque criminis delator adque accusator emerserit, eius existimationẽ, caput, adque fortunas petiturus, cuius familiaritati vel dominio inhæserit, ante exhibitionem testium, ante examinatum iudicium in ipsa expositione criminum adq; accusationis exordio, vltore gladio feriatur. Vocem enim funestam intercidi oportet potius, quàm audiri. Maiestatis crimen excipimus. Dat. VI. Id. Nou. Constp. Cæsario & Attico COSS.

INTERPRETATIO. *Si seruus dominum, aut amicus, vel domesticus, siue libertus patronum accusauerit, vel detulerit cuiuslibet criminis reum, statim in ipso initio accusationis gladio puniatur: quia vocem talem extingui volumus, non audiri, nisi forte dominum aut patronum de crimine maiestatis tractasse probauerit.*

IIII. Impp. Honor. & Theod. AA. ad Senatum. Post alia.

Libertorum aduersus patronos inlicitas adque improbas voces pœnæ obiectione præcludimus: adque ita vt non modo sponte prodere non audeant, sed ne vocati quidem in iudicium venire cogantur, &c. Dat. VII. Id. Aug. Rau. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

INTERPRETATIO. *Liberti accusatores patronorum vbi primum in accusationis vocem proruperint, puniantur.*

Ad legem Iuliam de adulteriis. *Tit. VII.*

I. Imp. Constantinus A. Africano V.C.

Quæ adulterium commisit, vtrum domina cauponæ, an ministra fuerit, requiri debebit, & ita obsequio famulata seruili, vt plerumque ipsa intemperãtiæ vina præbuerit: Vt si domina tabernæ fuerit, non sit à vinculis iuris excepta. Si verò potantibus ministeriũ præbuit, pro vtilitate eius quæ in reatum deducitur, accusatione exclusa, liberi qui accusantur, abscedant: cùm ab his feminis pudicitiæ ratio requiratur, quæ iuris nexibus detinentur: hæ autem immunes à iudiciaria seueritate præstentur, quas vilitas vitæ dignas legum obseruatione non credidit. Dat.

III. Non.Feb.Heracleæ, Constantino A.VII. & Constantio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Tabernæ domina, hoc est vxor tabernarij, si inuenta fuerit in adulterio, accusari potest. Si vero eius ancilla, vel quæ ministeriũ tabernæ præbuit, in adulterio fuerit deprehensa, pro vilitate dimittetur. Sed & si ipsa tabernarij vxor tam vilis ministerij officium egerit, in adulterio fuerit deprehensa, accusari non potest à marito.*

II. Idem A. ad Euagrium PF.P.

Quamuis adulterij crimen inter publica referatur, quorum delatio in commune omnibus sine aliqua legis interpretatione conceditur: tamen ne volentibus temere liceat fœdare connubia, proximis necessariisque personis solummodo placet deferri copiam accusandi: hoc est patrueli, consobrino, & consanguineo maxime fratri, quos verus dolor ad accusationem impellit. Sed & his personis legem imponimus, vt crimen abolitione conpescant. In primis maritum genialis tori vindicem esse oportet: cui quidem ex suspicione etiam ream coniugem facere, nec intra certa tempora inscribtionis vinculo cõtineri, veteres retrò principes adnuerunt. Extraneos autem procul arceri ab hac accusatione censemus. Nam etsi omne genus accusationis necessitas inscribtionis adstringat: nonnulli tamen proteruè id faciunt, & falsis contumeliis matrimonia deformant. PP. Nicomediæ, III. Kalend. Maij. Constantino A.VII. & Constantio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *In adulterio extraneam mulierẽ nullus accuset, sed propinqui ad quorum notam pertinet, hoc est, frater germanus, frater patruelis, patruus, & consobrinus, qui tamen ante inscriptionem, si accusata adquieuerit, possunt per satisfactionem veniam promereri: reliqui ab accusatione prohibentur. Maritis sanè etiam ex suspitione accusare permissum est.*

III. Impp. Constantius & Constans AA. ad populum.

Cum vir nubit in femina, viros proiectura, quid cupiat, vbi sextus perdidit locum? vbi scelus est id, quod non proficit scire? vbi Venus mutatur in alterã formam? vbi amor quæritur, nec videtur? iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pœnis subdantur infames qui sunt, vel qui futuri sunt rei. Dat. Prid. Non. Decemb. Med. PP. Romæ. XVII. Kal. Ianuar. Cõstantio VIIII. & Constante AA. COSS.

IIII. Imppp. Gratianus, Valentinian. & Theod. AAA. Cynegio P.P.

In adulterij quæstione ab omni familia non solum mariti, sed etiam vxoris (quæ tamen tunc tẽporis domi fuerit, quo adulteriũ dicatur admissum) quærendum est sine defensione cuiusquam. Idem volumus, & si forte mulier marito mortis parasse insidias, vel quolibet alio genere voluntatẽ occidendi habuisse inueniatur: parem etiam condicionem in interrogatione mancipiorũ seruari volumus, si fortè maritus eo modo insectetur vxorem. Dat. III. Id. Decemb. Constantinop. Arcad. A.I. & Bautone COSS.

INTERPRETATIO. *De adulterio vxorum, mariti per tormenta familiæ vtriusque, hoc est, suæ & vxoris quærere permittuntur: si tamen illo tempore quo admissum dicitur, hæc ipsa mancipia præsentia, aut in eadem domo fuisse probantur. Similiter & si mortem sibi ab vxore adultera maritus paratam fuisse conqueratur, vtriusque familiæ discussione quæri licet. Similiter etiam familiæ vtriusque pœna quærẽdum est, si maritus mortem vxoris qualibet ratione parauerit.*

V. Imppp.

v. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio P.P.

Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudææ Christianus coniugium sortiatur. Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterij vicem commissi huius crimē obtinebit: libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata. Dat. Prid. Id. Mart. Thessal. Theod. A. II. & Cynegio COSS.

INTERPRETATIO. *Nec Iudæus Christianam, nec Christianus Iudæam ducat vxorem: quod si fecerit, cuiuslibet accusatione, velut in adulteros, vindicetur.*

VI. Idem AAA. Orientio Vic. Vrb. Romæ.

Omnes quibus flagitij vsus est virile corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia, nihil enim discretum videntur habere cum feminis) huiusmodi scelus expectante populo flammis vindicibus expiabunt. PP. in Foro Traiani, VIII. Id. August. Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

Hæc lex interpretatione non indiget.

VII. Impp. Theod. Arcad. Hono r. AAA. Rufino P.P.

Adulterij accusatione proposita, præscribtiones ciuiles, quibus aut dos repeti fingitur, aut ex ratione aliqua debitum flagitatur, quæ occurrere adque † perstrepere examini consueuerunt, iussimus sequestrari, nec earum obice aliquid negotio tarditatis adferri: sed accusatione fundata, hoc est cum quo iure, quóve tempore actio fuerit intromissa, constiterit, discutiatur crimen, facti qualitas publicetur, cum & iurgia quæ magnitudine superant, præponantur, cum & ciuilis actio criminali iure postponitur. Idem tamen cum competere cœperit, habitura momenti: dummodo nón obsit examini. Dat. VII. Id. Decemb. Constantinop. Arcadio A. II. & Rufino COSS.

† al. prascribere

INTERPRETATIO. *Cum adulterium maritus accusator obiecerit, dotis aut donationis repetitio conquiescat. quia ciuilem repetitionem misceri criminali accusationi non oportet.*

VIII. Idem AA. Rufino P.P.

Si qui adulterij fuerint accusati, & obtentu proximitatis intentata depulerint, per commemorationem necessitudinis fidem crimini derogando, dum existimatur non debere credi, quod allegatur, non potuisse committi: hi, si postmodum in nuptias suas consortiúmque conuenerint, facinus illud quo fuerint accusati, manifesta fide, atque indiciis euidentibus publicabunt. vnde si qui eiusmodi repperti fuerint, iussimus in eosdem seuerissimè vindicari, & veluti conuictum facinus confessúmque puniri. Dat. Prid. Non. Decemb. Constantinopoli, Theod. A. III. & Abundantio COSS.

INTERPRETATIO. *Qui in adulterio accusantur, & se propinquitatis aut amicitiarum excusatione defenderint, si fortasse quolibet tempore secretum crimen publica coniunctione prodiderint, eos velut manifestos adulteros puniri placet.*

VIIII. Idem AAA. Gildoni Com. & Magistro vtriusque mil. per Africam.

Si quis adulterij reus factus, accusatoris mariti forum declinare temptauerit: in hoc non possit eludere, nec prærogatiua militari defensetur, ibi confestim audiendus, vbi fuerit accusatus. Dat. III. Kal. Ian. Constantinop. Theodosio A. III. & Abundantio COSS.

Si quis eam, cuius Tutor fuerit, corruperit. *Tit. VIII.*

1. Imp. Constantinus A. ad Bassum Vic. Ital. Post alia.

VBi puella ad annos adultæ ætatis accesserit, & adspirare ad nuptias cœperit: Tutores necesse habeāt cõprobare, quod puellæ sit intemerata virginitas, cuius cõiunctio postulatur. quod ne latius porrigatur, hic solus debet Tutorē nexus adstringere, vt se ipsum probet ab iniuria læsi pudoris immunem. Quod vbi constiterit, omni metu liber optata coniunctione frui debebit, officio seruaturo, vt si violatæ castitatis apuT ipsum facinus hæreat, deportatione plectatur, aDq; vniuersæ eius facultates fisci viribus vindicentur: quamuis eam pœnam debuerit sustinere, quam raptori leges iNponunt. Dat. Prid. Non. Aquil. Constantino A. VII. & Constātio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Vbi primum puellæ sub Tutore viuentes ad annos peruenerint nuptiales, & quicunque petitor accesserit, non prius puella iungatur, nisi virginitas illius quod à Tutore seruata sit, fuerit approbata: nam si ab ipso Tutore conuincitur esse violata virginitas, statim exilio deputetur, & res illius omnes fiscus vsurpet.*

De mulieribus, quæ se seruis propriis iunxerunt. *Tit. VIIII.*

1. Imp. Constantinus A. ad populum.

SI qua cum seruo occulte rem habere detegitur, capitali sentētia subiugetur, tradendo ignibus verberone. Sítque omnibus facultas crimen publicum arguendi, sit officio copia nunciandi, sit etiam seruo licentia deferendi, cui probato crimine libertas dabitur: cùm falsæ accusationi pœna immineat, ante legem nupta tali cõsortio segregetur, non solùm domo, verum etiam prouinciæ communione priuata, amati abscessum defleat relegati. Filij, etiam quos ex hac coniunctione habuerit, exuti omnibus dignitatis insignibus, in nuda maneant libertate, neque per se, neque per interpositam personam quolibet titulo voluntatis accepturi aliquid ex facultatibus mulieris. Successio autem mulieris ab intestato, vel filiis, si erunt legitimi, vel proximis cognatísque deferatur, vel ei quem ratio iuris admittit: ita vt & quod ille qui quondam amatus est, & quod ex eo suscepti filij quolibet casu in sua videntur habuisse substantia, dominio mulieris sociatum, à memoratis successoribus vindicetur. His ita omnibus obseruandis, & si ante legem decessit mulier, vel amatus, quoniam vel vnus auctor vitij censuræ occurrit. Sin vero iam vterque decessit, suboli parcimus, ne defunctorū parentum vitiis prægrauetur, sint filij, sint potiores fratribus proximis aDque cognatis, sint relictæ successionis heredes. post legem enim hoc committentes morte punimus. Qui vero ex lege disiuncti clam denuo conuenerint, congressus vetitos renouantes: hij seruorum indicio, vel speculantis officij, vel etiam proximorum delatione conuicti, pœnam similem sustinebunt. Dat. IIII. Kal. Iul. Serdicæ, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si qua ingenua mulier seruo proprio se occulte miscuerit, capitaliter puniatur. Seruus etiam qui in adulterio dominæ conuictus fuerit, ignibus exuratur. In potestate habeat huiusmodi crimen quicunque voluerit accusare. Serui etiam aut ancillæ si de hoc crimine accusationem detulerint, audiantur: ea tamen ratione vt si probauerint, libertatem consequantur, si fefellerint, puniantur. Hereditas mulieris quæ*

se tali

se tali crimine maculauerit vel filiis si sunt ex marito suscepti vel propinquis ex lege venientibus tribuatur.

Ad legem Iuliam de vi publica & priuata. Tit. X.

I. Imp. Constantinus A. ad Catullinum Proc. Africæ.

QVi in iudicio manifestam detegitur commisisse violentiã, non iam relegatione aut deportatione insulæ plectatur, sed suppliciũ capitale excipiat, nec interposita prouocatione sentẽtiam, quæ in eum fuerit dicta, suspendat. quoniam multa facinora sub vno violentię nomine continentur, cum aliis vim inferre temptantibus, aliis cum indignatione repugnantibus, verbera, cædésque crebro detegũtur admissæ. Vnde placuit, vt si forte quis vel ex possidentis parte, vel ex eius qui possessionem temerare tẽptauerit, interemptus sit: in eum supplicium exeri, qui vim facere temptauit, & alterutri parti causam malorum præbuit. Dat. xv. Kal. Maij, Serdicæ, Gallicano & Basso COSS.

INTERPRETATIO. *Cõuictus in iudicio de euidenti violentiæ crimine, capite puniatur, nec sententiam Iudicis qui damnatus est qualibet appellatione suspendat: & si fortasse homicidia ab vtraque parte commissa fuerint, in illum vindicetur, qui vt alium per cædem expelleret violenter ingressus est.*

II. Idem A. ad Bassum P. V.

Si quis per violentiam alienum fundum inuaserit, capite puniatur. Et siue quis ex eius parte, qui violẽtiam inferre temptauerit, siue ex eius qui iniuriam repulsauerit, fuerit occisus, eum pœna adstringat, qui vi deiicere possidentem voluerit. Dat. vi. Id. Mar. Rom. Gallicano & Basso COSS.

III. Idem A. ad Bassum P. V.

Si quis ad se fundum, vel quodcumque aliud adserit pertinere, ac restitutionem sibi conpetere possessionis putat: ciuiliter super possidẽdo agat, aut impleta solemnitate iuris crimen violentiæ obponat: non ignarus eam se sententiam subiturum, si crimen obiectum non potuerit comprobare, quam reus debet excipere. Quod si omissa interpellatione vim possidenti intulerit, ante omnia violentiæ causam examinari præcipimus, & in ea requiri, quis ad quem venerit possidentem: vt ei, quem constiterit expulsum, amissæ possessionis iura reparentur: eadémque protinus restituta, violentus pœnæ non immerito destinatus, in totius litis terminũ differatur: vt agitato negotio principali, (si contra eum fuerit iudicatum) in insulam deportetur, bonis omnibus abrogatis. Quod si pro eo, quem claruerit esse violẽtum, sententia proferetur, omnium rerum, de quibus litigatum est, media pars penes eum resideat, cetera fisci viribus vindicentur. PP. Prid. Non. Octob. Rom. Constantino A. V. & Licin. Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis aduersarium suum ita apud Iudicem crediderit accusandum, vt se adserat violentiam pertulisse, ad probationem rei eum cõuenit adtineri: quod si probare non potuerit, quem dixerat violentum, eandem pœnam suscipiat, quam ille quem impetit conuictus potuisset excipere. De reliquo hæc lex prætermittenda est, quia in quarto libro sub titulo Vnde vi, quæ tamen temporibus posterior inuenta est, habetur exposita.*

IIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Albinum P. V.

Seruos, qui fecisse violentiam confessionibus testium aut propriis decebuntur, si id inscio domino commiserint, postremo supplicio deditos, luere perpetrata censemus. Quod si illi metu atque exhortatione dominorum violentiam admiserint, palam est secundum legem Iuliam, dominum infamem pronunciandum, loci aut originis propriæ dignitate non vti. Seruos verò quos furoribus talium paruisse constiterit, metallis per sententiam dedi: Viles autem infamésque personæ, & hi qui bis aut sæpius violentiam perpetrasse cōuincentur, Constitutionum diualium pœna teneantur. Iudicem verò nosse oportet, quod graui infamia sit notandus, si violentiæ crimē aput se probatum distulerit, omiserit, vel impunitate donauerit, aut molliore, quàm præstituimus, pœna perculerit. Dat. Prid. Non. Mar. Med. Valentiniano A. IIII. & Neotherio v.c. COSS.

INTERPRETATIO. *Si serui inscio domino confessi, vel conuicti fuerint violentiā commisisse, addicti tormentis grauibus puniuntur. Si vero iubentibus dominis violentiæ crimen admiserint, domini qui illicita præceperunt, notantur infamia, & nobilitatis, vel honoris sui dignitatem tenere non possunt. Serui autē qui talibus dominorum furoribus paruerunt, in metallum detruduntur. Ceterum non liceat Iudicibus discussionem violentiæ differre, vel dimittere, vel donare, qui si probauerint violentiam, & non statim vindicauerint, nouerint se periculum subituros. Viles autem personæ, quæ bis aut frequenter admisisse violentiam comprobantur, constituta legibus pœna suprascripta omnimodis feriantur.*

De priuati carceris custodia. *Tit. XI.*

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Erytrio Præf. August.

SI quis posthac reum priuato carcere destinarit, reus maiestatis habeatur. Dat. Prid. Kal. Maij, Thessal. Theod. A. v. & Cynegio v.c. COSS.

Ista interpretatione non indiget.

De emendatione seruorum. *Tit. XII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Bassum.

SI virgis aut loris seruum dominus adflixerit, aut custodiæ causa in vincla coniecerit: dierum distinctione siue interpretatione depulsa, nullum criminis metum mortuo seruo sustineat. Nec vero immoderatè suo iure vtatur: sed tunc reus homicidij sit, si voluntate eum vel ictu fustis, aut lapidis occiderit: vel certe telo vsus letale vulnus inflixerit, aut suspendi laqueo præceperit, vel iussione tætra præcipitandum esse mandauerit, aut veneni virus infuderit, vel dilaniauerit pœnis publicis corpus ferarum vestigiis latera persecando, vel exurendo admotis ignibus membra, aut tabescentes artus atro sanguine permixta sanie defluētes, prope in ipsis adegerit cruciatibus vitam linquere sæuitia immanium barbarorum. Dat. v. Id. Maij, Rom. Constantino A. v. & Licinio COSS.

II. Idem A. Maximiano Macrobio.

Quotiens verbera dominorum talis casus seruorum comitabitur, vt moriantur: culpa nudi sunt, qui dum pessima corrigunt, meliora suis adquirere

vernaculis

vernaculis voluerunt. Nam requiri in huiusmodi facto volumus, in quo interest domini incolume iuris proprij habere mancipium, vtrum voluntate occidēdi hominis, an vero simpliciter facta castigatio videatur. totiēs etenim dominum non placet morte serui reum homicidij pronuntiari, quotiens simplicibus quæstionibus domesticam exerceat potestatem. Si quando igitur serui plagarum correctione inminente fatali necessitate, rebus humanis excedunt: nullam metuant domini quæstionem. Dat. XIIII. Kalend. Mart. Sirmio Cōstantino A. VII. & Constante Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Si seruus, dum dominus culpam vindicat, mortuus fuerit, dominus non tenetur culpa homicidij quia tunc homicidij reus est, si occidere voluisse cōuincitur: nam emendatio non vocatur ad crimen.*

De emendatione propinquorum. Tit. XIII.

I. Impp. Valentinianus & Valens, AA. ad Senatum.

IN corrigendis minoribus pro qualitate delicti senioribus propinquis tribuimus potestatem: vt quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non prouocant, saltem correctionis medicina cōpellat. Neque nos in puniendis morum vitiis potestatem in immentum extendi volumus, sed iure patrio auctoritas corrigat propinqui iuuenis erratum, & priuata animaduersione conpescat. Quod si atrocitas facti ius domesticæ emēdationis excedit, placet enormis delicti reos dedi Iudicum notioni. Dat. Prid. Kal. Decemb. Valentiniano & Valente. COSS.

INTERPRETATIO. *Propinquis senioribus lege permittitur, errorem vel culpas adolescentium propinquorum patria destrictione corrigere, id est, vt si verbis vel verecūdia emendari non possint, priuata destrictione verberibus corrigantur. Quod si grauior culpa fuerit adolescentis, quæ priuatim emendari non possit, in notitiam Iudicis deferatur.*

Ad legem Corneliam de sicariis. Tit. XIIII.

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum. P.P.

SI quis necandi infantis piaculum adgressus adgressáve sit: erit capitale istud malum. PP. VII. Id. Febr. Rom. Gratiano A. III. & Equitio, COSS.

INTERPRETATIO. *Siue vir siue mulier infantem necauerit, rei homicidij teneantur.*

II. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Prouinciales.

Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, vt quicunque militum, vel priuatorum ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequētata insidiis adgressionis obsederit: permissa cuicunque licētia dignus ilicò supplicio subiugetur, ac mortē quam minabatur, excipiat: & id quòd intēdebat, incurrat. melius est enim occurrere in tempore, quàm post exitum vindicari. Vestram igitur vobis permittimus vltionem, & quos serum est punire iudicio subiugamus edicto. Nullus parcat militi, cui obuiari telo oporteat vt latroni. Dat. Kal. Iul. Tatiano & Symmacho COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties ad faciendam rapinam, aliquis aut iter agẽtem, aut domum cuiuslibet nocturnus expoliator adgreditur, huiusmodi personis, quæ vim sustinent, damus etiam cum armis licentiam resistendi, & si pro temeritate sua occisus fuerit ille, qui venerit, mors latronis ipsius à nemine requiratur.*

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano P.P.

Quisquis cum militibus, vel priuatis, barbaris etiam scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramenta, vel dederit de nece etiã virorum inlustrium, qui consiliis & consistorio nostro intersunt. Senatorũ etiã (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) cuiuslibet postremo qui nobis militat, cogitarit, (eadem enim seueritate volũtatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerũt) ipse quidem (vt pote maiestatis reus) gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis. Filij verò eius, quibus vita imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberẽt perire supplicio, in quibus paterni hoc est hereditarij criminis exempla metuantur) à materna vel auita omniũ etiam proximorũ hereditate ac successione habeantur alieni, testamẽtis extraneorũ nihil capiãt, sint perpetuò egẽtes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos vnquã honores, nulla prorsus sacramenta perueniãt: sint postremo tales, vt his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatio, & vita supplicio. Denique iubemus etiã eos notabiles esse sine venia, qui pro talibus vmquam aput nos interuenire temptauerint. Ad filias sanè eorũ quolibet numero fuerint, Falcidiam tãtum ex bonis matris siue testata, siue intestata defecerit, volumus peruenire: vt habeant ingratæ potius filiæ alimoniam, quàm integrè emolumentum ac nomen heredis. mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. Emãcipatio, quæ à prædictis siue in filios post legem duntaxat latam, siue in filias fuerit conlata: non valeat. Dotes, donationes, quarumlibet postremo rerum alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude, vel iure factas esse cõstiterit: quo primum memorati de ineunda factione ac societate cogitauerint, nullius statuimus esse momeñti. Vxores sanè prædictorum recuperatas dotes, si in ea condicione fuerint, vt quæ à viris titulo donationis acceperint filiis debeãt reseruare, tempore quo vsusfructus absumitur, omnia fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ iuxta legem filiis debebãtur, Falcidia etiam ex his rebus filiabus tãtùm, non etiam filiis deputata. Id quod de prædictis eorum filiis cauimus, etiam de satellitibus consciis, ac ministris, filiisque eorum simili seueritate censemus. Sanè si quis ex his in exordio initæ factionis studio veræ laudis accensus, ipse prodiderit factionem: & præmio nobis & honore donabitur. Is vero, qui vsus fuerit factione, si vel sero tamen incognita adhuc consiliorũ arcana patefecerit: absolutione tantùm ac venia dignus habebitur. Dat. Prid. Non. Septemb. Ancyræ, Cæsario & Attico COSS.

De parricidio. *Tit. XV.*

I. Imp. Constantinus A. ad Verinum Vic. Africę.

SI quis in parentis, aut filij, aut omnino affectionis eius, quæ nuncupatione patricidij continetur, fata properauerit: siue clam, siue palam id fuerit enisus, neque gladio, neque ignibus, neque vlla alia sollemni pœna subiugetur, sed insutus culleo & inter eius ferales angu-

stias

ſtias comprehenſus, ſerpentum cõtuberniis miſceatur: & vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare vel amnem proiiciatur: vt omni elementorum vſu viuus carere incipiat, vt ei cælum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur. Dat. XVI. Kalend. Decemb. Licinio v. & Criſpo Cæſ. COSS. Accept. Prid. Id. Mart. Cartagine Conſtantino A. v. & Licinio Cæſ. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis patrem, matrem, ſororem, filium, filiam, vel alios propinquos occiderit, remoto omnium aliorum genere tormẽtorum, facto de coreis ſacco, qui culeus nominatur, in quo cum miſſus fuerit, cum ipſo etiam ſerpentes claudantur, & ſi mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgite proiiciatur, vt tali pœna damnatus, nullo tempore obtineat ſepulturam.*

De maleficiis, & mathematicis & ceteris ſimilibus. Tit. XVI.

I. Imp. Conſtantinus A. ad Maximum.

NVllus aruſpex limen alterius accedat nec ob alteram cauſam, ſed huiuſmodi hominum quamuis vetus amicitia repellatur: concremando illo haruſpice, qui ad domum alienam acceſſerit, & illo qui eum ſuaſionibus, vel præmiis euocauerit, poſt ademptionem bonorum in inſulam detrudendo. ſuperſtitioni enim ſuæ ſeruire cupiẽtes, poterunt publicè ritum proprium exercere. Accuſatorem autem huius criminis non delatorem eſſe, ſed dignum magis præmio arbitramur. PP. Kal. Feb. Romæ, Conſtantino A. v. & Licinio Cæſ. COSS.

II. Idem A. ad Populum.

Haruſpices, & ſacerdotes, & eos qui huic ritui adſolent miniſtrare, ad priuatam domum prohibemus accedere, vel ſub prætextu amicitiæ limen alterius ingredi, pœna contra eos propoſita ſi contemſerint legem. Qui verò id vobis extimatis conducere, adite aras publicas adque delubra, & cõſuetudinis veſtræ celebrate ſollemnia: nec enim prohibemus præteritæ vſurpationis officia libera luce tractari. Dat. Id. Maij. Conſtantino A. v. & Licinio COSS.

III. Idem A. & Cæſ. ad Baſſum P. v.

Eorum eſt ſcientia punienda, & ſeueriſſimis meritò legibus vindicanda, qui magicis adcincti artibus, aut cõtra hominum moliti ſalutem, aut pudicos ad libidinem defixiſſe animos detegentur. Nullis verò criminationibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus: aut in agreſtibus locis, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ruentis grãdinis lapidatione quaterentur, innocenter adhibita ſuffragia, quibus non cuiuſque ſalus, aut exiſtimatio læderetur, ſed quorum proficerent actus: ne diuina munera & labores hominum ſternerentur. Dat. x. Kalend. Iul. Aquileia Criſpo, & Conſtantio Cæſ. COSS.

INTERPRETATIO. *Malefici, vel incantatores, vel immiſſores tempeſtatum, vel hij qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbant, omni genere pœnæ puniantur.*

IIII. Imp. Conſtantius A. & Iulian. Cæſ. ad Populum.

Nemo haruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo hariolum. Augurum & vatum praua confeſſio cõticeſcat. Chaldæi ac magi, & ceteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinãdi curioſitas. etenim ſupplicium capitis feret gladio vltore proſtratus, quicumque iuſſis obſequiũ dene-

gauerit. Dat. VIII. Kalendas Sept. Mediol. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque pro curiositate futurorum, vel inuocatorem dæmonum, vel diuinos, quos ariolos appellant, vel aruspicem, qui auguria colligit, consuluerit, capite punietur.*

V. Idem A. ad Populum. Post alia.

Multi magicis artibus ausi elementa turbare, vitas insontium labefactare non dubitant, & Manibus accitis audent ventilare, vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat. Dat. Prid. Non. Dec. Med. Constantio VIIII. & Iuliano Cæs. COSS.

VI. Idem A. ad Taurum P.P.

Etsi excepta tormẽtis sunt corpora honoribus præditorum, prçter illa videlicet crimina, quæ legibus demonstrantur: etsi omnes magi, in quacũque sint parte terrarum, humani generis inimici credendi sunt. tamen quoniam qui in comitatu nostro sunt, ipsam pulsant prope modum maiestatẽ: si quis magus, vel magicis contaminibus adsuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nũcupatur, aut haruspex, aut hariolus, aut certè augur, vel & mathematicus, aut narrandis somniis occultãs artem aliquam diuinandi, aut certè aliquid horum simile exercens in comitatu meo vel Cæsaris fuerit deprehẽsus: præsidio dignitatis cruciatus & tormẽta non fugiat. Si conuictus ad proprium facinus detegentibus repugnauerit pernegando, sit eculeo deditus, vngulísque sulcãtibus latera perferat pœnas proprio dignas facinore. Dat. III. Non. Iul. Arimini, Datiano & Cereale COSS.

VII. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Secundum P.P.

Ne quis deinceps nocturnis temporibus, aut nefarias preces, aut magicos apparatus, aut sacrificia funesta celebrare conetur; detectum adque cõuictum conpetenti animaduersione mactare perenni auctoritate cẽsemus. Dat. V. Id. Septemb. Diuo Iouiano A. & Varroniano COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque nocturna sacrificia dæmonum celebrauerit, vel incantationibus dæmones inuocauerit, capite puniatur.*

VIII. Idem AA. ad Modestum P.P.

Cesset mathematicorum tractatus. nam si qui publicè aut priuatim, in die noctúque deprehensus fuerit in cohibito errore versari: capitali sententia feriatur vterque. Neque enim dissimilis culpa est prohibita discere quàm docere. Dat. II. Id. Dec. C. L. Valentiniano & Valente AA. COSS.

VIIII. Imppp. Valentinianns, Valens & Gratianus AAA. ad Senatum.

Haruspicinam ego nullum cum maleficiorum causis habere cõsortium iudico, neque ipsam aut aliquam prӕterea concessam à maioribus religionẽ genus esse arbitror criminis. testes sunt leges à me in exordio imperij mei datæ, quibus vnicuique, quod animo inbibisset, colendi libera facultas tributa est. Nec haruspicinam reprehendimus, set nocenter exerceri vetamus. Data IIII. Kal. Iunij Treuer. Gratiano A. II. & Probo COSS.

X. Idem AAA. ad Ampelium P.V.

Quia nonnulli ex ordine senatorio maleficiorum insimulatione, adque inuidia stringebantur: idcirco huiusmodi negotia vrbanæ præfecturæ discutiẽda

da

da permisimus. Quod si quãdo huiusmodi inciderit quęstio, quæ iudicio memoratæ sedis dirimi vel terminari posse non creditur: eos quos negotij textus amplectitur, vnà cum gestis omnibus præsentibus adque præteritis, ad comitatũ mansuetudinis nostrę sollemni obseruatione trãsmitti præcipimus. Dat. VIII. Id. Decemb. Gratiano A. II. & Probo COSS.

XI. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcadius AAA. Albino P.V.

Quicumque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupauerit, ilico ad publicum protrahat: & iudiciorum oculis cõmunis hostem salutis ostendat. Quòd si quisquam ex agitatoribus, seu ex quolibet alio genere hominum contra hoc interdictum venire temptauerit, aut clandestinis suppliciis etiam manifestum reum maleficiæ artis suppresserit: vltimum supplicium non euadat geminæ suspicionis obnoxius, quòd aut publicum reum ne facinoris socios publicaret seueritati legum & debitæ subtraxerit quæstioni: aut proprium fortassis inimicum sub huius vindictæ nomine consilio atrociore confecerit. Dat. XVII. Kal. Septemb. Rom. Timasio & Promoto COSS.

XII. Impp. Honor. & Theod. AA. Cæciliano P.P.

Mathematicos, nisi parati sint codicibus erroris proprij sub oculis Episcoporum incendio concrematis, catholicæ religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem præteritũ redituri, non solum vrbe Roma, sed etiam omnibus ciuitatibus pelli decernimus. Quòd si hoc non fecerint, & contra clemẽtiæ nostræ salubre constitutum in ciuitatibus fuerint deprehensi, vel secreta erroris sui & professionis insinuauerint, deportationis pœnã excipiant. Dat. VIII. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

De sepulchris violatis. Tit. XVII.

I. Imp. Constantius A. ad Tatianum P.V.

SI quis in demoliendis sepulchris fuerit adprehensus, si id sine domini conscientia faciat, metallo adiudicetur: si verò domini auctoritate vel iussione vrguetur, relegatione plectatur. Et si forte detractum aliquid de sepulchris ad domum eius villámque peruectum post hanc legem repperietur: villa siue domus, aut ædificium quodcunque erit, fisci viribus vindicetur. Dat. VII. Kal. Iul. Med. Acyndino & Proculo COSS.

II. Idem A. ad Limenium P.P.

Factum solitum sanguine vindicari, multæ inflictione corrigimus: atque ita supplicium statuimus in futurum, vt nec ille absit à pœna, qui ante commisit. Vniuersi itaque qui de monumentis columnas, vel marmora abstulerunt, vel coquendæ calcis gratia lapides deiecerunt, ex cõsulatu scilicet Dalmatij & Zenophili, singulas libras auri per singula sepulchra fisci rationibus inferant, inuestigati per prudentiæ tuę iudicium. Eadem etiam pœna qui dissiparunt, vel ornatum minuerunt, teneantur: & qui posita in agris suis monumenta calcis coctoribus vendiderũt, vnà cum his qui ausi sunt comparare. quicquid enim adtingi nefas est, non sine piaculo comparatur. sed ita, vt ab vtroque vna libra postuletur. Sed si & præcepto Iudicum monumẽta deiecta sunt, ne sub specie publicæ fabricationis pœna vitetur, eosdem Iudices iubemus hanc multam

agnoſcere. nam ex vectigalibus, vel aliis titulis ædificare debuerunt. Quòd ſi aliquis multam metuens, ſepulchri ruinas terræ congeſtione celauerit, & nõ intra ſtatutum ab excellentia tua tempus confeſſus ſit, ab alio proditus duas auri libras cogatur inferre. Qui vero libellis datis à Pontificibus impetrarunt, vt reparationis gratia labentia ſepulchra deponerent, ſi vera docuerunt, ab inlatione multæ ſeparentur: At ſi in vſum alium depoſitis abuſi ſunt, teneantur pœna præſcribta. Hoc in poſterum obſeruando, vt in prouinciis locorum Iudices, in vrbe Roma cum Pontificibus tua celſitudo inſpiciat, ſi per ſarturas ſuccurrendum ſit alicui monumento: vt ita demum data licentia tempus etiam conſummando operi ſtatuatur. Quòd ſi aliquis contra ſanctionem clementiæ noſtræ ſepulchrum læſurus attigerit, viginti libras auri largitionibus noſtris cogatur inferre. Locorum autem Iudices ſi hæc obſeruare neglexerint, non minus nota, quàm ſtatuta in ſepulchrorum violatores pœna graſſetur. Dat. v. Kal. April. Limenio & Catullino COSS.

III. Idem A. & Iulianus Cæſ. ad Orfitum.

Quoſdam comperimus lucri nimium cupidos ſepulchra ſubuertere, & ſubſtantiam fabricandi ad proprias ædes transferre: hij detecto ſcelere animaduerſionẽ priſcis legibus definitam ſubire debebunt. PP. in foro Traiani, Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. COSS.

IIII. Idem A. ad populum.

Qui ædificia manium violant, domus (vt ita dixerim) defunctorum, geminum videntur facinus perpetrare. nam & ſepultos ſpoliant deſtruendo, & viuos polluũt fabricando. Si quis igitur de ſepulchro abſtulerit ſaxa, vel marmora, vel columnas, aliámve quamcunque materiam fabricę gratia, ſiue id fecerit vendíturus, decem pondo auri cogatur inferre fiſco, ſiue quis propria ſepulchra defendens hanc in iudicium querelam detulerit, ſiue quicũque alius accuſauerit, vel officium nuntiauerit, quæ pœna priſcæ ſeueritati accidit. nihil enim derogatum eſt illi ſupplicio, quod ſepulchra violantibus videtur impoſitum. Huic autem pœnæ ſubiacebũt, & qui corpora ſepulta, aut reliquias cõtrectauerint. Dat. Id. Iun. Mediol. Conſtantino A. VIIII. & Iuliano Cæſare II. COSS.

V. Imp. Iulianus A. ad populum.

Pergit audacia ad buſta diem functorum, & aggeres conſecratos: cum & lapidem hinc mouere, terram ſollicitare, & ceſpitem vellere, proximum ſacrilegio maiores ſemper habuerint: ſed ornamenta quidam tricliniis, aut porticibus auferunt de ſepulchris. Quibus primis conſulentes, ne in piaculum incidant contaminata religione buſtorum, hoc fieri prohibemus, pœna manium vindice cohibentes. Secundum illud eſt, quod efferri cognouimus cadauera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam inſiſtentiũ denſitatem: quod quidẽ oculos hominum infauſtis inceſtat aſpectibus. Qui enim dies eſt bene auſpicatus à funere? aut quomodo ad deos & templa venietur? Ideóque quoniam & dolor in exſequiis ſecretum amat, & diem functis nihil intereſt vtrum per noctes, an per dies efferãtur: liberari conuenit populi totius aſpectus, vt dolor eſſe in funeribus, non pompa exſequiarum nec oſtentatio videatur. Dat. Prid. Id. Feb. Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Salluſtio COSS.

VI. Imppp.

VI. Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA.
Pancratio P.V.

Omnia, quæ supra terram vrnis clausa, vel sarcofagis corpora detinentur, extra vrbem delata ponatur: vt & humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem. Quisquis autem huius præcepti neglegẽs fuerit, adque aliquid tale ab huius interminatione præcepti ausus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonij parte multetur. Officium quoque quod sibi paret, quinquaginta librarum auri affectum dispoliatione merebitur. Ac ne alicuius fallax & arguta sollertia ab huius se præcepti intentione subducat, atque apostolorum vel martyrum sedem humandis corporibus æstimet esse concessam, ab his quoque ita vt à reliquo ciuitatis nouerint se atque intellegant esse submotos. Dat. III. Kalend. Aug. Heracleæ, Eucherio & Syagrio COSS.

VII. Idem AAA. Cynegio P.P.

Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo martyrem distrahat, nemo mercetur. Habeāt vero in potestate, si quolibet in loco sanctorum est aliquis conditus, pro eius veneratione, quod martyrium vocandum sit, addant quod voluerint fabricarum. Dat. IIII. Kalen. Mart. Constantinop. Honorio NB.P. & Euodio COSS.

Ad legem Fabiam, hoc est qui filios inuolant alienos. *Tit.* XVIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Domitium Celsum Vic. Afric.

PLagiarij, qui viuentium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœna cum ceteris antè cognitis suppliciis teneantur. Si quis tamen eiusmodi reus fuerit oblatus posteaquam super crimine patuerit: seruus quidem vel libertate donatus, bestiis primo quoque munere obiiciatur, liber autem sub hac forma in ludum detur gladiatorium, vt antequã aliquid faciat quo se defendere possit, gladio consumatur. Eos autem qui pro hoc crimine iam in metallum dati sunt, nunquam reuocari præcipimus. Dat. Kalend. Aug. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

INTERPRETATIO. *Hi qui filios alienos furto abstulerint, & vbicunque transduxerint, siue ingenui, siue serui sint, morte puniantur.*

Ad legem Corneliam de falso. *Tit.* XVIIII.

I. Imp. Constantinus A. Mechilio Hilariano Correctori Lucaniæ & Brittiorum.

SI quis decurio testamentum, vel codicillos, aut aliquam deficientis scribserit voluntatem, vel conscribendis publicis priuatísque instrumentis præbuerit officium: si falsi quæstio moueatur, decurionatus honore seposito, quæstioni (si ita poposcerit causa) subdatur. Sed non statim desinit esse decurio, qui in huiusmodi facto fuerit deprehensus. quantum enim ad municipales pertinet necessitates, decurio permanet: quantum ad rem gestam & veritatem † seruandam, vti decurionatus honore non poterit. Nec verò is qui antè fuerit tabellio, ad eludẽdam quęstionem super his quæ ante cõscribsit, factus decurio defendi hac poterit dignitate: quo-

† re. eruendam

tiam scripturæ veritas (si res poposcerit) per ipsum debet probari auctorem. Dat. III. Kal. Feb. Acc. Kal. Aug. Sabino & Rufino coss.

INTERPRETATIO. *Si quis Curialis voluntatem morientis, aut quodlibet publicum documentum scripserit, & de falsitate accusatur, seposita primitus dignitate, si necesse fuerit subdatur examini, qui si conuincitur, à Curia non expelletur, sed Curiæ dignitate priuabitur, id est, vt honoratus esse non possit. Tabellio verò, qui admanuensis nunc vel cancellarius dicitur, etiam si ad Curiæ peruenerit dignitatem, si de falsitate fuerit accusatus aut conuictus, subdatur examini, vt per ipsum, per quem confecta est, scripturæ veritas adprobetur.*

II. Imp. Constantinus A. ad Maximum P.V.

Cum in præterito is mos in iudiciis seruaretur, vt prolatis instrumentis si ea falsa quis diceret, à sententia Iudex ciuilis controuersiæ temperaret: eóque contingeret, vt imminens accusatio nullis clausa temporibus petitorem possessorémve deluderet: commodum duximus, vt etsi alteruter litigantium falsi strepitum intulisset, petitori tamen possessoríve momentum prolatorum instrumentorum conferret auctoritas: vt tunc ciuili iurgio terminato, secunda falsi actio subderetur. Volumus itaque, vt primum cesset inscribtio. Sed vbi falsi examen inciderit, tūc ad morem pristinum quæstione ciuili per sententiam terminata acerrima fiat indago argumentis, testibus, scripturarum conlatione aliisque vestigiis veritatis. nec accusatori tantum quæstio incumbat, nec probationis ei tota necessitas indicatur, sed inter vtranque personam sit Iudex medius, nec vlla quæ sentiat interlocutione diuulget, sed tāquam ad imitationem relationis, quæ solùm audiendi mandat officium, præbeat notionem, postrema sententia quid sibi liqueat, proditurus. Vltimum autem finem strepitus criminalis, quem litigantem disceptantémque fas non sit excedere, anni spatio limitamus, cuius exordium testatæ apud Iudicem competentem actionis nascetur auspicio, capitali post probationem supplicio (si id exigat magnitudo commissi) vel deportatione ei qui falsum commiserit imminente. PP. VIII. Kalend. Apr. in Foro Traiani, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. coss.

III. Imppp. Valentinianus & Valens AA. ad Festum P.V. Afric.

Serenitas nostra prospexit inde cęlestium litterarum cœpisse imitationem, quod his apicibus tuæ grauitatis officium consultationes relationésque complectitur, quibus scrinia nostræ perennitatis vtuntur. quamobrem istius sanctionis auctoritate præcipimus, vt posthac magistra falsorum cōsuetudo tollatur & communibus litteris vniuersa mandentur, quæ vel de prouincia fuerint scribenda, vel à Iudice, vt nemo stili huius exemplum aut priuatim sumat aut publicè. Dat. V. Id. Iun. Treu. Lupicino & Iouino coss.

IIII. Impp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Maximum P.P.

Damus copiam iurgantibus, si apud Iudicem proferatur scribtura de qua oritur aliqua disputatio, spatium vt habeat, qui perurgueat profitendi, vtrum de falso criminaliter, an de scribturæ fide statuat ciuiliter experiri. Quod si expetens vindictam falsi crimen intenderit, erit in arbitrio iudicantis, an eum sinat etiam sine inscribtione certare. Iudicis enim potestati committi oportet, vt de eo qui obiecta non probauerit, sumat propositū antiquo iure suppliciū.

Rationi

Rationi quoque huiusmodi plenissime suffragatur antiquitas, quæ nequissimos homines & accusari voluit & coherceri legibus variis: Cornelia de veneficiis, sicariis, parricidiis: Iulia de adulteris, ambitúsve criminibus ceterísve ita promulgatis, vt possit etiam sine inscribtione cognosci: pœna tamen accusatorem etiam sine sollemnibus occuparet. de qua re & diuus Antoninus rescribsisse docetur, id in Iudicis potestate constituens, quod nosmet in legibus iusseramus. Remouebitur itaque istius lenitate rescribti, præcepti superioris austeritas, vt si quis deinceps tabulas testamenti, chirographa testationésque, necnon etiam rationes priuatas, vel publicas, pacta & epistulas, vel vltimas voluntates, donationes, venditiones, vel si quid prolatum aliud insimulare conabitur: habeat prætermissis sollemnibus accusandi facultatem, pro Iudicis motu sententiam relaturus. Ciuiles autem inquisitiones inter vtrasque confligētium partes æquali motu ingruit & recurrit humanitas, cum is qui præerit quæstioni intentiones falsas, aut conuicta crimina ex legibus pœnis competentibus possit vlcisci. PP. Romæ, XVI. Kal. Maij, Valente V. & Valentiniano AA. COSS.

INTERPRETATIO. *De falso potest & criminaliter & ciuiliter agi. Ciuiliter, cum aliquis in quibuslibet scripturis non falsi crimen obiecerit, sed veritatem scripturæ quærere se velle dicit: Nam si ad Iudicem venerit accusator, & falsi crimen intenderit, Iudex tribuat accusatori spatium, vt deliberet vtrum criminaliter agere, an ciuiliter velit. Qui si reuersus ad Iudicem in obiecto falsitatis crimine perseuerauerit, in potestate Iudicis erit, vtrum inscriptionem celebrari velit, an obiectum crimen sine inscriptione discutere. Quod cum Iudex de obiectione falsitatis audierit, seu inscriptione habita, seu omissa, aut in accusatum, si falsitas adprobatur, aut in accusatorem, si falsò obiecerit, proferatur ex lege sententia.*

Victum ciuiliter agere & criminaliter posse. Tit. XX.

I. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Antonium P.P.

A Plerisque prudentium generaliter definitum est, quotiens de re familiari & ciuilis, & criminalis cōpetit actio, vtraque licere experiri: nec si ciuiliter fuerit actum, criminalem posse consumi. Sic denique & per vim possessione deiectus, si de ea recuperanda interdicto Vnde vi erit vsus, non prohibetur tamen etiam lege Iulia De vi, publico iudicio instituere accusationem. Et suppresso testamento, cum ex interdicto de tabulis exhibendis fuerit actum, nihilominus ex lege Cornelia testamentaria poterit crimen inferri. Et cum libertus se dicit ingenuum: tam de operis ciuiliter, quàm etiam lege Viscellia criminaliter poterit perurgueri. Quo in genere habetur furti actio, & legis Fabiæ constitutum. Et cum vna excepta sit causa de moribus, sexcenta alia sunt, quæ enumerari non possunt: vt cum altera prius actio intentata sit, per alteram quæ supererit, iudicatum liceat retractari. Qua iuris definitione, non ambigitur, etiam falsi crimen de quo ciuiliter iam actum est, criminaliter esse repetendum. Dat. prid. Id. Ian. Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Causæ permixtæ sunt, ciuiles pariter & criminales, & possunt hæ causæ ita diuidi, vt prius ciuilis, deinde criminalis agatur, si voluerit accusa-*

tor. Ita vt si quis de re sua fuerit violenter expulsus, & rem ablatam ciuili primitus maluerit actione repetere, momentum sibi restitui petat. & si de eius proprietate, is qui expulsus est, ciuiliter fuerit superatus, criminali postmodum actione seruata, recepto primitus momento, potest postmodum impetere violentum. De testamento etiam, si quis commendatum à testatore testamentum, in fraudem heredis fortasse suppresserit, & id heres scriptus iudicio restitui petit, testamento per iudicium momenti beneficio restituto, potest postmodum de suppresso testamento criminalem proponere actionem. Et reliquis similibus causis similis actio tribuatur.

De falsa moneta. *Tit.* XXI.

I. Imp. Constantinus A. ad Verinum.

QVicumque adulterina fecerit nomismata, pœnam pro discretione sexus & cōdicionis suæ diuersitate sustineat: hoc est, vt si decurio, vel decurionis sit filius, exterminatus genitali solo ad quamcunq; in lōginquo positam ciuitatem sub perpetui exilij cōdicione mittatur, ac super facultatibus eius ad nostram scientiam referatur. Si plebeius, vt rebus amissis perpetuæ damnationi dedatur: si seruilis cōdicionis, vltimo supplicio subiugetur. Dat. & Acc. xv. Kalend. April. Constantino A. v. & Licinio Cæs. COSS.

II. Idem A. ad Ianuarium.

Quoniam nonnulli monetarij adulterina moneta clandestinis sceleribus exercent, cuncti cognoscant, necessitatem sibi incumbere huiusmodi homines inquirendi, vt inuestigati tradantur iudiciis, facti conscios per tormenta ilicò prodituri, ac sic dignis suppliciis addicendi. Accusatoribus etiam eorum immunitatem permittimus, cuius modus quoniam dispar census est, à nobis per singulos statuetur. Seruos etiam qui hoc detulerint, ciuitate Romana donamus, vt eorum domini pretium à fisco percipiant. Si quis autem militum huiusmodi personā susceptā de custodia exire fecerit, capite puniatur: appellandi, etiam priuato licentia denegetur. Si verò miles, aut promotus, huiusmodi crimen incurrerit, super eius nomine & gradu ad nos referatur. Si dominū fundi, vel domus conscium esse probabitur, deportari eum in insulam oportebit, cunctis eius rebus protinus confiscandis. Si verò eo ignaro crimen commissum est, possessionem, aut domum debet amittere, in qua id scelus admissum est. Actor fundi, vel seruus, vel incola, vel colonus, qui hoc ministerium præbuit, cum eo qui fecit, supplicio capitali plectetur, nihilominus fundo, vel domo fisci viribus vindicanda. Quod si dominus antè ignorans, vt primum repperit, scelus prodidit perpetratum: minime possessio, vel domus ipsius proscribtionis iniuriæ subiacebit, sed auctorem ac ministrum pœna capitalis excipiet. Dat. XII. Kal. Decemb. Rom. Crispo II. & Constantino II. CC. COSS.

III. Idem A. ad Tertullum P. V. Afric.

Si quis nummum falsa fusione formauerit, vniuersas eius facultates fisco addici præcipimus, atque ipsum seueritate legitima coherceri: vt in monetis tantum nostris cudendæ pecuniæ studium frequentetur. Dat. prid. Non. Iul. Med. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

IIII. Idem

IIII. Idem A. Helpidio.

Pridem ſtatutum fuit, vt ſi ignoráte quoque domino in fundo eius, vel domo figuratus clam nummus cuderetur, ſedem flagitij ſuo fiſcus dominio vindicaret: nunc diſcretionem fieri placet, vt ſi dominus in proximo cõſtitutus ſit, cuius incuria, vel neglegentia punienda eſt, præceptum prius valeat. Sin verò longiſſimè ab ea domo, vel poſſeſſione afuerit, nullum ſuſtineat detrimentum. Viduas ac pupillos ſpeciali dignos indulgẽtia credidimus, vt viduæ nec in proximo conſtitutæ, domo ſua, vel poſſeſſione careant, ſi nulla apud ipſas tam grauis conſcientiæ noxa reſideat. Pupilli verò etiamſi conſcij fuerint, nullum ſuſtineant detrimentum, quia ætas eorum (ſi tamen fuerint impuberes) quid videat ignorat. Tutores tamen eorum ſi in proximo ſint, quoniam ignorare eos quid in re pupilli geritur, non oportet, hæc pœna expectabit, vt ex rebus eorum ſi idonei fuerint, tantum fiſco inferatur, quantum pupillo fuerat auferendum. Quibus ita emendatis omnibus capitulis, lex pridem lata ſeruabitur. Dat. IIII. Non. Maij, Conſtantino A. VIII. & Conſtantio IIII. COSS.

V. Imp. Conſtantius A. Leontio P.P.

Præmio accuſatoribus propoſito, quicumque ſolidorum adulter potuerit repperiri, vel à quoquam fuerit publicatus, ilico omni dilatione ſubmota, flammarum exuſtionibus mancipetur. Dat. XII. Kal. Mart. Antiochiæ, Placido & Romulo COSS.

INTERPRETATIO. *Præmium accipiat quicunque adulterum monetarium prodiderit, & is qui proditus eſt, ſi de monetæ adulteratione conuictus fuerit, ignibus concremetur.*

VI. Idem A. Limenio P.P.

Comperimus nonnullos flaturarios maiorinam pecuniam non minus criminosè, quàm crebrè ſeparato argẽto ab ære purgare. Si quis igitur poſthæc fuerit in hac machinatione deprehenſus, capitaliter ſe feciſſe cognoſcat: Verum & eos, qui domum agrúmque præbuerint, relatis in largitionibus facultatibus eſſe plectendos, noſtra ſcilicet ſuper eorum nominibus edocenda clementia. PP. Prid. Id. Feb. Limenio & Catullino COSS.

VII. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Archelaum Com. S. L.

Quidquid ex auro hominum priuatorum in monetis publicis reppereris figuratum, id omne noſtris ſcias largitionibus vindicandum. ſiquidem ipſe ſe dignum condemnatione iudicauit, quiſquis aurum proprium non coactus monetis fiſcalibus ſponte credidit inferẽdum. Dat. V. Id. Mar. Marcianop. Valentiniano N.P. & Victore COSS.

VII. Idem AAA. Tatiano Com. S. L.

Solitæ moderationis arbitrio ſuperiorem ſentẽtiam mitigamus, qua omne aurum, quod à priuatis pro figuratione monetis dicebatur, inlatum fiſci iuſſeramus commodis vindicari, vt pro omni ſumma quæ breuibus tenetur inſerta, binæ per ſingulas libras omiſſa fruſtratione vnciæ conferantur. Dat. XII. Kal. Iun. Antiochiæ, Gratiano A. III. & Equitio COSS.

VIII. Impp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Haue Tatiane K. NB.

Falsæ monetæ rei, quos vulgò paracharactas vocant, maiestatis crimine tenentur obnoxij. Dat. v. Kalend. Iul. Constantinop. Timasio & Promoto COSS.

VIIII. Idem AAA. Rufino P.P.

Si quis super cudendo ære, vel rescribto aliquo, vel etiam adnotatione nostra sibi arripuerit facultatem, non solum fructum proprię petitionis amittat, verumetiam pœnam quam meretur excipiat. Dat. IIII. Id. Iul. Constantinop. Theod. A. III. & Abund. COSS.

Si quis solidi circulum exteriorem inciderit, vel adulteratum in vendendo subiecerit. Tit. XXII.

I. Imp. Constantinus A. Leontio P.P.

OMnes solidi, in quibus nostri vultus ac veneratio vna est, vno pretio æstimandi sunt atque vendendi, quamquam diuersa formæ mensura sit: Nec enim qui maiore habitu faciei extenditur, maioris est pretij: aut qui angustiore expressione concluditur, minoris haberi credendus est: cum pondus idem existat. Quod si quis aliter fecerit: aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera. Quod ille etiam patietur, qui mensuram circuli exterioris adraserit, vt ponderis minuat quantitatem, vel figuratum solidum adultera imitatione in vendendo subiecerit. Dat. VII. Kalend. Aug. Gallicano & Basso COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque solidum circumciderit, aut adulterum supposuerit, aut falsam monetam fecerit, capite puniatur.*

Si quis pecunias conflauerit, vel mercandi causa transtulerit, aut vetitas contrectauerit. Tit. XXIII.

I. Imp. Constantinus A. & Iulianus Cæs. ad Rufinum P.P.

QVicumque vel conflare pecunias, vel ad diuersa, vendendi causa, transferre detegitur, sacrilegij sententia subeat, & capite plectatur. Portus enim litoráque diuersa, quo facilior esse nauibus consueuit accessus, & itineris tramites statuimus custodiri per idoneos officiales ac præpositos à præsidibus & nonnullis præditis dignitate, vt cognita veritate, prouinciarum Rectores obnoxios legibus puniant. Officio quoque immenso periculo subiacebunt. Nec vero aliquis negotiatorum plus mille follibus pecuniæ in vsu publico constitutæ animalibus propriis sumptuum gratia portare debebit. At si ampliorem modum quisquam vehere detegatur, facultates eius fisci dominio vindicentur, & ipse adficiatur exilio. Nam pecunias nauibus vectas non omnes iudicamus mercatores debere promere, quippe in vsu tantum publico pecunias constitutas permittimus conuehi: itidémque eas solas species emi quę mercatoribus more solemni ad diuersa portantur. Pecunias verò nulli emere omnino fas erit, nec vetitas contrectare: quia in vsu publico constitutas pretium oportet esse non mercem. Placet denique, vt

nique, vt si quis forsitan nummus præter eum qui in vsu publico perseuerat apud aliquem mercatorem fuerit inuetus, fisci dominio cum omnibus delinquentis facultatibus vindicetur. Et si fortè cum mercibus ad quascúque prouincias venerint naues, cuncta solita licentia mercabuntur præter pecunias quas more solito maiorinas, vel centenionales communes appellant, vel ceteras, quas vetitas esse cognoscunt. Acc. VIII. Id. Mar. Constantina, Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Dextro P. P.

Centenionalem tantum nummum in conuersatione publica tractari pręcipimus maioris pecuniæ figuratione submota. Nullus igitur decargyrú nummum alio audeat cómutare, sciens fisco eandem pecuniam vindicádam, quæ in publica potuerit conuersatione deprehendi. Dat. Prid. Id. April. Med. Olybrio & Probo COSS.

De raptu virginum vel viduarum. *Tit.* XXIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad populum.

SI quis nihil cum parétibus puellæ ante depectus, inuitam eam rapuerit, vel volentem abduxerit, patrocinium ex eius responsione sperans, quam propter vitium leuitatis, & sexus mobilitatem atque consilij, à postulationibus & testimoniis omnibusque rebus iudiciariis antiqui penitus arcuerunt: nihil ei secundum ius vetus prosit puellę responsio, sed ipsa puella potius societate criminis obligetur. Et quoniam parentum sæpe custodiæ nutricum fabulis, & prauis suasionibus deluduntur, his primum, quarum detestabile ministerium fuisse arguetur redemptíque discursus, pœna immineat, vt eis meatus oris, & faucium, qui nefaria hortamenta protulerit, liquentis plumbi ingestione claudatur. Et si voluntatis adsensio detegitur in virgine, eadem qua raptor, seueritate plectatur: cum neque his impunitas præstanda sit quæ rapiuntur inuitæ, cum & domi se vsque ad coniunctionis diem seruare potuerint. Et si fores raptoris frangerentur audacia, vicinorum opem clamoribus quærere seque omnibus tueri conatibus. Sed his pœnam leuiorem imponimus, solámque eis parentum negari successionem præcipimus. Raptor autem indubitatè conuictus, si appellare voluerit, minime audiatur. Si quis verò seruus, raptus facinus dissimulatione præteritum, aut pactione trásmissum detulerit in publicum, Latinitate donetur: aut si Latinus sit, ciuis fiat Romanus, parentibus, quorum maxime vindicta intererat, si patientiam præbuerint, ac dolorem compresserint, deportatione plectendis. Participes etiam & ministros raptoris citra discretionem sexus, eadem pœna præcipimus subiugari: Et si quis inter hæc ministeria seruilis condicionis fuerit depræhensus, citra sexus discretionem eum concremari iubemus. Dat. Kal. April. Aquil. Constantino A. VI. & Constantio C. COSS.

INTERPRETATIO. *Si cum parentibus puellæ nihil quisquam ante definiat, vt eam suo coniugio debeat sociare, & eam vel inuitã rapuerit, vel volentẽ si raptori puella consentiat, pariter puniantur. Si quis vero ex amicis, aut familia, aut fortasse nutrices puellæ consilium raptus dederint, aut opportunitatem præbuerint rapiendi, liquefactum plumbum in ore & in faucibus suscipiãt, vt merito illa pars corporis cõcludatur, de qua*

hortamenta sceleris ministrata noscuntur. Illæ vero quæ rapiuntur inuitæ, quæ non vocibus suis de rapto reclamauerint, vt vicinorum, vel parentum solatio adiutæ, liberari possent, parentum suorum eis successio denegetur. Raptori conuicto appellare non liceat, sed statim inter ipsa discussionis initia à Iudice puniatur. Quod si fortasse raptor cum parentibus puellæ paciscatur, & raptus vltio parẽtum silentio fuerit prætermissa, si seruus ista detulerit, Latinam percipiat libertatem: si Latinus fuerit, ciuis fiat Romanus. Parentes vero qui raptori in ea parte consenserint, exilio deputentur. Qui vero raptori solatia præbuerint, siue viri siue feminæ, ignibus concrementur.

II. Imp. Constantius A. ad Tatianum.

Quamuis legis prioris extet auctoritas, qua inclytus pater noster contra raptores atrocissime iusserat vindicari: tamẽ nos tantummodo capitalẽ pœnam cõstituimus, videlicet ne sub specie atrocioris iudicij aliqua in vlciscẽdo crimine dilatio nasceretur. In audaciam vero seruilẽ dispari supplicio mãsura legum impendenda est, vt perurendi subiciantur ignibus, nisi à tanto facinore saltem pœnarum aceruitate reuocentur. Dat. II. Id. Nouemb. Limenio & Catullino COSS.

III. Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. ad Maximum P.P.

Qui coniugium raptus scelere contractum voluerit accusare, siue propriæ familiæ dedecus eum mouerit, seu commune odium delictorũ, inter ipsa statim exordia insignem recẽti flagitio vexet audaciam. Sed si quo casu quis vel accusationem differat vel reatum, & opprimi è vestigio atrociter commissa nequiuerint: ad persecutionẽ criminis ex die sceleris admissi quinquẽnij tribuimus facultatem, quo sine metu interpellationis & cõplemento accusationis exacto, nulli deinceps copia patebit arguendi, nec de coniugio aut subole disputandi. Dat. XVIII. Kalend. Decemb. Gratiano A. III. & Equitio COSS.

INTERPRETATIO. *Si accusationem raptus, vel per metum, vel per voluntatem per quinquennium quisquam distulerit, à die raptus expleto quinquẽnio, accusandi vltra non habeat potestatem, sed post quinquẽnium nec de tali coniunctione raptoribus aliquid opponatur, & filij omnes legitimi habeantur.*

De raptu, vel matrimonio sanctimonialium virginum, vel viduarum. Tit. XXV.

I. Imp. Constantius A. ad Orsitum.

EAdem vtrumque raptorẽ seueritas feriat, nec sit vlla discretio inter eum qui pudorem virginum sacrosanctarum, & castimonia viduæ labefactare scelerosi raptus aceruitate detegitur. Nec vllus sibi ex posteriore consensu valeat raptæ blandiri. Dat. XI. Kal. Septemb. Constantio VII. & Constante C. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque vel sacratam Deo virginẽ vel viduam fortasse rapuerit, si postea hiis de coniunctione conuenerit, pariter puniantur.*

II. Imp. Iouianus A. ad Secundum P.P.

SI quis non dicam rapere, sed vel adtemptare matrimonij iungendi causa sacratas virgines, vel inuitas ausus fuerit, capitali sententia ferietur. Dat. XI. Kal Mar. Antiochiæ, Iouiano A. & Varroniano COSS.

Hæc lex expositione non indiget.

III. Imp.

III. Impp.Honor. & Theod.AA.Palladio P.P.Post alia.

Si quis dicatam deo virginem prodigus sui raptor ambierit, publicatis bonis deportatione plectatur, cunctis accusationis huius licentia absque metu delationis indulta. Neque enim exigi conuenit proditorem, quem pro pudicitia religionis inuitat humanitas. Dat.VIII.Id. Mart. Rau.Theod.A.VIIII.& Constantio II.v.c.coss.

Ad legem Iuliam de ambitu. Tit. XXVI.

I. Impp.Arcad.& Honor.AA. ad Cæsarium P.P.

SI quis ad inlustrem palatij nostri ambierit dignitatem, atque ad eos honores ascendere ambitione temptauerit, qui non nisi probatis nobis viris nostro iudicio deferuntur: cuiuslibet ille sit loci, ordinis, dignitatis, amissis bonis, & fisco nostro protinus vindicatis, deportationis multetur exilio: neque aliud inter cœptum ambitum atque perfectum esse arbitretur, cùm pari sorte leges scelus, quàm sceleris puniant voluntatem. Dat. XIIII.Kal.Mar.Constantinop. Cæsario & Attico coss.

II. Idem AA.Pompeiano Proc. Africæ.

Nullus omnino principatum, ceteráque officia repetere audeat: cum publicæ disciplinæ semel gesta sufficiant. At si quispiam promotorum denuo ad id munus inrepserit quod docebitur ante gessisse, affectus grauissimis suppliciis, pœnam deportationis excipiat: ita vt primates officij quorum interest, ambientibus obuiare hâc propositam pœnam non dubitent. Dat. Prid.Kal.Iun. Med.Stilicone & Aureliano c.coss.

III. Idem AA.& Theod.A.Strategio Vic.Africæ.

Non absque publicæ dilacerationis incommodo officia peracta repetuntur. Quare huius præcepti auctoritate censemus, vt eadem rursus officia subrepticiis nemo supplicationibus admittatur, sed cassatis, quæ hoc modo sunt impetrata, ad solutionem debiti primitus artentur. Et qui contra fecerint, pœnam in futurum deportationis excipiant. Dat. III. Kal. Iun. Rau.Theod.A.I. & Rumorido coss.

IIII. Impp. Honor.& Theod.AA.Palladio P.P.

Si quis Proconsularem aut Vicariam potestatem, vel Consularitatis fasces aut vexilla Præsidalia, adque in discussionibus Comitiuas, vel officia Principatus contra definitionem nostram iterare temptauerit, fisco eius omne patrimonium sociari decernimus. Dat. Id.Mar. Rauenn.DN.Theod.A.VII.& Palladio v. c. coss.

Ad legem Iuliam repetundarum. Tit. XXVII.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus,& Theod. AAA. Neotherio P.P.

IVdices, qui se furtis & sceleribus fuerint maculasse conuicti: ablatis codicillorum insignibus, & honore exuti, inter pessimos quosque & plebeios habeantur. Nec sibi posthac de eo honore blandiantur quo se ipsi indignos iudicauerunt. Dat. XVIII.Kalen. Feb. Thessal. Gratiano V.& Theod.I.AA.coss.

Ista lex tam euidens est vt expositione non indigeat.

II. Idem AAA. Eutropio P.P.

Hij, qui in republica versati sinesterius sunt, perpetuò sibi omnes dignitates, vel legitimas, vel honorarias sciant esse præclusas. Quocirca iubemus, vt inlustris magnificentia tua nullum omnino, qui superiore tempore malè vsæ administrationis crimen excepit, ad prouincias patiatur accedere, sed de his ad nos referat. Dat. XV. Kal. Iul. Thess. Gratiano V. & Theod. I. AA. COSS.

III. Idem AAA. Matroniano Duci & Præsidi Sardiniæ.

Vt vnius pœna metus possit esse multornm, Natalem quondam Ducem sub custodia protectorum ad prouinciam quam nudauerat, ire præcipimus, vt non solum quod eius nō dicam domesticus, sed manipularius & minister accepit, verumetiā quod ipse à prouincialibus nostris rapuit, ac sustulit, in quadruplum inuitus exsoluat. Dat. Prid. Id. Iun. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

IIII. Idem AAA. Floro P.P.

† al. probris.

Sciant Iudices super admissis † propriis, aut à se, aut ab heredibus suis, pœnā esse repetendam. Dat. X. Kal. Septemb. Antonio & Syagrio COSS.

INTERPRETATIO. *Omnes Iudices sciant, quicquid male rapuerint, si ipsi non reddiderint, à suis heredibus esse reddendum.*

V. Idem AAA. Haue Marcelline K. NB.

Omnes cognitores & Iudices à pecuniis atque patrimoniis manus abstineāt: neque alienum iurgium putēt suam prædam. Etenim priuatarum quoque litium cognitor, idémque mercator, partem capitis ac vitæ, quæ peculatus reos consueuit inuoluere, cogetur subire iacturam. Dat. Prid. Non. April. Med. Merob. II. & Saturnino COSS.

VI. Idem AAA. & Arcad. A. Edictum ad Prouinciales.

Iubemus, hortamur, vt si quis forte honoratorum, decurionum, possessorū, postremo etiam colonorū, aut cuiuslibet ordinis à Iudice fuerit aliqua ratione cōcussus: si quis scit venalem de iure fuisse sententiā: si quis pœnam vel pretio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam: si quis postremo quacumque de causa inprobum Iudicem potuerit adprobare: is vel administrante eo, vel post administrationem depositam in publicum prodeat, crimen deferat, delatum adprobet: cum probauerit, & victoriam reportaturus, & gloriam. Dat. X. Kal. Iul. Constantinop. Honorio NB. P. & Euodio COSS.

VII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA.
Seuerino Com. R.P.

Vnusquisque procurator, præpositus gynęcio, tabularius, susceptor, colonus, vel quicumque se à Comite domorum meminerit esse concussum, cū ipse, cui pecuniam numerauerit, administratione decesserit, intra anni spatia ad iudicium spectabilitatis tuæ quicquid dederit, repetiturus adcurrat: vt prosit pensionibus, quidquid ille reddiderit. Sin vero ex tempore depositæ administrationis præstituti temporis curricula trāsfluxerint: nulla vox aduocationis emergat, sed ipsos procuratores, præpositos, colonos, tabularios, susceptores obnoxios ad solutionem iubemus artari. Dat. Prid. Non. Iun. Med. Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

De

De crimine peculatus. Tit. XXVIII.

I. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Rufino P.P.

PRidem fuerat constitutum, vt hi iudices, qui peculatu prouincias quassauissent, multæ dispendio subiacerent, sed quoniam nec cõdigna crimini vltio est, nec par pœna peccato, placuit tam seueram animaduertendi esse censuram, vt cum vix par pœna his possit flagitiis inueniri, neque condignis tátum nefas cruciatibus expiari, capitale hoc esse præcipiamus adque animaduersione seuerissima coherceri. Dat. IIII. Id. Septemb. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino coss.

II. Impp. Honor. & Theod. AA. Aureliano P.P. II.

Non est sanctitatis negotium rapinis & prædis fidem adhibere: quãdoquidem hæc scelera velut contagium quoddam funestæ pestis debeat declinari. nec enim crimen dissimile est rapere, & ei, qui rapuerit, rapta seruare. Dat. III. Non. Mar. Constantinop. Honorio X. & Theod. VI. AA. coss.

De his, qui latrones, vel in aliis criminibus reos occultauerint. Tit. XXVIIII.

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. Simplicio Vic.

EOs, qui secum alieni criminis reos occulendo sociarunt: par atque ipsos reos pœna expectet. PP. Rom. X. Kal. Apri. Gratiano A. III. & Equitio V.C. coss.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Flauianum P.P. Post alia.

Latrones quisquis sciens susceperit, vel offerre iudiciis supersederit supplicio corporali, aut dispendio facultatum, pro qualitate personę, ex Iudicis æstimatione plectatur. Si verò actor, siue procurator latronem domino ignoráte occultauerit, & Iudici offerre neglexerit: flammis vltricibus concremetur. Dat. III. Kal. Mar. Merob. II. & Saturnino coss.

INTERPRETATIO. *Si quis sciens in domo sua latronem susceperit, aut eum occultare voluerit, aut eum Iudici tradere fortasse neglexerit, si ingenua & vilior persona est, fustigetur. Si verò melior, dãno ad arbitrium Iudicis feriatur. Si vero actor aut procurator inscio domino hoc fecerit, incendio concremetur.*

Quibus equorum vsus concessus est, aut denegatus. Tit. XXX.

I. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Mamertinum P.P.

EXceptis senatoribus atque honoratis, sed & his, qui prouincias administrant, veteranis etiam qui sub armis militia functi sunt, & decurionibus, ceteris omnibus per Picenum atque Flãminiam, necnon etiam Apuliam & Calabriam, Brittios, & Lucaniam, atque Samnium habendi equi, vel equæ copiam præclusam esse sancimus. Hij vero, qui minimè animos ab huiusmodi vsurpatione deflectunt, abactorum supplicio teneantur. Dat. Prid. Kalend. Octob. Altino, diuo Iou. & Varroniano coss.

II. Idem AA. ad Buleforum Consf. Campaniæ, Post alia.

Vt omnes latronum conatus debilitati conquiescant, pastoribus rei nostrę,

id est lanigerarum ouium pecudúmque custodibus, necnon etiam procuratoribus, & actoribus Senatorum habendi equini pecoris licentiam denegamus, sub hac videlicet interminatione, vt hij qui nostræ mansuetudinis statuta temptauerint violare, ab actorum supplicia tolerare cogantur. Dat. III. Non. Octob. Altino, diuo Iouiano, & Varroniano COSS.

III. Idem AA. Rufino P.P.

Cum omnifariam vrbicarias regiones ab omni crimine & adsiduis abactorum rapinis quietas esse cuperemus, eousque intentio nostra prospexit, vt istis in locis equo vehi his tantummodo liceret, quos ab huiusmodi sceleris suspicione locus, aut dignitas vindicauit. Sed postea sanximus, vt suarij equis quidem vterentur, verum ad periculum suum pertinere cognoscerent, si quid in his regionibus sceleris esset admissum. Nunc quia aduertimus, à suariis qui propriis officiis occupantur, hanc necessitatem alienam esse debere: excellentia tua ita his sedendorum equorum potestatem datam esse cognoscat, vt nullo prioris sanctionis timore teneantur, per ea sanè loca quæ neque ab actoribus, neque aliis criminationibus infamata sunt. Dat. XI. Kal. Iul. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

IIII. Idem AA. ad Valentinum Cons. Piceni.

Palatini vtendorum equorum per Picenum ad itinerum necessitatem habeant facultatem. Dat. XVII. Kal. Ianuar. Med. Valentiniano & Valente AA. CONSS.

V. Impp. Arcad. & Honor. AA. Benigno Vic. vrbis Romæ.

Pastores Valeriæ prouinciæ, vel Piceni, vti equinis animalibus non iubemus. alioquin, si interdictus vsus animalium vindicetur, conscios vsurpationis huius, seu dominos vel procuratores relegationis pœna retinebit. Dat. Kal. Dec. Med. Theodoro v.c. COSS.

Ne pastoribus dentur filij nutriendi. *Tit.* XXXI.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Cæciliano P.P. Post alia.

NEmo curialium, plebeiorum, possessorúm ve filios suos nutriendos pastoribus tradat. aliis verò rusticanis, vt fieri solet, nutriendos dari non vetamus. Si verò post istius legis publicationem quisquam nutriendos pastoribus dederit, societatem latronum videbitur confiteri. Dat. XII. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

De Nili aggeribus non corrumpendis. *Tit.* XXXII.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio P.P.

SI quis posthac per Ægyptum intra duodecimum cubitum fluminis Nili vlla fluenta de propriis ac vetustis vsibus præter fas, prætérque morem antiquitatis vsurpauerit: flammis eo loco consumatur, in quo vetustatis reuerentiam, & propemodum ipsius imperij adpetierit securitatem: consciis & consortibus eius Oasenæ deportationi cōstringendis, ita vt nunquam supplicandi eis, vel recipiendi ciuitatem, vel dignitatē vel substantiam licentia tribuatur. Dat. X. Kalend. Octob. Constantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

De

De his, qui plebem audent contra publicam colligere disciplinam. Tit. XXXIII.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Florentio PF. Augustali.

SI quis contra euidentissimam iussionem suscipere plebem, & aduersus publicam disciplinam defendere fortasse temptauerit, multam grauissimam sustinebit: Dat. XIII. Kalend. Ian. Constantinop. Richomere & Clearcho coss.

INTERPRETATIO. *Si quis populum ad seditionem concitauerit, damnis grauissimis subiacebit.*

De famosis libellis. Tit. XXXIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Verinum Vic. Africæ.

SI quando famosi libelli repperiantur, nullas exinde calumnias patiantur hij quorum de factis, vel nominibus aliquid cõtinebunt: sed scribtionis auctor potius requiratur, & repertus cum omni vigore cogatur his de rebus quas proponendas credidit, comprobare. nec tamen supplicio, etiam si aliquid ostenderit, subtrahatur. PP. III. Kalend. April. Karthag. Constantino A. V. & Licinio Cæs. coss.

INTERPRETATIO. *Qui famosam chartam ad cuiuscunque iniuriam, & maculam conscripserit, in secreto aut in publico adfixerit, inueniendámque proiecerit, illi contra quem proposita est chartula non nocebit, nec famæ eius aliquid derogabit. Sed si inueniri potuerit qui huiusmodi chartulam fecit, constringatur vt probet quæ conscripsit, qui si etiam quæ scripsit probare potuerit, fustigetur, qui infamare maluit quam accusare.*

II. Idem A. ad Helianum Proc. Afric.

Licet seruentur in officio tuo & vicariis exemplaria libellorum, qui in Africa oblati sunt: tamen eos, quorum nomina continent, metu absolutos securitate perfrui sinas, solúmque moneas, vt ab omni non solum crimine, sed etiam suspicione verisimili alieni esse festinent. nam qui accusandi fiduciã gerit, oportet comprobare, nec occultare quæ scierit quoniam prædicabilis erit ad dicationem publicam merito peruenturus. PP. V. Kal. Mar. Carthagine. Cõstantin. A. VI. & Constantio Cæs. coss.

III. Idem A. ad Ianuarium Agentem vicariam præfecturam.

Vt accusatoribus patientia prębenda est, si quem persequi in iudicio volunt: ita famosis libellis fides habenda non est, nec super his ad nostram scientiam referendum, cùm eosdem libellos flammis protinus conducat aboleri, quorũ auctor nullus existit. PP. Prid. Non. Decemb. Rom. Constantino A. VI. & Constantio Cæs. coss.

IIII. Idem A. ad Dionysium.

Famosa scribtio libellorum, quæ nomine accusatoris caret, minime examinanda est, sed penitus abolenda. nam qui accusationis promotione confidat, libera potius intentione, quàm captiosa atque occulta conscribtione alterius debet vitam in iudicium deuocare. PP. Tyro, XII. Kalend. Nou. Ianuarino & Iusto coss.

v. Imp. Constantius A. ad Afros.

Libellis quos famosos vocant, si fieri possit abolendis, inclytus pater noster prouidit: & huiusmodi libellos, ne in cognitionem quidem suam vel publicã iussit admitti. Nõ igitur vita cuiusquam, non dignitas concussa his machinis vacillabit. Nam omnes huiusmodi libellos cõcremari decernimus. Dat. XIIII. Kal. Iul. Vrso & Polemio coss.

vi. Idem A. ad Populum.

Nemo prorsus de famosis libellis, qui neque aput me, neque in iudiciis vllum obtinet locum, calũniam patiatur. Nam & innocens creditur, cui defuit accusator, cum non defuerit inimicus. Dat. Prid. Kal. Nou. Med. Arbitione & Lolliano coss.

vii. Impp. Valentinianus, & Valens AA. Edictum.

Famosorum infame nomen est libellorum. Ac si quis vel colligendos, vel legendos putauerit, ac non statim chartas igni consumpserit, sciat se capitali sententia subiugandum. Sane si quis deuotionis suæ ac salutis publicæ custodiam gerit, nomen suum profiteatur, & ea quæ per famosum prosequenda putauit, ore proprio edicat: ita vt absque vlla trepidatione accedat, sciẽs, quod si adsertionibus veri fides fuerit opitulata, laudem maximam ac præmium à nostra clementia consequetur. Dat. XIIII. Kal. Mar. Constantinop. Valẽtiniano & Valente AA. coss.

viii. Idem AA. ad Florianum Com.

Iampridem aduersus calumnias firmissima sunt præsidia comparata. Nullus igitur calumniam metuat. Contestatio verò, quæ caput alterius contra iuris ordinem pulsat, depressa nostris legibus iaceat, intercidat furor famosorum sæpe vt constituimus, libellorum, &c. Dat. v. Id. Nouemb. Martianop. Valentiniano & Valente AA. coss.

viiii. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. Cynegio P.F.

Si quis famosum libellum siue domi, siue in publico, vel quocumque loco ignarus offenderit: aut discerpat prius, quàm alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Nemini denique, si tam curiosus est, referat, quid legendo cognouerit. Nam quicunque obtulerit inuentum, certum est ipsum reum ex lege retinendum, nisi prodiderit auctorem, nec euasurum pœnam huiusmodi criminibus constitutam, si proditus fuerit cuiquam retulisse quod legerit. Dat. XIIII. Kalend. Feb. Constantinop. Honor. NB. P. & Euodio coss.

INTERPRETATIO. *Si quis chartulam famosam in cuiuscunque iniuriam vel infamiam in publico propositam, viderit, & legerit, & non statim discerpserit, sed cuicunque quæ in ea legerit fortasse retulerit, ipse velut autor huius criminis teneatur.*

x. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Anthemio P.P. & Patricio.

Vniuersi, qui famosis libellis inimicis suis velut venenatum quoddam telum iniecerint: hij etiam, qui famosam seriem scribtionis inpudenti agnita lectione non ilico discerpserint, vel flammis exusserint, vel lectorem cognitum prodiderint: vltorem suis ceruicibus gladium reformident. Dat. IIII. Kal. Maij, Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo coss.

De

De quæstionibus. Tit. XXXV.

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Olybrium P.V.

NVllus omnino ob fidiculas perferendas inconsultis ac nescientibus nobis vel militiæ auctoramento, vel generis, aut dignitatis defensione, nudetur: excepta tamen maiestatis causa, in qua sola omnibus æqua condicio est. Hij quoque citra consultationis modum subiciantur quæstioni, qui euidentibus argumentis subscribtiones nostras finxisse prodentur: qua in re ne palatini quidem nominis adsumptionem huius esse volumus quæstionis exortem. Dat. VIII. Id. Iulias, Valentiniano NB. P. & Victore coss.

II. Idem AAA. ad Antonium P.P. Gall.

Decuriones siue ob alienum, siue ob suum debitum exortes omnino earum volumus esse pœnarum, quas fidiculæ, & tormenta constituunt. Quod quidē capitale Iudici erit, si in contumeliam ordinis exitiúmque temptetur. Maiestatis tantummodo reos & quæ nefanda dicto sunt conscios, aut molientes ex ordine municipali maneat tam cruenta condicio. Debitores vero, & quos allectos, aut susceptores memorant, à summo vsque ad infimum ordinem curiales exortes talium volumus esse pœnarum. Habet seueritas multa quæ sumat ad sanciēdam publici officij disciplinā, vt abstineant tam cruentis. Plumbatarum vero ictus, quos in ingenuis corporibus non probamus, non ab omni ordine submouemus, sed decem primos tantum ordinis curiales ab immunitate huiusmodi verberū segregamus: ita vt in ceteris animaduersionis istius habeatur moderatio commonentis. Dat. XV. Kalend. Octob. Treu. Valente V. & Valentiniano AA. coss.

III. Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. ad Gracchum P.P.

Seueram indagationem per tormenta quærendi à Senatorio nomine submouemus. Dat. Prid. Non. Ianuar. Treu. Gratiano A. IIII. & Merobaude coss.

IIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Albuciano Vic. Macedoniæ.

Quadraginta diebus qui auspicio cærimoniarum paschale tēpus anticipāt, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum. Dat. VI. Kalen. April. Thess. Gratiano A. V. & Theod. A. I. coss.

INTERPRETATIO. *Diebus quadragesimæ pro reuerentia religionis omnis criminalis actio conquiescat.*

V. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Tatiano P.P.

Sacratis quadragensimę diebus nulla supplicia sint corporis, quibus absolutio expectatur animarum. Dat. VIII. Id. Septemb. Foroflamini, Timasio & Promoto coss.

VI. Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Messalam P.P.

Nihil sibi deflectens à iustitia indignatio cognitorum, nihil venalis exigentium terror in eas quę aut innocētiæ auctoritate securæ, aut principalitatis sūt honore munitæ, intellegat licere personas, ad inferendas iniurias corporales.

Habeat hanc mercedem laboris multorum munerum testimoniis commendata deuotio,&c. Dat.XII.Kal.Septemb. Theodoro v.c. COSS.

VII. Impp.Honor.& Theod.AA.ad Anthemium P.P.

Prouinciarum Iudices moneantur,vt in Isaurorum latronum quæstionibus nullum quadragensimæ,nec venerabilem Pascharum diem existiment excipiendum,ne differatur sceleratorum proditio consiliorum,quę per latronum tormenta quærenda est,cum facillime in hoc summi numinis speratur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur. Dat. v.Kal. Maij,Constantinop. Basso & Philippo COSS.

Vt intra annum criminalis actio terminetur. *Tit.* XXXVI.

I. Imppp.Valentinianus,Theodosius, & Arcad.AAA. Desiderio Vic. Asiæ.

QVisquis accusator reum in iudicium sub inscriptione detulerit, si intra anni tempus accusationem cœptam prosequi supersederit, vel (quod est contumacius) vltimo anni die adesse neglexerit: quarta bonorum omnium parte multatus, aculeos consultissimæ legis incurrat, scilicet manente infamia, quam veteres iusserant sanctiones. Dat.IIII.Id.Iul. Treu.Arcad.A.I.& Bautone COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque inscriptione præmissa cuiuscunque criminis reũ accusare voluerit,ab eo die quo inscripsit,intra annũ peragat propositam actionem, qui si distulerit,infamis effectus,bonorum suorum quarta parte multabitur.*

II. Impp. Honor.& Theod.AA.Cæciliano P.P. Post alia.

Nouerint Iudices cuilibet culmini honorive præsidentes, necessariis vtriq; parti(si petantur) dilationibus non negatis,à die inscribtionis intra anni curricula criminales causas limitandas:quo emenso,habeat accusator, quia destitit,pœnam sibi legibus constitutam. Et si persona vilior fuerit,cui damnum famæ non sit iniuria,pœnam patiatur exilij: nisi forsitan intra anni metas cõsensus partium abolitionem poposcerit. In Iudicum autem debet esse diligentia,vt si nulla rationabilis à reo,vel accusatore dilatio postuletur:vrgueant talium causarum notionem, non expectatis anni moris.Si verò accusator, vel reus propter documenta forsitan sibi necessaria annum voluerint custodiri, dare adsensum debet patientia cognitoris in alteram partem seueriorem formatura sententiam,&c. Dat.XII. Kalend. Feb. Rau.Honorio VIII.& Theod. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Iudices qui inscriptione præmissa criminalia negotia audire cœperint,à die inscriptionis si inducias aut accusator aut reus petierit,intra annũ præstare debebunt,vt hæc actio intra anni curriculum finiatur.Quod si accusator intra annum quæ proposuit probare distulerit,absoluto reo, pœnam suscipiat lege superiori comprehensam.Quod si talis persona sit,ad cuius deformitatem infamia non pertineat, exilio deputetur. Tamen si inter accusatorem & reum, ita Iudice præsente conuenerit, vt pro instructione vtriusque partis anni integri induciæ tribuantur, debet à Iudice non negari, futurum, vt pars quæ post inducias fuerit superata, districtiori sententia feriatur.*

De

De abolitionibus. *Tit.* XXXVII.

I. Imp. Constantinus A. ad Ianuarinum P. V.

SI post strepitum accusationis exortæ abolitio postuletur, causa nouæ miserationis debet inquiri, vt si citra depectionem id fiat, postulata humanitas præbeatur. Sin aliquid suspicionis extiterit, quod manifestus reus depectione celebrata legibus subtrahatur, redemptæ miserationis vox minime admittatur, sed aduersus nocẽtem reum inquisitione facta pœna conpetens exeratur. Dat. VI. Kal. Decemb. Serdicæ, Constantino A. V. & Licinio C. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quem pœnituerit accusasse criminaliter, & inscriptionem fecisse de eo quod probare non potuerit, si ei cum accusato innocente conuenerit, inuicem se absoluant. Si vero Iudex eum qui accusatus est, criminosum esse cognouerit, & inter reum & accusatorem per corruptionem de absolutione reatus conuenerit, is qui reus probatur, remoto conludio, pœnam excipiat legibus constitutam.*

II. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum P.P.

Accusator, qui se laqueo legis adstringit, agnoscat nullum sibi fore ad latebram abolitionis recursum, postquam aliquid iniuriæ merito scribtionis inlatæ tolerarit inscribtus, id est, si vel carcerem sustinuerit, vel tormenta, vel verbera, vel catenas: nisi forte ille, qui hæc pertulit, contemnat, & donet in se, quod pertulit. ac par fuerit tam petitoris, quàm petiti in accipienda abolitione consensus. Prius tamen, quàm aliquis de quæstione liberetur, sequitur illud, vt plerisque criminibus nec consentientibus quidem partibus præstetur abolitio: vt sunt illa, in quibus aut violata maiestas, aut patria obpugnata vel prodita, aut peculatus admissus, aut sacramenta deserta sunt, omniáque ea quæ iure veteri continentur. In quibus Iudex non minus accusatorem ad docenda quæ detulit, quàm reum ad purganda quæ negat, debet vrguere. Dat. Prid. Id. Octob. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS. *Ista lex expositione non indiget.*

III. Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Floro P.P.

Fallaciter incusantibus maximè post exhibitionem accusati nullius iuris color, vel vt deriuata excusatione proficiat, non publica abolitio, non priuata talibus prospiciat subueniátque personis, non specialis indulgentia, ne beneficium quidem eos generale subducat: sciant cuncti, præmeditẽtur, ante præcaueant, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita sit testibus, instructa documentis, signis ad probationem luce clarioribus expedita. Dat. XV. Kal. Iun. Constantinop. Antonio, & Syagrio COSS.

IIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Cæciliano P.P.

Abolitionem inuito reo postquam fuerit officij custodiæ traditus, intra dies XXX. accusatori petenti dari permittimus, post hoc tempus, nisi reus cõsentiat, censemus non esse tribuendam. Si vero ingenuos aliquos velut testes criminis petitos, ab accusatore deductos esse constiterit, solam custodiæ iniuriam tolerasse, qui testes dicantur esse non conscij, eorum ab accusatore sumptibus consulendum est. Quod si ingenuorum, licet plebeiorum, corpora fuerint

læsa verberibus, tormentísque vexata, abolitionem etiam duarum partium consensu petitam, iubemus vigore Iudicum denegari, & crimen propositum, cuius examen tormentis iam cœperat agitari, nec ante à Iudice dimitti, quàm in reum probato crimine vindicetur, aut in accusatorem pari forma sententiæ damnatio referatur, &c. Dat. VIII. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si criminis accusator intra xxx. dies abolitionem petierit, etiam inuito reo à Iudice concedatur: vt liberi & accusatus & accusator abscedant: post xxx. vero dies, quam accusatus custodiæ fuerit traditus, nisi abolitionem & reus & accusator à Iudice petierint, accusatori solo non esse præstandam. Quod si testes exhibiti ad petitionem accusatoris fuerint, & in custodiam missi fuerint, & abolitio petita præstitáque fuerit, sumptus quos fecerunt testes, eis accusator exoluat: Nam si testes exhibiti ab accusatore pœnæ subiacuerint, etiam si consentient partes, abolitio à Iudicibus denegetur, sed aut in accusatum, si conuictus fuerit, aut in accusatorem, si non conuicerit legibus, ex sententia Iudicis pœnam, quam passurus erat reus, accusator excipiat.*

De indulgentiis criminum. *Tit.* XXXVIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum P.P.

PRopter Crispi adque Helenæ partum omnibus indulgemus, præter veneficos, homicidas, adulteros. Acc. III. Kal. Nouemb. Rom. Probiano & Iuliano COSS.

II. Imp. Constantius A. ad Cerealem P.V.

Omnia penitus amputentur, quæ tyrannicum tempus poterat habere tristissima. Vniuersos ergo pręcipimus esse securos, exceptis quinq; criminibus, quæ capite vindicantur. Dat. VIII. Id. Septemb. Lygduni. Constantio A. VII. & Constante C. COSS.

III. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Viuentium P.V.

Ob diem Paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissoluimus. Adtamen sacrilegus, in maiestate reus, in mortuos veneficus, siue maleficus, adulter, raptor, homicida, cōmunione istius muneris separentur. Dat. III. Non. Maij, Rom. Lupicino & Iouiano COSS.

IIII. Idem AAA. ad Olybrium P.V.

Paschæ celebritas postulat, vt quoscunque nunc ægra exspectatio quæstionis, pœnæque formido sollicitat, absoluamus: decretis tamen veterū mos gerendus est, ne temere homicidij crimen, adulterij fœditatem, maiestatis iniuriam, maleficiorum scelus, insidias venenorum, raptúsque violentiam sinamus euadere. Lecta VIII. Id. Iun. Valentiniano & Valente II. AA. COSS.

V. Idem AAA. ad Senatum.

Indulgentia, Patres conscribti, quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit: in vno hoc, aut in duobus reis ratum sit. Qui indulgentiam senatui dat, damnat senatum. Dat. XIIII. Kal. Iun. Treu. Gratiano A. II. & Probo COSS.

VI. Imppp. Gratianus, Valent. & Theod. AAA. ad Antidium v.c. Vicarium.

Paschalis lætitiæ dies ne illa quidem tenere sinit ingenia, quæ flagitia fecerunt.

pateat insuetis horridus carcer aliquando luminibus. Alienũ autem censemus ab indulgentia, qui nefariam criminum conscientiam in maiestatem superbè animauerit, qui parricidali furore raptus, sãguine proprio manum tinxit, qui cuiusque præterea hominis cæde maculatus est, qui genialis tori ac lectuli fuit inuasor alieni, qui verecundiæ virginalis raptor extitit, qui venerandum cognati sanguinis vinculum profano cæcus violauit incestu, vel qui noxiis quęsita graminibus & diris inmurmurata secretis, mentis & corporis venena cõposuit: aut qui sacri oris imitator & diuinorũ vultuum adpetitor, venerabiles formas sacrilegio eruditus inpressit. His ergo tali quoque sub absolutione dãnatis, indultum nostræ serenitatis eo præcepti fine concludimus, vt remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa, non habeant: ne in eos liberalitatis Augustæ referatur humanitas, qui inpunitatem veteris admissi non emendationi potius, quàm cõsuetudini deputarunt. Recitata XII. Kal. Aug. Rom. Syagrio & Eucherio COSS.

VII. Idem AAA. ad Marcianum Vic.

Religio anniuersarię obsecrationis hortatur, vt omnes omnino periculo carceris metúque pœnarum eximi iuberemus, qui leuiore crimine rei sũt postulati. Vnde apparet, eos excipi quos atrox cupiditas in scelera compulit sæuiora, in quibus est primum crimen, & maximè maiestatis, deinde homicidij, veneficiique, ac maleficiorum, stupri atque adulterij, paríque immanitate sacrilegij, sepulchríque violatio, raptus, monetæque adulterata figuratio. Dat. XI. Kal. April. Med. Richomere & Clearcho COSS.

VIII. Idem AAA. ad Neotherium P.P.

Nemo deinceps tardiores fortassis affatus nostræ perennitatis exspectet: exsequãtur Iudices, quod indulgere cõsueuimus. Vbi primum dies paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincla soluãtur. Sed ab his secernimus eos, quibus contaminari potius gaudia lætitiámque communem, si dimittantur, aduertimus. Quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? quis adultero, vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? quis non raptorẽ in summa quiete & gaudio cõmuni persequatur instãtius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non siuit, patiatur tormẽta veneficus, maleficus, adulteratórque monetæ: homicida quod fecit, semper expectet: reus etiam maiestatis, de domino aduersum quem talia molitus est, veniam sperare non debet. Dat. V. Kal. Mar. Med. Arcadio I. & Bautone COSS.

INTERPRETATIO. *Sacrilegus, adulter, incesti reus, raptor, sepulchrorum violator, veneficus, maleficus, adulterator monetæ, homicida, diebus Paschæ nullatenus absoluantur. Reliqui omnes, quos minorum causarum culpa cõstringit, diebus venerabilibus Paschæ specialiter absoluantur.*

VIIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Cæsarium P.P.

Deuotissimæ nobis prouinciæ Lyciæ priorem famam meritúmque inter ceteras renouari censemus. Idque excellens eminentia tua, edictis propositis, cũctis faciat innotescere, ne quis posthac ciuem Lycium contumelioso nomine iniuriæ audeat vulnerare. Teneãt honores suos, quos meritis ac laboribus perceperunt, & à nostra serenitate sumpturi sunt. Habeant præteritas dignitates, sperentque sui deuotione venturas, nec vnius viri inlustris Tatiani tantum

valuerit temporalis offensio teterrimi iudicis inimici, vt athuc macula in Lycios perseueret, quæ in ipso iam temporis absolutione consumpta est. Dat. Prid. Kalend. Septemb. Constantinop. Arcad. A. IIII. & Honor. A. III. COSS.

x. Idem AA. & Theod. A. Romulo P.P.

Omnes omnium criminum reos vel deportatione depulsos, vel relegatione, aut metallis deputatos, quos insulæ variis seruitutibus, aut loca desolata susceperunt, hac nostra indulgentia liberamus: separatis illis, qui ad locum pœnæ destinatum contra Iudicum sententias ire noluerunt. Indignus est enim humanitate, qui post damnationem commisit in legem. Dat. VIII. Id. Aug. Rauenn. Stilicone, & Aureliano COSS.

XI. Impp. Honor. & Theod. AA. Gaisoni Com. & Magistro Offic. Post alia.

De his, qui tyrannicæ præsumptionis sacramenta sectati, ad nostrum imperium redierunt, hanc volumus esse sententiam, vt quos inter incendia tyrannidis adsumptæ, fidelis penitudo reuocauit, ordinem & fructum militiæ non amittant. Eos verò, quibus lentum regressum necessitas desperationis indixit, soluto cingulo matricula conuenit aboleri, ita vt illud quoque par reuerentię forma custodiat, ne redire ei ad pristinam militiam liceat, qui aliud militandi genus elegerit. Dat. Prid. Id. Feb. Rau. Varane CONS.

XII. Idem AA. Palladio P.P.

Liberata republica tyrannidis iniuria, omnium criminum reos relaxari pręcipimus. Dat. VIII. Id. Aug. Rau. Varane v.c. CONS.

De calumniatoribus. *Tit.* XXXVIIII.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Hellebico Com. & Magistro vtriusque mil.

NOn est ratio, qua manifesti calumniatoris supplicium differatur. Nec enim patimur frequenter iterari, quæ consistere prima actione non quiuerint, atque alienam innocentiam securitatémque sine crimine, damnabili adpetitione terreri. Dat. III. Kal. Ian. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino CONSS.

Ista lex sub eodem titulo similem interpretationem habet.

II. Idem AA. Minandro Vic. Asiæ.

Nostris, & parentum nostrorum constitutionibus comprehensum est, eos qui accusationem alienis nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducẽdos: atque ideo calumniosissimum caput & personam iudicio inritę delationis infamem deportatio sequatur: quo posthac singuli vniuersiq; cognoscant non licere in eo Principum animos commouere, quod nõ possit ostendi. Dat. VIII. Id. Maij. Constantinop. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Victori Proc. Africæ.

Innocentes sub specie falsæ criminationis non patimur callidorum inpugnatione subuerti: qui si temptauerint, intellegant sibimet seueritatem legũ pro commissis facinoribus incumbere. Dat. III. Id. Mart. Med. Honor. A. IIII. & Eutychiano COSS.

INTER-

INTERPRETATIO. *Calumniatores sunt, quicunque causas ad se non pertinentes, sine mandato alterius proposuerunt. Calumniatores sunt quicunque iusto iudicio victi, causam iterare tentauerint. Calumniatores sunt quicunque quod ad illos non pertinet petunt, aut in iudicio proponunt. Calumniatores sunt qui sub nomine fisci facultates impetunt alienas, & innocentes quietos esse non permittunt. Calumniatores etiam sunt, qui falsa deferentes contra cuiuscunque innocentis personam, principis animos ad iracundiam commouere præsumunt. Qui omnes infames effecti in exilium detrudantur.*

De Pœnis. Tit. XL.

I. Imp. Constantinus A. ad Catullinum.

QVi sententiam laturus est, temperamẽtum hoc teneat, vt nõ prius capitalem in quempiam promat seuerámque sententiam, quàm in adulterij, vel homicidij, vel maleficij crimen, aut sua confessione, aut certe omnium qui tormentis, vel interrogationibus fuerint deditі, in vnum conspirantem concordantémque rei finẽ, conuictus sit: & sic in obiecto flagitio deprehensus, vt vix iam ipse, ea quæ commiserit negare sufficiat. Dat. III. Non. Nou. Treu. Acc. xv. Kal. Maij, Hadrumeti, Volusiano & Aniano COSS.

INTERPRETATIO. *Iudex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quàm aut reus ipse fateatur, aut conuictus, vel per innocẽtes testes, vel per conscios criminis sui aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commisisse manifestius conuincatur.*

II. Idem A. Eumelio.

Si quis in ludum fuerit, vel in metallum pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minimè in eius facie scribatur: dum & in manibus & in suris possit pœna damnationis vna scribtione comprehendi: quo facies quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata minimè maculetur. Dat. XII. Kalendas April. Cabilluno, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

III. Idem A. ad Festum Præsidem Sardiniæ.

Quicumque cohercitionem mereri ex causis non grauibus videbuntur, in vrbis Romæ pistrina dedantur. Quod vbi tua sinceritas cœperit obseruare, omnes sciant eos qui (sicut dictum est) ex leuioribus causis huiusmodi meruerint subire sententiam, ergastulis vel pistrinis esse dedendos, adque ad vrbem Romam, id est, ad Præfectum annonæ sub idonea prosecutione mittendos. Dat. IIII. Kal. Aug. Constantino A. V. & Licinio COSS.

IIII. Imp. Constantius A. Theodoro P. V. Præsidi Arabiæ.

Dum reis manifesta probatione conuictis spatium ante sententiam temporis datur, facultas supplicandi criminosissimis patet, cum in homicidij crimine & in aliis detecti grauioribus causis vltio differenda non sit. Igitur quidem, qui iam impetrauerunt, ad veniam pertineant. de cetero vero iuxta criminis qualitatem legem oportet seruari, & in scelerosos & in noxios proferri iuris sententiam. Dat. Id. Octob. Constantio A. IIII. & Constante C. COSS.

V. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Symmachum P. V.

Leuiorum criminum reos excellens auctoritas tua pistrinis iubebit legum

æquitate seruata damnari, sub hac videlicet obseruantia, vt sub obtutibus tuis semper pistoribus præcipiantur adsignari, ne dum occultè per nequissimos commentarienses traduntur, gratia venalis existat. Dat. v. Id. Iun. Naisso, Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VI. Idem AA. Arthemio.

Omnes qui in leuioribus criminibus rei deteguntur, pistrinorum exercitio vrbis Romæ damnare debebis, ita vt transmissio eorum ad officium Præfecti annonæ sine aliqua tergiuersatione celebretur. Dat. III. Id. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VII. Idem AA. Arthemio.

Nullum ex his, quos pistrinis qualitas condemnationis addixerit, inpertita ceteris reis indulgentia relaxari oportet, nisi aliquis speciali serenitatis nostræ meruerit reportare rescribtum. Dat. VIII. Id. Octob. Altino, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VIII. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Quicumque Christianus sit in quolibet crimine deprehensus, ludo non adiudicetur. Quod si quisquā Iudicum fecerit, & ipse grauiter notabitur, & officium eius multæ maximæ subiacebit. Dat. XVIII. Kalen. Feb. Valentiniano & Valente AA. COSS.

VIIII. Idem AA. ad Olybrium P.V.

Ne quis pro cohercitione delicti, vel pistoribus, vel cuicūque alteri corpori, cū alterius sit corporis, addicatur: sed vnusquisque pro crimine in quo fuerit deprehensus, motum congruæ seueritatis excipiet. Dat. III. Id. April. Valentiniano & Valente AA. COSS.

X. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Prætextum P.V.

Quotiens in Senatorii ordinis viros pro quātitate peccati austerior fuerit vltio proferenda, nostra potissimum explorentur arbitria, quo rerum adque gestorum tenore comperto eam formam statuere possimus, quam modus facti contemplatióque dictauerit. Dat. VIII. Id. Octob. Remis, Gratiano A. I. & Dagalaifo. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quando aliquæ maiores personæ, aut alicuius dignitatis viri vocātur in crimen, Iudex ad rerum dominos referat, vt de huiusmodi personis quid fieri debeat dominorum præceptio iusta constituat.*

XI. Idem AAA. ad Viuentium P.V.

Neminem de numinis nostri sacrario prodeuntem harena suscipiat, lanista doceat, sæua meditatio & pugnatrix exerceat. multa siquidē possunt esse supplicia, quibus culpa plectatur. Dat. v. Id. April. Lupicino & Iouiano COSS.

XII. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA.
ad Antonium P.P.

Campaniæ Consularibus formam iudicationis adscribimus, ne in loco certa condicione finito modum animaduersionis excedant, neque extra prouinciam suam ius relegationis exerceant. Dat. Prid. Kalend. Decemb. Treu. Valēte VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

XIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Flauiano P.P. Illyrici & Italiæ.

Si vindicari in aliquos seuerius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu

intuitu iussserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam: sed per dies xxx. super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. Reos sanè accipiat, vinciátque custodia, & excubiis sollertibus vigilanter obseruet. Dat. xv. Kal. Septemb. Veronæ, Antonio, & Syagrio coss.

INTERPRETATIO. *Si Princeps cuiuscunque graui accusatione commotus, quenquã occidi præceperit, non statim à Iudicibus quæ ab irato Principe iussa sunt, compleantur, sed triginta diebus qui puniri iussus est, reseruetur, donec pietas dominorum iustitiæ amica subueniat.*

XIIII. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. ad Principium PF.P.

Ne diu apparitorum praua admodum venalísque perfidia in publica impunè commoda desæuiret, censuimus etiam in absentes pro conpetenti vltione debere consurgi. Dat. Kal. Iun. Arcadio A. & Bautone coss.

XV. Idem AAA. Tatiano PF.P.

Si quis conuictus reus maximi criminis fuerit, subiectúsque sententiæ, conpetens iudicium compleatur, nec exquisita commentis ars eiusmodi subornetur, vt direptus à clericis adferatur, vel appellasse simuletur. Quòd si quisquã post iudicium vendibili conhibentia licentiæ huic præstiterit assensum: haut leuia sustinebit. Nam Proconsules, Comites orientis, Præfecti Aug. Vicarij etiam adfecti nota deformi, tricenas auri libras compendiis fiscalibus conferent. Iudices autem ordinarij similiter deformati, quinas denas cogentur exsoluere. Officia vero eorundem, hisdem quibus Iudices sui dispendiis subiacebunt, si in suggestione cessauerint, ac non præceptum legis ingesserint, atque iniecta manu ne rei auferantur obstiterint, ac nisi id, quod fuerit constitutum, in effectum exsecutionémque perduxerint. Dat. III. Id. Mar. Constantinop. Arcadio A. II. & Rufino coss.

XVI. Impp. Arcadius & Honorius AA. Eutychiano PF.P. Post alia.

Addictos supplicio & pro criminum immanitate damnatos, nulli clericorum, vel monachorum, eorum etiam quos cœnobitas vocant, per vim adque vsurpationem vindicare liceat ac tenere. Quibus in causa criminali humanitatis consideratione si tempora suffragantur, interponendæ prouocationis copiam non negamus, vt ibi diligentius examinetur, vbi contra hominis salutem, vel errore, vel gratia cognitoris obpressa putatur esse iustititia: ea condicione, vt siue Proconsul, Comes Orientis, Præfectus Augustalis, Vicarij, fuerint cognitores: non tam ad clementiam nostram, quàm ad amplissimas potestates sciant esse referendum. Eorum enim de his plenum volumus esse iudicium, qui si ita res est & crimen exegerit, rectius possint punire damnatos. Reos etiam tempore prouocationis emenso ad locum pœnæ sub prosecutione pergentes, nullus aut teneat, aut defendat: sed sciat se Cognitor xxx. librarum auri multa, Primates officij capitali esse sententia feriendos, nisi vsurpatio ista aut protinus vindicetur, aut si tanta clericorum ac monachorum audacia est, vt bellum potius quàm iudicium futurum esse existimetur, ad clementiam nostram commissa referantur, vt nostro mox seuerior vltio procedat arbitrio. Ad Episcoporum sanè culpam, vt cetera, redũdabit, si quid forte in ea parte regionis, in qua ipsi populo Christianæ religionis doctrinæ

insinuatione moderantur, ex his, quæ fieri hac lege prohibemus, à monachis perpetratum esse cognouerint, nec vindicauerint. Ex quorum numero rectius si quos forte sibi deesse arbitrantur, clericos ordinabunt, & cetera. Dat. VI. Kal. Aug. Mnyzo, Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

XVII. Idem AA. Aureliano P.P.

Omnes res Eutropi, qui quondam Præpositus sacri cubiculi fuit, ærarij nostri calculis adiunximus, erepto splendore eius & consulatu à tætra inluuie & à commemoratione nominis eius, & cœnosis sordibus vindicato, vt eiusdem vniuersis actibus antiquitatis, omnia mutescant tempora, nec eius enumeratione sæculi nostri labes appareat, nec ingemescat, aut qui sua virtute ac vulneribus Romanos fines propagant, vel qui eosdem seruandi iuris æquitate custodiunt, quod diuinum præmium consulatus lutulentum prodigium cōtagione fœdauit, patriciatus etiam dignitate atq; omnibus inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit scæuitate. omnes statuas, omnia simulacra tam ex ære, quàm ex marmore, seu ex † fucis, quàm ex quacumque materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locísque priuatis ac publicis præcipimus aboleri, ne tanquam nota nostri sæculi obtutus polluat intuentum. Adhibitis itaque fidis custodibus, ad Cyprum insulam perducatur, in qua tua sublimitas relegatum esse cognoscat, vt ibidē peruigili cura vallatus, nequeat suarum cogitationum rabie cuncta miscere. Dat. XVI. Kal. Feb. Constantinop. Theodoro V. C. COSS.

† al. fusis

XVIII. Idem AA. Eutychiano P.P.

Sancimus ibi esse pœnam, vbi & noxa est. Propinquos, notos, familiares procul à calumnia submouemus, quos reos sceleris societas non facit. nec enim adfinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneāt auctores, nec vlterius progrediatur metus, quam repperitur delictum. Hoc singulis quibusque Iudicibus intimetur. Dat. VIII. Kal. Aug. Constantinop. Theodoro V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Pœna illum tantum sequatur qui crimen admisit, propinqui vero, affines, vel amici, familiares, vel noti, si conscij criminis non sunt, non teneantur obnoxij. Nemo de propinquitate criminosi, aut de amicitiis timeat, nisi qui scelus admiserit.*

XVIIII. Impp. Honorius & Theod. AA. Donato Proc. Afric.

Satellites Gildonis custodiis mancipentur, & proscribtione damnentur. Dat. III. Id. Nouemb. Basso & Philippo COSS.

XX. Idem AA. Theodoro P.P.

Si quis ex proscribtorum numero comitatum nostræ serenitatis siue mœnia æternæ vrbis intrauerit, deportatione plectetur. Dat. X. Kal. Octob. Basso & Philippo COSS.

XXI. Idem AA. Honoratis, & Prouincialibus Afric.

Heraclianum hostem publicum iudicantes, digna censuimus auctoritate puniri, vt eius resecentur infaustæ ceruices. eius quoque satellites pari intentione persequimur. Sed hanc omnibus priuatis atque militantibus licentiam damus, vt omnes prodendi in medium habeant liberam facultatem: nec inuidiam metuat, qui ad publicum deduxerit criminosum, cùm illud specialiter caueamus, ne vllus aliquem eorum aut subtrahendum iudicet, aut celandum,

dum, néve ex eorum facultatibus, vel deposita deneget, vel accepta non prodat. Dat. III. Non. Iul. Rau. Honorio VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

XXII. Idem AAA. ad Anthemium P.P.

Omnes, quos damnationis condicio diuersis exiliis destinatos metas temporis præstituti in carceris implesse custodia deprehendit: solutos pœna vinculísque laxatos custodia liberari præcipimus, nec vllas exilij postmodum miserias formidare. Sit satis immensorum cruciatuum semel eluisse supplicia, ne qui auræ communis haustu & lucis aspectu diu priuati sunt, intra breue spatium catenarum ponderibus prægrauati, etiam exilij pœnam sustinere iterum conpellantur. Dat. XIIII. Kalend. Maij, Constantio & Constante VV.CC. COSS.

XXIII. Idem AA. Monachio P.P.

Rectores Prouinciarum conueniri præcipimus, vt hij qui pro suo crimine pœnam exilij sub certo temporis spatio subire decreti sunt, exacto præfinito tépore, nec claustris carceralibus, nec in locis, in quibus exules versati sunt, teneantur. Dat. III. Kalend. Septemb. Eudoxiopoli, DN. Theod. A. VII. & Palladio V.C. COSS.

XXIIII. Idem AA. Monaxio P.P.

His, qui conficiendi naues incognitam ante peritiam barbaris tradiderunt, propter petitionem viri reuerentissimi Asclepiadis Cersonesitanæ ciuitatis Episcopi imminenti pœna & carcere liberatis, capitale tam ipsis, quàm etiam ceteris supplicium proponi decernimus, si quid simile fuerit in posterum perpetratum. Dat. VIII. Kal. Octob. Constantinop. Monaxio & Plinta COSS.

Ne sine iussu principis certis Iudicibus liceat confiscare. Tit. XLI.

I. Impp. Theod. A. & Valentinianus, Cæs. ad Hierium P.P.

NVlli Iudicum (exceptis his qui in summa administrationis sunt positi potestate, vitæ quoque noxiis ius adimendæ sortiti sunt) quemquam omnino inconsulta nostra clementia in vllo genere criminationis tristi liceat proscribtionis tempestate percellere. Ad nos simulationum genera, quæstionis ordo, criminum moles, documentorum probationúmque pensanda libramenta mittantur. Nemo sibi præsumat Moderatorum, prouinciarúmque Rectorum, sub quibuscunque infulis potestatis quemquam patrimonij vniuersis priuare subsidiis. In illos gladij sui & ius seueritatis exerceant, in quos statim destringi ferrum iura præcipiunt, quorúmque differri supplicium materia est interitus plurimorum. Dat. Kalend. Febr. Constantinop. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Nullus Iudicum priuatas facultates fisci nomine proscribere aut occupare præsumat, sed ad rerum dominos referat causam, pro qua hoc aliquis mereatur, & quod iussum fuerit, obseruetur.*

De bonis proſcriptorum, ſeu damnatorum: *Tit.* XLII.

I. Imp. Conſtantinus A. Petronio Probiano.

RES vxoris, quæ vel ſucceſſione qualibet, vel emptione, vel etiam largitione viri in eam ante reatum iure peruenerant, damnato marito inlibatas eſſe præcipio, nec alieni criminis infortunio ſtringi vxorem, cum paternis maternísve ac propriis frui eam integro legum ſtatu religioſum ſit. Et donatio maritalis ante tempus criminis ac reatus conlata in vxorem (quia pudicitiæ præmio ceſſit) obſeruanda eſt, tãquam ſi maritos eis natura non pœna ſubduxerit, capacitatis priuilegio videlicet & modo inſpecto, vt conſideretur, quid capere potuit. Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis ac reatus patrem contuliſſe claruerit, integrum hiſdem & citra inquietudinem reſeruetur. Quod verò nec vxor, nec emancipati liberi potuerint vindicare, captum & incorporatum ita ad me referri ſpecialiter cenſeo, vt illud quoque addatur, vtrum filios habeat qui damnatus eſt: ſimúlque adiciatur, vtrum idem apud ſe ex cauſa donationis aliquid vindicarint. Sed in his, qui fiſcalibus actibus nexi ſunt, & pro ratiociniis proſcribuntur & condemnantur, placuit, ſi quid proprium vxor habuit, vel à marito datum, in quantum capere potuit ante initium actum, ex quo origo fraudis ac vitij in iudicium deducta eſt: ſi quid deinde in emancipatos filios donatione conlatum antè quàm orto nexu ſuffugium potius quàm munificentia fraúſque temptetur, intemeratum aput accipientium iura perſiſtere, nec quicquam fiſco in qualibet cauſa teneatur obnoxium, niſi quod in dominio proprio cùm obligari ortus eſt, habuit, vel quod agens tam ſuo, quàm vxoris, vel filiorum, vel cuiuſcumque præterea nomine comparauit: exceptis dumtaxat Cæſarianis qui ab omni iuris beneficio exluduntur, niſi probata à me purgatáque ratiocinia fuerint, vt quod innoxie habuerint, tranſmittendi copiam habeát. Dat. III. Kalend. Mart. Serdicæ, Criſpo II. & Conſtantino II. CC. COSS.

II. Imp. Conſtantius A. & Iulianus Cæſ. ad Populum.

Si quem fortè gladius vltor adflixerit, aliáve quælibet vitam adimens pœna cõſumpſerit, vſque ad tertium gradum generis, copulationis eiuſdem ſucceſſio deferatur, fiſco penitus quieſcente: vt accipiat hereditatem qui eam iure ciuili, vel prætorio poterat vindicare, de numero videlicet perſonarum, quas legis huius excepit auctoritas: ſed ita, vt alia ſit condicio damnatorum ex crimine maieſtatis, aut magicæ. In his enim etiamſi liberos damnatus habeat, vel parentes: non condentes pœnam, ſed relinquentes antiquam, fiſco fieri locum præcipimus. Dat. VIII. Idus Mar. Med. Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. COSS.

III. Idem A. & Cæſ. Cæleſtino Conſ. Beticæ.

Vbi aliquis pro qualitate criminis viuendi ſententiam paſſus fiſco fecerit locum, ſuper occupandis rebus eius ſtatim officium Procuratoris patrimonij litteris tuis conueniatur, vt eadem corpora fiſci viribus vindicentur, & protinus ſuper occupatione eorum ſcribtis conpetentibus intimetur. Dat. v. Kal. Sept. Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. II. COSS.

IIII. Idem

IIII. Idem A. ad Taurum.

Vetueramus bona capite damnatorum fiscali dominio vindicari, excepto crimine maiestatis & magicæ, vt ea haberent vsque ad gradú tertium successores eorum, quorum vitam seueritas ademisset: nunc verò bona capite damnatorum fiscali dominio vindicari decernimus, sanctione illa, quã certa condicione dederamus, quiescente. Data prid. Non. Ianuar. Sirmi, Acc. VI. Kalen. Septemb. Datiano & Cereale COSS.

V. Imp. Iulianus A. ad Felicem Com. S. L.

Quidam sceleratè proscribtorum facultates occultant. hos præcipimus, si locupletes sint, proscribtione puniri, si per egestatem abiecti sunt in fæcem, vilitatémque plebeiam damnatione capitali debita luere detriméta. PP. Rom. VII. Id. Mart. Mamertino & Neuitta COSS.

VI. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Symmachum P.V.

Substantiam damnatorum integram ad liberos peruenire, & in qualibet causa positis parentibus liberos heredes esse præcipimus, excepta sola maiestatis quæstione, quam si quis sacrilego animo adsumit, iustè pœnam ad suos etiam posteros mittit. Dat. VII. Kal. Decemb. Mediol. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis pro crimine suo occidi vel damnari meruerit, crimen cum auctore eius deficiat: Bona vero eius ad filios vel heredes legitimos pertinebunt: nisi forte maiestatis crimine damnatus sit aliquis, quorum etiam filios de bonis damnati patris iubemus fieri alienos.*

VII. Idem AA. & Gratianus A. ad Probum P.P.

Si qui intra prouinciam pro qualitate delicti stilum proscribtionis incurrerit, per ordinarij officij sollicitudinem, bonorum eius indago diligentissimè celebretur, ne quid rei priuatæ commodis per gratiam atque conludium furto subducatur: Et plena describtio comprehendat, quod spatium, & quod sit ruris ingenium, quid aut cultum sit, aut colatur, quid in vineis, oliuis, aratoriis, pascuis, syluis, fuerit inuentum: quæ etiam gratia, & quæ amœnitas sit locorum, quis ædificiis ac possessionibus ornatus, quótve mancipia in prædiis occupatis vel vrbana, vel rustica, vel quarum artium generibus inbuta teneantur, quot sint casarij, vel coloni, quot boum exercitiis terrarum atque vomeribus instruentium, quot pecorum & armentorum greges, & in qua diuersitate numerati sint, quantum auri & argenti, vestium ac monilium vel in specie, vel in pondere, & in quibus speciebus, quídve in enthecis sit repertum: tum demum omnia ea quæ velle nos perspicis, inquisitione constricta Rationalis rei priuatæ tradantur officio, nostro nectenda patrimonio. Mox verò ad nos sub litteris publicis Iudices singillatim de omnibus nominatímque perferatur; procul dubio neglegentia multanda. Nam si quid post factam à prædicto officio inuestigationem Rationalis rei priuatæ cui inquisitio secunda mandata est, amplius fortassis inuenerit, Officium fraudulentum ea condemnatione ferietur, vt aliud tantum, quantum fuerat subtractum, ex propriis facultatibus inferat. Dat. III. Non. Maij, Treu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

VIII. Imppp. Gratianus, Valentin. & Theod. AAA. Eutropio P.P.

Deportato si erunt liberi nepotésve sui, seu emancipati, nepotes quoque

ex filia, semissem tantum bonorum fiscus vsurpet, semissis ipsi ac liberis hac distributione seruetur, vt sextantem ipse ad fortunam ab extrema inopia vindicandam suæ habeat potestatis, trientem liberi, nepotésve scilicet indifferenter, siue hij ex filio siue filia erunt. Quod si idem & emancipatos, & suæ potestatis filios, nepotésve habuerit: beneficium tantum ad eos, qui in potestate sunt transferatur, si emancipati ea quæ consecuti erant emancipationis tempore damnosê existimant conferenda. Sin autem confusionem bonorum & donationis elegerint, omnia ea, quæ fiscus concedit, æquæ diuisionis partibus sortiantur. Quæ regula etiam in dote filiæ vel neptis ex filio conferenda custodienda erit. Et si filius quidem erit aut filij, ex filio autem alio filiísve aut filia nepotes: triens hic in stirpes non in capita diuidatur. Quod si deportatus sine liberis, vel nepotibus patrem habebit ac matrem, vel etiam vtrumque: nõ semissis à fisco, sed bensis patrimonij vindicetur, triens residuus in duos sextãtes redactus inter parentes ac deportatum æqualiter diuidatur: ita vt vnciam mater, si ius liberorum habuerit, vsurpet. Sin fecũditatis priuilegium non habebit, patri vnciam iam habenti mater semunciã ex vncia sua cedat. Idem seruabitur, si deportato ex duobus parentibus vnus supererit, vt sextãtem sine aliqua malignitatis interpretatione præsumat. at tũc quidẽ mater, etiam si ius non habuerit liberorum, quam superstes vir vt sanximus, semper excludet. Quòd si deportato nec liberi fuerint, nec parentes, dextantem fiscus accipiat, sextãs ei ad vitæ adflictæ adminicula reseruetur. exceptis his qui crimine fuerint maiestatis adflicti. nam in eo casu solum sextãtem iubemus filiis ac nepotibus reseruari. his regulis, quibus supra est constitutum, dextantem fisco vsurpante. Ipsum verò in tam atroci facinore conuictum non solum deportatione, sed egestate puniri cõueniet. Dat. xv. Kal. Iul. Thessal. Gratiano v. & Theod. I. AA. COSS.

VIIII. Idem AAA. Eutropio PF. P.

Si aliquis supplicio fuerit adflictus, filiis quidem omnium facultatum deferatur prima successio. Nepotes verò ex filia gradus secundus admittat: si tamẽ nullus suorum fuerit inuentus, qui eos antecedat hereditate, in stirpes non in capita diuidenda. Quod æquè obseruabitur, si erit filius ac nepotes qui ab intestato successuri defuncto, vel ex duodecim tabulis, vel per rescissionẽ capitis prætorio vocabuntur edicto emãcipatis & filia necessitate conlationis adstrictis. Progredietur tamẽ beneficium etiam ad tertij gradus liberos, si modo ex virili stirpe descendunt. Ita dumtaxat, vt sub hoc casu ipsi semissem, semissem fiscus vsurpet, ea distributione partium, quam ius ciuile disponit. Quod si supplicio huiusmodi adflictus comprehensorum graduum liberos non habebit, tum capite secundo pater ac mater in trientem dumtaxat vocetur, bẽse ad ærarium publicum transferendo: atque ita, si matri ius fuerit liberorum, partes inter vtrumque parentem sextantibus impleantur. Sin deerit, quadrantem pater, vnciam mater accipiat. Quod si interfectus patrem tantum reliquerit: nihilo secius vindicatione trientis vtatur. Item si matrem, modo ea ius habeat liberorum. Sinautem sola superit mater, Papiæ tamen legis priuilegiis destituta, neque trino partu fecunditati publicæ gratiosa, sextante contenta sit, fisco dextantem vsurpãte. Tertij capitis hæc erit regula, vt secũdi quoque gradus parentes auum scilicet atque auiam paris beneficij foueat sanctio. paternus

nus tamen hoc casu non & maternus auus & auia quærentur: vt quadrantem ex defuncti accipiat bonis, ea diuisionis lege quæ circa patrem ac matrem diuersis est casibus explicata. Iungimus tamen capite tertio auo auiæque fratrẽ perempti ac sororem, ita vt in capita diuidi quadrantem hisdem existentibus sanciamus, ac si cui perempto cum fratre ac sorore manserit consanguinitatis agnatio. Sit duodecim tabulis locus, ac ius ciuile præualeat, vt auus atque auia cognatorum gradu inuitati vinci se à legitimis adquiescant. Quoquidem casu tres vnciæ inter sororem ac fratrem æqualiter diuidentur. Vterinus autem frater ac soror eodem gradu, quo auus & auia vocabuntur. Sin omnes hæ deerint, punito necessitudines, fisco omnia vindicentur. Dat. xv. Kalend. Iul. Thessal. Gratiano v. & Theod. I. A. COSS.

X. Idem AAA. Postumiano P.P.

Ad beneficium legis Valentinianæ pertineant postumi quoque puniti patris, vt bona faciant non caduca. Et ne quis partum qui fuerit, vel subpositum arguat, vel non subpositum mentiatur, si fortè eo tempore, quo maritum seueritas rapiet ad pœnam (excepto tamẽ maiestatis reatu, sicut ante præceptũ est) grauidam se vxor aduerterit: mittat ad Iudicem, cõueniat magistratus, maneat deposita de conceptione testatio, petantur futuræ partitudinis testimonia, adhibitisque custodibus fecunditas pudica seruetur. Quippe illam fidem solam generis fisco nostro volumus esse potiorem, de cuius minime natiuitate dubitetur. Data VIII. Idus April. Constantinopoli, Merob. II. & Saturnino COSS.

INTERPRETATIO. *Si quicunque damnatus prægnantem reliquerit vxorem, statim mulier de conceptu suo Iudicem, vel Curiales contestetur, vt cum pepererit, in bonis damnati postumus, id est post mortem patris natus succedat.*

XI. Impp. Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA. Rufino P.P.

Si qui pro atrocitate commissi formam eiusmodi sustinebunt, vt bona eorum proscribtionis nomine vindicata fiscalibus sint socianda corporibus: cõmemorationem nostrorum nominum in his titulis nolumus fieri qui eorum postibus adfigentur, vel his, quorum ius ac proprietas auferetur. Officium etenim palatinum decem librarum auri multa dispendióque vexabitur, si hoc deinceps crediderit neglegendum. Dat. die Kal. Maij, Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio v.c. COSS.

XII. Idem AAA. Rufino P.P.

Omnia proscribtorum bona, quæ fisco iusserat Tatianus adnecti, vel ipsis qui propriam nuditatem, vel illis qui suorum mortem in extrema positi egestate lugent, sine dubitationis obstaculo reddi præcipimus. Dat. Prid. Id. Iun. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio v.c. COSS.

XIII. Idem AAA. Drepanio Com. R.P.

Omnia proscribtorum bona, quæ fisci nomine singulis quibusque Tatianus eripuit, vel ipsis, qui gladio aceruiorem stilum passi ærumnas suas nuditatem fleuerunt, vel eorum filiis, ac propinquis, qui cruentas excepere sententias, restitui mox iubemus: ita vt omnes, qui aliquid ex huiusmodi bonis nostra liberalitate meruerunt, restituere indepta cogantur. Dat. Prid. Id. Ianuar. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XIIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Cæsario P.P.

Serenitatis nostræ prouisione solita cōmonemus, vt ea, quæ Rufinus quondam cum viueret quoquo pacto possedit, in eodem statu interim maneant, nec quisquam sibi post eius obitum spontaneam vindicandi tribuat potestatem. Nam qui transacto tempore siluit, ac Rufinum tenere concessit, fiscum quoque nostrū sine præiudicio possidere patiatur. Hoc edictis propositis per omnes prouincias præcipimus diuulgari, quod cuncti sciant iacturam se perpessuros grauiorem, totiusque rei familiaris periculum, nisi ante præceptum nostrū manus ab his quæ Rufinus viuus possederat, voluerint abstinere. Dat. Id. Feb. Constantinop. Arcadio A. IIII. & Honorio III. AA. COSS.

XV. Idem AA. Cæsario P.P.

Si quis posthac stilum (quod absit) proscribtionis exceperit: solus criminis sui soluat pœnas, neminem habeat in bonorum amissione consortem. Sit à proscribti mariti sorte vxor aliena, quo (vt adsolet) proscribto, vxor proprias velut manu iniecta mox vindicet, aut certè quoquomodo occupatas statim recipiat facultates. Dos etiam non quæ aliquotiens inaniter dotalium instrumentorum tenore conscribitur, sed quam se corporaliter tradidisse docuerit, præsentetur. Ea etiam, si forte cum proscribti bonis mixta sunt, nō negentur, quæ ab innoxio athuc marito ante nuptias titulo donationis acceperit. Sin verò frater, soror, propinquus, adfinis, & quicumque proscribto qualibet sorte sociātur. tam longe enim vnusquisque à metu ac pœna abesse debet, quàm alienus à crimine est. Dat. III. Non. Aug. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicumque damnari proscribique meruerit, ab eius facultatibus bona vxoria sequestrentur, ita vt & dotem, quam marito vxor, aut eius parentes obtulerunt & donationem, quam ante nuptias pro coniunctione susceperat, vxor retineat, sibique vindicet à bonis proscriptæ facultatis aliena, quia mariti crimine vxor non potest obligari.*

XVI. Idem AA. ad Peregrinum Com. & Procuratorem diuinæ domus.

Ex possessionibus Gildonis, quæ ad nostrum ærarium sunt deuolutæ, canonem omnium titulorū ex integro solemni more inputata cautione solui præcipimus. Dat. Kal. Decemb. Altino, Theodoro V.C. COSS.

XVII. Idem AA. Studio Com. R.P.

Ne quis proscribtorum bona, vel eorum qui publicam videntur excepisse sententiam, intra biennium æstimet postulanda. Abstineant facultatibus intra id temporis expetendis, vt aut proprias quis recipiat, si vt nobis ingenitum est, duriores casus & tristiorem fortunam imperatoria humanitate molliamus: aut tum demum postulet, cum iam fiscalem potius quàm proscribtorum expetisse noscatur. Si quis autem petendas proscribti, vel deportati intra biennium crediderit facultates: careat fructu liberalitatis Augustæ: ita vt nec instruantur huiusmodi petitiones, nec si temere instructæ fuerint, & sub specialis beneficij munificentia nostra prouocauerit liberalitatem, habeant aliquas vires indulta. Dat. XIIII. Kal. Feb. Constantinop. Vincentio & Frauitta COSS.

INTERPRETATIO. *Bona eius qui proscribi meruerit, intra biennium non competantur. Si quis vero intra biennium proscripti bona petierit, quod meruerit non valebit, quia solita misericordia nostra pietas cōmoueri, & reddere quæ merito commota iussit auferri.*

XVIII. Idem AA. Bathanario Com. Afric.

Marcharidus proscribtus plurima rerum pœnes diuersos reliquit, sicut quęstio habita patefecit. vt quisque igitur aliquid ex eius facultatibus retinet, si intra duos menses spontanea restituat volūtate: sciat se ad veniam pertinere, si quæ susceperat fideliter, repræsentet. Alioquin patrimonio suo fisco sociato, pœnam se deportationis nouerit subiturum. Dat. III. Id. Iul. Med. Vincentio & Frauitta COSS.

XVIIII. Idem AA. & Theod. A. Vrsicino Com. S. L.

Possessiones, quæ ex bonis Gildonis, aut satellitum eius in ius nostræ serenitatis retentæ sunt, ab occupatoribus nostro patrimonio adgregētur, ita vt ab his ex eo tempore, quo indebitè retentarunt, præstationū simplum inferatur. Qui si conuenti intra Kalendas Octobres possessiones putauerint retinēdas: sciant se ad dupli restitutionem cohortandos, & duplos fructus esse reddendos. Dat. XII. Kal. Mai, Rau. Stilicone II. & anthemio COSS.

XX. Impp. Honorius & Theod. AA. Theodoro P. P.

Proscribtorum satellitumque fortunas ærario nostro iubemus accedere. Ideoque per agros, per cuncta domicilia titulos nostræ serenitatis adfigi præcipimus. Quidquid sanè ab eorum procuratoribus ex prædiorum fructibus congregatum est, largitionibus nostris protinus copuletur, ne si iussa nostra, aut dissimulatione neglexerint, aut conludio prætermiserint, supplicium exilij pariter & proscribtionis sustineant. Dat. VIII. Kalend. Octob. Med. Basso & Philippo COSS.

XXI. Idem AA. Theodoro P. P.

Qui in facultates Stiliconis, & actus videntur esse versati, vel ex hisdem facultatibus aliquid subtraxisse, vel aliquid rapuisse: omnifariam reddant. Dat. VIII. Kalend. Nouemb. Basso & Philippo COSS.

XXII. Idem Theodoro P. P.

Qui suas opes prædoni publico, vel eius filio, ceterísque satellitibus dederunt, vel iure, vel corpore, quibus ille vsus est ad omnem ditandam inquietandamque barbariem: his omnem repetendi viam iubemus esse pręclusam. Dat. X. Kalend. Decemb. Rau. Basso & Philippo COSS.

XXIII. Idem AA. Palladio P. P. Post alia.

Eorum facultates, qui pro criminibus suis meruere puniri, omni pœnitus conpetitione submotā, fisco nostro iubemus addici. Si nullos tamen liberos, patrem, matrémve derelinquunt, quibus damnatorum bona legum seruauit humanitas: scelere maiestatis excepto, cuius atrocitas nihil relinquit heredibus. Dat. VIII. Id. Iul. Rau. Eustathio & Agricola COSS.

XXIIII. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Hierio P. P.

Sentiat latro nefarius, aut huiusmodi quis professis testatisque sceleribus inuolutus, vltionem suam non posse tardari. Damnato etiam ita proscribtio infligenda est, vt dimidia parte ærario vindicata, alia damnati filiis reseruetur. Decurioni verò, qui hòc incurrerit, si liberos non habeat: succedat curia, bo-

náque vniuersa detineat, aut ipsa per se, aut sua ordinatura periculo munera subiturum. Sin erit suboles curiali, quam municipales sibi vindicent functiones: integris fortunis fulciatur. Si filia, vel filiæ fuerint, quod pro certa legis sáctione defixum est, pars dimidia ad eas deueniat facultatum: sin mares curiales fuerint intermixti, dimidia pars eis curiæ nomine deferatur, & aliam quam in commune omnibus tribuit indulgentia principalis pro virili diuidant portione. Dat. x. Kalend. Febr. Constantinop. DN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. COSS.

De sententiam paßis, & restitutis, & liberis eorum *Tit. XLIII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum PF. P.

IN quæstione testamenti, quod deportati filius remeante patre fecisset, remotis Vlpiani atque Pauli notis, Papiniani placet valere sététiá, vt in patris sit filius potestate, cui dignitas ac bona restituta sunt: ita tamen, vt gesta per filium, cuius cõsilia legitima ætas firmauerat, rata sint, eodem in potestatem patriam redeunte. Nec eorum rescissio efficiat quod est maxime absurdum, eodem tempore, nec in patris, nec in sua quemquã fuisse potestate. minores enim ętate iure quicquam agere prohibentur. Quibus si damnato patre tutor datus est, necesse est vt ab officio recedat, regresso eo, quem nõ solum nomine redire, sed etiá officiũ suum nulla prauitate corruptum liberis præbere oportet, vt eorum bona tueatur & augeat. Nam si patria potestate ad corrumpendi atque effundendi patrimonij licentiam abutetur, vt furioso ac dementi item prodigo, libidinum omnium vitiorúmque seruo non est eorum pecunia committenda. Ab administratione fugiat, neque tutor esse desinat, omniáque minoris dispendia suis ipse dánis præstet. Sententia verò deportationis nullo patrem præiudicio deminuat. Quem si conperta integritas vt natura, ita officio liberis restituerit, ei gubernacula rerum tradenda sunt, cuius ad imitationem publici iuris prouisa custodia est. Quæ nisi bonis patribus detur, luctuosior erit reditus, quàm discessus. Ideoque tantum ad restitutionem indulgentia valeat, quantum ad correctionem sententia valuit. Vtque deportationis ipse per se nomen rerum omnium spoliatio est, ita indulgentiæ reditus bonorum ac dignitatis vno nomine amissorũ omnium sit recuperatio: & filij emancipationem à patribus officiis petant, vt libertatem damnationis, sed lenitatis paternæ testem habeant. Dat. XVII. Kal. Octob. Sirmio, Crispo II. & Constantino II. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis pater in exiliũ missus, filium in maiore ætate reliquerit, quæcunque de bonis propriis gesßit filius, iuxta sententiam Papiniani rata & firma permaneant, nec contra aut testamentum, aut transactionem filij reuersus pater venire permittitur. Sanè cum redierit pater, si filium viuum inuenerit, filium in ius suũ paterna potestate recipiet. Cæterum quod de rebus propriis absente patre filius gesßit, reuersus pater reuocare nõ poterit. Quicquid verò filij in annis minoribus constituti fecerint, penitus non valebit: qui tamen si pro ætate, vel absentia patris, aut tutores, aut curatores acceperint, reuersus pater filios, repulsis curatoribus vel tutoribus, cum omni facultate recipiet, ea tamen conditione, vt rem filiorum ita administret ac regat, vt non solum*

detrimenta

detrimenta non sentiant, sed studio patris res & facultas proficiat filiorum. Quod si pater aut prodigus, aut negligens, aut euersor, aut libidini deditus esse conuincetur, & filiorum res impie ac dementer vastare ac dilapidare cognoscetur, filij talis patris tamquam eo mortuo sub Tutore aut Curatore consistant: quia sicut æquum est, vt bonus ac vtilis pater rem filiorum regendam administrandámque recipiat, ita iniquum est, vt in damnum filiorum reuersus, facultates à Tutoribus Curatoribúsve reseruatas demẽti subuersione dilaceret.

De his qui ad statuas confugiunt. Tit. XLIIII.

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio P.P.

EOs qui ad statuas vel euitandi metus, vel creandæ inuidiæ causa confugerint, ante diem decimum neque auferri ab aliquo, neque discedere sponte perpetimur. ita tamen vt si certas habuerint causas, quibus confugere ad imperatoria simulacra debuerint, iure ac legibus vindicentur: sin vero proditi fuerint artibus suis inuidiã inimicis creare voluisse: vltrix in eos sententia proferatur. Dat. Prid. Non. Iul. Constantinop. Honor. NB. P. & Euod. V. C. CONS.

De his qui ad ecclesias confugiunt. Tit. XLV.

I. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Romulo Com. S. L.

PVblicos debitores, si confugiendũ ad ecclesias crediderint, aut ilico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos qui eos occultare probãtur, Episcopos exigi. Sciat igitur præcellẽs auctoritas tua, neminem debitorum posthac à clericis defendendum: aut per eos eius, quem defendendum esse crediderint, debitum esse soluẽdum. Dat. XV. Kal. Nou. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Archelao PF. Aug.

Iudæi, qui reatu aliquo vel debitis fatigati, simulant se Christianæ legi velle coniungi, vt ad ecclesias confugiẽtes vitare possint crimina vel pondera debitorum, arceantur nec ante suscipiantur, quàm debita vniuersa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati. Dat. XV. Kal. Iul. Cõstantinop. Cæsario & Attico COSS.

III. Idem AA. Eutychiano P.P.

Si quis in posterum seruus, ancilla, curialis, debitor, publicus procurator, murilegulus, quilibet postremò publicis priuatísve rationibus inuolutus ad ecclesiam confugiens, vel clericus ordinatus, vel quocũq; modo à clericis fuerit defensatus, nec statim conuentione præmissa pristinæ cõdicioni reddatur: Decuriones quidem, & omnes quos solita ad debitum munus functio vocat, vigore & sollertia iudicantum ad pristinam sortem, velut manu mox iniecta reuocentur. quibus vlterius legem prodesse non patimur, quæ cessione patrimonij subsecuta, decuriones esse clericos nõ vetabat. Sed etiam hij quos œconomos vocant, hoc est, qui ecclesiasticas consuerunt tractare rationes, ad eam debiti vel publici, vel priuati redhibitionẽ, amota dilatione cogantur, in qua eos obnoxios esse constiterit, quos clerici defensandos receperint, nec mox crediderint exhibendos, &c. Dat. VI. Kal. Aug. Mnizo, Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

IIII. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Antiocho P.P.

Pateant summi dei templa timentibus, nec sola altaria & oratorium templi circumiectum, qui ecclesias quadripertito intrinsecus parietum septu cõcludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita. sed vsque ad extremas fores ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, cõfugiẽtibus aram salutis esse præcipimus, vt inter templi quod parietũ describsimus cinctu, & post loca publica & ianuas primas ecclesiæ, quidquid fuerit interiacẽs siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, cõfugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahẽdos eos conetur quisquam sacrilegas manus inmittere, ne qui hoc ausus sit cum discrimen suum videat, ad expetendam opem, ipsi quoque cõfugiant. Hãc autem spatij latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso dei templo, & sacrosanctis altaribus, confugiẽtiũ quẽquam mane, vel vespere cubare, vel pernoctare liceat, ipsis hoc clericis religionis causa vetantibus ipsis, qui confugiunt, pietatis ratione seruãtibus. Arma quoque in quouis telo, ferro, vel specie, eos qui confugiunt, minime intra ecclesias habere præcipimus, quæ nõ modo à summi dei templis ac diuinis altaribus prohibentur, sed etiam cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus. Proinde hij qui sine armis ad sanctissimũ dei templum, aut ad sacrosanctum altare, siue vsquam gentium, siue in hac alma vrbe confugiunt, somnum intra templum, siue ipsum altare, vel omnino cibum capere absque aliqua eorum iniuria, ab ipsis clericis arceantur, designãtibus spatia quæ in ecclesiasticis septis eorum tuitioni sufficiant, abducentibus capitalem pœnam esse propositam, si qui eos conẽtur inuadere. Quibus si perfuga non adnuit neque consentit, præferẽda humanitati religio est, & à diuinis ad loca quę diximus turbanda temeritas. Hos vero, qui templa cum armis ingredi audẽt, ne hoc faciãt, præmonemus: dehinc si telis cincti, quouis ecclesiæ loco, vel ad tẽpli septa, vel circa, vel extra sint: statim eos, vt arma reponant auctoritate episcopis à solis clericis seuerius conueniri pręcipimus, data eis fiducia, quod religionis nomine melius, quàm armorum præsidio muniãtur. Sed si ecclesiæ voce moniti post tot tãtorúmque denũtiationes noluerint arma relinquere, Iam clementiæ nostræ apud deum & episcoporum causa purgata, armatis, si ita res exegerit, intromissis, trahendos se abstrahendósque esse cognoscãt, & omnibus casibus esse subdendos. Sed neque Episcopo inconsulto, nec sine nostra siue iudicum in hac alma vrbe, vel vbicumque iussione armatum quemquam ab ecclesiis abstrahi oportebit, ne si multis passim hoc liceat, cõfusio generetur. Dat. x. Kal. April. Constantinop. Antiocho v.c. & Basso COSS.

INTERPRETATIO. *Ecclesiæ, ac loca deo dicata, reos, qui ibidem compulsi timore refugerint, ita tueantur vt nulli locis sanctis ad direptionem reorum vim ac manus adferre præsumant, sed quicquid spatij vel in porticibus, vel in atriis vel in domibus vel in areis ad ecclesiam adiacẽtibus pertinet, velut interiora tẽpli præcipimus custodiri, vt reos timoris necessitas non constringat circa altaria manere, & loca veneratione digna polluere. Sanè si qui ad loca sancta cõfugerint, arma si qua secum portauerint, mox deponãt, nec se æstiment magis armorum præsidio, quàm sanctorum locorum veneratione defendi. Quod si deponère arma noluerint, & sacerdoti, vel clericis non crediderint, sciant se armatorum viribus extrahẽdos. Si vero extrahere de locis sanctis quemlibet reum quacunque ratione quis tentauerit, nouerit se capitali supplicio esse damnandum.*

v. Idem

v. Idem AA. Ἀντιόχῳ μεγαλοπρεπεστάτῳ ἐπάρχῳ καὶ ὑπάτῳ.

Ἀνεῴχθωσαν τοῖς δεδιόσι οἱ ναοὶ τοῦ μεγάλου θεοῦ. οὐ γὰρ μόνα τὰ θεῖα θυσιαστήρια, καὶ τὸν εὐκτήριον ναὸν τὸν τετράγωνον τῇ τειχῶν περιβολῇ τειχιζόμενον, εἰς ἀσφάλειαν συντελεῖν τῇ τῶν προσφευγόντων θεσπίζομεν, ἀλλ' εἴ τι καὶ περαιτέρω τούτου τυγχάνει, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας, ἐλέου βωμὸν τοῖς προσφυγοῦσιν εἶναι προστάττομεν, ὥστε μεταξὺ τοῦ ναοῦ, ὃν τῷ προειρημένῳ τρόπῳ περιπεφράχθαι διεγράψαμεν, ἄχρι τῶν πρώτων μετὰ τοὺς δημοσίους τόπους τῆς ἐκκλησίας θυρῶν, πᾶν τὸ παρεγκείμενον εἴτε ἐν οἰκίαις, ἢ κήποις, ἢ αὐλαῖς, ἢ λουτροῖς, ἢ ἐν στοαῖς τυγχάνει, τοὺς εἰσδεδυκότας πρόσφυγας, καθ' ὁμοιότητα τοῦ ναοῦ, φυλάττειν, καὶ μηδένα τούτοις ἱεροσύλους ἐπιβάλλειν χεῖρας, ἵνα μὴ ὁ τοῦτο τολμῶν ἐν συμφορᾷ σαυτὸν ἰδὼν, καὶ αὐτὸς ἐξαιτῶν βοήθειαν, καταφύγῃ. τοῦτο δὲ τῶν διαστημάτων πλάτος διὰ τοῦτο συνεχωρήσαμεν, ἵνα μήτινι τῶν προσφευγόντων ἐν τῷ τοῦ θεοῦ ναῷ, ἢ ἐν τοῖς ἄγχος θυσιαστηρίοις μένειν, ἢ ἐσθίειν, ἢ καθεύδειν, ἢ παννυχίζειν ἐξῇ, τῶν μὲν κληρικῶν τῆς θρησκείας χάριν τοῦτο κωλυόντων, τῶν προσφυγόντων δὲ τῆς εὐσεβείας ἕνεκα φυλαττόντων. ὅπλα δὲ ἢ ἐν σιδήρῳ, ἢ ἐν ἑτέρῳ ἀμυντήρια τοὺς προσφεύγοντας οὐδαμῶς ἔχειν ἢ ἐπιφέρεσθαι ἐντὸς τῆς ἐκκλησίας προστάττομεν, οὐ μόνον ἐκ τῶν θείων ναῶν καὶ θυσιαστηρίων ὡς τὰ λοιπὰ ταῦτα κωλύοντες, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκημάτων, καὶ διαιτῶν, καὶ κήπων, καὶ λουτρῶν καὶ αὐλῶν, καὶ στοῶν. τοὺς τοίνυν δίχα ὅπλων τῷ ἁγίῳ οἴκῳ τοῦ θεοῦ, εἰ καὶ εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, ἐν οἱῳδήποτε ἔθνει, ἢ κατὰ ταύτην τὴν πόλιν προσφεύγοντας ἐννοοῦν ἐν τῷ ναῷ ἤτοι τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ τροφῆς μεταλαμβάνειν παρὰ τῶν κληρικῶν προσήκει κεκωλῦσθαι ἐκτός τινος ὕβρεως, διοικούντων τὰ διαστήματα ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς περιβόλοις διὰ τὴν τῶν προσφυγόντων ἀσφάλειαν καὶ ἡσυχίαν ἀφορισθέντα, καὶ διδασκούντων τιμωρίαν κεφαλαίαν κατὰ τῶν προπετῶς ἐπιόντων αὐτοῖς ὡρίσθαι. οἷς ὁ προσφεύγων εἰ μὴ πείθοι, τότε προσημαίνεσθαι τῆς φιλανθρωπίας ἡ θρησκεία, καὶ ἐκ τῶν θείων εἰς τοὺς προλεχθέντας τόπους χωρίζεσθαι θεσπίζοντες. τοὺς δὲ μετὰ ὅπλων τὰς ἁγίας ἐκκλησίας καταλαμβάνοντας προειρημένους μὲν μὴ ποιεῖν τοῦτο ὑπομιμνήσκομεν. ἐὰν δὲ ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ τῆς ἐκκλησίας ἢ ἐντὸς τοῦ ναοῦ, ἢ περὶ τὸν ναὸν, ἢ καὶ ἐκτὸς τούτου τυγχάνωσιν, παραχρῆμα τὰ ὅπλα αὐθεντίᾳ τοῦ ἐπισκόπου παρὰ μόνων τῶν κληρικῶν αὐστηρότερον ἀναγκαζομένους ἀποτίθεσθαι προστάττομεν, διδομένης αὐτοῖς ἐλπίδος καὶ ὅρκου ὡς τῇ θρησκείᾳ μᾶλλον ἢ τῇ τῶν ὅπλων ἐπικουρίᾳ ὀχυρωθήσονται. ἐὰν δὲ τῇ ἐκκλησιαστικῇ φωνῇ ὑπομνησθέντες μετὰ τοσαύτας καὶ τηλικαύτας παραγγελίας τὰ ὅπλα μὴ ἀποθῶνται, ἐξουσιασθείσης τῆς θρησκείας, παρά τε τῆς ἡμετέρας γαληνότητος, καὶ τῶν ἐπισκόπων τοῦ θεοῦ τῆς ἀπολογίας δοθείσης, ἐνόπλων εἰσπεμφθέντων ἀποσπασθήσονται, καὶ πάσαις ταῖς συμφοραῖς ὑποβληθήσονται. ὑμῶν δίχα γνώμης ἢ κελεύσεως τοῦ ἐπισκόπου καὶ ἡμῶν. τοῦτο δὲ καὶ περὶ τῶν κατὰ ταύτην τὴν πόλιν, καὶ ὅπουδήποτε τυγχανόντων, τῶν ὡπλισμένων ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν χρὴ παραφυλάττεσθαι, ἵνα μὴ πολλοῖς κατὰ τὴν ἀθλίαν τοιαύτης ἀδιαφόρως ἐξουσίας δοθείσης, σύγχυσίς τις ἐκ τούτου γίνεσθαι μέλλῃ, καὶ ταραχή.

Dat. x. Kalend. April. Constantinop. Antiocho v.c. & Basso coss.

vi. Idem AA. Hierio P.P.

Super confugientibus ad sanctæ religionis altaria sanctionem in perpetuũ valituram credidimus promulgandam, vt si quidem seruus cuiusquam ecclesiam altariáve loci tantum veneratione confisus sine vllo telo petierit, is non plus vno die ibidẽ dimittatur, quin domino eius, vel cuius metu pœnam imminentem visus est declinasse, à clericis quorum interest, nuntietur. Isque eum impertita indulgentia peccatorum, vt nullis residentibus iracundiæ menti reliquis in honorem loci, & eius respectu ad cuius auxilium conuolauit, abducat. Quod si armatus nullis hoc suspicãtibus inopinus irruerit, exinde protinus abstrahatur, vel certè continuo domino, vel ei vnde cum tam furiosa formido proripuit, indicetur, eique mox abstrahendi copia non negetur. Sed si armorum fiducia resistendi animos insania impellente conceperit, abstrahendi abripiendíque eum domino quibus potest id efficere viribus, concedatur. Quod si illum etiam confici in concertatione pugnáque contigerit, nulla erit eius noxa, nec cõflandæ criminationis relinquetur occasio, si is qui ex statu seruili in hostilis & homicidæ condicionẽ transiuit, occisus sit. Quod si quæ tam sunt vtiliter constituta, eorum qui huic rei pro suo præficiuntur officio aut neglegentia, aut conhibentia, vel aliqua ratione fuerint deprauata, animaduersio iusta non deerit, vt sub episcopalis diiudicationis arbitrio,

De bonis proſcriptorum, ſeu damnatorum: *Tit.* XLII.

I. Imp. Conſtantinus A. Petronio Probiano.

RES vxoris, quæ vel ſucceſſione qualibet, vel emptione, vel etiam largitione viri in eam ante reatum iure peruenerant, damnato marito inlibatas eſſe præcipio, nec alieni criminis infortunio ſtringi vxorem, cum paternis materníſve ac propriis frui eam integro legum ſtatu religioſum ſit. Et donatio maritalis ante tempus criminis ac reatus conlata in vxorem (quia pudicitiæ præmio ceſſit) obſeruanda eſt, tãquam ſi maritos eis natura non pœna ſubduxerit, capacitatis priuilegio videlicet & modo inſpecto, vt conſideretur, quid capere potuit. Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis ac reatus patrem contuliſſe claruerit, integrum hiſdem & citra inquietudinem reſeruetur. Quod verò nec vxor, nec emancipati liberi potuerint vindicare, captum & incorporatum ita ad me referri ſpecialiter cenſeo, vt illud quoque addatur, vtrum filios habeat qui dàmnatus eſt: ſimúlque adiciatur, vtrum idem apud ſe ex cauſa donationis aliquid vindicarint. Sed in his, qui fiſcalibus actibus nexi ſunt, & pro ratiociniis proſcribuntur & condemnantur, placuit, ſi quid proprium vxor habuit, vel à marito datum, in quantum capere potuit ante initium actum, ex quo origo fraudis ac vitij in iudicium deducta eſt: ſi quid deinde in emancipatos filios donatione conlatum antè quàm orto nexu ſuffugium potius quàm munificentia fraúſque temptetur, intemeratum aput accipientium iura perſiſtere, nec quicquam fiſco in qualibet cauſa teneatur obnoxium, niſi quod in dominio proprio cùm obligari ortus eſt, habuit, vel quod agens tam ſuo, quàm vxoris, vel filiorum, vel cuiuſcumque præterea nomine comparauit: exceptis dumtaxat Cæſarianis qui ab omni iuris beneficio exluduntur, niſi probata à me purgatáque ratiocinia fuerint, vt quod innoxie habuerint, tranſmittendi copiam habeãt. Dat. III. Kalend. Mart. Serdicæ, Criſpo II. & Conſtantino II. CC. COSS.

II. Imp. Conſtantius A. & Iulianus Cæſ. ad Populum.

Si quem fortè gladius vltor adflixerit, aliáve quælibet vitam adimens pœna cõſumpſerit, vſque ad tertium gradum generis, copulationis eiuſdem ſucceſſio deferatur, fiſco penitus quieſcente: vt accipiat hereditatem qui eam iure ciuili, vel prætorio poterat vindicare, de numero videlicet perſonarum, quas legis huius excepit auctoritas: ſed ita, vt alia ſit condicio damnatorum ex crimine maieſtatis, aut magicæ. In his enim etiamſi liberos damnatus habeat, vel parentes: non condentes pœnam, ſed relinquentes antiquam, fiſco fieri locum præcipimus. Dat. VIII. Idus Mar. Med. Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. COSS.

III. Idem A. & Cæſ. Cæleſtino Conſ. Beticæ.

Vbi aliquis pro qualitate criminis viuendi ſententiam paſſus fiſco fecerit locum, ſuper occupandis rebus eius ſtatim officium Procuratoris patrimonij litteris tuis conueniatur, vt eadem corpora fiſci viribus vindicentur, & protinus ſuper occupatione eorum ſcribtis conpetentibus intimetur. Dat. V. Kal. Sept. Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. II. COSS.

IIII. Idem

IIII. Idem A. ad Taurum.

Vetueramus bona capite damnatorum fiscali dominio vindicari, excepto crimine maiestatis & magicæ, vt ea haberent vsque ad gradū tertium successores eorum, quorum vitam seueritas ademisset: nunc verò bona capite damnatorum fiscali dominio vindicari decernimus, sanctione illa, quā certa condicione dederamus, quiescente. Data prid. Non. Ianuar. Sirmi, Acc. VI. Kalen. Septemb. Datiano & Cereale coss.

V. Imp. Iulianus A. ad Felicem Com. S. L.

Quidam sceleratè proscribtorum facultates occultant. hos præcipimus, si locupletes sint, proscribtione puniri, si per egestatem abiecti sunt in fæcem, vilitatémque plebeiam damnatione capitali debita luere detriméta. PP. Rom. VII. Id. Mart. Mamertino & Neuitta coss.

VI. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Symmachum P. V.

Substantiam damnatorum integram ad liberos peruenire, & in qualibet causa positis parentibus liberos heredes esse præcipimus, excepta sola maiestatis quæstione, quam si quis sacrilego animo adsumit, iustè pœnam ad suos etiam posteros mittit. Dat. VII. Kal. Decemb. Mediol. diuo Iouiano & Varroniano coss.

INTERPRETATIO. *Si quis pro crimine suo occidi vel damnari meruerit, crimen cum auctore eius deficiat: Bona vero eius ad filios vel heredes legitimos pertinebunt: nisi forte maiestatis crimine damnatus sit aliquis, quorum etiam filios de bonis damnati patris iubemus fieri alienos.*

VII. Idem AA. & Gratianus A. ad Probum P. P.

Si qui intra prouinciam pro qualitate delicti stilum proscribtionis incurrerit, per ordinarij officij sollicitudinem, bonorum eius indago diligentissimè celebretur, ne quid rei priuatæ commodis per gratiam atque conludium furto subducatur: Et plena describtio comprehendat, quod spatium, & quod sit ruris ingenium, quid aut cultum sit, aut colatur, quid in vineis, oliuis, aratoriis, pascuis, syluis, fuerit inuentum: quæ etiam gratia, & quæ amœnitas sit locorum, quis ædificiis ac possessionibus ornatus, quótve mancipia in prædiis occupatis vel vrbana, vel rustica, vel quarum artium generibus inbuta teneantur, quot sint casarij, vel coloni, quot boum exercitiis terrarum atque vomeribus instruentium, quot pecorum & armentorum greges, & in qua diuersitate numerati sint, quantum auri & argenti, vestium ac monilium vel in specie, vel in pondere, & in quibus speciebus, quídve in enthecis sit repertum: tum demum omnia ea quæ velle nos perspicis, inquisitione constricta Rationalis rei priuatæ tradantur officio, nostro nectenda patrimonio. Mox verò ad nos sub litteris publicis Iudices singillatim de omnibus nominatímque perferatur; procul dubio neglegentia multanda. Nam si quid post factam à prædicto officio inuestigationem Rationalis rei priuatæ cui inquisitio secunda mandata est, amplius fortassis inuenerit, Officium fraudulentum ea condemnatione ferietur, vt aliud tantum, quantum fuerat subtractum, ex propriis facultatibus inferat. Dat. III. Non. Maij, Treu. Valentiniano NB. P. & Victore coss.

VIII. Imppp. Gratianus, Valentin. & Theod. AAA. Eutropio P. P.

Deportato si erunt liberi nepotésve sui, seu emancipati, nepotes quoque

ex filia, semissem tantum bonorum fiscus vsurpet, semissis ipsi ac liberis hac distributione seruetur, vt sextantem ipse ad fortunam ab extrema inopia vindicandam suæ habeat potestatis, trientem liberi, nepotésve scilicet indifferenter, siue hij ex filio siue filia erunt. Quod si idem & emancipatos, & suæ potestatis filios, nepotésve habuerit: beneficium tantum ad eos, qui in potestate sunt transferatur, si emancipati ea quæ consecuti erant emancipationis tempore damnosè existimant conferenda. Sin autem confusionem bonorum & donationis elegerint, omnia ea, quæ fiscus concedit, æquæ diuisionis partibus sortiantur. Quæ regula etiam in dote filiæ vel neptis ex filio conferenda custodienda erit. Et si filius quidem erit aut filij, ex filio autem alio filiísve aut filia nepotes: triens hic in stirpes non in capita diuidatur. Quod si deportatus sine liberis, vel nepotibus patrem habebit ac matrem, vel etiam vtrumque: nõ semissis à fisco, sed bensis patrimonij vindicetur, triens residuus in duos sextãtes redactus inter parentes ac deportatum æqualiter diuidatur: ita vt vnciam mater, si ius liberorum habuerit, vsurpet. Sin fecũditatis priuilegium non habebit, patri vnciam iam habenti mater semunciã ex vncia sua cedat. Idem seruabitur, si deportato ex duobus parentibus vnus supererit, vt sextãtem sine aliqua malignitatis interpretatione præsumat. at tũc quidẽ mater, etiam si ius non habuerit liberorum, quam superstes vir vt sanximus, semper excludet. Quòd si deportato nec liberi fuerint, nec parentes, dextantem fiscus accipiat, sextãs ei ad vitæ adflictæ adminicula reseruetur. exceptis his qui crimine fuerint maiestatis adflicti. nam in eo casu solum sextãtem iubemus filiis ac nepotibus reseruari. his regulis, quibus supra est constitutum, dextantem fisco vsurpante. Ipsum verò in tam atroci facinore conuictum non solum deportatione, sed egestate puniri cõueniet. Dat. xv. Kal. Iul. Thessal. Gratiano v. & Theod. I. AA. COSS.

VIIII. Idem AAA. Eutropio PF. P.

Si aliquis supplicio fuerit adflictus, filiis quidem omnium facultatum deferatur prima successio. Nepotes verò ex filia gradus secundus admittat: si tamẽ nullus suorum fuerit inuentus, qui eos antecedat hereditate, in stirpes non in capita diuidenda. Quod æquè obseruabitur, si erit filius ac nepotes qui ab intestato successuri defuncto, vel ex duodecim tabulis, vel per rescissionẽ capitis prætorio vocabuntur edicto emãcipatis & filia necessitate conlationis adstrictis. Progredietur tamẽ beneficium etiam ad tertij gradus liberos, si modo ex virili stirpe descendunt. Ita dumtaxat, vt sub hoc casu ipsi semissem, semissem fiscus vsurpet, ea distributione partium, quam ius ciuile disponit. Quod si supplicio huiusmodi adflictus comprehensorum graduum liberos non habebit, tum capite secundo pater ac mater in trientem dumtaxat vocetur, bẽse ad ærarium publicum transferendo: atque ita, si matri ius fuerit liberorum, partes inter vtrumque parentem sextantibus impleantur. Sin deerit, quadrantem pater, vnciam mater accipiat. Quod si interfectus patrem tantum reliquerit: nihilo secius vindicatione trientis vtatur. Item si matrem, modo ea ius habeat liberorum. Sinautem sola superit mater, Papiæ tamen legis priuilegiis destituta, neque trino partu fecunditati publicæ gratiosa, sextante contenta sit, fisco dextantem vsurpãte. Tertij capitis hæc erit regula, vt secũdi quoque gradus parentes auum scilicet atque auiam paris beneficij foueat sanctio. paternus

nus tamen hoc casu non & maternus auus & auia quærentur: vt quadrantem ex defuncti accipiat bonis, ea diuisionis lege quæ circa patrem ac matrem diuersis est casibus explicata. Iungimus tamen capite tertio auo auiæque fratré perempti ac sororem, ita vt in capita diuidi quadrantem hisdem existentibus sanciamus, ac si cui perempto cum fratre ac sorore manserit consanguinitatis agnatio. Sit duodecim tabulis locus, ac ius ciuile præualeat, vt auus atque auia cognatorum gradu inuitati vinci se à legitimis adquiescant. Quoquidem casu tres vnciæ inter sororem ac fratrem æqualiter diuidentur. Vterinus autem frater ac soror eodem gradu, quo auus & auia vocabuntur. Sin omnes hæ deerint, punito necessitudines, fisco omnia vindicentur. Dat. xv. Kalend. Iul. Thessal. Gratiano v. & Theod. I. A. COSS.

x. Idem AAA. Postumiano P.P.

Ad beneficium legis Valentinianæ pertineant postumi quoque puniti patris, vt bona faciant non caduca. Et ne quis partum qui fuerit, vel subpositum arguat, vel non subpositum mentiatur, si fortè eo tempore, quo maritum seueritas rapiet ad pœnam (excepto tamē maiestatis reatu, sicut ante præceptū est) grauidam se vxor aduerterit: mittat ad Iudicem, cōueniat magistratus, maneat deposita de conceptione testatio, petantur futuræ partitudinis testimonia, adhibitísque custodibus fecunditas pudica seruetur. Quippe illam fidem solam generis fisco nostro volumus esse potiorem, de cuius minime natiuitate dubitetur. Data VIII. Idus April. Constantinopoli, Merob. II. & Saturnino COSS.

INTERPRETATIO. *Si quicunque damnatus prægnantem reliquerit uxorem, statim mulier de conceptu suo Iudicem, vel Curiales contestetur, vt cum pepererit, in bonis damnati postumus, id est post mortem patris natus succedat.*

XI. Impp. Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA.
Rufino P.P.

Si qui pro atrocitate commissi formam eiusmodi sustinebunt, vt bona eorum proscribtionis nomine vindicata fiscalibus sint socianda corporibus: cōmemorationem nostrorum nominum in his titulis nolumus fieri qui eorum postibus adfigentur, vel his, quorum ius ac proprietas auferetur. Officium etenim palatinum decem librarum auri multa dispendióque vexabitur, si hoc deinceps crediderit neglegendum. Dat. die Kal. Maij, Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio v.c. COSS.

XII. Idem AAA. Rufino P.P.

Omnia proscribtorum bona, quæ fisco iusserat Tatianus adnecti, vel ipsis qui propriam nuditatem, vel illis qui suorum mortem in extrema positi egestate lugent, sine dubitationis obstaculo reddi præcipimus. Dat. Prid. Id. Iun. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio v.c. COSS.

XIII. Idem AAA. Drepanio Com. R.P.

Omnia proscribtorum bona, quæ fisci nomine singulis quibusque Tatianus eripuit, vel ipsis, qui gladio aceruiorem stilum passi ærumnas suas nuditatem fleuerunt, vel eorum filiis, ac propinquis, qui cruentas excepere sententias, restitui mox iubemus: ita vt omnes, qui aliquid ex huiusmodi bonis nostra liberalitate meruerunt, restituere indepta cogantur. Dat. Prid. Id. Ianuar. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XIIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Cæsario P.P.

Serenitatis nostræ prouisione solita cõmonemus, vt ea, quæ Rufinus quondam cum viueret quoquo pacto possedit, in eodem statu interim maneant, nec quisquam sibi post eius obitum spontaneam vindicandi tribuat potestatem. Nam qui transacto tempore siluit, ac Rufinum tenere concessit, fiscum quoque nostrũ sine præiudicio possidere patiatur. Hoc edictis propositis per omnes prouincias præcipimus diuulgari, quod cuncti sciant iacturam se perpessuros grauiorem, totiúsque rei familiaris periculum, nisi ante præceptum nostrũ manus ab his quæ Rufinus viuus possederat, voluerint abstinere. Dat. Id. Feb. Constantinop. Arcadio A. IIII. & Honorio III. AA. COSS.

XV. Idem AA. Cæsario P.P.

Si quis posthac stilum (quod absit) proscribtionis exceperit: solus criminis sui soluat pœnas, neminem habeat in bonorum amissione consortem. Sit à proscribti mariti sorte vxor aliena, quo (vt adsolet) proscribto, vxor proprias velut manu iniecta mox vindicet, aut certè quoquomodo occupatas statim recipiat facultates. Dos etiam non quæ aliquotiens inaniter dotalium instrumentorum tenore conscribitur, sed quam se corporaliter tradidisse docuerit, præsentetur. Ea etiam, si forte cum proscribti bonis mixta sunt, nõ negentur, quæ ab innoxio athuc marito ante nuptias titulo donationis acceperit. Sin verò frater, soror, propinquus, adfinis, & quicumque proscribto qualibet sorte sociatur. tam longe enim vnusquisque à metu ac pœna abesse debet, quàm alienus à crimine est. Dat. III. Non. Aug. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicumque damnari proscribique meruerit, ab eius facultatibus bona vxoria sequestrentur, ita vt & dotem, quam marito vxor, aut eius parentes obtulerunt & donationem, quam ante nuptias pro coniunctione susceperat, vxor retineat, sibique vindicet à bonis proscriptæ facultatis aliena, quia mariti crimine vxor non potest obligari.*

XVI. Idem AA. ad Peregrinum Com. & Procuratorem diuinæ domus.

Ex possessionibus Gildonis, quæ ad nostrum ærarium sunt deuolutæ, canonem omnium titulorũ ex integro solemni more inputata cautione solui præcipimus. Dat. Kal. Decemb. Altino, Theodoro v.c. COSS.

XVII. Idem AA. Studio Com. R.P.

Ne quis proscribtorum bona, vel eorum qui publicam videntur excepisse sententiam, intra biennium æstimet postulanda. Abstineant facultatibus intra id temporis expetendis, vt aut proprias quis recipiat, si vt nobis ingenitum est, duriores casus & tristiorem fortunam imperatoria humanitate molliamus: aut tum demum postulet, cum iam fiscalem potius quàm proscribtorum expetisse noscatur. Si quis autem petendas proscribti, vel deportati intra biennium crediderit facultates: careat fructu liberalitatis Augustæ: ita vt nec instruantur huiusmodi petitiones, nec si temere instructæ fuerint, & sub specialis beneficij munificentia nostra prouocauerit liberalitatem, habeant aliquas vires indulta. Dat. XIIII. Kal. Feb. Constantinop. Vincentio & Frauitta COSS.

INTERPRETATIO. *Bona eius qui proscribi meruerit, intra biennium non competantur. Si quis vero intra biennium proscripti bona petierit, quod meruerit non valebit. quia solita misericordia nostra pietas cõmoueri, & reddere quæ merito commota iußit auferri.*

XVIII. Idem AA. Bathanario Com. Afric.

Marcharidus proscribtus plurima rerum pœnes diuersos reliquit, sicut quęstio habita patefecit. vt quisque igitur aliquid ex eius facultatibus retinet, si intra duos menses spontanea restituat volũtate: sciat se ad veniam pertinere, si quæ susceperat fideliter, repræsentet. Alioquin patrimonio suo fisco sociato, pœnam se deportationis nouerit subiturum. Dat. III. Id. Iul. Med. Vincentio & Frauitta COSS.

XVIIII. Idem AA. & Theod. A. Vrsicino Com. S. L.

Possessiones, quæ ex bonis Gildonis, aut satellitum eius in ius nostræ serenitatis retentæ sunt, ab occupatoribus nostro patrimonio adgregẽtur, ita vt ab his ex eo tempore, quo indebitè retentarunt, præstationũ simplum inferatur. Qui si conuenti intra Kalendas Octobres possessiones putauerint retinẽdas: sciant se ad dupli restitutionem cohortandos, & duplos fructus esse reddendos. Dat. XII. Kal. MaI, Rau. Stilicone II. & anthemio COSS.

XX. Impp. Honorius & Theod. AA. Theodoro P. P.

Proscribtorum satellitumque fortunas ærario nostro iubemus accedere. Ideoque per agros, per cuncta domicilia titulos nostræ serenitatis adfigi præcipimus. Quidquid sanè ab eorum procuratoribus ex prædiorum fructibus congregatum est, largitionibus nostris protinus copuletur, ne si iussa nostra, aut dissimulatione neglexerint, aut conludio prætermiserint, supplicium exilij pariter & proscribtionis sustineant. Dat. VIII. Kalend. Octob. Med. Basso & Philippo COSS.

XXI. Idem AA. Theodoro P. P.

Qui in facultates Stiliconis, & actus videntur esse versati, vel ex hisdem facultatibus aliquid subtraxisse, vel aliquid rapuisse: omnifariam reddant. Dat. VIII. Kalend. Nouemb. Basso & Philippo COSS.

XXII. Idem Theodoro P. P.

Qui suas opes prædoni publico, vel eius filio, ceterisque satellitibus dederunt, vel iure, vel corpore, quibus ille vsus est ad omnem ditandam inquietandamque barbariem: his omnem repetendi viam iubemus esse pręclusam. Dat. X. Kalend. Decemb. Rau. Basso & Philippo COSS.

XXIII. Idem AA. Palladio P. P. Post alia.

Eorum facultates, qui pro criminibus suis meruere puniri, omni pœnitus conpetitione submota, fisco nostro iubemus addici. Si nullos tamen liberos, patrem, matrémve derelinquunt, quibus damnatorum bona legum seruauit humanitas: scelere maiestatis excepto, cuius atrocitas nihil relinquit heredibus. Dat. VIII. Id. Iul. Rau. Eustathio & Agricola COSS.

XXIIII. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Hierio P. P.

Sentiat latro nefarius, aut huiusmodi quis professis testatisque sceleribus inuolutus, vltionem suam non posse tardari. Damnato etiam ita proscribtio infligenda est, vt dimidia parte ærario vindicata, alia damnati filiis reseruetur. Decurioni verò, qui hoc incurrerit, si liberos non habeat: succedat curia, bo-

náque vniuersa detineat, aut ipsa per se, aut sua ordinatura periculo munera subiturum. Sin erit suboles curiali, quam municipales sibi vindicent functiones: integris fortunis fulciatur. Si filia, vel filiæ fuerint, quod pro certa legis sáctione defixum est, pars dimidia ad eas deueniat facultatum: sin mares curiales fuerint intermixti, dimidia pars eis curiæ nomine deferatur, & aliam quam in commune omnibus tribuit indulgentia principalis pro virili diuidant portione. Dat. x. Kalend. Febr. Constantinop. DN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. COSS.

De sententiam paßis, & restitutis, & liberis eorum Tit. XLIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum PF. P.

IN quæstione testamenti, quod deportati filius remeante patre fecisset, remotis Vlpiani atque Pauli notis, Papiniani placet valere sététiá, vt in patris sit filius potestate, cui dignitas ac bona restituta sunt: ita tamen, vt gesta per filium, cuius cósilia legitima ætas firmauerat, rata sint, eodem in potestatem patriam redeunte. Nec eorum rescissio efficiat quod est maxime absurdum, eodem tempore, nec in patris, nec in sua quemquá fuisse potestate. minores enim ętate iure quicquam agere prohibentur. Quibus si damnato patre tutor datus est, necesse est vt ab officio recedat, regresso eo, quem nó solum nomine redire, sed etiá officiú suum nulla prauitate corruptum liberis præbere oportet, vt eorum bona tueatur & augeat. Nam si patria potestate ad corrumpendi atque effundendi patrimonij licentiam abutetur, vt furioso ac dementi item prodigo, libidinum omnium vitiorúmque seruo non est eorum pecunia committenda. Ab administratione fugiat, neque tutor esse desinat, omniáque minoris dispendia suis ipse dánis præstet. Sententia verò deportationis nullo patrem præiudicio deminuat. Quem si conperta integritas vt natura, ita officio liberis restituerit, ei gubernacula rerum tradenda sunt, cuius ad imitationem publici iuris prouisa custodia est. Quæ nisi bonis patribus detur, luctuosior erit reditus, quàm discessus. Ideoque tantum ad restitutionem indulgentia valeat, quantum ad correctionem sententia valuit. Vtque deportationis ipse per se nomen rerum omnium spoliatio est, ita indulgentiæ reditus bonorum ac dignitatis vno nomine amissorú omnium sit recuperatio: & filij emancipationem à patribus officiis petant, vt libertatem damnationis, sed lenitatis paternæ testem habeant. Dat. XVII. Kal. Octob. Sirmio, Crispo II. & Constantino II. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis pater in exiliú missus, filium in maiore ætate reliquerit, quæcunque de bonis propriis geßit filius, iuxta sententiam Papiniani rata & firma permaneant, nec contra aut testamentum, aut transactionem filj reuersus pater venire permittitur. Sanè cum redierit pater, si filium viuum inuenerit, filium in ius suú paterna potestate recipiet. Cæterum quod de rebus propriis absente patre filius geßit, reuersus pater reuocare nó poterit. Quicquid verò filij in annis minoribus constituti fecerint, penitus non valebit: qui tamen si pro ætate, vel absentia patris, aut tutores, aut curatores acceperint, reuersus pater filios, repulsis curatoribus vel tutoribus, cum omni facultate recipiet, ea tamen conditione, vt rem filiorum ita administret ac regat, vt non solum detrimenta*

detrimenta non sentiant, sed studio patris res & facultas proficiat filiorum. Quod si pater aut prodigus, aut negligens, aut euersor, aut libidini deditus esse conuincetur, & filiorum res impie ac dementer vastare ac dilapidare cognoscetur, filij talis patris tamquam eo mortuo sub Tutore aut Curatore consistant: quia sicut æquum est, vt bonus ac vtilis pater rem filiorum regendam administrandámque recipiat, ita iniquum est, vt in damnum filiorum reuersus, facultates à Tutoribus Curatoribúsve reseruatas demẽti subuersione dilaceret.

De his qui ad statuas confugiunt. *Tit. XLIIII.*

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio P.P.

EOs qui ad statuas vel euitandi metus, vel creandæ inuidiæ causa confugerint, ante diem decimum neque auferri ab aliquo, neque discedere sponte perpetimur. ita tamen vt si certas habuerint causas, quibus confugere ad imperatoria simulacra debuerint, iure ac legibus vindicentur: sin vero proditi fuerint artibus suis inuidiá inimicis creare voluisse: vltrix in eos sententia proferatur. Dat. Prid. Non. Iul. Constantinop. Honor. NB. P. & Euod. v.c. CONS.

De his qui ad ecclesias confugiunt. *Tit. XLV.*

I. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Romulo Com. S.L.

PVblicos debitores, si confugiendũ ad ecclesias crediderint, aut ilico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos qui eos occultare probãtur, Episcopos exigi. Sciat igitur præcellẽs auctoritas tua, neminem debitorum posthac à clericis defendendum: aut per eos eius, quem defendendum esse crediderint, debitum esse soluẽdum. Dat. XV. Kal. Nou. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Archelao PF. Aug.

Iudæi, qui reatu aliquo vel debitis fatigati, simulant se Christianæ legi velle coniungi, vt ad ecclesias confugiẽtes vitare possint crimina vel pondera debitorum, arceantur nec ante suscipiantur, quàm debita vniuersa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati. Dat. XV. Kal. Iul. Cõstantinop. Cæsario & Attico COSS.

III. Idem AA. Eutychiano P.P.

Si quis in posterum seruus, ancilla, curialis, debitor, publicus procurator, murilegulus, quilibet postremò publicis priuatísve rationibus inuolutus ad ecclesiam confugiens, vel clericus ordinatus, vel quocúq; modo à clericis fuerit defensatus, nec statim conuentione præmissa pristinæ cõdicioni reddatur: Decuriones quidem, & omnes quos solita ad debitum munus functio vocat, vigore & sollertia iudicantum ad pristinam sortem, velut manu mox iniecta reuocentur. quibus vlterius legem prodesse non patimur, quæ cessione patrimonij subsecuta, decuriones esse clericos nõ vetabat. Sed etiam hij quos œconomos vocant, hoc est, qui ecclesiasticas consuetunt tractare rationes, ad eam debiti vel publici, vel priuati redhibitionẽ, amota dilatione cogantur, in qua eos obnoxios esse constiterit, quos clerici defensandos receperint, nec mox crediderint exhibendos, &c. Dat. VI. Kal. Aug. Mnizo, Honorio A. IIII. & Euty. chiano COSS.

V. Idem AA. Ἀντιόχῳ μεγαλοπρεπεστάτῳ ἐπάρχῳ καὶ ὑπάτῳ.

Ἀνεῴχθωσαν τοῖς δεδιόσιν οἱ ναοὶ τοῦ μεγάλου θεοῦ. οὐ γὰρ μόνα τὰ θεῖα θυσιαστήρια, καὶ τὸν εὐκτήριον ναὸν τὸν τετράγωνον τῇ τειχῶν περιβολῇ τειχιζόμενον, εἰς ἀσφάλειαν συντελεῖν τῶν προσφευγόντων θεσπίζομεν, ἀλλ' εἴ τι καὶ περαιτέρω τούτου τυγχάνει, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας, ἐλέου βωμὸν τοῖς προσφυγοῦσιν εἶναι προστάττομεν, ὥστε μεταξὺ τοῦ ναοῦ, ὃν τῷ προειρημένῳ τρόπῳ περιπεφράχθαι διεγράψαμεν, ἄχρι τῶν πρώτων μετὰ τοὺς δημοσίους τόπους τῆς ἐκκλησίας θυρῶν, πᾶν τὸ παρεγκείμενον εἴτε ἐν οἰκίαις, ἢ κήποις, ἢ αὐλαῖς, ἢ λουτροῖς, ἢ ἐν στοαῖς τυγχάνει, τοὺς εἰσδεδυκότας προσφυγὰς καθ' ὁμοιότητα τοῦ ναοῦ φυλάττειν, καὶ μηδένα τούτοις ἱεροσύλους ἐπιβάλλειν χεῖρας, ἵνα μὴ ὁ τοῦτο τολμῶν ἐν συμφορᾷ παντὶ εἴδει, καὶ αὐτὸς ἐξαιτῶν βοήθειαν, καταφύγῃ. τοῦτο δὲ τῶν διαστημάτων πλάτος διὰ τοῦτο συνεχωρήσαμεν, ἵνα μή τινι τῶν προσφευγόντων ἐν τῷ τοῦ θεοῦ ναῷ, ἢ ἐν τοῖς ἁγίοις θυσιαστηρίοις μένειν, ἢ ἐσθίειν, ἢ καθεύδειν, ἢ παννυχίζειν ἐξῇ, τῶν μὲν κληρικῶν τῆς θρησκείας χάριν τοῦτο κωλυόντων, τῶν προσφυγόντων δὲ τῆς εὐσεβείας ἕνεκα φυλαττόντων. ὅπλα δὲ ἢ ἐν σιδήρῳ, ἢ ἐν ἑτέρῳ ἀμυντήρια τοὺς προσφεύγοντας οὐδαμῶς ἔχειν ἢ ἐπιφέρεσθαι ἐντὸς τῆς ἐκκλησίας προστάττομεν, οὐ μόνον ἐκ τῶν θείων ναῶν καὶ θυσιαστηρίων: ὡς τὰ λοιπὰ, ταῦτα κωλύοντες, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκημάτων, καὶ διαιτῶν, καὶ κήπων, καὶ λουτρῶν καὶ αὐλῶν, καὶ στοῶν. τοὺς τοίνυν δίχα ὅπλων τῷ ἁγίῳ οἴκῳ τοῦ θεοῦ, εἰ καὶ εἰς τὸν ἅγιον θυσιαστήριον, ἐν οἱῳδήποτε ἔθνει, ἢ κατὰ ταύτην τὴν πόλιν προσφεύγοντας, ἱκετεύειν ἐν τῷ ναῷ ἤτοι τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ τροφῆς μεταλαμβάνειν παρὰ τῶν κληρικῶν προσήκει κωλυθῆναι ἐκτός τινος ὕβρεως, διακωλυόντων τὰ διαστήματα ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς περιβόλοις, διὰ τὴν τῶν προσφυγόντων ἀσφάλειαν καὶ ἡσυχίαν ἀφορισθέντα, καὶ διδασκόντων τιμωρίαν κεφαλαίαν κατὰ τῶν παρ' ἐπίνοιαν ἐπιόντων αὐτοῖς ὡρίσθαι. οἷς ὁ προσφεύγων εἰ μὴ πείθοι, τότε προσημαίνεσθω τῆς φιλανθρωπίας ἡ θρησκεία, καὶ ἐκ τῶν θείων εἰς τοὺς προαχθέντας τόπους χωριζέσθω θαρσοῦντες. τοὺς δὲ μετὰ ὅπλων τὰς ἁγίας ἐκκλησίας καταλαμβάνοντας προηγουμένως μὲν μὴ ποιεῖν τοῦτο ὑπομιμνήσκομεν. ἐὰν δὲ ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ τῆς ἐκκλησίας ἢ ἐντὸς τοῦ ναοῦ, ἢ περὶ τὸν ναὸν, ἢ καὶ ἐκτὸς τούτου τυγχάνωσι, παραχρῆμα τὰ ὅπλα αὐθεντίᾳ τοῦ ἐπισκόπου παρὰ μόνων τῶν κληρικῶν αὐστηρότερον ἀναγκαζομένους ἀποτίθεσθαι προστάττομεν, δεδομένης αὐτοῖς ἐλπίδος καὶ ὅρκου ὡς τῇ θρησκείᾳ μᾶλλον ἢ τῇ τῶν ὅπλων ἐπικουρίᾳ ὀχυρωθήσονται. ἐὰν δὲ τῇ ἐκκλησιαστικῇ φωνῇ ὑπομνησθέντες μετὰ τοσαύτας καὶ τηλικαύτας παραγγελίας τὰ ὅπλα μὴ ἀποθῶνται, ἐξωμενισθέντες τῆς θρησκείας, παρά τε τῆς ἡμετέρας γαληνότητος, καὶ τῶν ἐπισκόπων τῷ θεῷ τῆς ἀπολογίας δοθείσης, ἐνόπλων εἰσπεμφθέντων ἀποσπασθήσονται, καὶ πάσαις ταῖς συμφοραῖς ὑποβληθήσονται, ὑμῖν δίχα γνώμης ἢ κελεύσεως τοῦ ἐπισκόπου καὶ ἡμῶν. τοῦτο δικαστῶν τῶν κατὰ ταύτην τὴν πόλιν, καὶ ὅπουδήποτε τυγχανόντων, τῶν ὡπλισμένων ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν χειρὶ παραδίδοσθαι, ἵνα μὴ πολλαῖς κατὰ τῶν ἀθλίων τοιαύτης ἀδιαφόρως ἐξουσίας δοθείσης, σύγχυσίς τις ἐκ τούτου γίνεσθαι μέλλῃ, καὶ ταραχή.

Dat. x. Kalend. April. Constantinop. Antiocho v.c. & Basso coss.

VI. Idem AA. Hierio P.P.

Super confugientibus ad sanctæ religionis altaria sanctionem in perpetuũ valituram credidimus promulgandam, vt si quidem seruus cuiusquam ecclesiam altariáve loci tantum veneratione confisus sine vllo telo petierit, is non plus vno die ibidẽ dimittatur, quin domino eius, vel cuius metu pœnam imminentem visus est declinasse, à clericis quorum interest, nuntietur. Isque eum impertita indulgentia peccatorum, vt nullis residentibus iracundiæ menti reliquis in honorem loci, & eius respectu ad cuius auxilium conuolauit, abducat. Quod si armatus nullis hoc suspicãtibus inopinus inruerit, exinde protinus abstrahatur, vel certè continuo domino, vel ei vnde eum tam furiosa formido proripuit, indicetur, eique mox abstrahendi copia non negetur. Sed si armorum fiducia resistendi animos insania impellente conceperit, abstrahendi abripiendíque eum domino quibus potest id efficere viribus, concedatur. Quod si illum etiam confici in concertatione pugnáque contigerit, nulla erit eius noxa, nec cõflandæ criminationis relinquetur occasio, si is qui ex statu seruili in hostilis & homicidæ condicionẽ transiuit, occisus sit. Quod si quæ tam sunt vtiliter constituta, eorum qui huic rei pro suo præficiuntur officio aut neglegentia, aut conhibentia, vel aliqua ratione fuerint deprauata, animaduersio iusta non deerit, vt sub episcopalis diiudicationis arbitrio,

loco eo quem tueri nequiuere, submoti & reiecti in ordinem plebeiorum motum iudiciarij vigoris excipiant. Dat.v.Kal.April. Constantinop. Valerio, & qui fuerit nuntiatus.

CODICIS THEODOSIANI LIBER DECIMVS.

De iure fisci. *Tit. I.*

I. Imp. Constantinus A.& Cæs.ad Populum.

SI quid à fisco fuerit occupandum, vel à nobis de cetero pro vnius cuiusque meritis obsequiisque donandum, vel ab eodem distrahendum, intra annum omnibus, vel à petitione, vel à comparatione se abstinentibus, hij qui putãt iniustè res proprias à fisco esse comparatas, contra eundem agere contendant, scientes, gratulãtésque, quòd annua spatia, intra quę suum repetant, sint indulta. Ac si probauerint iustitiam petitioni suæ adesse, recipiant & nostro beneficio habeant restituta. Dat. Id. Septemb. Rom. Constantino. A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

II. Idem A.ad Seuerum Rationalem Afric. Post alia.

Possessiones atque mancipia exempta fisci patrimonio, quibusdam donauimus. Hæc directo iure atque perpetuo absque omni quæstione volumus obtineri, pœna cõtra Rationales & Magistros priuatæ rei atque officiales proposita, si quid contra temptauerint. &c. PP. X. Kal. Iun. Rom. in Foro Traiani, Constantino A. V. & Licinio C. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque agri atque mancipia, quibuscunque personis de fisci nostri iure donantur, apud eos quibus donata sunt sine suspicione aliqua volumus permanere: contra ordinatores domorum dominicarum pœna proposita, si contra praeceptionem facere cognoscuntur.*

III. Idem A. ad Prouinciales.

Iustas etiam & quæ locum habent fisci actiones, pręcipimus cõcremari ob hoc solùm, quòd suis tẽporibus prolatæ non sunt. Iam calumniæ priuatorum eo saltem arceantur exemplo, quo iustas fisci lites silere præcipimus. Dat. III. Kal. Iun. Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

IIII. Idem A. ad Dometium Dracontium Magistrum priuatæ rei Afric.

Cùm fiscus litem patiatur, aut inferat, anni spatium ad determinandam causam spectari oportet: quia hoc ad instruẽdum satis est. Et diutius non oportet priuatorum, siue fisci emolumẽta fatigari. Dat. XIIII. Kal. Iun. Serdicæ.

cæ. Constantino A. VI. & Constante Cæs. COSS.

v. Idem A. ad Volusianum. PF. V.

Defensionis facultas danda est his, quibus aliquam inquietudinem fiscus infert, cùm facultates eorundem athuc controuersia pendente inquietari, describíque fas non sit. Vbi ergo controuersia extiterit fisco alicuius patrimonium vindicante, aput eum, omnibus facultatibus cõstitutis, cognitio ventiletur, vt cùm rei exitus debere eas vindicare probauerit, tum demum res persequi liceat, & super modo facultatum ac rerum interrogationem haberi, quę per condicionales seruos inuestigãda est, vt si quid subtractum fuerit, exigatur, & extrinsecus tantum aliud multæ nomine, quantum fuerat per fraudem ablatum. Sanè in huiuscemodi quæstione si Cæsariani nomine inciderit, ad vsurpationem Constitutionis istius non debebit accedere, siquidem consuetudo fraudium quibus prædicti omnia temerare consuerunt exceptionem eorundem meruerint. Dat. prid. Kal. Ian. Sirmio, Constantino A. VII. & Constantino Cæs. COSS.

VI. Imp. Constantius A. ad Hieroclem Cons. Syriæ Coeles.

Secundum legem quam dudum promulgauimus, vanam appellationem rectè nõ suscepisti, de cetero quoque in causis, rebúsque fiscalibus, huiusmodi prouocationes non debebis admittere. Dat. VIII. Kalend. MaI, Philippo & Sallia COSS.

VII. Idem A. & Iulianus Cæs. Verecundo Rationali summarum.

Ab edicti nostri tenore, quo tempore † à nogotiis facienda esse censuimus, fiscales causæ seiunctæ sunt: quoniam fieri potest, vt per innumeras occupationes tui officij vel fortè fraudulentam astutiam & venale silentium fiscalis petitio omni iustitiæ rationem subnixam propter temporis angustias perimatur. PP. VI. Kal. Iul. Vallis, Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. COSS.

† cę. tẽpora

VIII. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Cæsarium Com. R. P.

Vniuersa loca vel prædia, quæ nunc in iure templorum sunt, quæque à diuersis principibus vendita vel donata sunt retracta, ei patrimonio, quod priuatum nostrũ est, placuit adgregari. Dat. pridie Non. Feb. Med. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VIIII. Idem AA. ad Symmachum P. V.

Obseruet in posterum eminẽtia tua, ne quid de rebus rei priuatæ violetur, nisi prius Comes rerum priuatarum fuerit gnarus. Dat. VII. Id. Mar. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

X. Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric.

Qui in contractibus scelestis ac fisco perniciosis interuersorum maculosis sese fraudibus implicuerunt: in quadrupli redhibitionem teneantur. Dat. XV. Kal. Decemb. Adrumeto, Valentiniano & Valente AA. COSS.

XI. Idem AA. & Gratianus A. Alexandriano Com. R. P.

Vt perspicuè colonorum vtilitatibus consulatur, decima indictione singulas tantum dependant cẽtesimas, qui reditus domui nostræ debitos quotannis iuxta consuetudinem arcariis tradunt: ita tamen vt singularum quoque centesimarum ratio semper euidens scientiæ tuæ digesta referatur: videlicet vt è rogationibus cunctis aperta instructione patefactis, reliquorum ratio ex

centesima possit agnosci. Dat. VII. Kalend. Octob. Dorostori, Lupicino & Iouiano COSS.

XII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. Pancratio Com. R. P.

Et more veteri & constitutis nos maiorum accessisse cognoscas, & alytarchæ vrbis Antiochenæ plantandi plures excidendæ vnius cupressi iubemus tribui facultatem. Dat. XV. Kal. Iul. Thessal. Ausonio & Olybrio COSS.

XIII. Idem AAA. ad Messianum Procons. Afric.

In omnibus fiscalibus causis quisquis Iudicum cognitor resederit, exceptis magnificis viris largitionum nostrarum Comitibus, quos extra ordinem negotia definire non multo ante latam secundum veteres mores Constitutionē præcipimus, si intra eandem prouinciam res agatur, duos menses satis abundéque sufficere censemus: si ex contigua personæ atq; instructiones necessariæ putabũtur, quattuor: si ex transmarina, sex. Cùm verò de causæ meritis interposita prouocatione tractabitur in eadem prouincia partibus constitutis, intra viginti: si ex contigua, intra quadraginta dies negotiũ terminetur. Dat. XV. Kal. Octob. Aquil. Arcadio A. I. & Bautone COSS.

XIIII. Idem AA. Hyperechio Com. R. P.

Auri atque argenti maximum pondus plurimis diuersisque temporibus vsurpatum & ad ærarij nostri rationes non relatum cognouimus. quod ne in dispendium rei priuatæ procedat, vt facilius accepti expensique ratio clarescat, nihil volumus de conlatione prædicta absque nostri auctoritate in quibuscumque prouinciis vsurpari, quo facilior sit discussio pecuniæ, cuius nobis fuerit summa testatior. Dat. XVI. Kalend. Ian. Mediolani, Cæsario & Attico COSS.

XV. Impp. Arcadius & Honorius AA. ad Paulum.

Si qua vsquam loca ad sacrum dominium pertinentia cuiuslibet temeritas occupauit, secundum veteris census fidem in sua iura retrahentur. Rescribta igitur obreptionibus impetrata cum præscribtione longi temporis & noui cẽsus præiudicio submouebit auctoritas tua atque ita omnia suo corpori quæ sunt auulsa, restituet. neque enim aut precatio colorata, aut incubatio diuturna, aut nouella professio proprietatis nostræ priuilegium abolere poterunt. Dat. V. Kalend. April. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

XVI. Idem AA. Apollodoro.

Omnium prædiorum, quæ rei nostræ adgregata sunt, in diuersis speciebus maxima pars passim ab improbis direpta est. Et quamuis secundum iuris ordinem, ea quæ erepta sunt, in quadruplum oportuerit postulari: clementiæ tamen nostræ moderationem secuti, decernimus ex eo die, ex quo iussio nostra fuerit celebrata, cessantibus frustratoriis defensionibus, quibus in exactorum personam refertur commissa direptio, intra tres menses ea tantum, quæ constiterit per vasa restitui. Quod si quispiam ingratus nostro beneficio solutionem distulerit, in dupli pœna teneatur obnoxius. qua condicione eos quoque volumus adstringi, qui in fugam versi esse dicuntur: vt nisi intra constitutum tempus quæ sunt direpta, reddantur: vt ad modum dupli rei nostræ eorum prædia vindicentur. Officio quoque Iudicum diuersorum, si non exactores & compulsores,

compulsores, quorum direptio arguitur, repræsentauerint: tempore superius constituto eadem pœna retinebit, ipsis aduersus fugiétes actione seruata. Iudicum quoque segnitiam in hac parte grauissima multa feriendam esse censemus. Dat. XII. Kal. Decemb. Med. Theodoro v.c. COSS.

XVII. Impp. Honorius & Theod. AA. Patricio Com. R.P.

Super creandis susceptoribus dispositionem tuæ sublimitatis firmam esse præcipimus periculo procuratorú rei dominicæ, ita vt omni ambitione cessante, quæ statuta sunt, quęque antiqua consuetudine commendantur, in pabulis, vel sumptu familiæ ministrádo intemerata permaneant, super hirenarcho & optione omnia antiqua consuetudine obseruanda. Dat. III. Kal. Ian. Constantinop. Theod. A. VIIII. & Constantio II. COSS.

De domibus ad rem priuatam pertinentibus distrahendis vel prætoriis iudicum reseruandis. Tit. II.

I. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. Com. Largitionum.

Rationales, vel ordinarij iudices earum domorum, quas procuratorum nequitia & rationalium neglegentia labi patitur in ruinas, instituant auctionem hastis habitis ex licitatione currente. Sane si quæ sunt per varias prouincias huiuscemodi domus, quales esse in Augustési Suitranea ciuitate suggeritur, vel aliis in locis præstátes, & priuatis vsibus ampliores, vt seruari forsitan oportebit iudicum mansionibus deputandas prouincialium, & eorum cura reficiendas. Dat. VII. Kalend. Octobr. Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

II. Impp. Arcadius & Honorius AA. Firmino Com. S.L.

Ne domus ad nostrum patrimonium pertinentes, quæ sunt in diuersis vrbibus, ex neglegétia nostro ærario adferant detrimentum, omnes licitatione habita volumus venundari. Palatinos autem fide probatos ire præcipimus. Ordinarios quoque iudices tua sublimitas admonebit, vt certa pretiorum fides, & domorum sit iusta in auctione taxatio. Dat. Kal. Nouembr. Mediol. Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

De locatione fundorum iuris emphyteutici, & reip. & templorum. Tit. III.

I. Imp. Iulianus A. Secundo P.P. Post alia.

Possessiones publicas ciuitatibus iubemus restitui, ita vt iustis æstimationibus locentur, quo cunctarum possit ciuitatum reparatio procurari. P.P. Id. Mar. Constantinop. Mamertino & Neuitta COSS.

II. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Probum P.P.

Curialibus omnibus conducendorum reipublicæ prædiorum ac saltuum inhibeatur facultas: illo etiam obseruando, ne quis curialium vel de extraneis ciuitatibus fundos, aut loca huiusmodi conductione suscipiat. Dat. VI. Kal. Iul. Treuer. Modesto & Arintheo COSS.

INTERPRETATIO. *Omnibus Curialibus conducendorum reipub. agrorum, ac*

saltuum licētia denegetur, illo specialiter obseruando, vt nullus Curialis vel de extraneis ciuitatibus agros ac loca suprascripta sub qualibet conductione suscipiat, nec sub hac occasione seruitia curiæ debita non impendat.

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. Pancratio Com. R.P.

Secundum legem diui Valentiniani, quæ semel conductas possessiones nulla ad alios constituit ratione transferri, nullum priorem conductorem à secūdo patiaris excludi, sed penes eos iugem permanere iubeas possessionem, quos priore conductionis iure eādem meruisse constiterit. Dat. prid. Id. Iun. Thessal. Gratiano v. & Theod. I. AA. COSS.

IIII. Idem AAA. Nebridio Com. R.P.

Vt quisque conductor fuerit inuentus possessor fundi, qui ex publico vel templorum iure descendit, huic cum augmento oblato ager iungatur inutilior. Quod si contra id reluctandum existimauerit, alius possessor sub eadem præstatione quæratur: vel si voluntarius quis conductor non inuenietur, tūc ad possessores antiquos, id est, decuriones, vel quoslibet alios loca iuris prædicti, adiunctis inutilibus reuertantur sine adiectione tertia, idoneis fideiussoribus præbitis. Dat. xv. Kalend. Feb. Constātinop. Merobaude II. & Saturnino COSS.

V. Impp. Arcadius & Honorius AA. Messalæ P.P.

Ædificia, hortos, adque areas ędium publicarum, & ea reipublicę loca quæ aut includuntur mœnibus ciuitatum, aut pomeriis sunt connexa, vel ea quæ de iure templorum, aut per diuersos petita, aut æternabili domui fuerint cōgregata, vel ciuitatum territoriis ambiuntur, sub perpetua cōductione, saluo dumtaxat canone, quem sub examine habitæ discussionis constitit adscriptū, penes municipes, collegiatos & corporatos vrbium singularum conlocata permaneant, omni venientis extrinsecus atque occultæ cōductionis adtemptatione submota. Officia etiam Palatina decem librarum auri multæ subiaceant, si cui aduersus præcepta huius sanctionis veniendi aditum adsentatione præstiterint. Dat. vi. Kal. Decemb. Med. Stilichone & Aureliano COSS.

VI. Idem AA. Nestorio Com. R.P.

Nullus Palatinorum qui in officio rei priuatæ nostræ militat, conductoris nomine, vel per se, vel per quamlibet personam possessionum huiusmodi conducendarum habeat facultatem. Dat. vi. Kalend. Aug. Vincentio & Frauitta COSS.

VII. Impp. Honor. & Theod. AA. Vrsacio Com. R.P. Post alia.

Emphyteutici iuris prædia ita locari præcipimus, vt cessante inlustris priuatarum comitis iussione, quanta sors in aliis functionibus fuerit subleuata, tanta etiam in pensione dematur. Illut quoque pari diligentia statuimus, vt si quis etiam rescribtum de nostris altaribus meruerit alium inspectorem, loca debere discutere: subreptio ista vacuetur, & illut valeat, quod probatissimi peræquatoris generalis electio, nō specialis & gratiosa forsitan definiuit ambitio. Dat. prid. Id. Mai. Rau. Honor. A. XI. & Constantio II. COSS.

De

De actoribus, procuratoribus, & conductoribus rei priuatæ. Titulus IIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Philippum Vic. Vrb.

SI quis ab actore rerum priuatarum nostrarum, siue à procuratore fuerit vexatus: super eius calumniis, vel deprædationibus deferre querimoniā non dubitet. Quæ res cùm fuerit comprobata, sancimus, vt idem qui cōtra prouincialem quidquam moliri fuerit ausus, publice concremetur: quoniam grauior pœna constituēda est in hos, qui nostri iuris sunt, & nostra debent custodire mandata. Dat. III. Non. Mar. Heracleæ, Constantino A. III. & Licinio COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque ab actore dominico, vel procuratore fuerit alicuius iniuriæ improbitate vexatus, de eorum calumniis vel deprædationibus ad principem conuolare debebit, quæ res si potuerit adprobari, eos qui circa prouinciales talia facere ausi sunt, placuit incendio concremari: quia grauiorem pœnam principes constitui voluerunt in eos qui sui iuris sunt, & sua debent custodiri mandata.*

II. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Seuerum Vic. Vrb.

Diuum Iulianum hoc competentissimè decreuisse comperimus, vt actores rei priuatæ nostræ minime necessitatibus terrerentur adque afflictarentur iniuriis, quas sæpenumero rectores prouinciarum, vel adrogatione inlicita principalium, vel propriis decretis ordinis fieri censuissent: quod adeò nos probamus, vt ratum esse iubeamus. Dat. XI. Kalend. Aug. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Iulianum principem bene ac salubriter statuisse certissimū est, vt actores domus dominicæ nullis necessitatibus turbarentur, aut fatigarentur iniuriis, quas eis frequenter rectores prouinciarum per suggestiones principalium facere consuessent, cuius facti constitutionem intantum rationabilem & necessariam iudicamus, vt firmam permanere iubeamus.*

III. Idem AA. ad Crescentem Vic. Afric.

In negotio criminali per rationalem colonos, vel conductores rei priuatæ nostræ, quorum repræsentatio poscitur, exhibēdos esse sinceritas tua cognoscat: In ciuili verò causa defensorem domus nostræ adesse debere. Dat. pridie Non. April. Alteio, Valentiniano & Valente AA. COSS.

Qui conductores rei priuatæ fideiussores exigi non debent. Tit. V.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eulogio Com. R. P.

QVidquid diui parentis nostri Valentiniani senioris iussio de fundis priuatæ rei continebat, nostra etiam auctoritate firmamus. Vt igitur ille præceperat, ne consistoriani comites fideiussores in suscipiendis possessionibus darent (quod etiam diuus Gratianus secutus est) custodiri oportet. Dat. III. Kalend. MaI, Med. Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

De grege dominico. Tit. VI.

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. Cæsario. P.P.

PRopositis sublimis magnificētiæ tuæ minimi maximíque moneantur edictis, vt sciant singulas auri libras ex propriis facultatibus eruendas pro singulis equis vel equabus, siue Hermogenianis, siue palmatis, nisi eas sponte obtulerint: in his verò, quos ex aliis gregibus occupatos esse constiterit, sex auri vncias fisci viribus inferendas. Dat. prid. Kalend. Decemb. Constantinop. Olybrio & Probino coss.

De Cæsarianis. Tit. VII.

I. Imp. Constantinus A. ad Bithynos.

CÆsarianos in actu dumtaxat constitutos, ad perfectissimatus, vel ducenæ, vel cētenæ, vel egregiatus dignitates non oportet admitti: sed si inculpatè compleuerint suum officium, & ab omni vacent ratione, fiscali iudicio datam huiusmodi dignitatē prodesse eis oportet. Dat. XII. Kal. Aug. Gallicano & Basso coss.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum P.P.

Non conuenit Cæsarianos inconsultis nobis ad alicuius corporis molestiā deuocari. Quapropter si alicui corpori necessarij fuerint visi, ad nostrā mansuetudinem referatur, vt nobis decernentibus, his iubeantur adiudicari, quibus eos rectissima ratione postulari nostra mansuetudo perspexerit. Dat. X. Kalend. Mai, Sirmio, diuo Iouiano & Varroniano Consulibus.

De bonis vacantibus. Tit. VIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Æmilium V. P. †

† *Ad Æmiliū R. P. Rationalem, Si quando, &c.*

RAtionalem si quādo adnotationes nostræ contineant possessionem, siue domum, quam donauerimus, integro statu donatam: hoc verbo ea vis continebitur, quam antea scribebamus, cum adiacentibus & mancipiis, & pecoribus, & fructibus, & omni iure suo: vt ea, quæ ad instructum possessionis, vel domus pertinent, tradenda sint. Dat. VI. Id. Mar. Med. Constantino A. III. & Licinio coss.

II. Idem A. ad Priscum Rationalem.

Ne principali liberalitate præuenta dominium quis rei alienæ affectet, iubemus, quotiens iure suadente aliquorū bona ex officio tuo fuerint occupata, breues eorum plenissimos ad virum perfectissimum comitem & amicum nostrum mitti, ne fraudibus Cæsarianorum minuantur, vel petentibus aliquid abiuretur: pœna contra rationalem & officium eius proposita, si petitorem ante possidere permiserit id, quod ei donatum est prius, quàm prædicti breues commeauerint. Dat. V. Id. Mar. Sirmio, Constantino A. V. & Licinio Cæs. coss.

III. Idem A. ad Seuerum P.V.

Nec interpellatis his, quibus pro laboribus suis ac meritis aliquid donauerimus, sed in iure suo, hoc est sine molestia litis manentibus, concitatorem iudicij, qui inquietudinē inferre temptauerit, examini tuo præsentari oportet, vt citra molestiā possidentis ius suū manifestis probationibus doceat, in quo partes reluctātis ipse suscipies, quoniam fructus liberalitatis nostræ pulsatur. Hac

Hac enim lege sancimus, vt quicumque in tales venient querelas, secundum prædictam formam ius suum ostendant, his quæ comperta fuerint ad nostram scientiam referendis, vt salua possidentium proprietate, quibus (vt dictum est) in perpetuum quęsita est firmitas possidendi, deliberationis nostræ sit, qualiter his qui allegationes suas probauerint, beneficio lenitatis nostræ extrinsecus debeat subueniri. Recitata III. Non. Aug. in Palatio, Constantino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

INTERPRETATIO. *Non inquietentur ij, quibus aliqua pro suo labore donauimus, sed omnibus quæ à nobis donata sunt in ipsorum iure positis, ij qui eos inquietare voluerint, ad iudicij audientiam protrahantur, vt sine aliqua molestia possidentis ius suum pulsator valeat confirmare, omnibus quæ hac de re inter præfatos acta fuerint, ad nostram notitiam referendis, vt & nostris inquietatus remediis adiuuetur.*

IIII. Imp. Constantinus A. ad Iuuenalem Rationalem Numidiæ.

Quamuis plurimis petētibus facultates eorum, qui sub hoste publico egerunt, adque in prælio pœnas debitas pepēderunt, liberalitas nostra largita sit: tamen volumus, vt aurum, argētum, & mancipia vrbana, & vestes, ceteráque mobilia petitores habeant, qui iam meruerunt, vel postea impetraturi sunt. Mancipia autem rustica, & possessiones & domos ad fiscum pertineāt officij tui instātia. his etiam reddituris, qui hæc percepisse noscūtur, vt Cōstitutio & de præterito, & deinceps habeat firmitatem. Dat. Id. Iun. Constantio A. IIII. & Constante III. COSS.

V. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Hieritocrati Com. R. P.

Si vacātia vel caduca dona delata legibus ad ærarium in Achaia perhibeantur, certi Palatini electi & iureiurādo obstricti mittantur, vt eorum instantia V. S. Proconsul præsente fisci patrono diligenter inquirant, cuius vacans cadúcúmque fuerit patrimonium, quantúmque, vel quale videatur. Et cùm data reclamandi copia, nullum id iure possidere, vel vindicare constiterit, locúmque ęrario factum esse, tam ipsius relatione quàm publicorum monumentorum fide constiterit, rerum nobis notitia intimetur, vt iussu nostro vacantia, vel caduca nomine occupentur ærarij, quo petētes à nobis huiusmodi res sic demum (si ita visum fuerit) responsum legitimum mereantur, quorum petitiones antequā res prædicto ordine procuretur, nec accipiēdas, nec instruendas esse censemus. Quæ forma etiam in parte bonorum in vna alteráve re, seu actione vna, vel iam pluribus seruetur. Nam si quid fraude in dispendium ærarij fuerit admissum, missi quidem exsecutores non vitantę indignatione Proconsule, parte facultatum dimidia multabuntur. Fisci verò patronus detrimento, quod vitio eius fisco ingeritur, resarcire vrguebitur: aut si litem improbe cuiquam intenderit, redhibitione sumptuū damnorúmque cohercebitur. Petitores autem bonorū omni petitionis emolumento carebunt. Dat. VII. Id. Octob. Constātinop. D N. Theod. A. XV. & qui fuerit nuntiatus, COSS.

De incorporatione. *Tit. VIIII.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Florentinum Com. R. P.

SI quādo aut alicuius publicatione, aut ratione iuris aliquid nostræ addēdum est rei, rite adque sollemniter per Comitē rerum priuatarum, dein Rationales in singulis quibusque prouinciis cōmorantes incor-

poratio compleatur,& diligẽs ſtilus ſingillatim omnia adſcribat. Tituli verò quorum adiectione prædia noſtris ſunt conſecrãda nominibus, non niſi publica teſtificatione ponantur:grauiſſimis ſtatim ſubdendis ſuppliciis,qui huiuſmodi aliquid propria vſurpatione temptauerint. Dat.IIII.Kal.Aprilis Valentiniano NB.P.& Victore COSS.

II. Impp.Arcad.& Honor.AA.Eulogio Com.R.P.

Quicunque à nobis caducas vacantéſve meruerit facultates, ſiue cum auro ſiue cum argento,quod ſpecialiter rarum erit (nam ſæpius habita horum exceptione præſtatur)poſt allegationem beneficij principalis omnem bonorũ, id eſt,mobilium,mouentium, vel(vt pleniſſime loquamur)prædiorum vrbanorum, ædium, mancipiorum, animalium, argenti, auri,ornamẽtorum,veſtium,pecuniæ,fiſcus incorporationẽ traditionémque percipiat.Et cum officij Palatini breuibus fuerint cuncta competẽter incerta, omne illud, quod ex quibuſlibet corporibus eſt repertũ,noſtris auribus intimetur.Nec quicquam horum ad petentem ante perueniat, quàm ſuggeſtione ſublimitatis tuæ informata manſuetudo noſtra traditionem ſecundario præcepto prioris liberalitatis inpertiat: vt niſi denuo à nobis fuerint confirmata,quæ videntur inpetrata,nihil valeant.Dat.XVIII.Kal.Decemb.Med. Olybrio & Probino coss.

III. Impp.Honor.& Theod.AA.Largo P.V.Africæ.

Et moris veteris inſtituto incorporationem bonorum anteferri competitionis effectui decernimus, & de poſſeſſore iam fiſco referri ad viri inluſtris priuatarum largitionum Comitis ſcientiam cenſemus: illud conpetitoribus conpendium relaxantes, vt quod à manſuetudine noſtra iterata ſupplicatione poſcẽdum fuerat, ab eius ſublimitate non expectato imperiali beneficio poſtuletur,&c. Dat.v.Id.Octob.Rau.Honor.XII.& Theod.VIII.AA.COSS.

De petitionibus,& vltro datis,& delatoribus. Tit. X.

I. Imp. Conſtantinus A.ad Populum. Poſt alia.

DE delatoribus iam certa ſtatuimus: quibus,ſi quis contra fecerit, pœnam capitalem excipiet.PP.XV.Kalendas Febr.Conſtantino A.III.& Licinio III. COSS.

II. Idem A.ad Populum.

Conprimatur vnum maximum humanæ vitæ malum delatorũ exſecranda pernicies, & inter primos conatus in ipſis faucibus ſtranguletur, & amputata radicitus inuidiæ lingua vellatur, ita vt Iudices nec calumniam, nec vocem prorſus deferentis admittant.Sed qui delator exſtiterit, capitali ſentẽtiæ ſubiugetur. Dat.& PP.in foro Traiani.Kal.Decemb. Conſtantino A.V. & Licinio Cæſ. COSS.

INTERPRETATIO. *Delatores dicũtur,qui aut facultates prodiderint alienas, aut caput impetierint alienum. Quicunque delator cuiuſlibet rei extiterit, in ipſo proditionis initio à Iudice loci correptus continuo ſtranguletur, & ei inciſa radicitus lingua tollatur,vt ſi quis proditor futurus eſt, nec calumnia, nec vox illius audiatur.*

III. Idem A.ad Prouinciales.

Omnes Iudices inuigilare præcipimus,& delatores pœnis adficere.apertiſſimi enim iuris eſt,vt quod ex cuiuſcũque patrimonio ceciderit in caſum, & legibus,& recto iuris ordine,fiſci aduocatis agẽtibus vindicetur.Sed quia nõnulli

nulli præcipites secūdum ius possessa patrimonia deferre non cessant: damus omnibus qui se læsos existimant, cōtra delatores seueritatem Iudicum inplorare ferro destrictam. Nemo enim potest delatorem plus agnoscere, quam ille qui iniuriam per eius nequitiam sustinuit. Dat. II. Kal. April. Constantinop. Constantino, & Albino coss.

INTERPRETATIO. *Custodientes iustitiam nomen persequimur delatorum, ita vt cum agniti & conuicti fuerint delatores, gladio puniantur.*

IIII. Imp. Constantius A. Celsino PF. P.

Innocentiam securitate firmantes, & quorundam audaciam prohibentes, edictum promulgauimus, ne quid occultis delationibus possit in hominum licere fortunas. Dat. prid. Id. Iun. Viminaci, Vrso & Polemio coss.

V. Idem A. Callepio Rationali trium Prouinciarum.

Donatarū rerū dominiū his tradatur, quos anteriores tēpus imperialis donationis ostēderit. Dat. IIII. Non. Feb. Naisso, Acyndino & Proculo coss.

VI. Idem A. ad Eusebium Com. R. P.

Donationes à diuino genitore nostro ex priuatis rebus factas valere præcipimus. Dat. VIII. Id. April. Sabariæ, Constantio A. III. & Constante iterum coss.

VII. Idem A. ad Eustathium Com. R. P.

Nulli Palatino delatorios libellos de competentibus rei priuatæ nostræ rebus accipere liceat. Nec delatori ad comitatum nostrum, vel officium sublimitatis tuæ pateat accessus, prius quam ordinarius Iudex cognitione suscepta veram esse delatoris adsertionem probauerit, adque ad tuam sublimitatem retulerit. Dat. Id. Maij. Treu. Amantio & Albino coss.

VIII. Idem A. ad Orionem Com. R. P.

Qui largientibus nobis aliquid fuerint consecuti, cum delatoribus suis ad iudicia veniant, in iure consistant, negotia persequantur, vt adseueratio delatorum prodat fisco debitas facultates. In eos autē, qui aliquorum detulerint patrimonia, adfirmantes ad fisci nostri dominium pertinere: si non potuerint ostendere quod adstruxerant, seueritas conpetens exeratur. Consequens igitur erit petitiones legibus minime consentaneas à iudiciis remoueri, nec eos adfici metu, qui legibus possident proprias facultates. Dat. III. Non. Mart. Sirmio, Constantio A. VI. & Constante Cæs. coss.

VIIII. Impp. Valentinianus & Valens, AA. ad Prouinciales Byzacenos, post alia.

De munificentia principali quælibet bona tanquam caduca poscentes, non aliter adipiscātur petitionis effectum, nisi delatores valuerint publicare. Dat. Prid. Id. Septemb. Aquil. Diuo Iouiano & Varroniano coss.

X. Idem AA. ad Prouinciales Afros.

Intantum humani generis inimicos arbitra æquitate persequimur, vt delatores pronuntiatos puniri gladio iussimus. Dat. Prid. Non. Feb. Med. Valentiniano & Valente AA. coss.

Hæc lex interpretatione non indiget.

XI. Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. Alexandriano Com. R. P.

Super vacantibus ac caducis cum fortè largitatem nostram auiditas circuit

postulantium,prius tua scribta mittantur: Certi etiam dirigantur,qui cuncta sollerter inquirant, & cuius fuerint facultates, & si nemo eas sibi iure nititur retentare. Ac si locum fisco factum esse claruerit,occupatis prius bonis, & rerum omnium describtione perfecta, serenitatis nostræ scientia protinus instruatur,vt quid statuendum sit pro legum ordine terminemus. Dat.III.Id. Dec.Marcianop.Valentiniano N.B.P. & Victore COSS.

XII. Impppp.Gratianus,Valentinianus,& Theod.AAA. Pancratio Com.R.P.

Qui cum ex præsenti die vt caducas poposcerit facultates, ex cōsensu nostræ liberalitatis acceperit, non ante allegare rescribtum, non prius obtinere sententiam,non denique effectum exsecutionis debebit accipere,quàm eum iudiciis introducat, à quo sibi id quod poposcerit, delatum adserit esse patrimonium. Quod quidem nō solum in generali iubemus bonorum petitione seruari,verumetiam si carptim fundos, vel vacantia rura, aliqua denique prædia,vel rustica,vel vrbana poscentur,aliqua etiam huiusmodi quæ viritim solent obtentu liberalitatis inuadi: vt si causam non tenuerit, cautum legibus supplicium delator excipiat.Neque sanè introduci eum satis erit eo tempore quo rescribtum allegatur ac liberalitas intimatur,verum dirigendus is erit ad eam prouinciam prouinciásve, in quibus patrimonia delata consistunt, vt eius instruat actiones,qui nostra liberalitate nitetur, & cuius se honestati per blandum ministeriū iniustæ delationis immersit: vt scilicet maiore omnium plausu detecta ibi calūnia,eius supplicio publicæ seueritati litetur, vbi securi ac tuti domini trepidauêre fortunæ.Illud etiā ad professionem odij,quo vniuersas delationes exsecramur, adiungimus, vt si idem delator etiam in bonis causis tertio tamen fuerit inuentus, post victoriā tertiæ proditionis capitali supplicio coherceatur. Dat.III.Kal.Feb.Thes.Grat. v.& Theod.I.AA.COSS.

XIII. Idem AA. Edictum ad Prouinciales.

Delatores ab ipsis qui bona nobis delata vel carptim suscipiūt, fundos,vel vacantia rura tam rustica quàm vrbana,cum rescribtum allegatur, primum aput virum clarissimum Com.inducātur, deinde ad prouinciam prouinciásve ducantur,vt præsentibus ibidem probationibus quæ detulerant indicarēt. Illud etiam odio eorum ducti decernendum esse censuimus, vt & si vera in delationem negotia detulissent,post victoriā tertiæ delationis delator capite plecteretur. Dat.prid.Kal. Sept.Thessal.Gratiano v.& Theod.I.AA.COSS.

XIIII. Idem AA. Pancratio Com.R.P.

Nemo possit ad indultum à nobis beneficium pertinere,nisi qui ante instructionem ab officio quod tuis meritis paret, adnuētibus nobis fuerit consecutus. Dat.XII.Kal.Octobr.Thessal.Gratiano v.& Theod.I.AA.COSS.

XV. Idem AA. Eutropio PF.P.

Quisquis in crimine maiestatis depræhēsus fuerit & punitus,bonáque eius (sicut plectēdi consuetudo criminis habet)fiscus inuaserit:nullus easdem sub spe munificentiæ tuæ principalis audeat proprio iuri poscere.qui cōtra legem id ausus fuerit sperare quod nō licet,reus violatę legis habeatur.Sed quoniam plerumque ita in nōnullis inuerecūda petentum inhiatione cōstringimur,vt etiam non cōcedenda tribuamus:ne rescribto quidem nostro aduersum formam latæ legis loci aliquid relinquatur. Si quid autē ex bonis talibus nostro iudicio,

iudicio, nullo tamen desiderante atque poscente concedi cuiquam voluerimus: huiusmodi tantum valeat liberalitas. Dat. xvi. Kalend. Decemb. Thessall. Gratiano v. & Theod. i. AA. coss.

INTERPRETATIO. *Quisquis in crimine maiestatis inuentus fuerit & punitus, bona eius fiscus acquirat, ita vt nullus aliquid ex eius facultatibus sibi velut munificentiæ iure audeat postulare: Et si aliquis contra leges crediderit postulandum, nec id quod petiit accipiat, & violator legis habeatur. Si quid tamen nullo petente, proprio arbitrio de talibus bonis cuiquam dederimus, donatio huiusmodi firma permaneat.*

xvi. Idem AA. Nebridio Com. R. P.

Nemo eas sine summo sacrilegio possessiones existimet postulandas, quæ cum magno censu, tectorum ambitu, palatiis sint magis aptæ quàm prædiis. Adeóque hoc nomen refugiendum sibi esse cognoscat, vt sacrilegij vereatur inuidiam, etiam si laqueos deceptę ignorationis inciderit, cùm semper in petendo debeat esse sollicitus, quicunque est in inpetrandi occasione curiosus. Laudanda igitur experientia tua officio grauem pœnam tali lege constituat, si vnquam instructione deceperit, & petenti nefaria conclusione consenserit, illi etiam vt deprehenso beneficij adimat potestatem. Dat. xiii. Kal. Iun. Constantinop. Antonio & Syagrio coss.

xvii. Idem AAA. Panellino Consular. Lybiæ.

Seruum domini delatorem iubemus in exemplum omnium proditorum seuerissimæ sententiæ subiugari, etiam si obiecta probauerit. Dat. vii. Kal. Nou. Constantinop. Antonio & Syagrio coss.

Hæc lex interpretatione non indiget.

xviii. Idem AAA. Nebridio Com. R. P.

Et si color petitionis aut ratione aliqua, aut tempore possit admitti, secundum nostras leges non debet audiri prius quàm proditum delatorem conpetens pœna cōstrinxerit. Dat. iii. Kal. Septemb. Merob. ii. & Saturnino coss.

xix. Impp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Senatores ciuitatis Alexandrinæ.

Securitati vestræ studentes & iustitia necessariæ legationis animati, dedimus litteras ad virum clarissimum & inlustrem Cynegium præfectum prætorio, quibus iussimus, vt delatores quos iam etiam sua sententia meritis pœnis adfecit, vbi reppererit, pari supplicio persequatur fundatis omnibus quæ super possessionibus ac terris quas hoc nomen hucusque vexauit, idem vir inlustris constituit. Agite igitur securi, atque ita patrimonia vestra tenete, colite, frequentate, vt boni sæculi possit affectio. Dat. xvi. Non. Mar. Constp. Valentiniano A. iii. & Eutropio coss.

xx. Impp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Flauiano PF. P.

Plerisque mācipia vaga, tacita fideicōmissa, bona vacantia & caduca monstrantibus, quies possidentibus abnegatur: ideóque prçcipimus, vt omnium officiorum periculo custodiatur. Vicarij etiā adque ordinarij cognitores moneantur ea animaduersione proposita, quæ non facultates eorū sit expetitura, sed sanguinem, vt nullū huiusmodi rescribtum mansuetudinis nostræ, nec si specialis super hoc adnotatio proferatur: nisi vnà cū delatore suscipiant. Vt de animo eius & facto, vel impletis probationibus vel desertis, iuxta cōstituta legū quæ super hoc iamdudū à diuis principibus lata sunt, iudicetur. PP. vi. Id.

April. Arcad. A. II. & Rufino coss.

XXI. Impp. Arcad. & Honor. AA. Laurentio Com. R. P.

Sit hæc mensura bona poscentium, ne quis oblatis precibus, in petitione bonorum auri atque argenti faciat mentionem. Ac ne generaliter in omnes hæc fuerit constituta, summis dignitatibus vsque ad secundicerium notariorum hoc seruari decernimus, ceteris ab hac licentia retentatis, ne dum nimia largitas tenditur, publica commoditas neglegatur: ita vt si qui post hanc legem textũ impetratæ petitionis adtulerit, effectu denegato frustretur. Dat. VIII. Kal. Mai. Constp. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. coss.

XXII. Idem AA. Firmino Com. R. P.

Diui patris nostri statuta renouantes, æterna lege sancimus, officium Palatinum quinquaginta auri libras de suis facultatibus exigi, si prius allegari diualia rescribta permiserit, quam delator in iudicio fuerit constitutus. Dat. VI. Nou. Med. Honor. A. IIII. & Eutychiano coss.

XXIII. Idem AA. Studio Com. R. P.

Ne quis proscribtorum bona, vel eorum qui publicam videntur excepisse sentẽtiam, intra biennium æstimet postulanda: abstineant facultatibus intra id temporis expetẽdis, vt aut proprias quis recipiat, si, vt nobis ingenitum est, duriores casus & tristiorem fortunam imperatoria humanitate molliamus: aut tum demum postulet, cùm iam fiscalem potius quàm proscribtorum expetisse noscatur. Si quis autem petendas proscribti vel deportati intra biennium crediderit facultates, careat fructu liberalitatis Augustæ, ita vt nec instruantur huiusmodi petitiones, nec si temere instructæ fuerint, & sub specialis beneficij munificentiam nostram prouocauerit liberalitatem, habeant aliquas vires indulta. Dat. XIIII. Kal. Feb. Constp. Vincẽtio & Frauitta coss.

XXIIII. Idem AA. & Theod. A. Anthemio PF. P.

Pro inclyti principis Constantini sanctione, quam nos etiam hac lege roboramus: in his possessionibus quæ velut de patrimoniali vel reipublicæ, aut templorum, aut cuiuslibet huiusmodi tituli iure subtractæ à nostra liberalitate poscuntur, cesset penitus delatorum nomen infestum, omnésque se ab hac nefaria petitione retineãt, scientes nullum ex hoc posse fructum adquiri, sed huius decreti violatores sacrilegij pœnam contrahere. Dat. VIII. Id. Nou. Stilicone II. & Anthemio coss.

XXV. Idem AA. ad Theodorum PF. P.

Cùm per Illyrici partes barbaricus speraretur incursus, numerosa incolarum manus sedes quæsiuit externas, in cuius ingenuitatẽ adsidua petitorum solet libido grassari, eíque inlicitè iugum seruitutis inponere. Igitur perscribtum tua sublimitas recognoscat, vt Illyricianos omnes quos patria complectitur, vel alia quælibet terra susceperit, petere non liceat. Dat. IIII. Id. Decemb. Rau. Basso & Philippo coss.

XXVI. Impp. Honor. & Theod. AA. Maximo Com. R. P.

Antecedentium temporum constituta firmamus, vt carere se fructu impetrati nouerint, qui contra geminatam præceptionem contenderint. Nec cuiquam liberum permittatur arbitrium instructionis sollemnitate transgressa, quicquam inprobum de nostra clemẽtia flagitare, cùm oporteat instructionis luce euidenter agnosci, cuius æstimatio meritum ponderandum sit, quod nostra

nostra munificentia relaxatur. Dat. VIII. Kalendas Aug. Honor. X. & Theod. VI. AA. COSS.

XXVII. Idem AA. Largo Proc. Afric.

Quicunque ex præsenti die sub specie caducorum quæcunque bona putauerit postuláda, eadémque cōsensu nostræ liberalitatis acceperit, siue supplicis rescribti auctoritate nitatur, siue elicitis specialiter apicibus adnotationis expressæ: cùm ad transmarinā prouinciā vel prouincias, in quibus sunt patrimonia constituta peruenerit, & cōtradictionem domini per quácunque personam rem propriam defendētis acceperit, effectum adepti beneficij suspēsa executione non peragat, & ad comitatū spondētem venire immatura profectione non vrgueat. immo ille qui pulsatus fuerit, institutum sibi integri anni spatiū recognoscat, idoneum satis tempus muniendæ congruæ tractatibus litis, & instruēdi, quem deserit, laris habiturus, nec ad iacturam veteris dominij sub iniuria properæ festinationis artandus, omnium Iudicum, quos locorum ratio exegerit implorari, publico muniēdus auxilio, vt prædæ inhiātium non dedatur. Quem si mora forsitan pro voluntate prolixior delectarit, nec intra anni metas quas fiximus, ad inlustris viri priuatæ rei Comitis examē occurrerit: sciat seipsum in se tulisse sententiā, nec subeundi vltra certaminis experiēdam esse fortunam. Cui si per impugnantium profectionem circumdato ad comitatum pergere, aut peruenire liberum intra curricula præfinita nō fuerit, apud quemcumque Iudicem cōtestatis querelis, & euidenter probatis, præiudicio contractæ nō suo vitio tarditatis exutus, & de factionis auctore vindictam cōgruam prosequatur. Illud sanè præ ceteris prouidæ cautionis habiturus, vt statuto tempore legitimam personam sui probaturus adueniat non inlusor vtilitatis alienæ, nec futuræ disceptationis circumscribtor occurrat. Cū verò intra contiguas vicinásque prouincias bona aliqua expetuntur, quorum contradictor potuerit inueniri, ad præbendā inter legitimas personas audientiam & exercēdum inter partes iure conflictum, ex die conuentionis perlatæ in notitiam pulsatorū sex mensium spatiū præcipimus custodiri, cuius euentum examinis adsertor iuris proprij debeat præstolari. Viuentiū quoque bona co~petendi licentia vindicamus, qui criminibus, in quibus videntur argui, nec iudicio conuicti, nec sententia probantur addicti, &c. Dat. V. Id. Octob. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA COSS.

XXVIII. Idem AA. Largo PROC. Afric. Post alia.

Delatores, sine quibus petitionem nullam aut inchoari, aut peragi iubemus: certa denuntiatæ auctoritatis condicione constringimus, vt ignoscendum sibi si semel probauerint delata, non ambiguat. Periculosam verò sibi futuram esse victoriam iteratæ proditionis abrupto periculo recognoscant. Sin verò tertia voce detulerint, non probádum, sed pœnam sibi protinus nouerint potius subeundam, &c. Dat. V. Id. Octob. Rau. Honor. XII. & Theod. VIII. AA. COSS.

XXVIIII. Idem AA. & Constantius A. Palladio PF. P.

Nullum patimur co~petitione subiacere viuentem, nisi quem crimini obnoxium capitalis sentētia deportationi addixerit, vt ademptio facultatū pœnā præmissæ indignationis adcumulet. De quibus tamē, sicut diuali sanctione decretum est competi per bienniū nihil iubemus. vno tamē petitorio sin-

gulorum bonuſcula iubemus adſcribi, nefas eſſe cenſentes, plurimorum vno pittacio poſtulari ſub inlicita cupiditate fortunas. Ex edictis etiam pẽdẽtibus nullas coɴpetitionis cauſas iubemus inferri, cùm vix ſub iurgij ſit cõtumeliis edictũ, nec exiſtimationem latentis inceſſet. Criminalis vero programmatis tenor hanc tantum ferat de iure cenſurã, vt inter reos adnotato non tam cenſum debeat transferre, ſed famam. Ex priuatorũ quoque ſollicitudine contractuum qui fruſtra negantur, illis plerumque perſonis, à quibus publici muneris iniuncta curantur: nullum fomitem calumniæ patimur litis accendi. Cur enim continentiam vẽditionis alienæ inquiſitio palatina rimetur? Quinquaginta ſanè libris auri multãdum ſe palatinum diſcat officium, niſi legis huius ſalubre decretum perpetua exſecutione ſeruauerit. Dat. VIII. Id. Iul. Rau. Euſtatio & Agricola COSS.

XXX. Idem AA. & Conſtantius A. Palladio PFP. Poſt alia.

Caduca mortuorum bona tunc ad coɴpetitores iubemus ex noſtra largitate transferri, ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea vel iuris titulo legitimũ reliquerit inteſtatus heredem. Eorum verò patrimonia mortuorũ, qui vitæ ſuæ tempore diuerſis conſcientiã ſuam dicuntur polluiſſe criminibus, coɴpeti nequaquã debere cenſemus, niſi quos publica accuſatione conſtiterit fuiſſe cõuictos, dummodo iɴpetrationis huiuſce reſcribtum non prius liceat allegari, quàm delator palatino fuerit adſignatus officio, nulli penitus ſatiſdationi credendus. In quem ſi conceſſa titubauerint, calumniæ pœna referatur, quamuis hoc ipſum quod voluit eſſe delator, pœnæ iam ſit ex iure mancipiũ. Vbi tamẽ impetratæ coɴpetitioni auctoritas poſſeſſorem cõuenerit, ſicut iam generali lege decretum eſt, per hunc vnũ annum conueniẽdi ad inluſtre iudicium intemeratis facultatibus præſtamus indutias, vt cognitione ſuſcepta ſubſtantiã ſui iuris alliget. Qui ſi per anni metas diſſimulatis his ſuo vitio nõ fortunæ caſibus aduerſantis fraude defuerit: in ſe videbitur tuliſſe ſententiã, &c. Dat. VIII. Id. Iul. Rau. Euſtathio & Agricola COSS.

XXXI. Idem AAA. Proculo Com. R. P.

Edictali lege ſancimus, vt ſicut poſſeſſori vnius anni ſpatia præſtita ſunt, intra quę propriis allegationibus adfuturus adſit examini: ita his, qui caduca, vel vacantia bona, vel quocunque nomine tamquam fiſco noſtro quæſita crediderit poſtulãda, ſimili ſorte teneatur. Quod niſi intra anni metas ex die auctoritatis intra prouinciã publicatæ petitionis ſuæ demonſtrauerit æquitatẽ: careat impetratis ac poſſeſſori ad propria reuertẽdi facultas libera tribuatur. Cui deſiſtente competitore, conſuli volumus etiam de ſumptibus & litis expẽſis. PP. in Foro Traiani, VIII. Kal. Septemb. Honor. XIII. & Theod. X. AA. COSS.

XXXII. Impp. Theod. A. & Valentinianus Cæſ. Valerio Com. R. P.

Petitores bonorum partiri cum ærario noſtro præcipimus, ac ſi quis, exceptis iuris tẽplorũ poſſeſſionibus vel patrimonialibus, qualitercunque aliquid ad noſtrum ærarium pertinens, noſtræ nutu clemẽtiæ meruerit, poſtquã efficax quod impetrauerat poſtulatum rei ipſius euẽtum cõſtiterit, ex æqua cum ærario diuidere parte non dubitet, videlicet impẽſis omnibus litis & ſumptibus iɴputatis ac petitori dein ſumma integra tribuẽdis, vt quod purè ad quæſtus eius compendiúmque deuenerit, in eius proculdubio ſocietatẽ admittat ærariũ: nullo ex his quæ de temporibus poſſidentis, vel aliis, veteri obſeruatione &

ne conpetitionum auctoritate sunt tradita, deminuto, sed in sua omnibus stabilitate durãtibus, vt in delatores quæ est nihilominus pœna, & si fieri potest, aceruior exeratur. Quin & Iudex, siue vir inlustris Comes rei priuatæ is fuerit, seu prouinciæ moderator, integritatis proculdubio erit vehemens obseruator, quandiu priuato iurgio æquis conflictibus decertatur. Fisci etiam aduocati præcipimus vocem in suo manere silentio, nec partem ærario vindicandis admitti prius, quam iure cognitionali sententia, quam quidem præsente fisci patrono proferri ac tractari præcipimus, petitor certissimam victoriam fuerit consecutus: etiamsi lis ex trãsactione aut qualibet alia ratione fuerit sopita, modis omnibus suam à petitore vindicatur ærario portionem: quãuis etiam beneficio quis speciali sibi de vniuersitate præcauerit: alioquin titubet in petitore perceptio, si ius suum non constet ærario. Dat. III. Id. Mai, Constantinop. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS.

XXXIII. Impp. Theod. & Valentinianus AA. ad Senatum.

Nusquam calumnia perstrepet, nullus innocentium fortunarum delator occurret, stabit legitima seruitutis liberatisque discretio, iura dominorum seruorum non impune rebellium restitutione sancimus, patricij fori solidantes priuilegia, inuiolabilem manere decreuimus trabeatam quietem. competitorum non tantum vitia conprimimus, sed ipsum etiam nomen abolemus, &c. Dat. VI. Kal. Ian. Rom. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. COSS.

XXXIIII. Idem AA. Thalassio Com. R. P.

Si quis ex his qui sacro nostro cubiculo seruiũt, ad petitionem caducorum ad fiscum pertinentiũ adspirauerit, cum impetrabile huius fuerit postulatum, lege, qua pars dimidia vindicatur, ærario protinus absoluatur, primóque nutu nostræ clementiæ statim integro perfruatur, nec laboret ad partis alterius quæ fisco videtur addicta, prorsus petitionem attingi, norma legis antea promulgatæ in ceteris omnibus custodita. Dat. VIII. Kal. Mar. Constantinop. Theod. A. XIII. & qui fuerit nuntiatus.

De his qui se deferunt. Tit. XI.

I. Imp. Constantinus A. Rationalibus Hispaniarum.

IS cuius tacitæ fidei commissa fuerit hereditas, statim officio grauitatis tuæ nuntietur, & gesta prodat & continuò quod actum fuerit, renuntiet, & post hanc fidem, tertiam ab omnibus defuncti bonis percipiat portionem. Quod si ab vxore defuncti istud officio deuotionis tuæ fuerit reuelatum, ipsam etiam quam defunctus esse voluit heredem si gesta aperuerit, tali præmio mancipetur, vt ex omni patrimonio medium consequatur, & eam fisco nostro celebret diuisionem, id etiam habitura priuilegium, vt prior eligat portionem, & tunc occultator ille gestorum fisci & mulieris pariter inimicus exutus omni patrimonio suo ac fisco vindicato in insulam deportetur. Dat. Id. Mar. Gallicano & Basso COSS.

Si vagum petatur mancipium. Tit. XII.

I. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Probum PF. P.

QVi vaga mancipia iuris alieni petunt, si iustitia eadem probāt, impetrati beneficij auctoritate potiantur, vendendíque cōcessam, aliis, quàm delatoribus, habeāt facultatem. Si verò aut his qui detulerint distracta fuerint, aut ab his qui ante possederint, detinentur: non effugiatur vltio, quæ est legibus constituta. Sed & dominis propriorum vindicatio competat, & eadem pœna, quæ de occultatoribus & fugitiuariis data est, vnusquisque teneatur. Dat. XII. Kalend. April. Treu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

II. Idem AA. ad Probum PF. P.

Quicumque habuerit super vagi mancipij postulatione rescribtum, non prius quicquam inquietudinis moliatur, quàm facta eius allegatione sollemniter delatorem, à quo fuerit instructus, expresserit: careat etiam, si eum prodere supersederit, fructu & commoditate beneficij: nec antè aliquis quem poposcerit per manus iniectionem æstimet vindicandum, quàm definitiua inter partes fuerit dicta sententia. Has verò cognitiones ad ordinarios volumus pertinere Rectores, vt delatoribus primitus in medio conlocatis, his etiam qui quasi vagi sacro nominabuntur indulto, ad iudicia productis, totius causæ interna discutiant, sollicitéque ac diligenter interrogent, de quorum dominio, fuga vel quo alio genere discesserint, qui petuntur: vt is in quo vitiū deprehenderint ad dominum sub prosecutione reuocetur. Si quis etiam vel tributarius repperitur, vel inquilinus ostenditur, ad eum protinus redeat, cuius se esse profitetur. Nihilominus etiam eò pergat indago, vt cuncta rimando cognoscat, vtrum is fuerit petitionis hortator, qui iniquæ retentionis inuidiam aliquo necesse habuerit colorare velamine, vt si colonos eadem occulere arte quæsiuerit, indemnitatem sarciat tributorum: si seruos, ad eam pœnam quæ dudum est legibus constituta teneatur. Quisquis autem plebeium se adserit esse vel liberum, fide rei ostensa, ab omni molestia vindicetur, & ad ea loca, ex quibus eum esse claruerit, remittatur. Contra in his qui aut dominis sine herede defunctis, inuenientur dominos non habere, aut serui pœnæ aliquando facti ac postmodum liberati iudicialibus dominos amisere sententiis: postremò in vniuersis de quibus iniectio manus fisco ritè præbetur, munificentiæ principali congruus patebit effectus. Sanè quia in petitione deceptis conuenit prouideri, quotiescumque fuerit circumscribta simplicitas, ex delatorum hisdem re atque substantia, ad eum modum, quem habitæ concertationis impendia supputata collegerint, postulatíque hominis æstimatio comprehenderit, consulatur. Dat. XV. Kal. Iul. Treu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

De petito-

De petitoribus & desistentibus. *Tit.* XIII.

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Gorgonium Com. R. P.

SI quispiam alienæ substantiæ petitor mora ludificante in longum protrahere cœperit possidentem, & tertiò conuentus, cum delatore noluerit adesse iudiciis, non solùm iurgij quod exortum est amissione multetur, verum etiam sumptus & litis expensas ei reddere compellatur, quem superfluo litigio credidit esse vexandum. Quod quidem etiam in absentem contumacem post trinam, vt dictum est, conuentionem, statuendum esse censemus. Dat. VIII. Id. Iun. Med. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

Si petitionis socius sine herede defecerit. *Tit.* XIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Mygdonium Castrensem s. Palatij.

SI quis fortè decesserit eorum, qui communi nomine donatum aliquid à nostra impetrauerunt clemẽtia, nec superstites dereliquerit successores, placet non ad extraneam quamcumque personam, sed ad socium, vel consortem peruenire portionem illius, qui intestatus aut sine liberis diem defunctus est. Dat. XII. Kal. April. Antiochiæ, Cõstantino A. III. & Licinio IIII. COSS.

INTERPRETATIO. *Si aliquis ex his mortuus fuerit, ad quos nominatim munificentia nostra processit, & nec testamentum fecisse, nec filios reliquisse cognoscitur, placet vt portionem eius, is cum quo pariter defũctus accepit, id est, socius eius acquirat: merito enim socius præfertur, vbi filij nulla persona interuenisse cognoscitur.*

II. Imp. Constantius A. Orioni V. C.

Nonnulli in nostro vel patris nostri obsequio constituti, nominibus iunctis professionem sibi largientibus nobis tribui poposcerunt. Iubemus itaque, vt si qui forsitan ex his qui communiter aliquid impetrauerint, nullo herede derelicto decesserit, ad consortem potius solatium, quàm ad personam aliam pars perueniat decedentis. Dat. XV. Kalend. Iul. Med. Philippo & Salia COSS.

De aduocato fisci. *Tit.* XV.

I. Imp. Constantinus A. Aeliano Proc. Afric. Post alia.

FIsci aduocatus pœnam metuẽs caueat, ne fiscalia commoda occultet, néue, nullo negotio existẽte, fisci nomine priuatis audeat calũnias commouere. Dat. VI. Id. Nouemb. Treu. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

INTERPRETATIO. *Hij qui fisci nostri commoda, vel vtilitatem tuentur, hanc debent custodire mensuram, ne negligentes circa ea quæ nobis iure debentur existant, & ne prouincialibus calumniatores, dum aliquid ab hiis iniuste fisci nomine repetunt, adprobentur.*

II. Idem A. ad Pacatianum P. P.

Et si potior apud nos priuatorum causa est, quàm fisci tutela, præcipimus tamẽ, si à nobis plures defensacula fisci meruerint, eum præponi ceteris qui melior, innocentia potior, litteris pollentior reliquis, examinata fide esse nosce-

tur: etiam si post alios hoc beneficium à nostra clementia reportabit. Dat. II. Non. Iul. Singinduno, Optato & Paulino coss.

III. Imp. Constantius A. ad Petronium Vic. Afric.

Patroni fiscalium commodorum fidem cum veritate tueantur, nisi fortè intra præscribtas causæ cognoscendæ metas, fiscus aliqua circumscribtione fuerit inreitus, conlusionis fraude vulgata ex eorum facultatibus reciperet quidquid calliditate præuaricationis perdiderit. Subscribta v. Id. April. Aquil. Acyndino & Proculo coss.

IIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Rufinum PF. P.

Vicarios præfecturæ ordinariósque Rectores præcelsa sinceritas tua istius sanctionis auctoritate commoneat, vt priuatæ rei nostræ quotiescumque aliquas vel denũtiauerit, vel exceperit actiones, idoneos tribuãt aduocatos. Dat. XIIII. Kal. Iun. Remis, Lupicino & Iouino coss.

De fisci debitoribus. *Tit. XVI.*

I. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Auxonium P.P.

DE diacathocis quosdam comperimus ita fiscales lacerasse rationes, vt satisfieri ærario nostro sine patrimonij eorum venditione non possit, sed eorundem bonis propositis, nonnulli fiscalem refugiant functionem, metuentes, ne si aliquam bonorum emerint portionem, etiam ad reliqua debita inferenda teneantur. Nihil igitur ab his amplius flagitetur, quàm pro rerum viribus generaliter comparatarum decursis hastis volũtaria fuerint pretij oblatione polliciti. Dat. Kal. Septemb. Valentiniano & Valente AA. coss.

II. Idem AA. & Gratianus A. ad Archelaum. Com. Or.

Hij qui fisco nostræ mansuetudinis obnoxij sunt, omissa frustratione teneantur, vt quod suis nominibus debent, de suis facultatibus cogantur exsoluere: seruatis cum compleuerint, allegationibus propriis, si quas aduersus quoscumque ex suis contractibus debitores competere sibi exiure crediderint: ita vt aduersus eos quos sibi obnoxios adseuerant, legibus & iudiciis experiendum esse cognoscant. Dat. III. Non. Iul. Nouioduno, Valentiniano NB. P. & Victore coss.

III. Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA.
Fortunatiano Com. R.P.

Inter chartulas deportati breuis quidam adseueratur inuentus, qui nomina continebat debitorum seu contractorum, cum tamen neque testibus credita pecunia probaretur, neque cautionibus quæ inserta sunt doceantur, facile esse perspeximus, vt sub propriæ adnotationis manu vnusquisque faciat debitorem. Occasionis igitur huius calumniam præsẽti volumus iussione cohiberi, vt breuis vanitate reiecta, nullus ad redhibitionem de his quorum nomina conscribta sunt, vrgueatur. Dat. Prid. Non. Iul. Hierap. Gratiano A. IIII. & Merobaude coss.

INTERPRETATIO. *Si prolati breues vel à quocũnque dimissi inueniãtur, in quibus sibi quicunque aliquos faciat dibitores, nullis cautionibus prolatis, neque aliis euidentibus documentis, nullam adscribti breues obtineant firmitatem.*

IIII. Imppp.

IIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Florentio. Proc. Palæstinæ.

Nemo susceptor, vel exactor, vel debitor fisci duntaxat cessionem bonorũ faciens intẽtionem publicæ necessitatis euadat: sed omnes omnino quos fisci nostri esse constiterit debitores, ad solutionem ea seueritate quam vigor iudiciarius postulat, vrgueantur. Dat. VIII. Kal. Septemb. Constantinop. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

De fide & iure hastæ. *Tit. XVII.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Viuentium P.F.P. Gall.

QVæcumque pro reliquis prodigorum in annonario titulo ceterísve fiscalibus debitis in quibuscunque corporibus, sub auctione licitanda sunt, fisco auctore vendantur, vt perpetuò penes eos sint iure dominij, quibus res huiusmodi sub hastæ sollemnis arbitrio fiscus addixerit: & si quid vmquam, vt à fisco facta venditio possit infringi, auctoritate rescribti fuerit impetratum, nullus obtemperet. Cum etiam minoribus si quando aliquid ex rebus eorum pro fiscalibus debitis adiudicatur emptoribus, repetitionis facultas in omnem intercipiatur ætatem. Dat. III. Non. Nouemb. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

II. Idem AAA. ad Felicem Com. S. I.

Si qui proscribente ac distrahente fisco, debitorum fiscalium emerint facultates, pro earum rerum tantum pretiis obnoxij sint, quas eos patuerit decursis hastis & proscribtione habita comparasse. Nam ita eos munimus, vt nullius conuẽtioni patiamur extrinsecus subiacere. Dat. VII. Id. Mart. Marcianop. Valentiniano & Valente AA. COSS.

III. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Magnellum Vic. Africæ.

Si quos debitorum mole depressos necessitas publicæ rationis adstringat proprias distrahere facultates, rei qualitas & redituum quantitas æstimetur, ne sub nomine subhastationis publicæ, locus fraudibus relinquatur. & possessionibus viliore distractis plus exactor ex gratia quàm debitor ex pretio consequatur. Hij postremo sub empti titulo perpetuo dominij iure potiantur, qui tantum adnumerauerint fisco, quantum exegerit vtilitas priuatorum. etenim periniquum est, vt alienis bonis sub gratiosa auctione distractis parum accedat publico nomini, cum totum pereat debitori. Dat. XIII. Kal. Iul. Aquil. Acc. Id. Ian. Hadrumeti, Post cons. Tatiani & Symmachi VV. CC.

INTERPRETATIO. *Si quicunque publici debiti enormitate constringitur, vt nõ possit hoc ipsum debitum, nisi propria vendita facultate dissoluere, in huiusmodi debito hanc exactores formam seruare debebunt, vt non ita rem præcipitent, vt res minore quàm valeat pretio distrahantur, nec tales sub quolibet conludio prouideant emptores, vt & debitor proprietatem perdat & parum fiscus adquirat.*

De thesauris. Tit. XVIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Rationales.

QVicunque thesaurum inuenerit & ad fiscum sponte detulerit, medietatem consequatur inuenti, alterum tãtum fisci rationibus tradat: ita tamen vt citra inquietudinem quæstionis omnis ficalis calumnia conquiescat. haberi enim fidem fas est his qui sponte obtulerint, quod inuenerint. Si quis autem inuentas opes offerre noluerit & aliqua ratione proditus fuerit, à supradicta venia debebit excludi. Dat. III. Kal. April. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Populum Vrb. Constantinopo.

Quisquis thesauros & condita ab ignotis dominis tempore vetustiore monilia quolibet casu reppererit, suæ vindicet potestati, neque calumniæ formidinem fiscali, aut priuato nomine vllis deferentibus pertimescat. Non metalli qualitas, nõ repperti modus sub aliquod periculũ quæstionis incurrat. in hac tamen naturali æquitate animaduertimus quoddam temperamentum adhibendum, vt si qui in solo proprio huiusmodi cõtigerit, integro id iure præsumat: qui in alieno, in quartam reppertorũ partem eum, qui loci dominus fuerit, admittat. Ne tamẽ per hanc licentiam quisquam aut aliena effodiat, aut in locis non sui iuris per famam suspecta rimetur. Dat. VII. Kal. Feb. Thessal. Gratiano A. V. & Theod. A. I. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quicunque thesaurum in sua terra inuenerit, ei ex integro quod inuentum est adquiratur, & nullam calumniam pertimescat. Si vero in loco alieno thesaurum casu inuenerit, eum qui loci dominus est in quartam inuentarum rerum debet admittere. Attamen nullus effodiendo loca aliena præsumat ista requirere.*

III. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Neotherio P.P.

Eos qui suadente numine vel ducente fortuna, thesauros reppererint: reppertis lætari rebus sine aliquo terrore permittimus. Dat. VI. Non. Mart. Constantinop. Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

De metallis & metallariis. Tit. XVIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum Rationalem Afric.

SEcãdorum marmorum, ex quibuscunque metallis volentibus tribuimus facultatem, ita vt qui cædere metallum atque ex eo facere quodcumque decreuerint, etiam distrahendi habeant liberam potestatem. Dat. Prid. Kalendas Octob. Constantino A. VI. & Constante Cæs. COSS.

II. Imp. Iulianus A. ad Rufinum Com. Officiorum.

Quoniam marmorũ cupiditate in inmensum quoddam saxorũ pretia aucta sunt, vt sumptuosa voluntas copia relaxetur, permittimus omnibus, vt qui volunt cædere, habeant licentiam adtributam. fore enim arbitramur, vt etiam conplures saxorum nitentium venæ in lumen vsũmque perueniant. Dat. XI. Kal. Nou. Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

III. Impp.

III. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Cresconium Com. metallorum.

Perpensa deliberatione duximus sanciendum, vt quicumque exercitium metallorum vellet adfluere, is labore proprio & sibi & reipublicæ commoda cõpararet. Itaque si qui sponte confluxerint, eos laudabilitas tua octonos scripulos in balluca cogat exsoluere. Quidquid autem amplius colligere potuerint, fisco potissimum distrahant, à quo conpetentia ex largitionibus nostris pretia suscipient. Dat. IIII. Id. Decemb. Parisis, Valentiniano & Valente AA. COSS.

IIII. Idem AA. ad Germanianum Com. S. L.

Ob metallicum canonem, in quo propria consuetudo retinenda est, quattuordecim vncias ballucæ pro singulis libris constat inferri. Dat. VI. Id. Ian. Rom. Lupicino & Iouiano COSS.

V. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. Fortunatiano Com. R. P.

Nullam partem Romani orbis credidimus relinquendam, ex qua non metallarij, qui incolunt latebras, producantur, & quos domus nostræ secreta retinent, & in conprehẽdẽdis eis inuestigatores eorum Rectores cõgruis auxiliis prosequantur. Dat. Prid. Kalend. Maij. Antiochiæ, Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

VI. Idem AAA. ad Probum PF. P.

Si qua nauis metallarium ad Sardiniam transtulerit, gubernator ipsius, vel magister quinos pro singulis hominibus solidos cogatur inferre. Dat. Prid. Non. Iun. Martiatici, Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

VII. Idem AAA. ad Probum PF. P.

Quemadmodum dominus noster Valens per omnem Orientẽ eos, qui ibidem auri metallum vago errore sectantur, à possessoribus cunctis iussit arceri: ita sinceritas tua vniuersos per Illyricum & diœcesim Macedonicam prouinciales edicto conueniat, vt nemo quemquam Thracem vltra in possessionem propria putet esse celandum, sed vt singulos potius regredi ad solum genitale conpellant quos inde venisse cognoscunt. Alioquin grauis in eum animaduersio proferetur qui latebram huiusmodi hominibus post hæc interdicta præbuerit. Data XIIII. Kalendas April. Treu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

VIII. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus, AAA. ad Senatum.

Potestatem eruendi vel exsecandi de priuatis lapidicinis iampridem per Macedoniam & Illyrici tractum certa sub condicione permisimus: sed vobis, patres conscribti, volentibus liberalius deferetur, suo vt quisque sumptu suóque emolumento vectigalis operas & portorij damna non metuens pariat eam copiam, &c. Lecta in senatu Id. Aug. Valente V. & Valentiniano AA. COSS.

VIIII. Idem AAA. ad Vindicianum V. C. Vicarium.

Datis ad inlustres viros præfectos Galliarũ & Italiæ, litteris, primùm metallarios præcipimus admoneri ne eis nouelli statuti quod fuerat elicitum, priuilegio transeundi ad Sardiniam spes Inproba blãdiatur: deinde prouinciarum

quæ mari alluuntur, Iudices sciẽtes fieri, vt vniuersorum nauigatio huiusmodi hominum generi clauderetur: ita, vt si aurileguli trãsfretare temptassent seueritate Iudicis audaciæ suæ ferrent digna supplicia. adficiendis etiam pœna custodibus, si neglegentia nauigandi hisdem copiam præbuissent, ita vt hæc non sine periculo suo Rectores prouinciarum neglegenda meminerint. Dat. XVIII. Kal. Septemb. Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

X. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Floro PF. P.

Cuncti, qui per priuatorum loca saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino repræsentẽt, cetero modo suis desideriis vindicando. Dat. IIII. Kal. Septemb. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

XI. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Hij, quibus ad exercenda metalla priuata diues marmorum vena consentit, excidendi exsecandíque iuxta legem dudum latam habeant facultatem, ita vt decima pars fisci nostri vtilitatibus, decima ei, cuius locus est, deputetur. quidquid verò reliquum fuerit, id iuxta eiusdem legis tenorem exercẽtibus cedat, habituris licentiam vendendi, donandi & quò voluntas suaserit, transferendi. Dat. III. Non. Octob. Constantinop. Richomere & Clearcho COSS.

XII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Romulo Com. S. L.

Per annos singulos septeni per hominem scripuli largitionibus inferantur ab aurilegulis non solum in Pontica diœcesi, verumetiam in Asiana. Dat. XI. Kal. Mar. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

XIII. Idem AAA. Rufino PP. P.

Priuatorum manus ab exercendo quolibet marmoreo metallo prohiberi præcipimus, vt fiscalibus instantia locis liberior relaxetur. Si qui verò clandestino opere vetita deinceps exercere temptauerit, omne id, quidquid exciderit, iuri fisci & publico vindicandum. Dat. Prid. Id. Feb. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XIIII. Idem AAA. Paterno.

Quosdam operta humo esse saxa dicentes, id agere cognouimus, vt defossis in altum cuniculis, alienarum ædiũ fundamenta labefactent: qua de re, si quãdo huiusmodi marmora sub ædificiis latere dicantur, perquirendi eadẽ copia denegetur, ne dum cautium emẽtita nobilitas, cum ædificiorum qualitate taxatur, & pretium domus, ne diruatur, offertur, non tam publicæ rei studium quàm priuati causa videatur fuisse dispendij. Dat. XVII. Kal. April. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio CONS.

INTERPRETATIO. *Quicũque metallum dicentes latere sub alienis ædificiis quælibet saxa vel marmora effodienda crediderint, vt per eos fundamentorum firmitas incipiat vacillare, his inquisitionis huius licentiam denegamus, nedum nobiliores lapides se quærere adserunt, aut vendere, aut subuertere aliena fundamenta præsumant.*

XV. Imp. Theod. A. Maximino Com. S. L.

Metallarij, qui ea regione deserta, ex qua videntur oriundi, ad externam migrarũt, indubitanter ad propriæ originis stirpem larémque reuocẽtur. Eorum autem earúmque progenies qui ex domibus priuatorum eligere maluerunt consortia nuptiarum, de qua inter fiscum meum, & parentes suos æqua lance diuidatur:

diuidatur:ita vt qui singulorum tantummodo filiorum probabuntur esse genitores, ex integro vnicis fisco affectibus cedant in posterum cunctis metallariorum condicionem necessario secuturis, quicumque ex ipsis & ex quocumque fuerint latere procreati. Qui verò metallica loca prædictæ obnoxia functioni emisse perhibentur, hisdem proculdubio, quæ auctores eorum implere cõsueuerant, muniis subiacebũt. Nam de his qui ad census annonarios trãsierunt, obseruandum est, vt illi qui ante quinquennium tantummodo nexibus priuatorum videntur inpliciti, sine dubio ad originem propriam redire cogãtur, ex æquo cum publicis fundis eorum subole diuidẽda, & vnico filio metallariorum origini vindicando, omni tamen ceteris in futurum huiuscemodi licentia arte præclusa. Quòd si quis postea illud quod nunc prohibetur, fecerit, sciat nullum exinde præiudicium fisco esse generandum, etiamsi is quem metallicum esse constabit, priuatis censibus suum nomen indiderit. Dat. v. Id. Iul. Constantinop. Victore v.c. cons.

De murilegulis & gynæcuariis & monetariis & bastagariis. Tit. XX.

I. Imp. Constantius A. ad Bithynos.

Monetarios in sua semper durare condicione oportet, nec dignitates eis perfectissimatus tribui, vel ducenæ, vel centenæ, vel egregiatus. Dat. XII. Kal. August. Gallicano & Basso coss.

II. Imp. Constantius A. ad Taurum P.P.

Quinque auri librarum multam exigatur, qui mancipium gynæcei, quod celat, non intra Kal. Septemb. prodiderit. Dat. XIIII. Kal. April. Med. Datiano & Cereale coss.

III. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Germanum Consularem.

Ingenuæ mulieres, quæ se gynecuariis sociauerint, si conuẽtæ denuntiatione sollemni splendorum generis contuberniorum vilitati præferre noluerint: suorum maritorum condicione teneantur. Dat. IIII. Kal. Iul. Med. Valentiniano & Valente AA. coss.

IIII. Idem AA. ad Auxonium P.P.

Quod ad præsens remedium pertinet, decimum animal bastagariis pro reparatione præbeatur. Dat. Id. Decemb. Marcianop. Valentiniano & Valente AA. coss.

V. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA.
Filematio Com. S. L.

Si quis vxorem de familiis cõchylegulorum acceperit, sciat condicioni eorundem se esse nectendum. Dat. IIII. Kalendas Iul. Treu. Gratiano A. II. & Probo coss.

VI. Idem AAA. ad Modestum.

Opifices vestis linteæ contexendæ in vsu erogationum nostrarum operam dantes, sollicitatos à plurimis esse cognouimus. Igitur & eos, penes quos sunt, & textores ipsos terna auri põdo thesaurorum cõmodis inferre præcipimus. Quinetiam opifices ipsos textrinis linteæ vestis vindicari conueniet. Quòd si aliquis detegetur in eadem insolentia permanere & iugiter opificem detinuerit, non iam multam, vt præterito tempore iusseramus, sed proscribtionem

ſubire debebit. Dat.v. Kal.Iul. Modeſto, & Arintheo COSS.

VII. Idem AAA.ad Filematium Com.s.L.

Qui aliquem ex familiis gynæceij in latebris habere conperti ſunt, quinque librarum auri damno ſubicientur. Dat.XII.Kal.Septembr. Ciliciæ, Modeſto & Arintheo COSS.

VIII. Idem AAA.ad Tatianum Com. s.L.

Intra Kalendarum Auguſtarum diem, qui linteones retentare dicuntur, antiquis eos condicionibus reddant, aut ſe pro ingentis audaciæ cõtumacia quinis auri libris per ſingulos eorum pœnæ nomine ſciant eſſe feriẽdos: non minore circa eos etiam multæ cõminatione propoſita, qui obnoxios Scythopolitanos lynifos publico canoni in poſterum ſuſcipere conabuntur. Dat. XIIII. Kal.Mart. Antiochiæ, Gratiano A.III. & Equitio COSS.

VIIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Eucherium.

Qui textrini noſtri mãcipia occultatione celauerit: ternis libris auri pro ſingulorum hominum ſuppreſſione plectatur. PP. Kartha. III. Kal. Mar. Poſt conſulatum AuxonI & OlybrI.

X. Idem AAA.ad Heſperium P.P.

Edicimus, ne qua mulier ſplendidioris gradus monetarij adhærẽs conſortio, decus natiuæ libertatis amittat. Quod ſi quam ab hac pręceptione ſtatutũ noſtræ perennitatis abduxerit, ea ſecundum auctoritatem ſenatuſconſulti Claudiani, vel legitima admonita cõuentione diſcedat, vel ſi conplexui monetarij putauerit inhęrendum, non ambigat ſe & liberis præiudicaturam, & eius cõdicioni eſſe nectẽdam. nihilominus autem & eas, quæ ante legẽ noſtram monetariis videntur eſſe coniunctæ, placuit prædicto titulo conueniri, ſcientes niſi interdicta coniunctione diſceſſerint, mutaſſe ſe ſtatum. Si qua verò originaria ſeu colona poſſeſſionis alienæ ignaro domino, ſeu ſciẽte, monetario adſociabitur: hij cõuenti mox iuri agrorum debitas perſonas retrahere feſtinẽt, vel de cetero ſciant repetendi facultatem, ſilentij ſui cõhibentiam perdidiſſe. Sed vt monetario nullam necti volumus, ita & monetario patre ſuſceptas prohibemus extraneis copulari. Dat. Prid. Id.Mart. Aquil. Poſt conſulatum AuxonI & OlybrI.

XI. Idem AAA. Trifolio Com.s.L.

Aeternam fiximus legem, ne vmquam baſtagariis militiam vel ſuam deſerere liceat, vel aliam ſubreptiua inpetratione temptare. Et tribuni qui ſcientes huiuſmodi milites ad numerum receperint, per ſingulos baſtagarios ſingulas auri libras fiſco cogãtur inferre. & ſuper hoc dedimus litteras ad inluſtres Magiſtros vtriuſque militiæ. Dat. VIIII. Kalend. Aug. Heracleæ, Richomere, & Clearcho COSS.

XII. Idem AAA. ad Principium P.P.

Si quis nauiculam functioni muricis & legẽdis conchyliis deputatam auſus fuerit vſurpare, duarum librarum auri inlatione teneatur. Dat. VI. Kal. Octob. Aquil. Arcad. A.I. & Bautone COSS.

XIII. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Filometori Com. s.L.

Lotas in poſterum ſericablattæ ac metaxæ huiuſmodi ſpecies inferri præcipimus, viginti librarum auri condemnatione propoſita his qui ſcrinium canonum

nonum tractāt, prioribus etiam eiusdem officij, si statuta cælestia à quoquam passi fuerint temerari. Dat. v. Kalend. Iul. Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo COSS.

XIIII. Imp. Theod. A. & Valentinianus Cæs. Maximino Com. S. L.

Murileguli qui relicto adque despecto propriæ condicionis officio, vetitis se infulis dignitatum & cingulis penitus denegatis munisse dicuntur, ad propriæ artis & originis vincla reuocentur. Ab illis autem qui rebus eorum videntur inhiasse, quos in sua origine permanere & sollemnibus ministeriis inseruire manifestum est, omnia quæcumque constiterit, ex quocumque titulo possessa antiquis possessoribus restituantur. Quòd si alienigenæ detentatores oneribus condicionis externæ maluerint subiacere, quam restituere facultates & futura deinceps agnoscant munia sibi esse subeunda & de præterito, si quá ipsis possidentibus reliqua colliguntur, à semetipsis sciant sine aliqua excusatione soluenda. Dat. XVII. Kal. Nou. Constātinop. Victore CONS.

XV. Idem A. & Cæs. Maximino Com. S. L.

Hij qui ex filiabus murilegulorum & alienæ originis patribus sunt vel fuerint procreati, iura maternæ condicionis agnoscant. Dat. VIIII. Kalend. Iun. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS.

XVI. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Acacio Com. S. L.

Si quis ex corpore gynæciariorum vel lineariorū, siue lynifariorum, monetariorum ac murilegulorum, vel aliorum similium ad diuinas largitiones nexu sanguinis pertinentium, voluerint posthac de suo collegio liberari, non quoscumque nec facile in locum proprium freti dexteræ triumphalis absolutione substituant, sed eos quos omnibus idoneos modis sub ipsis quodammodo amplissimæ tuæ sedis obtutibus adprobarint. Ita tamē, vt is qui ab huiusmodi condicione iuxta formam cælitus datam beneficio principali fuerit absolutus, vniuersam generis sui prosapiam in functionem memorati corporis permanentem cum omnibus eius qui absoluitur rebus obnoxiam largitionibus sacris futuram esse non dubitet. Dat. VII. Kal. Mar. Constantinop. DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. COSS.

XVII. Idem AA. Valerio Com. S. L.

Placet si conchyliolegulorum filiæ condicionis alienæ nubserint viris, qui ex ipsis fuerint procreati, ab eo tempore nexū maternæ adscribtionis agnoscant, ex quo promulgatam super hoc cognouerint legem. De his verò quos ante eam natos esse constiterit, huiusmodi forma seruetur, vt siue conchyliolegulorum, seu adscribtorum progenies fuerit colonorum, paternam tantùm condicionem sequantur. Si qui verò post legem aut patre conchyliolegulo geniti probabuntur, aut matre, memoratæ adscribtioni obnoxios se esse non ambigant. Dat. X. Kal. April. Constp. Hierio & Ardabure COSS.

XVIII. Idem AA. Apollonio Com. S. L.

Quoniam trecentas pene libras blattæ sericæ clandestina fucatione, non sine læsæ maiestatis crimine coloratas & adæratum conchylij non minimum pondus patefactum est, quæstione prodente, quibus sollemniter artibus, quibus cōsciis, ac ministris metaxa tinguebatur, cum priuata & fiscalis æqualiter publico murice tinguebatur, purpuræ nundinas, licet innumeris sint Consti-

tutionibus prohibitæ, recenti quoque interminatione vetamus & dispositione inlustris memoriæ Synesij reuocata, quæ perperam infirmata est ab inlustri memoriæ Anisio, à quo subreptum nobis est veritate celata septimum de scrinio canonũ, quintum de scrinio tabulariorũ ad Basia Fenicis per certum tempus mitti pręcipimus, vt fraus omnis eorum prohibeatur sollertia timentium, ne quæsitis multo sudore stipẽdiis careant, etiam viginti librarum auri condẽnatione proposita. Dat. VIII. Id. Mar. Cõstp. Isidoro & Senatore COSS.

De vestibus olouereis & auratis. Tit. XXI.

I. Impp. Valentinianus, & Valens AA. Archelao Com. S. L.

AVratas ac sericas paragaudas auro intextas tam viriles quàm muliebres priuatis vsibus contexere conficeréque prohibemus, sed gynæceis tantùm nostris fieri præcipimus. Dat. V. Non. Iul. Nebiodumi. Acc. XV. Kalendas August. Marcianop. Valentiniano NP. P. & Victore COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Floro P. P.

Nemo auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas. Non enim leui animaduersione plectetur, quisquis vetito se & indebito non abdicarit indutu. Dat. III. Kal. April. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

III. Imp. Theod. A. Maximino Com. S. L.

Temperent vniuersi, qui cuiuscunque sunt sexus, dignitatis, artis, professionis & generis, ab huiusmodi speciei possessione, quæ soli principi eiúsque domui dedicatur. Nec pallia tunicásque domi quis serica cõtexat aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permixtione subtexta sunt. proferantur ex ædibus, tradantúrque tunicæ & pallia ex omni parte texturæ, cruore infecta cõchylij, nulla stamina subtexantur tincta conchylio, nec eiusdem infectionis arguto pectine solidanda fila decurrant, reddenda ærario olouera vestimenta protinus offerantur: nec est, vt quisquam de abiurato pretio conqueratur. quia sufficit calcatæ legis inpunitas, nec vacet illi curare de quæstu, cui sua salus esse non debet in pretio. Ne quis verò hunc huiusmodi suppressione in laqueos nouæ Cõstitutionis incurrat, alioquin ad similitudinem læsæ maiestatis periculum sustinebit. Dat. XVII. Kal. Feb. Cõnstp. Victore V. C. CONS.

De fabricensibus. Tit. XXII.

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. Tatiano Com. S. L.

CVm senæ per tricenos dies ex ære tam aput Antiochiã, quàm aput Constãtinop. à singulis barbaricariis cassides, sed & bucculæ tegerentur, octo verò aput Antiochiam cassidas totidémque bucculas per dies triginta, & tegerent argento & deaurarent, apud Constantinop. autẽ tres solas statuimus, vt Constãtinopoli quoque non octonas singuli cassidas per tricenos dies, sed senas si pari numero buccularũ auro argentóque condecorent. Dat. V. Id. Mar. Antiochiæ, Grat. A. III. & Equitio COSS.

II. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Tatiano P. P.

Omnibus fabricis non pecunias pro speciebus, sed ipsas species sine dilatione inferri in perpetuum seruanda hac forma præcipimus, vt venæ nobiles & quæ facile deducatur ignibus seu liquescat ferri materies, præbeatur, quò

promptius

promptius adempta fraudibus facultate, commodo publico cōsulatur. Dat. xv. Kal. Nou. Theod. A. II. & Cynegio coss.

III. Idem AAA. Rufino Magistro Officiorum.

Primicerium fabricæ post biennium non solùm vacatione, verum etiam honore donari præcipimus, ita vt inter protectores adoraturus æternitatem nostram suo quisque tempore dirigatur. Dat. VIII. Id. Mar. Med. Valentiniano A. IIII. & Neotherio coss.

IIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Osio Magistro Officiorum.

Stigmata, hoc est nota publica fabricensium brachiis ad imitationem tironum infligatur, vt hoc modo saltem possint latitantes agnosci his qui eos susceperint, vel eorum liberis sine dubio fabricæ vindicandis, & qui subreptione quadam declinandi operis, ad publicæ cuiuslibet sacramenta militiæ transierunt. Dat. XVIII. Kal. Ian. Constp. Honor. A. IIII. & Eutychiano coss.

V. Idem AA. Anthemio Magistro Officiorum.

Si quis posthac fabricensem admiserit procuratorem vel cultorem sui prædij detinuerit, conductorémve susceperit rei, quàm cōtra vetitum fabricensi crediderit iniungendam, proprietate priuetur, ea videlicet fiscalibus calculis socianda. Ipse verò fabricensis qui contraxerit legis offensam, multæ duarum librarum auri feriatur. Dat. III. Kal. August. Constantinop. Honor. A. VI. & Aristeneto coss.

VI. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

Si quis consortium fabricensium crediderit eligendum in ea vrbe qua natus est, vel in qua domicilium conlocauit, his quorum interest conuocatis primitus acta conficiat, sese doceat non auo non patre curiali progenitum, nihil ordini ciuitatis debere, nulli se ciuico muneri obnoxium, atque ita demum gestis confectis vel aput moderatorem prouinciæ, vel, si is absit, aput defensorē ciuitatis, ad militiam quam optauerit suscipiatur. Quod si absque hac cautione quispiam ad fabricensium consortium obrepserit, sciat se ad ordinis cui debetur patriæque suæ munera esse reuocandum, ita vt nulla eum nec temporis, nec stipendiorum prærogatiua defendat. Dat. XV. Kal. Iun. Constantinop. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. coss.

De classicis. *Tit.* XXIII.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. Auxonio PF. P.

CLassem Seleucenam aliásque vniuersas ad officium, quod magnitudini tuæ obsequitur, volumus pertinere, vt classicorum numerus ex incensetis vel adcrescentibus conpleatur, & Seleucena ad auxilium purgandi Orontis aliásque necessitates Orientis Comiti deputetur. Data indictione XII.

De his, qui cum dispensatore contraxerunt. *Tit.* XXIIII.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Probum PF. P.

SI quis ab exactoribus tabulariis, arcariis, officiísve rationū vel alio cui fiscalium thesaurorum tutela mandetur, fenebrem pecuniam sumpserit, detectus in eodem ad quadrupli pœnam ex hac auctoritate teneatur. Dat. IIII. Id. Mart. Treu. Valentiniano & Valente AA. coss.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Palladio Com. S. L.

Sciant omnes neque dandi neque accipiendi mutuo ex largitionibus sacris auri patere cuiquam facultatem. Quòd si quis aurum ex nostro ærario priuatis commodis profuturum occultè aut cautionis aut sponsionis fide vt debitor redditurus, acceperit, ablatis bonis omnibus perpetuæ deportationis subdetur exilio. Is etiam qui ex memoratis thesauris sub specie publici creditoris aurum cuiquam commodarit, ac dederit, capitali sententia subiugetur. Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ, Eucherio & Syagrio coss.

III. Idem AAA. Palladio Magistro Officiorum.

Aurum quod à prouincialibus sine cunctatione persoluitur, nundinatione consumitur. Pœnis itaque se vltimis quicumque harum machinatores prædarum detegi prodíque potuerint, se nouerint subiugandos: nisi dimėso itineris spatio susceptum à prouinciali officio aurum traditum sacris largitionibus nuntiarint. Insuper si decem vltra diebus aurum quod percurso itinere potuerit inferri detentum, vel à prosecutoribus, vel à palatinis fuerit deprehensum, binarum ex toto centesimarum inlationi se sentiant obligatos. PP. Prid. Kal. Decemb. Byrito, Eucherio & Syagrio coss.

De priuilegiis domus Augustæ. Tit. XXV.

I. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Anthemio PF. P.

AD omnem fraudem amputandam procuratores per singulas quasque prouincias nobilissimarum puellarum filiarum mearum aput fidem gestorum prẹsentibus cẹsualibus ac principalibus quos huius imminutionis oneribus premi non dubium est, exponant numerum iugorum ad memoratarum domus † pertinentium, & pro eo tantùm inlustribus priuilegiis ac debitis potiátur, ita vt ex veri fide breuibus prębitis & à Rectoribus prouinciæ mox relatis, quæ eos excusare debere conueniat, conlatis rationibus cognoscant. Dat. Kal. Decemb. Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo v. c. coss.

† re. domuũ im.

De conductoribus & hominibus domus Augustæ. Tit. XXVI.

I. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Basso PF. P.

COnductores hominésve augustissimæ domus nostræ nullum cuiuslibet nomen militiæ vsurpent, nullius cingulo dignitatis vtantur, ne ex hoc sibi erigendi supercilij fastus sacro nomini nostræ pietatis oriatur inuidia: sed quotiens de causa ad domum regiam pertinente aliquid quæstionis emergit, non aliter quàm ex legũ ordine quibus similiter omne hominum genus tenetur, vel excipiant vel inferant actionem, nec aliorum litigatorum negotio intercedant, nec sententiam iudicantum aut inlicito patrocinij sui fomite iura conturbent, nullíque exsecutionis suæ turbulẽtum ministerium audeant commodare: non priuatis se negotiis, non publicis misceant, nec quiescentem domum delatio vlla sollicitet, ne eos inconsultæ pertinaciæ serò pœniteat. Dat. Prid. Non. Mart. Rau. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. coss.

II. Idem

II. Idem AA. ad Senatum Vrb. Romæ. Post alia.

Cóductores domus nostræ ab omni militiæ priuilegio submouemus. Viuant æqua sorte cum ceteris, nec vmquam si ratio poscat examinis seueritatem iudiciariam, vllo cinguli frustrabuntur obiectu, sed potiùs pari disceptationis euentu in omnibus causis legibus seruiant, quibus tenentur & principes. Dat. III. Non. Ian. Rom. DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. COSS.

CODICIS THEODOSIANI LIBER VNDECIMVS.

De annona & tributis. *Tit. I.*

I. Imp. Constantinus A. ad Proclianum.

PRÆTER priuatas res nostras, & Ecclesias Catholicas, & domũ clarissimæ memoriæ Eusebij exconsule, & exmagistro equitum & peditum, & Arsacis regis Armeniorum, nemo ex nostra iussione præcipuis emolumẽtis familiaris iuuetur substantiæ. Datianus enim v.c. patricius, qui hanc olim gratiã fuerat consecutus, auferri sibi id cum tanta instãtia depoposcit, cum quanta alij poscere consuerunt. Ideóque omnes pensitare debebunt, quæ manu nostra delegationibus adscribuntur, nihil amplius exigẽdi. Nam si qui Vicarius aut Rector Prouinciæ aliquid iam cuiquam crediderit remittendum, quod aliis remiserit, de propriis dare facultatibus compelletur. Dat. XV. Kalend. Iul. Constantinop. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

II. Idem A. ad Ælianum Proc. Afric.

Possessores cùm satisfecerint publicæ conlationi, cautiones suas ad tabularios publicos deferant, vt eas tabularij siue sexagenarij periculi sui memores suscipiant à conlatoribus ipsas species quæ debentur ex horreis suis ad ciuitates singulas per mẽses singulos perlaturis: ne inlatio tributorum ex solis apochis falsis vel imaginariis cognoscatur, & cetera. Dat. Kal. Nou. Treu. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

III. Idem A. Gregorio PF. P.

Manu propria Iudices vniuersi periculo suo annonarias species & cetera quæ indictione penduntur, definitis quantitatibus & conprehensis modis facta adscribtione designent, cuius obseruantiæ illa erit commoditas, vt post successionem quoque eorũ facilè requiratur, an exactores, vltrà quàm oportuit, de fortunis Prouincialiũ aliquid exculpere voluerũt. Dat. VII. Id. Octob. Nepotiano & Facundo COSS.

IIII. Imp. Constantinus A.

Si quis ab emphyteuticariis seu patrimoniali possessore priuati iuris quip-

piam comparauerit, cuius substátia alias possessiones sustentare consueuerat, & succisis quasi quarúdam virium neruis reliqua lababuntur, earum possessionum onera subiturus est, quæ penes distractores inutiles permanebunt. Dat. III. Id. Decemb. Thessal. Feliciano & Titiano COSS.

V. Idem A. ad Vranium.

Omnes omnino ad oblationem pecuniarum oportet vrgueri. Lege enim nostra signatum est nec esse extraordinaria nec vocari quæ specialiter à Prouincialibus deuotissimis conferenda sunt. Dat. III. Non. Feb. Constantio A. II. & Constante COSS.

VI. Impp. Constantius & Constans AA. Ordini Cæsinatium.

Vinum quod ad cellarij vsus ministrari solet, cuncti Italiæ possessores iuxta statutum Constantij fratris mei conparent. Quod vt fieri faciliùs possit, ab omnibus Italis nostris cóferatur pecuniæ quantitas ea, quam Rufini viri clarissimi & inlustris præfecti prætorio parétis amicíque nostri moderatio dádá esse censuerat. Dat. XI. Kal. Iun. Med. Constátio VII. & Cóstante III. AA. COSS.

VII. Idem AA. ad Senatum.

Conpertum est pro colonis profugis ad exsoluenda vos fiscalia conueniri. Iubemus igitur si nihil ex eorundem terris Senatorum quemquam possidere constiterit, vt nulla cuiquam pensitandi pro his qui aufugerint necessitas inponatur. Dat. V. Non. Maij. Tauro & Florentio COSS.

VIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P. V.

Nemini aurum pro speciebus vrbis Romæ liceat exigere de futuro. Dat. Id. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VIIII. Idem AA. ad Mamertinum. PF. P.

Tabulariorum fraudes se resecasse per suburbicarias regiones vir clarissimus Anatolius Consularis missa relatione testatus est: quòd pabula, quæ hactenus ex eorum volútate atque arbitrio ad mutationes mansionésque singulas animalibus cursui publico deputatis repente atque inprouisè solebant conuehi, nunc in consilio, ratione tractata, pro longinquitate vel molestia itineris ab vnoquoque oppido, certo ac denunciato tempore deuehi ordinauit: quod iubemus, vt etiam per omnes Italiæ regiones pari ratione seruetur. Dat. prid. Non. Mar. Treu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

X. Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric.

Omnes qui per Africam opulentas desertásve centurias possident, ad integrum professionis modú necessitati publicæ satisfaciant. Dat. XVI. Kal. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XI. Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric.

Pro loco ac proximitate possessionum annona ad limitem transuehatur: quæ iussio haut difficile capit effectú, si tabularij metu præsentium tormentorum à consuetis fraudibus arceantur. Dat. XV. Kal. Iul. Med. Valentiniano & Valente COSS.

XII. Idem AA. ad Fauentium. Vic. Ital.

Quisquis ex desertis agris veluti vagos seruos liberalitate nostra fuerit consecutus, pto fiscalibus pensitationibus ad integrá glebæ professionem, ex qua videlicet serui videantur manere, habeatur obnoxius. Id etiá circa eos obseruari volumus, qui ex huiusmodi fundis seruos ad possessiones suas trásire permiserint

miserint, etiam si militares viri aliquos ex his penes se retentant, conueniendi primitus sunt, vt aut restituant, quos perperam petiuerunt, aut sciant pro tributis obnoxios se futuros. Dat. prid. Kal. Aug. Med. Valēt. & Valēte AA. COSS.

XIII. Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric.

Placuit per singulos quosque annos reliqua eorum, qui Romæ consistentes in Africa possident missis breuibus indicari, eosdémque compelli, vt procuratores instructos ad officium tuæ sinceritatis pro celebranda solutione transmittant. Vt autem nihil de transmissione ac peruectione obscuritatis oriatur, tabularios præfecti annonæ Afric. sed & Vrb. Romæ ad officium quod sollertiæ tuæ paret, deduci pręcipimus, conlaturos aput acta quid transmissum, quid peruectum sit: cuius rei indicia manere & perferri ad scrinia nostra debebunt, eo nihilominus curando, vt plena instructio ad officium inlustris præfecturæ prętorianæ deferatur. Dat. XV. Kal. Nou. Parisis, Acc. XV. Kalend. Feb. Karthag. Post Cons. Valentiniani & Valentis AA.

XIIII. Idem AA. ad Modestum PF. P.

Penes quos fundorum dominia sunt pro his colonis originalibus, quos in locis hisdem censos esse constabit, vel per se, vel per actores proprios, recepta compulsionis sollicitudine, implēda munia functionis agnoscant. Sanè quibus terrarum erit quantulacumque possessio, qui in suis conscripti locis proprio nomine libris censualibus detinentur, ab huius præcepti commonitione discernimus. Eos enim conuenit propriæ commissos mediocritati annonarias functiones sub solito exactore cognoscere. Dat. Kal. Maij, Constantinop. Gratiano A. & Dagalaifo COSS.

XV. Idem AA. ad Probum PF. P.

Vnusquisque annonarias species pro modo capitationis & sortium præbiturus (per quaternos menses anni curriculo distributo) tribus vicibus summā conlationis implebit. Si verò quisque vno tempore omnia sua debita optat expendere, proprio in adcelerandis necessitatibus suo vtatur arbitrio. Dat. XIIII. Kal. Iun. Remis, Gratiano & Dagalaifo COSS.

INTERPRETATIO. *Ista lex hoc præcipit, vt in inferendo publicis horreis tritico, quod debet possessor pro rata canonis sui tribus illationibus, id est, quaternis mensibus singulas debitorum partes acceleret, vt per annum summa debiti canonis impleatur. Erit autem in ipsius arbitrio, si celerius potuerit debita frumenta conuehere.*

XVI. Idem AA. ad Dracontium.

Prouinciales nostri tributa fiscalia per anni curriculū tripertita satisfactione restituant. Dat. VIII. Kal. Nou. Nicomediæ, Post consulatum Gratiani A. & Dagalaifi.

XVII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Crescentem Vic. Afric.

Heredes scribti etiam pro minus idoneis fundis fiscale onus cogātur agnoscere: vel si renuntiandum hereditati putent, cedant his omnibus rebus quas ex hisdē bonis quocumque titulo & iure perceperint. Dat. IIII. Id. Iul. Contionaci, Gratiano A. II. & Probo COSS.

INTERPRETATIO. *Hij qui heredes testamento scripti sunt, hereditariorum agrorum onus, id est, tributum cogantur agnoscere. Quod si hereditatem sibi damnosam credunt, cedant hiis omnibus rebus quæ eis de hac ipsa hereditate poterunt prouenire.*

XVIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Populum.

Quisquis possessor aut maximæ dignitatis, aut infimæ, annonæ vrbis æternæ annuam pensitationem soluendo moram dilationis adtulerit, eius anni atque indictionis exordio, quæ nouum denuo annonæ commeatibus poscit obsequium, duplum protinus etiam graui coactus incommodo restituere cogatur, aut si forte non profecerit, etiam geminati debiti in adceleranda solutione correctio quadrupli deinceps etiam proprij dilapidatione patrimonij vestræ liberorúmque vestrorum alimoniæ profuturis ingratus & degener ciuis exsoluat. Dat. VII. Kal. Ianuar. Aquil. Syagrio & Eucherio COSS.

XVIIII. Idem AAA. Post alia.

Id quod in titulis debitis sub præstatione confertur auraria, non aliter nisi scientibus defensoribus detur, quo sub eorum conscientia (sicut & antè præceptum est) soluantur debita, securitatésque reddantur, custodita sanctione emissę primitus legis, quo apocharum vel securitatum, quæ restituentur, digesta signatio cùm à susceptoribus dabitur, & formam indictionis teneat, & manifestationem eius, quæ fuerit exacta, præstationis ostendat. Dat. prid. Kal. Feb. Byritho, Richomere & Clearcho COSS.

XX. Idem AAA. ad Principium PF. P.

In fraudem annonariæ rei, ac deuotionis publicæ elicitum damnabili obreptione rescriptum manifestum est vires non posse sortiri. Circa omnes igitur par atque æqualis inlationis forma teneatur. Dat. VIII. Kal. Octob. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XXI. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio PF. P.

Nemo possessorum ad instruendas másiones vel conferendas species excepta limitaneorum annona longiùs delegetur: sed omnis itineris ac necessitatis habita ratione. Dat. X. Kalend. Ianuar. Constantinop. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XXII. Idem AAA. Cynegio P. P.

Mediterraneæ ciuitates antea maritimis & maritimæ mediterraneis onerabantur expensis, vt plus haberet dispendij translatio, quàm deuotionis inlatio. Hoc non solùm in præsens, verum etiam in posterum prohibemus ea lege, vt se vltimo nouerint supplicio puniendos, qui ista commiserit. Dat. III. Non. Septemb. Valentiæ, Honor. NB. P. & Euodio COSS.

XXIII. Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius, AAA. Rufino PF. P.

Ærariæ præstationis adiectio quam citra priscam consuetudinem Prouincialium humeris Tatianus inposuit, à cunctis penitus salubri moderatione remouenda est. Dat. prid. Id. Iun. Constãtinop. Theodosio A. IIII. & Abundantio COSS.

XXIIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Ennoio suo Sal.

Textrinis vel gynecæis ex more à corporatis Karthaginis species solitas præstari cognouimus, sed inmodica pro hisdem reddi pretia, quod in dispendium nolumus fieri corporatorum: atque ideo sublimitas tua pretiorum modum statuat. Dat. XII. Kal. Ian. Mediol. Olybrio & Probino COSS.

XXV. Idem AA. Mineruio Com. R. P.

Obsistere commodis publicis & statutis necessitatibus non possunt priuilegia

legia dignitatum, vnde vt quisque prædij emolumenta consequitur, si non euoluto anni spatio intra sex menses omnem cui esse constrictus dicitur, reliquorũ intulerit cumulum, ad ipsos qui sunt domini prædij, exactionem volumus pertinere PP. in programmate Vari viri clarissimi Vicarij vrb. Rom. Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

XXVI. Idem AA. Vincentio PF. P. Gall.

Omni amoto priuilegio beneficiorum, possessores sublimitas tua præcipiet vniuersos muneribus adstringi, earum scilicet prouinciarum ex quibus orta querimonia est, aut in quibus hæc retinendæ plebis ratio adscribtióque seruatur: nullum gratia releuet, nullum iniquæ partitionis vexet incommodum: sed pari omnes sorte teneãtur. ita tamen vt si ad alterius personam transferatur prædium, cui certus plebis numerus fuerit adscribtus, venditi onera nouellus possessor conpellatur agnoscere: cum plebem constet non tam in omnibus prædiis adscribendam, neque auferendam ab eo, cui semel posthac deputata fuerit, &c. Dat. XIII. Kal. Iul. Med. Theodoro V.C. CONS.

XXVII. Idem AA. Saluino Com. R. P.

Opulentos quos annua solutione debitas inferre conuenerat pensiones, cum eo quod resedit indebitum, quadruplum iubemus inferre. hij verò quos fortè mediocritas à contumaciæ huius excusat inuidia, simplam debiti summam omni maturitate redhibere cogantur. quos tamen oportuerat pro media saltem præceptionis condemnatione retineri, qui ad soluenda rei nostræ debita restiterunt. Dat. Id. Nou. Rau. Stilicone & Aureliano COSS.

XXVIII. Idem AA. Pompeiano Procons. Afric.

Veterani terras censibus obligatas, vt cognouimus, vindicarũt, pro quibus tributum soluere dedignantur. Quoscunque igitur insertas censibus terras tenere fuerit deprehensum, ilicò ad soluenda tributa conpelli præcipimus. Dat. prid. Kal. Ian. Med. Stilichone & Aureliano COSS.

XXVIIII. Idem AA. Prouincialibus prouinciæ proconsularis.

Perpensa cura statuimus, vt non amplius vobis aliquid extra ordinem indicetur, quàm rei annonariæ necessitas ac deuotio postularit. Si quid verò de eodem modo diuersarum specierum potuerit redundare, futuræ iussimus inlationi proficere, scilicet vt in locis propriis conlata frumenta possessor dependat, vt vicenis solidis, qui in prȩteritum pro equis curatoriciis petebãtur, duo solidi detrahantur, ita vt Proconsularis Numidiæ cognoscat octonos & denos solidos pro singulis equis debere persoluere. Byzaceni etiam Tripolitaníque cognoscãt quinos denos pro singulis equis se debere præstare. sportularum autem nomine quæ Comiti sacri stabuli præstabantur, nihil penitus inferendum. Dat. prid. Kalend. April. Med. Vincentio. & Frauitta COSS.

XXX. Imppp. Arcadius, Honorius & Theod. AAA.
Sapiadiano Vic. Afric.

Super mutando canone à quolibet inpetrata rescribta vacuentur: & si quid deinceps ausus fuerit quæ prohibemus, postulare, in duplum teneatur obnoxius. Nam cùm in priuatis causis quæ contra leges fuerint elicita, cassentur: rectiùs in publicis negotiis quæ aduersum vetera decreta extorta fuerint, submouemus. Dat. prid. Non. Septemb. Altino, Arcadio A. VI. & Probo COSS.

XXXI. Impp. Honor. & Theod. AA. Seleucho PF. P.

Possessor Africanus pro destitutis possessionibus cogetur tributa dependere: quod ne accidat, hac definitione sancimus, nullũ possessorem neque munificum prædium pro alienis debitis, vel destitutione esse detinẽdum. Neque eorum prædiorum depectione † prægrauari, quæ ex hisdem bonis quæ retinent, nequaquàm esse mõstrantur: ne vllis præstigiis atque cõmentis exactio mutiletur. Electos igitur inspectores iam nunc censuimus esse mittendos, vt eorum relatione integro canoni & inlibatę pensitatione sollemni, quatenus prouideri debeat, æstimetur. Dat. Prid. Kal. Feb. Rau. Honor. VIII. & Theod. V. AA. COSS.

† rg. defe-ctione.

XXXII. Idem AA. Euchario Proconsul. Afric.

Inlationem omnem auri vel argenti à possessoribus in Karthaginiẽsi vrbe poscendam esse decernimus, in qua oportunitas est (si deprædator fraudium pareat) Iudicis adeundi, ne cui sit facultas apochas abnegari, cum deuotio cognitori potuerit aperiri, scilicet remotis omnibus qui ad exactionẽ Prouincialium exquisita lucra captare festinant. Dat. prid. Kalend. Mart. Rau. Honorio VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

XXXIII. Imp. Theod. A. Isidoro PF. P. Illyrici.

Id ab vnaquaque prouincia censuimus expetendum, quod ab hisdem nuper esse promissum tua sublimitas indicauit. Vt verò nullus de ceterò ad possessiones eorum (quod maximè reformidãt) inspector accedat, Macedonum reliqui exemplum secuti mediæ quãtitatis, vt obtulisse noscuntur, tributa suscipiant. Sed Achiui qui protestati sunt nihil à se vltra tertiã partẽ posse conferre, illud exsoluant, ad quod se indubitanter fore idoneos pollicentur. Quæ dispositio in perpetuum obseruanda, initio indictionis octauæ congruum sumere debebit exordium, sacrosancta Thessalonicensis ecclesia ciuitatis excepta: ita tamen vt apertè sciat propriæ tantummodo capitationis modum beneficio mei numinis subleuãdum: nec externorũ grauamine tributorum rempublicam ecclesiastici nominis abusione lædendam. Dat. VI. Id. Octob. Constantinop Victore V. C. CONS.

XXXIIII. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Celeri suo Sal.

Numquam pro dissimulatione Iudicum compulsore aut opinatore Africanus possessor mittatur in prædam: sed quattuor mensium ab edicti publicati die indutiis datis, aurum à possessore capitolio, studio spontaneæ deuotionis sancimus inferri. Vltra id tempus si tarditas adferatur, tũc militi debiti postulati delegãdam esse rationem, quæ pietatem nostram viri spectabilis Bubuli Comitis & legati decernere coëgit eloquium. Dat. V. Kalẽd. Mart. Post cons. Felicis & Tauri.

XXXV. Idem AA. Volusiano PF. P. Post alia.

Ne Prouinciales (ad quorum vtilitates spectat omnis hæc nostra prouisio) à deuotione reuocet nimia securitas & soluẽdi voluntas, cessent necessitates, submota ea quæ nostro ærario pensitantur, hac ratione dissoluent, vt omni modo antè quàm elabatur indictio, annua tributa gratus beneficiis nostris possessor exsoluat. Si quis verò solutionem voluerit in tempora lõgiora differre, hũc prouinciæ Rector omni exactionis aceruitate compellat, & cetera. Dat. XVI. Kalend. Mar. Rau. post cons. Felicis & Tauri.

XXXVI. Idem AA. Flauiano PF.P.

Excepto patrimonio pietatis nostræ (cuius quidem reditus necessitatibus publicis frequẽtissime deputamus) vniuersos possessores functionis in canonicis & superindictitiis titulis absque vllius beneficij exceptione agnoscere oportere censemus. Igitur tua sublimitas pragmatici nostri statuta custodiẽs indifferenter cunctum possessorem, obnoxium videlicet publicæ functioni, ad subeunda designatione distributa conpellet. Dat. III. Kalend. Maij, Rau. Basso & Antiocho coss.

XXXVII. Idem AA. Dario PF.P.

Præteritis vtcumque impetrata sunt in suo statu manẽtibus, quoniam munificentiam principalem nefas est reuocari in posterum (excepto Cyro reuerentissimo Afrodiẽsium ciuitatis Episcopo, cuius tanta sunt merita, vt etiam contra generalem huiusmodi sanctionem speciali beneficio perfrui nõ vereatur) quicumque per adnotationem nostram in auro voluerit tributa dependere communicata æstimatione quinquennij sterilitatis ac fecunditatis, pro foro rerum venalium habita ratione, ex eadem summa, quæ eiusdem quinquennij perpẽsis frugibus colligitur, partem quintam pro annis singulis soluere conpellãtur. Dat. V. Kal. Septemb. Apameæ, Isidoro & Senatore COSS.

Tributa in ipsis speciebus inferri. *Tit. II.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P.V.

SCias inhibitam esse apochandi licentiam, ita vt ne ex præsenti aut futuro vel præterito sub hoc titulo nummus à Prouincialibus postuletur. PP. pridie Idus Aug. Valentiniano & Valente AA. COSS.

II. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Commoda cogitantes vrbis æternæ, vini speciem ita Prouinciales statuimus conportare, vt apochãdi præsumptione damnata vina Romam portentur, intantúmque populi vsibus profutura prouisionis nostræ emolumenta porreximus, vt etiam pretio laxamenta tribuantur. Sanximus quippe, vt per vini singulas qualitates detracta quarta pretiorum quæ habetur in foro rerũ venalium, eadem species à mercantibus conparetur. Dat. X. Kal. Nou. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

III. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Probianum P.V.

Vinum quod sollemnis expressio popularibus commodis ex Prouincialium collectione desiderat, ilicò suscipiatur aduectũ, vt erogationis pro tempore cura præstetur, vt ea vina populi vsibus erogentur quæ natura sua processu temporis ferre non possunt: quod peræquè in omni vino quod ex vrbicaria regione confertur, obseruandum esse censemus. Dat. XV. Kalẽd. Octob. Treu. Gratiano A. IIII. & Merobaude COSS.

IIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA.

Earum rerum quæ in præbitionibus canonicis vel debitis ex more poscuntur, non sunt pretia specierum, sed ipsæ quæ postulãtur species inferendæ: scilicet, vt (quod maximum est, & vnde omnis solet querela procedere) in annonario quoque titulo species annonarias soluãt: neque subtaxationib' pretiorum dispẽdiosis occasionibus adquiescãt. Nam & accipientem & dantem

inlicitæ transactionis reatus inuoluet, & cetera. Dat. prid. Kal. Feb. Biritho, Richomere, & Clearcho coss.

v. Imppp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. Cynegio PF. P.

Ne quis pro speciebus annonariis pecunias existimet inferendas, scientibus cunctis, quòd si quis contra hanc serenitatis nostræ legem captiosum aliquid putauerit perpetrandũ, securitatibus hoc modo editis eos esse carituros. Dat. xv. Kal. Ian. Constantinop. Timasio & Promoto. coss.

Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse. *Tit. III.*

I. Imp. Constantinus A. ad Antonium Marcellinum Præsidem Prouinciæ Lugdunensis primæ.

REi annonariæ emolumenta tractantes, vt cognosceremus quanta reliqua per singulas quasque prouincias, & per quę nomina ex huiusmodi pensitationibus resedissent, cognouimus hãc esse causam maximè reliquorum, quod nonnulli captati aliquorum momentarias necessitates sub hac condicione fundos opimos coNparent & electos, vt nec reliqua eorum fisco inferant, & immunes eos possideant. Ideóque placuit, vt si quem constiterit huiusmodi habuisse contractum, atque hoc genere possessionem esse mercatum, tam pro solidis censibus fundi comparati, quàm pro reliquis vniuersis eiusdem possessionis obnoxius teneatur. Dat. Kalend. Iul. Agrippinæ Constantino A. v. & Licinio C. coss.

II. Idem A. Acacio Com. Macedoniæ.

Mancipia adscribta censibus intra prouinciæ terminos distrahantur, & qui emptione dominiũ nacti fuerint, inspiciendum sibi esse cognoscãt, id quod in possessione quoque seruari rationis est, sublatis pactionibus eorundẽ onera ac pensitationes publicæ ad eorum sollicitudinem spectent, ad quorum dominium possessiones eædem migrauerunt. Dat. III. Kal. Mart. Thessal. Constantio & Maximo coss.

III. Idem Iulianus A. ad Secundum PF. P.

Omnes pro his agris quos possident, publicas pensitationes agnoscant, nec pactionibus contrariis adiuuentur, si venditor aut donator aput se conlationis sarcinam pactione inlicita voluerit retinere: & sic necdum trãslata sit professio censualis, sed aput priorem fundi dominium fortè permaneat, dissimulantibus ipsis, vt non possidentes pro possidentibus exigantur. Dat. XIII. Kal. Mar. Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Sallustio coss.

INTERPRETATIO. *Fundum nullus audeat comparare, sed omnes pro hijs agris qui ad eos quoquo modo peruenerint, publici canonis impleant functiones, nec de solutione tributi cuicunque liberum sit pacisci, sed siue donetur ager siue vendatur, factus dominus integra rei tributa suscipiat.*

IIII. Idem A. Edictum. Post alia.

Dominum qui fructus capit, tributa exigi iustum est. Dat. III. Kal. Mart. Iuliano A. IIII. & Sallustio coss.

v. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Tatiano PF. P.

Quisquis alienæ rei quoquomodo dominium consequitur, statim pro ea parte qua possessor fuerit effectus, censualibus paginis nomen suum postulet adnotari, ac se spondeat soluturũ, ablatáque molestia de auctore in succedentem

tem capitatio transferatur Dat. xv. Kalend. Octob. Constantinop. Tatiano & Symmacho coss.

INTERPRETATIO. *Quicunque cuiuslibet rei dominium quolibet ordine acquisierit, continuo pro ea parte qua possessor effectus est, publicis libris nomen suum petat ascribi, ac se promittat tributum agri cuius possessor est, soluturum, vt remota de auctore, id est, de priore domino inquietudine, in præsentem dominum solutio transferatur.*

Ne conlatio per logografos celebretur. *Tit. IIII.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Modestum PF. P.

SI quis conlator iugationem suam logografo commiserit, eam fisco nouerit vindicandam: quidquid etiam, vel in pretiis, vel in speciebus, aut aurum ordinem delegationis oblitus prætermissis susceptoribus aut horreis ad logografos detulerit, omne hoc amissurum se esse cognoscat & exactionem à se debito ordine deposcendam. Officiales autem qui ex huiusmodi commerciis aliquid fuerint accepisse detecti, quæ auaritia præcipitante captarant, exerta dupli animaduersione redhibebunt: ipsis dumtaxat logografis in pristinæ condicionis discrimine permansuris, si quidem his pro omnibus pœnis sufficiat adsiduo tormentorum periculo subiacere. Dat. Prid. Non. April. Seleucia, Modesto & Arintheo coss.

De indictionibus. *Tit. V.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Pompeiano Proconsf. Afric.

ID tantùm quod est necessarium, intra Africam militibus consistentibus prouincialibus iubemus indici, ac iuxta matricularum fidem quod exigit ratio postulari, ita vt si quid erogationibus redūdarit in speciebus diuersis vel præbitione vecturisque, id futuræ indictioni conlationique proficiat. Dat. v. Kal. April. Vincentio & Frauitta coss.

II. Impp. Honorius, & Theod. AA. Palladio PF. P.

Omnes omnino quocunque ex titulo possidentes quod delegatio superindicti nomine videtur amplexa, velut canonem cogantur inferre: & ne qua sit dubietas, hac aperta definitione decernimus, vt id potius canonis vocabulo postuletur. Nulla igitur domus vel sacri patrimonij, vel emphyteutici iuris, vel hominum priuatorum, etiam si priuilegium aliquod habere doceâtur, ab hac necessitate seiuncta sint, quæ iam non extraordinarium (vt hactenus) sed ipsis facientibus canonicum nomen accepit. Dat. VII. Id. Ian. Rau. Theod. A. VII. & Palladio coss.

III. Impp. Theodosius, & Valentinianus AA. Isidoro PF. P.

Cùm omnis hoc Ægyptiaci tractus possessoribus conducibile videatur, vt ante Kal. Mai prædelegatio manifestetur in locis, ne per ignorantiam cōlatores ad anni prioris exemplum ante delegationem missam ea cogantur exsoluere quæ postmodum indebita missa delegatione forsitan prouocauit euentus, scriniariis videlicet sedis excelsæ modis omnibus ordinata salubriter im-

pleturis, ita vt augustaliani officij & cohortalis, & defensoris discrimine in locis celeberrimis per dismenstruum tempus ad omnium perueniat notionem, Dat. Prid. Non. Iun. Constantinop. Isidoro & Senatore coss.

IIII. Idem AA. Dario PF. P.

Particulari delegationum notitia ante indictionis exordium singulis transmissa prouinciis conlationis modum à possessoribus multo ante prospectum deuotionis solitæ non subitis calumniis tua sublimitas faciat imputari, vt & Prouincialibus subeundi dispendia necessitas auferatur, & officiis ingerendi damna licentia denegetur. Dat. v. Kal. Sept. Apameæ, Isidoro & Senatore coss.

De superindicto. *Tit. VI.*

I. Impppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Proconsules Vicarios, omnésque Rectores.

Nihil superindictorum nomine ad solas præfecturæ litteras quisquam Prouincialis exsoluat: neque vllius omnino indictionis titulus etiam sollemnis immineat, nisi eum nostro confirmata iudicio & imperialibus nexa præceptis sedis amplissimæ deposcat indictio & cogat exactio. Dat. VII. Kal. Iun. Med. Antonio & Syagrio coss.

INTERPRETATIO. *Ista lex præcipit, vt nullum per Rectores prouinciæ superindictum Prouincialibus imponatur, nisi forte ex hac re processisse præceptio dominica cõprobetur: tunc enim id quod superindictum est aut peti aut exigi poterit, quando à rerum domino cognoscitur constitutum.*

De exactionibus. *Tit. VII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Aelianum Proconsf. Afric. Post alia.

Dvcenarij & centenarij, siue sexagenarij, non prius debent aliquem ex debitoribus conuenire, quàm à tabulario ciuitatis nominatim breues accipiant debitorum. quam quidem exactionem sine omni fieri concussione oportet, ita vt si quis in iudicio questus, quod indebitè exactus est, vel aliquam inquietudinem sustinuit, hoc ipsum probare potuerit: seuera in exactores sententia proferatur. Dat. Kal. Nou. Treu. Constantino A. III. & Licinio IIII. coss.

II. Idem A. ad Pacatianum Vic. Britanniarum.

Vnusquisque decurio pro ea portione cõueniatur, in qua vel ipse, vel colonus, vel tributarius eius conuenitur, & colligit: neque omnino pro alio decurione, vel territorio conueniatur. Id enim prohibitum esse manifestum est, & obseruãdum deinceps, quo iuxta hanc nostram prouisionem nullus pro alio patiatur iniuriam. Dat. XII. Kal. Dec. Constantino A. & Licinio C. coss.

III. Idem A. ad Populum.

Nemo carcerem plumbatarúmque verbera, aut pondera aliáque ab insolentia Iudicum repperta supplicia in debitorum solutionibus, vel à peruersis, vel ab iratis Iudicibus expauescat. carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est officialium, & cum denotatione eorum Iudicum quorum de officio coherciti citatiores esse debebunt, qui contra hanc legem admiserint: securi iuxta

iuxta eã transeant solutores. vel certè si quis tam alienus ab humano sensu est, vt hac indulgentia ad contumaciam abutatur, contineatur aperta & libera & in vsus hominum cõstituta custodia militaris, si in obdurata nequitia permanebit, ad res eius omnémque substantiam ciues eius accedant, solutionis obsequio cum substantiæ proprietate suscepto: qua facultate præbita, omnes fore credimus proniores ad soluenda ea quæ ad nostri vsus exercitus pro communi salute poscuntur. Dat. Kalend. Febr. Constantino A. VI. & Constantino Cęsare COSS.

IIII. Idem A. ad Afros.

Quoniam sub clamatione vestra meritò postulastis, ne qua his qui præstationes fiscales differũt, reliquorum laxitas proueniret, specialiter præcipimus obseruari, vt res eorum, qui fiscalibus debitis per cõtumaciam satisfacere differunt, distrahantur, comparatoribus data firmitate perpetua possidendi, &c. Dat. XV. Kal. Iun. Serdicæ, Constantino & Maximo COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque agrorum suorum tributa implere contemnent, agri eius qui tributa sua contemnet exsoluere, ab exactore vendantur, & qui comparauerint, firmo iure hoc ordine empta possideant.*

V. Imp. Constantius A. Nemesiano V. P. Com. larg.

Quotiens quis & priuati debitor inuenitur, & fisci arreptus ab vno officio, teneatur ad vniuersi debiti solutionem, qui eum abstulit, coartetur, ac totius summæ exactionem in se suscipiat, qui eundem euellendum abstrahendúmque crediderit. Dat. IIII. Id. MaI, Nizebi, Amantio & Albino COSS.

VI. Idem A. ad Eustathium PF. P. Post alia.

Actores ceteríque rei priuatæ nostræ ad solutionem specierum solemnium debiti vigoris auctoritate cogantur, ne Prouinciales rei priuatæ nostrę fatiget immunitas. Dat. VIII. Id. Mar. PP. Rom. Limenio & Catullino COSS.

VII. Impp. Constantius, & Constans AA. Bibulenio Restituto Præsidi Sardiniæ.

Prouinciales pro debitis, plumbi verbera vel custodiam carceris minimè sustinere oportet: cùm hos cruciatus non insontibus, sed noxiis constitutos esse noscatur. Satis verò sit debitorem ad soluendi necessitatem capione pignorũ conueniri. Dat. VIII. Idus Decemb. Thessall. Constantio VI. & Constante III. AA. COSS.

VIII. Idem AA. ad Taurum PF. P.

Exactiones prouinciarum quas Rectores, aut Præfecti annonæ, aut Rationales per Africam sustinent, à maioribus Iudicibus vsurpari non debent, sed ab his solis impleri quibus cura exactionibus imminet. Dat. IIII. Non. Septemb. Dinummæ, Acc. Prid. Id. Nou. Karthag. Arbitione & Lolliano COSS.

VIIII. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Dracontium Vic. Afric.

Ducenarios ab exactione Prouincialium, secundum Constitutionem sacræ memoriæ Constantij, probabilis sinceritas tua iubebit arceri. Dat. III. Id. MaI, Hadrianop. Acc. VIII. Kal. Octob. Karth. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

X. Idem AA. ad Florianum Cons. Venetiæ.

Die solis qui dudum faustus habetur, neminem Christianum ab exactori-

bus volumus conueniri, contra eos, qui id facere ausi sunt hoc nostri statuti periculum sancientes. Dat. XI. Kal. Mai. Treu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XI. Idem AA. ad Florianum Com. R. P.

Omnes prouinciis præsidentes iussimus conueniri, vt à rei nostræ conuentione cessarent, ne principales necessitates in publicum proferentes eadem, qua hactenus in colonos iniquitate sæuirent. Illud etiam moderationi adiecimus, vt tripertita esset inlatio fiscalium pensionum, sinceritas tua Rationales procuratorésque commoneat, vt quidquid pro iugatione vel capitatione deposcitur, certátibus studiis deuotionis exsoluát. Dat. VIII. Kal. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Constantiano Vic. Ponticæ.

Potentiorum possessorum domus officium prouinciæ Rectoris exigere debet. Decurio verò personas curialium conuenire, minores autem possessores defensor ciuitatis ad solutionem fiscalium pensitationum spectata fidelitate compellere. Dat. V. Non. Mai. Merob. II. & Saturnino COSS.

XIII. Idem AAA. ad Principium PF. P.

Solis die quem dominicum ritè dixere maiores, omnium omnino litium & negotiorum quiescat intentio: debitum publicum priuatúmque nullus efflagitet, ne aput ipsos quidem arbitros, vel è iudiciis flagitatos, vel sponte delectos vlla sit agnitio iurgiorum, & non modo notabilis, verum etiam sacrilegus iudicetur, qui à sanctæ religionis instinctu ritúve deflexerit. PP. III. Non. Nou. Aquil. Honorio NB. P. & Euodio COSS.

XIIII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AA. Rufino PF. P.

Apparitores quicumque in conlatione auri præcepti fuerint officij sui adhibere seruitium, titulorum debita, & cōlationum summas, relationis suæ fide, & adnotatione præscribát: sitque ex officialis instructione officium cōscium, quid exactum, quídve perlatum esse videatur: ne longinqui itineris diuersitate susceptor abductus & curiæ suæ desit, & rei familiaris detrimenta sustineat. Dat. pridie Idus April. Constantinopoli, Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XV. Impp. Arcad. & Honor. AA. Messalæ PF. P. Post alia.

Quoniam plerique callidis precibus rescribta impetrasse dicuntur, ne à solitis conpulsoribus exigantur: præsenti iussione monemus, ne prætento velut quodam beneficio clementiæ nostræ quidquam in exactione celebranda vetustati & consuetudini derogetur. Dat. IIII. Kalēd. Octob. Altino, Theodoro V. C. CONS.

XVI. Idem AA. Hadriano PF. P.

Missi opinatores cum delegatoriis Iudicibus eorúmque officiis insistant, vt intra anni metas id quod debetur accipiát. Nihil his sit cum possessore commune, cui non militem, sed exactorem, si sit obnoxius, cōuenit imminere. Iudices itaque, qui Prouinciales passi fuerint opinatoribus delegari, eiusdē quātitatis duplex pœna retinebit: & apparitores ex quolibet officio sententiā deportationis excipient, si per semet exigendos voluerint delegare militibus: & curiales temporale manebit exilium, si eos, quos sollemniter exigere consuerunt,

runt, opinatoribus putauerint esse tradendos: cùm Iudicem oportet inquirere debitores tabularios, fideliter prodere nomina dominorum, apparitores siue curiales consuetudine seruata regionum conuictis debitoribus imminere, vt perceptis congruis emolumentis, opinatores impleto anno ad proprios numeros valeant remeare. Qui si vltra annum protracti Iudices fuerint & officia, absque vlla mora de proprio cogentur exsoluere militibus quod debetur, ipsis aduersus obnoxios repetitione seruata. Quod si ad nos aliqua de retentis opinatoribus querela peruenerit, in duplum ab his protinus exigetur, vt partem debitam miles, reliquum fiscus accipiat. Iudicibus quoque eorúmque officiis eatenus subuenimus, vt in contumaces debitores cuiuslibet dignitatis auctoritatem suam exerant: ac si INpudenter solutio differatur, actores procuratores eorúmque prædia persequantur, de eorum quoque nominibus ad nostram scientiam relaturi. Dat. III. Id. Iul. Med. Vincentio & Frauitta COSS.

XVII. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

Neque Agentes in rebus, neque sacrarum priuatarum, vel largitionum palatina officia, ex quacumque causa, ex quocumque titulo fiscalis debiti, cum ad prouinciam mittuntur, possessores per se audeant conuenire: siue id ex præterito reliquum trahatur, seu præsentis temporis tributo solui conueniat: sed Rectores prouinciarum frequenter adeundo commoneant eorúmque officiis incumbant. Quod si Rector prouinciæ imminentem sibi memoratorum declinare molestiam quæret, vel qualibet alia ratione hisdem propria auctoritate publicæ exactionis permiserit curam, tam ipse, quàm officium eius vicena auri pondo fisco dependent. Dat. VII. Id. Decemb. Constantinop. Basso & Philippo COSS.

XVIII. Idem AA. Anthemio PF. P.

Largitionalium titulorum exactionem palatinorum obsequiis vetustatis more consecratum iuxta priscam consuetudinem celebrari censemus, recèns conditæ legis in hac parte auctoritate sequestrata, quæ ritu vetustatis neglecto, palatinæ munera dignitatis intempestiua legatorum Achiuorum admonitione abstulerat. Ideóque huius statuti præceptionem per quam palatinos veteri exigendi functioni constrinximus, commoniti Rectores obseruent. Dat. V. Kalen. Octob. Constantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

XVIIII. Idem AA. Euchario Proconsf. Afric.

Tertiam partem canonis fundorum priuatorum, vel sextam emphyteuticorum ex Kal. Mar. (sicut consuetudo deposcit) reliquam verò canonis summam ex Kal. Iul. par erit postulari: ne præpostera exactione possessor ad redimendam conuentionis cogatur iniuriam, & cetera. Dat. Prid. Kal. Mar. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

XX. Idem AA. Euchario Proconsf. Afric. Post alia.

Constituto tempore publicè apud Karthaginem in secretario admisso populo exactorum ordinabuntur idoneæ strenuæque personæ. De quibus si popularis accusatio vlla processerit, in eorum locum alios par erit destinari: ita vt seuera indagatione, si in concussione possessorum deprehensi fuerint, ilico & capitali periculo subiaceant, & direptorum quadrupli pœna ex eorum patri-

monio eruetur. Iudices autem triginta librarum auri multæ aceruitate sciant se esse plectendos: nisi ea quæ salubriter ordinata sunt, necessaria deuotione conpleuerint. Dat. pridie Kalend. Mart. Rau. Honorio VIIII. & Theodosio V. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex præcipit, exactores ad exigendas tributarias functiones idoneos esse mittendos, ita vt si de hijs populi vlla accusatio processerit, id est, querella deposita fuerit, in eorum loco alij dirigantur, vt habita diligenti inquisitione, si in dispendia Prouincialium de superexactionis crimine conuinci potuerint, & capitali periculo subiaceant, & eorum facultatibus in quadruplum quæ sunt superexacta reddantur. Iudices vero prouinciarum* XXX. *librarum auri se nouerint pœna feriendos, si ea quæ statuta sunt implere neglexerint.*

XXI. Idem AA. Euchario suo Sal.

Graue & contra rerum ordinem iudicamus, vt idem municeps & ciuitatis necessitatem, & exactoris publici subire cogatur officium. Quod ne contingat, generali lege sancimus cognitoris cuius interest iussioni ad prædia mansuetudinis nostræ, vel quæ sub fisci nomine cœperint retineri moderanda, vel ex suo corpore idoneos quosque dare debere, vel ex his si qui perfuncti sacramento militiæ absolutione potiuntur. Ab his namque conuenit, à quibus ratio ob prædam discuti consueuit, administrationem sustinere huiuscemodi prædiorum. Iudicibus itaque atque officiis pœnam quinquaginta librarū auri inponimus, nisi commodè obtemperauerint definitis. Dat. prid. Kal. Mart. Rau. Honorio VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

De superexactionibus. *Tit. VIII.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Cæsario PF. P.

SI quis exactorum superexactionis crimen fuerit confutatus, eandem pœnam subeat, quæ diui Valētiniani sanctione dudum fuerat definita. Capitis namque periculo posthac cupiditas amouenda est, quæ prohibita totiēs in hisdem sceleribus perseuerat. Dat. prid. Non. Mart. Constantinop. Cæsario & Attico COSS.

II. Idem AA. Apollodoro Proconsf. Afric.

Quidquid vltra debitum elicitum fuerat, eruatur: quod prouinciæ restitui protinus oportebit. Dat. prid. Id. Mart. Stilicone & Aureliano COSS.

III. Impp. Honor. & Theod. AA. Cæciliano PF. P. Post alia.

Velut licito committi frequenti læsorum deploratione didicimus, vt maioribus subiectis mensuris atque ponderibus graui possessor damno quatiatur. Iubemus vt cura & sollertia defensorum hoc fieri à susceptoribus non sinant, deprehensósque ad iudicium dirigāt, cùm ipso cōmissæ fraudis indicio idem fieri notum est: vt Prouincialibus nostris contestari iniurias suas cupiētibus actorum cōfectio à defensoribus, ordinibus, curatore & magistratibus denegetur. Idque gratia tribuatur eorum, quos rationabiliter intellexerint arguendos. quod ne accidat, nouerint cuncti Prouinciales, quotiēs petitam sibi actorum copiam à memoratis viderint denegari, querelæ propriæ libellum conscriptum, eo tenore quo fuerat, contestandum, in frequentioribus ciuitatum locis adfigendum, cōueniendósque scribas, tabularios, & cetera officia publica cōmonēda, per quæ libellum colligi oportebit, atque inuitis suprà memoratis

ratis perſonis ſub actorum cõfectione ingeri,quorum quæſtione fides poſſit inquiri,quæ probata in eos quos geſtorum petitam cõfectionem negaſſe cõſtiterit, vigor iudiciarius exeratur. Dat.XII.Kalen.Febr.Rau.Honorio VIII.& Theod.III.AA. COSS.

De diſtrahendis pignoribus, quæ tributorum cauſa tenentur. Tit. VIIII.

I. Imp. Conſtantinus A. *

QVoniam deceſſoris tui litteræ miſſæ ad Proculianum tribunum & magiſtrum officiorum continent quorundam Prouincialium mãcipia abducta pro pignore ſub officio retineri, eo quòd veſtes canonicas,vel equos minimè intulerunt,atque hæc mancipia,neque dominos ſolutis debitis recepiſſe,neque alios comparaſſe veritos, ne hæc reſcinderetur diſtractio:iubemus duorũ menſium ſpatium ad ſoluẽda debita mancipiorum dominis indulgeri:quo † tranſactionis debita fuerint perſoluat firmiter mancipia comparabunt , quicunque ad emptionem acceſſerint.PP. prid.Kal.Ian.Caſtulone,Seuero & Rufino COSS.

† ex.tranſacto niſi

II. Imp. Conſtantius A.ad Egnatium Fauſtinum Preſidem Beticæ.

Si quis fundum,vel mancipia ob ceſſationem tributorum, vel etiam ob veſtium,auri argentíque debitum,quæ annua exactione ſoluuntur , occupata, cõuento debitore,&aput Iudicem interpellatione celebrata,cum ſolutio ceſſauerit,ſub haſta diſtracta comparauerit:perpetuam emptionis accipiat firmitatem.Cum ſi minoris fortè perſona fuerit inſerta,neceſſe ſit quempiam legitimæ defenſionis indiguiſſe perſona,præſertim cùm ad iuris etiam præſentis & veteris æquitatem,illud quoque indulgendum eſſe ducamus,vt ſcilicet par condicio etiam in hac pignorũ capione ſeruetur quæ ob fiſcale debitum fuerint occupata,nihílque interſit, vtrúmne officiũ ſummæ rei vel procuratoris, an certè Rector prouinciæ id quod debitum fuerit,deleget,ſi etiam in hac debitores fortè ceſſauerint condicione iuris expreſſa.Dat.prid. Id.Decemb.Feliciano & Titiano COSS.

Ne operæ à conlatoribus exigantur. Tit. X.

I. Imp. Valentinianus , Valens & Gratianus AAA.ad Viuentium PF.P.

OPerarum præbitionẽ quæ inlicitè à Prouincialibus hactenus expetita eſt,ſinceritas tua ceſſare præcipiat.Nullum autem qui caupona vel propola , vel tabernaria lucrum familiare ſectetur , cum animalia quibus proſecutio debeatur , aduenerint, ſi collegiati numero INpares videbũtur,ab hoc obſequio eſſe patiatur.Melius enim eſt, vt otioſorũ ſit iſta ſedulitas,quàm ipſas quoque perdat vrbes triſtis abductio ruſticorum. Dat.x.Kal.Mart.Treu.Valentiniano NB.P.& Victore COSS.

II. Idem AAA. ad Catafronium Vic.Italiæ. Poſt alia.

Operas ad proſecutionem equorum,vel diuerſorum neminem Prouincialium præbere permittimus,quia non ignoramus per vniuerſas Italiæ ciuitates eſſe quamplurimos & hũc eſſe morem,vt quotiens INpares videntur,qui pro-

† *videtur deesse funguntur.*

secutionis officio† maiore animalium numero repente veniente tabernariis oppidorum hoc iniungatur obsequium. Causam verò pontis Liquentiæ nolumus nostris præiudicare decretis, videlicet, ob reparationem eiusdem aliquis numerus excusatus habeatur: sed ita eum instaurari oportet, vt à possessoribus ciuitatis eius territorio suo, quotiens vsus poposcerit, reformetur. Dat. XVIII. Kal. Septemb. Valentiniano & Valente III. AA. COSS.

Ne damna Prouincialibus infligantur. Tit. XI.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Probũm PF. P. Illyrici.

SI qui eorum, qui prouinciarum Rectoribus obsequuntũr, quíque in diuersis agunt officiis principatus, & qui sub quocũque prætextu muneris publici possunt esse terribiles rusticano cuipiam, necessitatem obsequij, quasi mancipio sui iuris, inponat, aut seruum eius, vel forsitan bouem in vsus proprios necessitatésque conuerterit, siue xenia aut munuscula quæ canonica ex more fecerunt, extorserit, vel sponte hæc, quæ inprobata sunt, oblata non refutauerit: sublatis omnibus facultatibus, vltimo subiugetur exitio: & nihilominus rusticanum, qui se in eiusdem operas sponte propria detulisse responderit, par pœnæ seueritudo constringat. Eadem verò circa eos censura seruetur, qui xenia aut munera deferri sibi à possessoribus cogunt, aut oblata non respuunt. Dat. prid. Kal. Octob. Agrippinæ, Valentiniano & Valente AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quicunque ex hijs qui prouinciarum Rectoribus coniunguntur, aut militant, vel qui agunt in diuersis officiis principatus, vel quicunque sub occasione publici actus videntur esse terribiles, rusticano alicui necessitatem seruitij, velut sui iuris mancipio imposuerint, aut seruum ipsius, aut bouem in sui operis vtilitatem transtulerint, siue xenia, aut qualibet munera crediderint exigenda, vel si oblata non recusauerint, vltimo exilio deputantur, & rerum suarum amissione damnantur.*

De immunitate concessa. Tit. XII.

I. Imp. Constantinus A. ad Marcellinum.

PVblicus ac noster inimicus diuersis immunitatem dederat, iugorũ capitationibus, & professionibus amputatis. Iubemus ergo, vt omnibus omnino hæc priuilegia derogentur. Dat. III. Kal. Maij, Acyndino, & Proculo COSS.

II. Imp. Iulianus A.

Omnes omnino quicumque capitationis indulgentiam immunitatémque meruerunt, non solùm ex annonario titulo, verumetiam ex speciebus ceteris, atque largitionibus excepti sunt, immunésque erunt. Neque enim præstanda diuidimus. Melius quippe est munificentiæ compendium integrum conpetere, quam sæpius postulari. Dat. prid. Kal. Maij, Constantinop. Mamertino & Neuitta COSS.

III. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Florentium Com. S. L.

Omnium rerum ac personarum quæ priuatam degunt vitam, in publicis fũctionibus æqua debet esse inspectio. Hoc ideo dicimus, quia nõnulli priuatorum elicitas suffragio proferũt sanctiones, quibus vectigalia, vel cetera eiusmodi

modi quæ inferri fisco moris est, sibi adserant esse concessa. Hoc si quãdo militibus nostris, hísve qui in palatio nostro degunt, præstamus adprobãtibus se sacramentis militaribus adtineri: quod concessimus firmum sit atque robustum. Ceterum si quis priuatorum eiusmodi rescribtione nitatur, cassa eadem sit. Vectigalium enim non parua functio est, quæ debet ab omnibus qui negotiationi, seu transferendarum mercium habent curam æqua ratione depẽdi. Dat. x. Kal. Mart. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

IIII. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Basilio Com. S. L.

Salubribus licet antè prospectum meminerimus oraculis, vt eorum penitus vacuaretur obreptio qui largitionalibus quippiam commodis derogantes, absque palatini officij notione veniam debitæ quantitatis mansuetudinis nostræ absolutione meruerunt: iterandæ tamen copiam præceptionis amplectimur, vt præiudicio segregato non triplum modò, cui primitus videbatur obnoxius, verumetiam quadruplum dispendio digniore exsoluat. Prælata literis viri inlustris Com. sacrarum largitionum III. Id. Iun. Honor. VII. & Theod. II. AA. COSS.

Si per obreptionem fuerint impetrata. Tit. XIII.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Probum PF. P.

PRiuilegia omnia paucis concessa personis in perniciem plurimorum, in irritum deuocentur: omnesque huiusmodi inmunitates, quacumque ambitione meruerunt, ad æquale prouincialium ceterorum consortium reducãtur: prositque iugatio reipublicæ hactenus suspensa, & in quo libètiùs adquiescant, proprio, æquanimitatem docemus exemplo, id contemptui haberi quod inmune hactenus habeatur. facilè persuademus ab omnibus faciendum esse quod fecimus. Igitur sinceritas tua idipsum per omnem Italiam, tum etiã per vrbicarias Africanásque regiones, ac per omne Illyricũ prælata oraculi huius auctoritate firmabit. Dat. IIII. Kal. Feb. Med. Merob. II. & Saturnino COSS.

De conditis in publicis horreis. Tit. XIIII.

I. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Volusianum P. V.

CAuens ne vrbaniciani officiales annonariis necessitatibus misceantur, omnia participe præfectura annonaria disponas, ac iubeas ad curam propria reuocari. Ante omnia autem quæ in horreis habentur, expendi volumus, ita vt non priùs ad id frumẽtum tẽdatur expensio quod sub præfectura tua vrbis horreis infertur, quàm vetera condita fuerint erogata. Si fortè vetustate species ita corrupta est, vt per semet erogari sine querela non possit, eidem ex noua portione misceatur, cuius adiectione corruptio velata damnum fisco nõ faciat. Ad istud autem negotium arbitratu ac tuo iudicio nobilis, prudens, fidelis, optimè sibi conscius, pro integritatis meritis adponatur custos ac mensor qui vel frumenta modio metiatur, vel iustis æstimationibus colligat, quanta habeantur in condito. Dat. VI. Id. April. Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Florentino P. V.

Nihil prius ex horreis consequantur, quàm omnis canon qui antiquitus est

institutus, fuerit conpletus, cognoscente officio vrbicariæ præfecturæ decem libris auri esse multandum, si quæ decreuimus fuerint temerata. Dat. VI. Kal. Ian. Med. Arcad. III. & Honor. III. AA. COSS.

III. Idem AA. Anatolio PF. P. Illyrici.

Nulli posthac horreaticas species contingendi copia præbeatur. Sin verò quisquam temerator horreorum extiterit, qui sibi ex prædictis aliquid audeat vsurpare, hâc pœnam sciat nostro arbitrio definitam, vt deportationis pœnæ subiectus, totius substantiæ cogatur subire iacturam. Dat. VII. Id. Iul. Constantinop. Cæsario & Attico COSS.

De publica comparatione. *Tit. XV.*

I. Imp. Constantius A. ad Senatum,

AD comparationem diuersarum specierum, quod synoneton appellatur, actores procuratorésque Senatorum per diuersas prouincias nullam inquietudinem tolerent. Dat. V. Non. Maij, Tauro & Florentio COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA.

Cunctos formari plenius conueniet, vt in speciebus etiam annonariis, quæ à prouincialibus sub transactione comparationis pretio expeti solent, sciant nullam sibi necessitatem indictionis inponi, sed huius adscribtionis necessitatem sublatam mox ab amplissima præfectura pretiis conpetentibus destinandis, vt nihil trahatur in debitis quod aut speretur, aut promittatur, quando soluendum vnusquisque Prouincialium nostrorum arbitratu proprio & mente deuota species petitas hisdem pretiis quæ in foro rerum venalium habebuntur, libens præstet, ac distrahat, ita vt priùs vendendas det species, quàm omne quod in ratione distractionis venerit, aurum fuerit consecutus, potiorum tantùm, id est, possessorum domibus delegatis. Quibus tamen cohortatio inponitur, non necessitas imperatur, vt consensum facilem præbeant super speciebus annonariis distrahendis. Hæc autem adscribtio inferiores, vel plebeios non tenebit, vt vsibus publicis profutura distrahant fruges PP. prid. Kalend. Febr. Byritho, Richomere & Clearcho COSS.

De extraordinariis siue sordidis muneribus. *Tit. XVI.*

I. Imp. Constantin. A. ad Catullinum Proc. Afric.

PAtrimoniales fundos extraordinariis oneribus, vel mediæ, aut tertiæ portionis obsequiis fatigari non conuenit: cum eosdem & auri speciem, & frumenti plurimum modum constet persoluere, ita vt qui violare statuta temptauerit, puniatur. PP. VI. Kal. Septemb. Karthagini, Constantino A. V. & Licinio COSS.

II. Idem A. ad Vlpium Flauianum Cons. Aemiliæ & Liguriæ.

Ab extraordinariis † omnibus fundi patrimoniales adque emphyteuticarij per Italiam nostram constituti habeantur immunes, vt canonica tantùm & consueta dependant, ad similitudinem per Africam possessorum. Dat. XII. Kal. Iun. Lecta aput acta, Seuero & Rufino COSS.

† *cç. muneribus.*

III. Idem A. ad edictum Chalcedoniensium, & Macedoniensium.

Quotiescumque aliquam adscribtionem fieri necesse est, Rectorum cõsiliis & dis-

& dipositione vniuscuiusque ciuitatis fiat adscribtio, ne libidini & cōmodo potiorum multitudo mediocrium subiecta grauibus&iniquissimis adficiatur iniuriis. Acc. VIII. Kal. Maij, Crispo III. & Constantino III. AA. COSS.

IIII. Idem A. ad Aemilianum PF. P.

Extraordinariorum munerum distributio non est principalibus committenda. Ideóque Rectores prouinciarum monēdi sunt, vt eam distributionem ipsi celebrent, manúque propria perscribant, adq; encauto nomina adnectāt, ea forma seruata, vt primò à potioribus, dein à mediocribus adque infimis, quæ sunt danda, præstentur: neque vmquam rationibus, vel colligendis frugibus insistens agricola ad extraordinaria onera trahatur: cùm prouidentiæ sit oportuno tempore his necessitatibus satisfacere, quæ res neglecta Vicariorū tuorum vt verecūdiam tangit. Ad rectorum autē officiorum capita venietur. Manu autem sua Rectores scribere debebūt, quid opus sit, & in qua necessitate per singula capita, vel quantæ angariæ, vel quātę operæ, vel quæ aut in quāto modo præbendæ sint: vt recognouisse se scribant exactionis prædicto ordine inter ditiores, mediocres, atque infimos obseruando. Lecta VII. Id. Maij, Rom. Ianuarino & Iusto COSS.

V. Impp. Constantius A. ad Italicum.

Priuatas res nostras ab vniuersis muneribus sordidis placet esse immunes: neque earum conductores, nec colonos ad sordida, vel extraordinaria munera, vel superindictiones aliquas conueniri, &c. Dat. VIII. Kal. Feb. Bononię, Placido & Romulo COSS.

VI. Impp. Constantius & Constans AA. ad Beronicianum Vic. Asiæ.

Palatini & Constantinopolitani ciues pro capitibus seu iugis suis tantùm pensitationem atque obsequia recognoscant, extraordinariis & temonariis oneribus liberati. Dat. Non. Maij, Constantinop. Cqnstantio IIII. & Constante III. AA. COSS.

VII. Idem AA. & Iulianus Cæs. ad Populum.

Sola iùbemus exigi quæ factis à nobis indictionibus aliísve præceptis continentur & quæ anniuersaria consuetudine antiquitus postulātur, aut si inexcusabilis necessitas quiddam nouum exigat, nec dilationē publica vtilitas patiatur, referri à ceteris Iudicibus ad viros clarissimos Pręfectos pætorio, & eorum arbitrio flagitāda deposci, statímque id nostræ intimari clemētiæ. Itaque Iudicem qui vltra iussa aliquid postulauerit, duplum iubemus inferre: officium verò eius quadruplū, viro clarissimo largitionum Comite huic exactioni inminente, cùm primùm ad nos, vel Præfectos prætorio fuerit querela delata, & facinus reuelatū, vt & læsi nobis auctoribus aut Præfectis, recipiant quod per arbitrium Iudicis amiserant. Dat. IIII. Non. April. Med. Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

VIII. Idem A. & Cęs. ad Taurum PF. P.

Placet nullum omnino Iudicem decetero Prouincialibus inferendum aliquid indicere, vt ea tantùm sedulò cunctorum studio pēsitentur, quæ canonis instituti forma complectitur, vel nostra clemētia decernit inferenda, vel delegatione sollemniter sanciente, vel epistulis præcedentibus. Sed si quid vrguere forsitan cœperit, referri ad celsitudinem tuam statuimus, & auctore te fieri,

& eo persolutore ferri ad scientiam nostram: vt nobis iubentibus roboretur, de ceteris quæ prospici oportet ante plurimum temporis, insinuetur nobis tempore indictionis ex more promendæ. Quippe suggerit ratio eius omnia serie contineri. Ideóque tituli pensitandi semper ad nostram scientiam perferantur, vt indictione anniuersariis vicibus emissa, iubeamus inferri meritò pensitanda. Si quid autem arbitrio suo describserit Prouinciales, vel exegerit, in duplum inferet, & officium eius quadruplum cogetur expendere super exigenda condemnatione Comite largitionum curante. Dat. Kal. April. Med. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

VIIII. Idem A. & Cæs. ad Taurum PF. P.

Exemplo Afric. debēt fundi patrimoniales & emphyteutici per Italiam cōstituti ab extraordinariis † omnibus excusari. Non enim per Italiam tantùm, sed etiam per vrbicarias regiones & Siciliam patrimonialium, & emphyteuticorum fundorum vires seruandas esse perspiximus. PP. Rom. VII. Kal. Mart. Eusebio & Hypatio CONSS.

† *leg. oneribus*

X. Imp. Iulianus A. Secundo PF. P.

Nihil Prouincialibus indici sine nostra scientia fas est. Neque rursus ex his quæ sunt indicta, referri. Omnia igitur quæ consuetudo vel dispositio nostra amplectitur, hoc est cursum publicum, translationes, itinerum sollicitudines, ceteráque similia cuncti possessores implere pariter cōpellantur, &c. PP. III. Id. Mart. Constantinop. Mamertino & Neuitta COSS.

XI. Impp. Valentinianus & Valens AA. Secundo PF. P.

Nihil à Prouincialibus extraordinaria patimur indictione deposci. Caueat igitur magnifica auctoritas tua, ne præter ea quæ à mansuetudine nostra patuerit indicta, tenuiorum oneret functionem. Vt si quis vsurpatoria temeritate amplius aliquid fuerit conatus exigere, obnoxius quadrupli repetitione teneatur: quæ seueritas iussionis ad ordinariorum Iudicum officiorúmque terrorem debebit excurrere: vt si eorum, vel gratiosa conhibentia, vel ignobili dissimulatione temeritas admiserit curialis, eos quoque damni similis pœna castiget. Dat. XIIII. Kal. April. Constantinop. Valentiniano, & Valente AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex hoc præcipit, nihil debere à prouincialibus de superindictitiis titulis peti, nisi ea tantum quæ à rerum dominis indicta constiterit. Et hoc iubet, vt quicunque aliquid superexigendum crediderit, quadrupli redhibitione componat. Sed & ad ordinarios Iudices hanc inquisitionem iubet excurrere, vt etiam si quid in prouinciis eorum à quibuscunque personis aut Curialibus factum est, etiam eos similis damni pœna castiget.*

XII. Imppp. Gratianus, Valentinian. & Theod. AAA. ad Theodorum Com. R. P.

Ad virum clarissimum & inlustrem Præfectum prætorio Italiæ scribta porreximus, vt ab actoribus & cōductoribus patrimonij nostri, atque ab his qui iure perpetuo possederunt, extraordinarij muneris cessaret iniuria: neque suburbicariis partibus tironum immineret exactio. Sanè præstantia tua prouidere debebit: quatenus frumenti & equorum maturetur exactio. Dat. XV. Kal. April. Treu. Gratiano V. & Theod. I. AA. coss.

XIII. Idem

XIII. Idem AAA. ad Hypatium PF. P.

Priuatæ rei nostræ priuilegiis permanentibus, nihil extra ordinem prædia iure perpetuo consignata sustineant: neque abiectis sæpius, ac pręter primum delegationis canonem postulatis, adficiātur impendiis. Quandoquidem neque aurario canoni sub priuilegiis æstimato aliquid ex ea iubentibus nobis præbitionū diuersitate decutitur, & pari cum ceteris æstimari sorte non conuenit, quos præter annonarias functiones æstimata perpetuò pensionum prærogatiua nexuerint. PP. Karthag. Id. April. Post cons. Syagrij & Eucherij.

XIIII. Idem AAA. ad Syagrium PF. P.

Eos qui cum honore Comitum, nomine Magistrorum memoriæ præfuerint vel epistulis, vel libellis: item eos qui ibidem peragendis signandísque responsis nostræ māsuetudini obsecundant, omnium vilium munerum, ac totius capitulariæ, siue (vt rem quam volumus intellegi, communi denuntiationi signemus) temonariæ functionis fieri iubemus exsortes: ita vt eorū vniuscuiusque adscribtio excusetur, non, vt vnus alterius excipiat, si etiā eius summæ sit, vt recipere possit adiunctos: sed, aut suum tātùm munus agnoscat, aut si conplacito opus est, magis alteri ipse societur, quàm eidem alter annectatur: Hij igitur qui ex eo gradu è palatio nostro abscesserint, adesse sibi conpetentia priuilegia glorientur. Qui verò superioribus dignitatibus creuerint, nihilominus huius loci priuilegia pręsto sibi fuisse lętentur. Lecta III. Kal. Septemb. Capuæ, Antonio & Syagrio COSS.

XV. Idem AAA. ad Hypatium PF. P.

Maximarum culmina dignitatum, consistoriani quoque Comites, notarij etiam nostri & cubicularij omnes, atque excubiculariis ab omnibus sordidis muneribus vindicentur. Ceteros autem palatina vel militari intra palatium prærogatiua munitos ita demum priuilegium simile contingat, si prioribus statutis se ad eiusmodi exactionē docuerint pertinere: vt non singulis indulta personis, sed in commune dignitati vel corpori eiusmodi beneficia doceātur fuisse cōcessa, circa ecclesias, rhetores, atque grāmaticos eruditionis vtriusque vetusto more durante. Sanè rerum extraordinariarum munus ab omnibus omnino magnificentia tua sciat esse poscēdum, nec posthac aut petitionem, aut vsurpationem cuiquam meminerit profuturam. Sordidorum verò munerum talis exceptio sit vt patrimoniis dignitatum superius digestarum nec conficiēdi pollinis cura mandetur, aut panis excoctio, aut obsequiū pistrini, ne parauueredorum huiusmodi viris, aut parangariarum præbitio mandetur, exceptis his quibus ex more Rheticus limes includitur; vel expeditionis Illyricę pro necessitate vel tempore vtilitas adiuuatur operarum, atque artificum diuersorum excoquendæ etiam calcis obsequia nulla de talibus adiumenta poscantur, materiam, lignum, atque tabulata exceptorum virorum patrimonia non præbeant. Carbonis quoque (nisi eum quem moneta sollemniter vel fabricatio secundum veterem morem poscit armorum) ab huiusmodi viris præbitio desistat. Publicis vel sacris ædibus construendis atque reparādis hospitalium domorum minimè cura subiaceant. Viarum & pontium talis sollicitudo non oneret. Capituli atque temonis necessitas nulla mandetur. Legatis atque allectis sumptus possessio huiusmodi priuilegiis munita non ferat. Hoc tamen his patrimoniis prosit quæ dignitatem proprio vidētur nomine

possidere, ita vt personis, ac dignitatibus indulta beneficia tandiu vnicuique quandiu superfuerit suffragentur. Omnes autem quorum dignitates atque personas hac lege perstringimus, non solùm quandiu militauerint, verum etiam post missionem, atque etiam eos qui simili honore perfuncti sunt, generali prærogatiua à præbitione sordidorum mûnerum vindicamus. Dat. v. Id. Decemb. Antonio & Syagrio COSS.

XVI. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Neotherium PF. P.

Sordidorum munerum excusatione delata personis, ad heredem successorémve transire non potest. Neque enim potest esse perpetuum, quod non rebus, sed personis contemplatione dignitatis adque militiæ indulsisse nos constat. Igitur ne superindictorum nomine cuiusuis domus minus præstet, néve quis id audeat postulare, oraculi nostri definitione sancimus. Dat. XVIII. Kal. Maij. Med. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XVII. Idem AAA. ad Principium PF. P.

Cogendarũ intuitu pensionum à fundis patrimonialibus, vel emphyteuticis extraordinaria functionum sarcina remoueatur, capitis atque fortunis eorũ Iudicum atque officiorum, qui priuilegia tãta temerauerint, discrimine minimè defuturo, si similem rursus inquietudinem mouere temptauerint. fundos enim tam patrimonialis iuris, quàm emphyteutici, absque his quæ diuali lege præcepta sunt, ad alia iubemus onera non vocari. Dat. III. Id. Dec. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XVIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P.

Extraordinariorum munerum beneficiis nullum omnino potiri iubemus, sed quidquid talis obsequij communis omnibus populis functio postularit, id ab omnibus indiscretũ meritis atque personis iubem⁹ impleri. Neque sanè deest vbi vel meritorum priuilegia, vel dignitatum à communione vindicemus, siquidem ea munera quæ sordida nuncupantur, excepta lege prohibeamus obire personas scilicet, ne ad eorum obsequia amplissimarum etiam militari fastigio nomina dignitatum, vel consistoriani Comites deuocẽtur, quæ simili priuilegio ecclesiis, rhetoribus adque grammaticis institutionis vtriusque largimur. Ac ne in occulto lateat quæ sit munerũ enumeratio sordidorũ, vocabulis ipsis signata respondet. Eius igitur patrimoniũ quem ab his obsequiis lex nostra defendit, cura cõficiendi pollinis non habebit, nullam excoctionem panis agnoscet, nulla pistrinis obsequia dependet, operas atque artifices non præbebit, excoquendæ ab eo calcis sollicitudo cessabit, non confecendis tabulatis obnoxia, nõ lignis, indultam quoque materiẽ sub eadẽ exceptione numerabit, nulla parauceredorum & parangariarum prębitione pulsabitur, exceptis his, quas Rhetiarum limes, expeditiones Illyricæ, quas pastus, trãslatio militaris, vel pro necessitate, vel pro sollemnitate deposcũt: carbonis ab eo inlatio nõ cogetur, nisi vel monetalis cusio, vel antiquo more necessaria fabricatio poscit armorum: nullam sollicitudinem publicarum ędium vel sacrarum constituendarum reparandarúmve suscipiet, nulla pontium, vel viarum cõstructione retinebitur: temonis siue capituli onera nõ sentiet, adlectis atque legatis nihil in sumptuum cõlatione numerabit. Quæ vniuersa ita enumerati viri ad suũ nouerint priuilegiũ pertinere, vt ea nec vxorum facultatibus

bus indulta cognoscant, & suis patrimoniis cum viuendi circunscribta temporibus. Neque enim ea, quæ laborum contemplatione singulis sunt delata personis, heres poterit vindicare securus. Dat. III. Non. Iul. Med. Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

XVIIII. Idem AAA. Tatiano PF. P. Orient.

Eam legem quam de extraordinariis sordidísque muneribus expressis vocabulis functionum & insignibus dignitatum, sine vlla ambage præscribsimus: ita circa eos in quos nostra munera redundarunt, seruandam esse præcipimus, vt hisdem beneficiis non quandiu militauerint, sed quandiu vixerint, perfruantur. Dat. XI. Kal. April. Med. Tatiano & Symmacho COSS.

XX. Impp. Arcad. & Honor. AA. Messiano Com. R. P.

Euidenter atque absolutè iubemus, ne fundi ad patrimonium nostrum pertinentes, seu cõductionis titulo, seu perpetuo iure teneantur aliquid præter ordinem, superindicti vel pretij petiti nomine, vel de sordidis quibuscunque muneribus agnoscant. nam hoc & à diuis principibus impetratum est, & à nostra serenitate reparatum. Quisquis igitur Iudicum contra fecerit, quinque pondo auri de facultatibus, alia de officiis suis, totidem & de curialibus, qui exsequi malè iussa festinant, nouerit eruenda. Dat. XVII. Kalend. Iul. Med. Olybrio & Probino COSS.

XXI. Idem AA. Theodoro PF. P.

Priuilegia venerabilis ecclesiæ quæ diui principes cõtulerunt, inminui non oportet. proinde etiam, quæ circa vrbis Romæ Episcopum obseruatio intemerata custodiet, ita vt nihil extraordinarij muneris ecclesia, vel sordidæ functionis agnoscat, &c. Dat. prid. Kal. Feb. Med. Cæsario & Attico COSS.

XXII. Idem AA. Theodoro PF. P.

Priuilegia venerabilis ecclesiæ inminui non patimur, ita vt nihil extraordinarij muneris ecclesiæ vel sordidæ functionis agnoscant. Quidquid igitur præceptis veteribus reuerentia religionis obtinuit, mutilari etiam pœnæ interminatione prohibemus, ita vt hi quoque qui ecclesiæ obtemperant, his quibus cautum est, beneficiis perfruantur. Dat. prid. Id. Iun. Med. Cæsario & Attico COSS.

XXIII. Idem AA. & Theod. A. Melitio PF. P. Post alia.

Ab inlustribus personis sordida munera & extraordinariæ necessitatis dãna remouemus, &c. Dat. XV. Kalend. Mar. Rau. DD. NN. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

De equorum conlatione. *Tit. XVII.*

I. Impp. Valentinianus, & Valens AA. Alexandrino Com. R. P.

VIceni & terni solidi per singulos equos, qui à colonis atque ab obnoxiis exiguntur, ipsi magis iugiter, quàm fraude Procuratorum nostrorum equi offerantur. Dat. III. Kal. Iun. Marcianop. Lupicino & Iouino COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Pompeiano Proc. Afric.

Sicut dudum præceptum est, quamprimum equorum qui curatoricio nomine flagitantur, in pretio maturetur exactio, ita vt viceni quidem solidi pro singulis equis à Prouincialibus exigantur, septeni verò contubernalibus mi-

nistrentur. Dat.Id.Feb.Med.Vincentio & Frauitta coss.

III. Idem AA.P.P.& Com. S.L.

Equos canonicos militaris diœceseos Africanæ secundum subiectam notitiam singularum prouinciarum ex præsenti duodecima indictione iussimus adærari, in tribuendis viris clarissimis Comitibus stabuli sportulis in binis solidis pro singulis equis seruari consuetudinem decernentes. quam formam quotannis obseruari præcipimus, vt secundum postulationem GaudentI viri clarissimi Comitis Afric. deuotissimo militi septeni solidi pro equis singulis tribuantur. Dat.XII.Kal.April.Med.Vincentio & Frauitta coss.

IIII. Imppp.Honor.& Theod.AA.Herculio PF.P.

Constructioni murorum & conparationi transuectionique specierũ vniuersi sine vllo priuilegio coartentur ad necessitates Illyricianas. nam in his dumtaxat titulis nullum sub quodam cessare priuilegij velamento censemus. sed sub hac cõdicione, cum tempus exegerit, huiusmodi conlationi subcumbant, vt non tãtum requiratur idoneus, verùm vniuersi proportioni suæ possessionis iugationisque ad hæc munia coartentur, & à summis sarcina ad infimos vsque decurrat. Dat.III.Id.April.Constp.Basso & Philippo coss.

Qui à præbitione Tironum & equorum excusentur.
Tit. XVIII.

I. Impp.Honor.& Theod.AA.Melitio PF.P.

TIrones quorum pretia exhausti ærarij necessitas flagitauit, præbere noluimus inlustris viros Præfectos, cùm gerunt infulas dignitatis, vel cum sublimem egerint præfecturam, nõ Magistros militum, vel Comites domesticorum simile munus adstringat (neque enim Tirones de facultatibus eorum poscendi sunt, quorum virtus triumphis nostris subiugat de hoste captiuos) non præpositum vel primicerium sacri cubiculi, non castrensem, non comitem sacræ vestis, non ceteros cubicularios, non Magistrum officiorum, quæstorem, vel Comites sacri ac priuati ærarij inlustres, non virum spectabilem primicerium notariorum, non consistarianos Comites, ac scriniorum Magistros, vel tribunos, & notarios eadem damni multa percellet, non viros spectabiles Comites archiatrorum, nõ Comites stabuli cura palatij, scholares, proximos scriniorum, eadémque scrinia, Comites dispositionum, decuriones, Magistrum admissionum, & ceteras similes Comitum laboribus nostris socias dignitates eiusdẽ præstationis sors teneat: non tribunos, vel præpositos militares post testimonium inueteratæ militiæ habeant in commune omnes, siue dum administrant, seu postquàm administrauerint, debitum regiæ liberalitatis officium, nemo Tirones, equos, vel præstationem aurariam vereatur, quem sub legis nostræ sanctione prosequimur: illos tantum Tironum atque auri munus adstringat, quos honorarios vocauit antiquitas, vel qui fasces ciuilium partium consecuti, nulla prius laboribus rudimenta posuerunt. De ipsis etiam militaris nominis viris eos præpositos, vel tribunos à priuilegiis esse conuenit alienos, qui castrorum expertes habentur, nec in hostem martio ære caluerunt. Dat.XV.Kalend.Mart. Rau.Honor.VIII.& Theod.III.AA. coss.

De

De conlatione fundorum patrimonialium, vel emphyteuticorum & rei priuatæ. Tit. XVIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Dometium Dracontium.

QVotiens plures fundum patrimonialem possidēt, pro portionibus fieri à singulis non vetetur inlatio. quorumdam enim probata industria, ceterorum culpa poterit coherceri. Dat. xv. Kal. Maij. Sirmio Accep. xv. Kal. Iun. Karthag. Crispo II. & Constātino II. coss.

II. Imp. Iulianus A.

Omnes qui patrimoniales fundos retinent, pro his conueniendi sunt ad vniuersorum munerum functiones, sicut vnumquemque priuatorum necessitas publicæ pensitationis adstringit, &c. Dat. v. Kalend. April. Mamertino & Neuitta coss.

III. Impp. Valentinianus & Valens AA. Prouincialibus Byzacenis.

Ab emphyteuticariis possessoribus annonariam quidem solutionem per quattuor menses ita statuimus procurari, vt circa vltimos anni terminos paria concludantur: aurum verò non ex die x. Kal. Dec. in prid. Kalendarum Ianuariarū, sed per annum solidum, prout quisque pendere potuerit, inferetur. Dat. Id. Septemb. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano coss.

IIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Firmino Com. S.L. Post alia.

Qui prædia patrimonialia & emphyteutica, priuatæ quoque rei perpetuo iure retinent, & dominici actores augmenti & superindicticij, & onerū Rheticorum dicuntur mediam nolle soluere pensionem: igitur iubemus, vt moniti Rationales, sciant ea quæ à diuæ memoriæ Valentiniano constituta sunt, quamprimitus esse seruanda. Dat. VIIII. Kal. Iun. Med. Hono. A. IIII. & Eutychiano coss.

De conlatione donatarum vel releuatarum possessionum. Tit. XX.

I. Imp. Iulianus A. Aginatio Cons. Byzacenæ.

ADmodum nobis videtur absurdum & à nostrorum temporū tranquillitate submotum, vt hij qui proscribtionis sortem pertulerunt, ad exemplum eorum qui fundos donatos sacra liberalitate tenuerunt, auri atque argenti conlationibus redderentur obnoxij, quæ sub diuæ memoriæ Constantio adscribta est, cùm multum intersit inter eum qui principali munificentia perfruitur, & eos qui propria recuperare meruerunt. Dat. prid. Id. Nouemb. Mampsystæ, Iuliano A. IIII. & Sallustio coss.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PF. P.

Eos qui rem paternam vel suam à fisco recuperare meruerunt, à conlatione auri atque argenti quæ adscribta est, & his qui aliquid à sacra liberalitate meruerunt, tutos defensósque seruari præcipimus. Dat. VI. Kal. Maij, diuo Iouiano, & Varroniano coss.

III. Impp. Arcad. & Hono. AA. Hadriano PF. P.

Exigua quodammodo ædificiorum pensitatio nullum erga possessiones suas superindicti oneris pondus agnoscat. per omnes autem ciuitates, municipia, vicos, castellos, ex horreis, balneis, ergasteriis, tabernis, domibus, cœnaculis, salinis etiam omnibus, præter mancipium, quæ populi Romani lauacris inseruiunt, vel his, quæ in memoratis locis sub pensionis locatione retinētur,

nullius excepta persona, vnius anni hoc est tertiæ indictionis deuotione congrua à locorum dominis pensio conferatur, excepta scilicet æternabili vrbe, quam ab huiusmodi munere reuerentia propriæ maiestatis excusat, ea videlicet ratione seruata, vt si qui dominorum defuerit, vel à procuratoribus, vel ab his qui hæc loca sub conductione detentant, id quod præceptum est inferatur, dominorum rationibus inputādum, ea condicione seruata, vt sciant tantum quātum ipsi percipere consuerunt, omni maturitate oportere conferre. Dat. III. Non. Octob. Rau. Stilicone & Aureliano COSS.

† *re. Strategio.*

IIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Trygetio † Com. R. P.

Largitates tam nostræ clementiæ, quàm retro principum ex eo tempore quo in bene meritos de republica conferuntur, tenere perpetem firmitatem pręcipimus: vt quod vnusquisque meruit, & recte trāsmisit, nec ad heredem, nec ad originem filiorū, nepotūmve sollicitudinem reuocetur, nec quicquā pro his possessionibus quæ largitate principali iamdudum in singulos quosque conlatę sunt, damnosę conuentionis molestiam pertimescat. Sanè (quod non optamus) si vnquam obstiterit tanta necessitas, vt aliquid in adiumentum ærarij nostri publica requirat expensa, adiuuari nos biennali pensione pręcipimus, quæ non grauat possessorem, vt & temporum rationem & possessionis, de cuius nō potest soliditate dubitari, ante oculos cōlocemus. Ideóque si quando in dono datis intra quinquenniū possidentē necessitas dandi forte reppererit, hunc à conlatione esse iubemus alienum. Si verò post quinquēnium intra decem annorum spatia fuerit possessor inuentus, mediā biennalis pensionis inferat portionem. Hij verò qui supra decennium dono data inuenti fuerint prædia possidere, si emerserit vlla necessitas integra biennali nos adiuuent pensione. Quod si contra hanc formam scientia Iudicis, vel exsecutoris conuentio pulsandum intra hæc tempora iudicauerit possessorem: ad multam sexaginta librarum auri persoluendam se nouerint adstringēdos. Nec officium palatinū hac excusatione vtatur, vt paucos esse adserat, ad quorum partes & scrinium hæc cura pertineat. Sed omnes omnium scriniorum totius militiæ quod sub priuato męret, ærario ad pręscriptā pœnam se nouerint adtinendos, ita vt primates pręter damnū, etiam cinguli amissione multentur, si cuiquam prouidentiam simulanti consensum in hac suggestione, aut instructionem præbuerint. ipsum enim codicem causa concussionis, & fraudis & vniuersa scribturarum genera tali connexa negotio, ne vestigia timoris posthac vlla remaneant, in conuentu Prouincialium flammis iubemus exuri, eadémque pœna, si posthac vlla extiterit, quod in ipsa aliáve prouincia huiusmodi adserat se proferre documentum, pro publica quiete deperire. PP. in Foro Traiani, XIIII. Kal. Iun. Asclepiodoto & Mariniano COSSS.

V. Imp. Theod. A. Asclepiadoto PF. P.

Ab vniuersis qui post obitum diui aui clementiæ meæ ex munificētia tam diuæ recordationis patris ac patrui mei, quàm etiam serenitatis meæ fundos cuiuslibet iuris petiuerunt, sub hac dispositione reditus conferantur, vt quicumque à pręsenti die triennio possident, vnius anni habētes immunitatem, pro reliquo biennio medij anni cōferant reditus ex triēnio verò vsque quinquennium vnius anni, à quinquennio vsque ad decennium, biennij: à decennio & vltra triennij. in qua dispositione etiam hij habebuntur qui dempto

canone

canone possessiones cuiuslibet iuris donationis obtinent titulo: aut cùm essent domini possessionum, canonem ex parte vel integrum adimi exorauerunt. Ita tamen, vt qui fundũ dempto canone accepit, reditus vniuersos quos ipse percepit, iuxta datam dispositionem temporis soluat. Qui verò dominus constitutus possessionis tantùm canonis promeruit releuationem, canonem tantum prodat à forma, hoc est, aut dimidij anni, aut vnius, aut biennij, aut triennij soluat, eadem ratione etiam illis tenendis, qui releuationem iugationis ex simplici beneficio meruerunt. Sanè qui inspectorem specialem ac si de ieiunis, ac desertis possessionibus accepisse dicuntur, electionem à sede culminis tui propositam amplectantur, & aut soluant, vt dictum est, quod nunc consequuntur lucri, pro rata temporum ratione, aut, si hoc molestè tulerint, patiantur denuo alios inspectores dirigi. Quòd si qui ex possessionibus principali sibi quondam liberalitate donatis, postmodum quasdam aliis, aut venundedit, aut & ipse donauit, pro his quidem quæ venditæ probabuntur, ille se statutis præsentibus obnoxium esse cognoscat, qui videtur pretium consecutus. Cui verò non vendita, sed legitimè donata, vel iure successionis adquisita possessio est, is profectò debebit iustiùs attineri ad illa pręstanda iuxta tẽpora pręfinita, qui adipisci in præsenti ex donata sibimet possessione mõstratur. Qui verò alterius nomine ex munificentia principali donatos obtinet fundos, quíque releuationis, vel peręquationis beneficium simili modo consecutus ostenditur: ipse ad huiusmodi solutionem debebit adstringi, qui non vt petitor, sed vt dominus, & possessor rei poterit adprobari. vel certè, si hoc casu quodam patere forsitan non valebit, ab ipsa possessione, quæ vel donata, vel peræquata, aut releuata est, supradictis fructus beneficij conferantur: scituris cunctis quòd quisquis prędictam præstationem intra quattuor menses, ex quo fuerit admonitus, inferre distulerit, ipsas possessiones, quæ donatæ eidem videntur, amittet. Hij verò qui certum quid conlationis seu functionis indictæ pro temporali possessione præstiterint, pleno in posterum beneficio principali quod aliquando meruerunt, munere perfruentur. Dat. III. Id. Maij, Constantinop. Victore v.c. CONS.

II. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Antiocho PF.P.

Eorum iugorum siue capitum, siue quo alio nomine nuncupantur, priuati iuris, vel patrimonialis, siue ciuilis, siue templorũ, quæ à principio imperij diuæ recordationis Arcadij genitoris mei ex petitionibus diuersorum, vel vltro datis adnotationibúsque in præsentẽ diem qualitercumque releuati sunt, vel adęrata leuiùs, vel de patrimoniali iure ad priuatam, vel in aurariam, ęrariam, atque ferrariam pręstationem trãslata, quinta pars commodi, quod ex eo beneficio ad dominos fundorũ peruenit, ex eodem tempore exacta pro ęstimatis per singulos annos habitis arcæ & sacrarum largitionum viribus ex ęquo societur: exceptis his quę in capitatione humana atque animaliũ diuersis qualicumque concessa sunt, ita vt omnium, quę prędicto tempore, atque etiã sub inclytę recordationis auo nostro in terrena siue animarum descriptione releuata sunt vsque ad quadringentorũ iugorum, siue capitum quantitatem pars dimidia publicis cẽsibus adiungatur, vt si quidem vsque ad quadringẽta iuga vel capita releuatio facta est, dimidia tãtũ pars fisco reddatur. Si verò amplius aliquid releuatum est, vtque ad ducẽtorum iugorum, vel capitum aput bene-

ficiũ cõsecutos seu releuatio firma permaneat, reliqua omnia publicis cẽsibus refundantur. Aut enim intra ducentorum numerum pro rata partis dimidiæ portione vnumquenque releuari conueniet, aut vltra eundem minimè ad dispẽdium publicum prę̈stita releuatione abuti, siue in vna, siue in diuersis prouinciis, vel suo, vel interposito nomine, huiusmodi beneficiũ impetrabit. nisi si quis se pro fundis sterilibus, ac desertis, maioris etiam adscribtionis, releuationem iustè meruisse firmauerit, & inspectore, seu perę̈quatore misso probauerit, non iam secundum nostrum beneficium (quod vsque ad ducenta iuga vel capita pro dimidia parte indulsimus) sed pro inspectionis futuræ veritate, ac fide, tributa publica soluturus: adæratis etiam & qualitercumque translatis ex quarta decima feliciter futura indictione, translatione vel adæratione seruata modum conlationis inponi, qui consecutis partem quandam beneficiis reseruabit, pro regionum diuersitate factæ adærationis modum, atque omnium quæ in huiusmodi rebus consideranda sunt, qualitate præfectura amplissima disponente: illis solis ab hac descriptione à sublimitate tua, sicut visum fuerit, disponente penitus eximendis, & in præsenti conlationis modo mansuris quæ ciuitatibus, vel curiis, vel officiis in commune remissa sunt, vel aliquando personarum magis † indulta, sed ex dispositione amplissimæ sedis tuæ, si qua sit de releuatione suspicio inspectioni verissimæ subiiciendis. Exactionem verò quintæ partis conlationum ab exordio imperij diuę memoriæ patris mei, vt dictum est, iam nunc fieri ab hisq ui emerunt, vel eorum heredibus, si soluendo sint, vel detentatoribus, pro quo quisque possedit tempore quo obiit, posterioribus vel nouis dominis ad quos releuata prædia deuenerunt contra suos auctores actionibus legitimis reseruãdis, neque penitus vllo sub quocunque priuilegio dispositione hac eximendo firmiter in futurum, & sine vlla describtionis molestia aput eos qui meruerunt, diuina indulgentia permansura, ita vt ne retractari quidem, nec proferri in medium has rursus liceat rationes, completis, his quæ in præsenti de causis singulis, aut personis, pro rerum necessitate statuta sunt. Dat. prid. Kalendas Ian. Constantinop. DD. NN. Theod. XIII. & Valentiniano III. AA. COSS.

† ἴσως μᾶλλον

De conlatione æris. *Tit. XXI.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. Modesto PF. P.

Æs quod dichoneutum vocatur, non modò deinceps largitionibus inferatur, verùm de vsu penitus, & conuersatione tollatur, ac nemini publicè hoc habere liceat. Et conflatores figurati æris, adulteratores etiam monetæ capitalis animaduersio persequatur. Dat. VII. Id. April. Constantinop. Gratiano A. II. & Probo COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Hilario.

Æris pretia quæ à Prouincialibus postulantur, ita exigi volumus, vt pro viginti quinque libris æris solidus à possessore reddatur. Dat. V. Kalend. Ianuar. Med. Arcad. IIII. & Honor. III. A. & COSS.

III. Impp. Theod. A. Maximino Com. S. L.

Perpetuo sancimus generalique decreto, ne cui deinceps ex præcepto comitiuæ sedis, vel per oraculũ sacrũ, vel per diuinas adnotationes numinis nostri in nũmo, vel in specie, (nisi ita publica necessitas postularit) propria liceat tributa

tributa persoluere, sed vt magis aut ipsam speciem, si hoc vsus exegerit, aut aurum quod æstimatio certa constituit, pro centenario æris huiusmodi possessor exsoluat. Dat. v. Id. Decemb. Constantinop. Victore v.c. CONS.

Ne conlationis translatio postuletur. *Tit. XXII.*

I. Impp. Constantius & Constans AA. Philippo PF. P.

PLerique censum fundorum suorum iugorum ad alias ciuitates transferre curarunt. Vniuscuiusque itaque ciuitatis cēsum in omnibus prouinciis ad proprias ciuitates redire censuimus. Dat. v. Kal. Aug. Constantino IIII. & Constante III. AA. COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Neotherium PF. P.

Habeat vnaquæque ciuitas consortem munerum quem habuit in professione collegam. Iugatio omnis vbi est antiquitus adscribta permaneat, redeat ad se aliò in fraudem munerum translata iugatio. Discant ordines, discant reliqui possessores mutato eo quod nō rectè est impetratum, quem participem possidendi cognouerint esse etiam in omnibus socium functionibus. PP. IIII. Non. Maij, Arcad. A. I. & Bautone COSS.

III. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Eusignium PF. P.

Transferat qui orando meruerit ex iudicio tuæ magnitudinis in annonariis dumtaxat commeatibus, ex alio loco ad vrbem aliam professionem publicæ functionis. Qui diuersis in vrbibus non sufficiet respōdere exactorum numero crebriori, ad vnum vbi magis possidet iugationis reliquū modum, sine publico detrimento exactorum, transmittat. Dat. XVIII. Kal. Maij, Valentiniano A. tertiùm, & Eutropio COSS.

IIII. Impp. Honor. & Theod. AA. ad Anthemium PF. P.

Nonnullos possessores exactionis consuetæ more dissimulato, eò temeritatis procedere cognouimus, vt quidam auctoritate rescribtionis elicita instantiam conpulsorum eludant, sub eo obtentu quòd sponte pronius inferāt expetenda. Qua vsurpatione patefacta, promulgamus, vt huiusmodi impetrationis nouitate supplosa (quæ vulgò auctopractorum vocatur) vniuersa pensitationis profligandæ quæ fuit, reuiuiscat sollemnitas, & curiales, vel apparitio prouincialis huius muneris vota procurent, exceptis his quos eminentissimæ tuæ sedis specialiter consideratio digessit. Dat. XIIII. Kal. Iu. Honor. VIII. & Theod. III. AA. CONSS.

V. Idem A. Herculio PF. P. Illyrici.

Quod olim meminimus cōstitutum, hac generali denuo legis præceptione sancimus, ne cuiquam liceat præstationes possessionum ad aliud territorium ex alio transferre, sed omnibus modis in eo loci tributaria agnoscatur inlatio, quem fides cēsum retinet & necessitas publicæ adscribtionis adstringit. Quòd si vlteriùs ab officio præfecturæ præsentia, vel priora statuta fuerint temerata, centum librarum auri multa ferietur. Sed & singuli qui nequaquam prohibitis temperabunt, viginti librarum auri dispendia sustinebunt. Dat. VIII. Kal. Iul. Constantinop. Varane v.c. COSS.

De protostasia. Tit. XXIII.

I. Imp. Constantius A. ad Senatum.

PRotostasiæ munus hactenus senatores inposita necessitate sustentent, vt hisdem senatorum census implendæ necessitatis contemplatione socientur, nec cuiusquam alterius iuga, aut capita senatorum censibus adgregentur: cùm protostasiæ munus ita debeant sustinere, vt ad eũ numerum quem ipsi censuali sorte sustentant, Senatorum tantùm censibus nexis eandem necessitatem debeant explicare. Dat. v. Non. Maij, Tauro & Florentio coss.

II. Imp. Iulianus A. Sallustio PF. P.

Prototypias & exactiones in capitatione plebeia curialium munera, & quidem inferiora esse minimè dubitatur. Atque ideò à senatoriis easdem domibus submoueri oportet, &c. Dat. III. Id. Mart. Constantinop. Mamertino & Neuitta coss.

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Præsidi Frygiæ Palæstinæ.

Cessantibus his quæ quibusdam cuniculis & subreptionibus impetrata noscuntur, & saluis priuilegiis dignitatum, grauitas tua vniuersos faciat protostasiæ subcumbere functioni, vt & officia publica maturiùs peragantur, & priuatorum merita ex hac distributione prouidentissimè conseruentur. Dat. prid. Kal. Iul. Constantinop. Arcad. A. IIII. & Honor. A. III. coss.

IIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Euthymio Vic. Asiæ.

Qui ex primipilaribus sunt protostasiæ, necessitatibus obedire cogantur: nec aliqua se obreptione subtrahere. Dat. XII. Kalend. Ian. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. coss.

De patrociniis vicorum. Tit. XXIIII.

I. Imp. Constantius A. & Iulianus Cæs. Helpidio.

COlonorum multitudinem indicasti per Ægyptum constitutorum ad eorum sese, qui variis honoribus fulciuntur, Ducum etiam patrocinia contulisse. Vniuersos itaque quos tantùm sibi claruerit temeritatis adsumere, vt prębeant latebram, & defensione repromissa aditum implendæ deuotionis obclaudant, iubemus vrgueri, vt debita quæcumque vicani, quorum consortio recesserũt, è propriis facultatibus fisci docebuntur commodis intulisse, idem cogantur expendere. Eos quoque quos in defensionem suam videntur suscepisse, ab eorũ patrocinio facias separari. Dat. prid. Non. Feb. Constantinop. Cõstãtio A. X. & Iuliano Cæs. III. coss.

II. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Auxonium PF. P.

Abstineant patrociniis agricolæ subiugandi supplicio, si talia sibimet adiumenta commentis audacibus conquisierint. Hij verò qui propria patrocinia largiuntur, per singulos fundos, quotiés repperti fuerint, viginti & quinque auri libras dare debeant: & non quantũm patroni suscipere consuerant, sed dimidium eius fiscus adsumat. Dat. prid. Id. Nouemb. Marcianop. Valentiniano & Valente III. AA. coss.

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Heracliano Com. Ægypti.

Quicumque ex officio tuo, vel ex quocumque hominum ordine vicos in suum

ſuum detecti fuerint protrociniũ ſuſcepiſſe,cõſtitutas luent pœnas. Poſſeſſores autem competenter coherciti etiam inuiti ſtatutis imperialibus obedire, & muneribus publicis ſatisfacere cogantur. Quoſcunque autem vicos aut defenſionis potentia,aut multitudine ſua fretos publicis muneribus conſtiterit obuiari,vltioni,quam ratio ipſa dictabit,conueniet ſubiugari. Dat.prid.Kalend.Octob.Olybrio & Probino coss.

IIII. Idem AA. Eutychiano PF.P.

Cenſemus, vt qui ruſticis patrocinia prębere temptauerit, cuiuſlibet ille fuerit dignitatis,ſiue Magiſtri vtriuſque militiæ,ſiue Comitis ſiue exproconſulibus,vel vicariis,vel auguſtalibus,vel tribunis,ſiue ex ordine curiali,vel cuiuſlibet alterius dignitatis,quadraginta librarum auri ſe ſciat diſpendium pro ſingulorum fundorum præbito patrocinio ſubditurum:niſi ab hac poſtea temeritate diſceſſerit. Omnes ergo ſciant non modò eos memorata multa feriendos, qui clientelam ſuſceperint ruſticorum, ſed eos quoque qui fraudandorum tributorum cauſa ad patrocinia ſolita fraude cõfugerint, duplum definitæ multæ diſpendium ſubituros. Dat.VI.Id.Mart.Conſtantinop.Theod. V.C. COSS.

V. Idem AA. Eutychiano PF.P.

Excellentia tua his legibus quæ de prohibendis patrociniis aliorum Principum nomine promulgatæ ſunt,ſeueriorem pœnam nos addidiſſe cognoſcat: ſcilicet,vt ſi quis agricolis vel vicanis propria poſſidentibus patrocinium reppertus fuerit miniſtrare,propriis facultatibus exuatur. His quoque agricolis terrarum ſuarum diſpendio feriendis qui ad patrocinia quæſiti confugerint. Dat.VIII.Kal.Iun.Conſtantinop.Theodoro V.C. COSS.

VI. Impp.Honor.& Theod.AA.Aureliano PF.P.

Valerij Theodori & Tharſacij examinatio conticeſcat, illis duntaxat ſub auguſtaliano iudicio pulſandis, qui ex Cæſarij & Attici cõſulatu poſſeſſiones ſub patrocinio pòſſidere cœperunt. Quos tamen omnes functionibus publicis obſecundare cenſemus,vt patronorum nomen extinctum penitus iudicetur. Poſſeſſiones autẽ athuc in ſuo ſtatu conſtitutæ penes priores poſſeſſores reſidebunt, ſi pro antiquitate cenſus functiones publicas & liturgos quos homologi coloni præſtare noſcuntur, pro rata ſunt abſque dubio cogn ituri. Metrocomiæ verò in publico iure & integro perdurabunt, ne quiſquam eas, vel aliquid in his poſſidere temptauerit, niſi qui ante conſulatum præfinitum cœperit proculdubio poſſidere, exceptis conuicanis,à quibus penſitanda pro fortunæ condicione negare non poſſunt. Et quicumque in ipſis vicis terrulas contra morem fertiles poſſederunt, pro rata poſſeſſionis ſuæ glebam inutilem & conlationem eius & munera recuſent. Hij ſanè qui vicis, quibus adſcribti ſunt, derelictis, & qui homologi more gentilicio nuncupantur, ad alios ſeu vicos, ſeu dominos tranſierunt, ad ſedem deſolati ruris conſtrictis detentatoribus redire cogantur. Qui ſi exſequenda protraxerint,ad functiones eorum teneãtur obnoxij, & dominis reſtituant,quæ pro his exſoluta conſtiterit, & in earum metrocomiarũ locum, quas temporis labſus,vel deſtituit,vel viribus vacuauit,ex florẽtibus aliæ ſubrogẽtur,à rure quoque & poſſeſſiones, quas curiales quolibet pacto publicatis apud acta prouincialia deſideriis ſuis,vel reliquerũt,vel poſſidere alios per-

miserũt, penes eos, qui eas excoluerunt, & functiones publicas recognoscũt, firmiter perdurabũt, nullam habentibus curialibus copiam repetendi. Quidquid autem in tempus vsque dispositionis habitæ † auro inlustri decessore sublimitatis tuæ ecclesię venerabiles, id est Constantinopolitana atque Alexandrina possedisse deteguntur, id pro intuitu religionis ab his præcipimus firmiter retineri sub ea videlicet sorte, vt in futurum functiones omnes, quas metrocomiæ debẽt, & publici vici pro antiquæ capitationis professione debent, sciant proculdubio subeundas, nequaquam, cephalęotis, hirenarchis, logographis Chomatum, & ceteris liturgis, sub quolibet patrocinij nomine publicis functionibus denegatis, nisi quid ex his, quæ exigenda sunt, vel neglegẽtia, vel contemptus distulerit, metrocomias possidere nostro beneficio meruerunt, & publicos vicos committere compellantur. Dat. III. Non. Decemb. Honor. X. & Theod. VI. AA. COSS.

† re. à viro

De quadrimenstruis breuibus. *Tit.* XXV.

I. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PF. P.

QVotienscũnque quadrimẽstrui breues ab apparitoribus ducianis ad sedem vestræ celsitudinis destinãtur, parilis notitia prouinciali quoque tradatur officio, vt prius quàm ad iudicium vestrum examinanda mittantur, ibidem sub vtrorumque præsentia conferantur, vt qui perperam vel petita, vel erogata notauerit, confutetur, ne discordanti breuium modo in eorum damnum expensa reuocetur, qui susceptionibus, vel nominationibus obligati, quæ militum nomine petuntur, exsoluant, nec inputari sibi quod exsoluerint, cõgemescant. Dat. XII. Kalend. Iun. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

De discussoribus. *Tit.* XXVI.

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus, AAA. ad Arthemium Vic. Hispaniarum.

QVotiens in disceptatione constiterit iniquè discussionem fuisse confectam, & fidem facti non poterit adprobare discussor: ipse in eodem titulo, & in eodẽ modo ad soluẽdum protinus vrgueatur, in quo alterum perperam fecerit debitorem. Dat. prid. Id. Maij, Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Messalæ PF. P.

Maximas prædas hoc pacto agi de Prouincialibus certum est, vt acceptæ semel securitates, & regestæ polypticis à discussoribus vel apparitoribus denuo postulentur, non quòd vtilitas publica flagitat, sed vt si casu est amissa securitas, maior præda nascatur. Decernimus itaque, vt quando insertæ securitates ratiociniis publicis continentur, rursus per iniuriam non petantur. Dat. V. Kalend. Decemb. Stilicone & Aureliano COSS.

INTERPRETATIO. *Lex ista hoc iubet, in hoc maximam prædam exactores de Prouincialibus exercere, vt post emissas securitates iterum polypticos & securitates incipiant postulare, quod ab hiis non pro publica vtilitate fieri, sed vt si securitates inuentę non fuerint, maior eis præda nascatur. Ideóque statuit, vt si securitates ratiociniis publicis, vel in polypticis exactorũ continentur, iterum pro cupiditatis nequitia nõ petantur.*

De

De alimentis, quæ inopes parentes de publico petere debent Tit. XXVII.

I. Imp. Constantinus A. ad Ablauium.

AEreis tabulis vel cerussatis, aut linteis mappis scribta per omnes ciuitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus à parricidio arceat, votúmque vertat in melius: officiúmque tuum hæc cura perstringat, vt si quis parens adferat sobolem, quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis, nec in veste impertienda tardetur, cùm educatio nascentis infantiæ moras ferre non possit, ad quam rem & fiscum nostrum, & rem priuatam indiscreta iussimus præbere obsequia. Dat. III. Id. Maij, Naisso, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. AA. COSS.

II. Idem A. Menandro.

Prouinciales egestate victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos suos vẽdere vel obpignorare cognouimus. Quisquis igitur huiusmodi repperietur qui nulla rei familiaris substãtia fultus est, quíque liberos suos ęgrè ac difficile sustentet: per fiscum nostrum antequàm fiat calamitati obnoxius, adiuuetur: ita, vt Proconsules, Præsidésque & Rationales per vniuersam Africam habeãt potestatẽ, & vniuersis quos aduerterint, in egestate miserabili cõstitutos, stipem necessariam largiantur: atque ex horreis substantiam protinus tribuant conpetẽtem. abhorret enim nostris moribus, vt quemquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedamus. Dat. prid. Non. Iul. Romæ, Probiano & Iuliano COSS.

De indulgentiis debitorum. Tit. XXVIII.

I. Imp. Iulianus A. ad Auitianum Vic. Afric.

EXcepto auro & argento cuncta reliqua indulgemus. Dat. VII. Kal. Nouemb. Antiochiæ. Acc. XV. Kal. April. Karthag. Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Dextro PF. P.

Quingena vigintiocto milia quadragintaduo iugera, quæ Campania prouincia iuxta inspectorum relationẽ & veterum monumẽta chartarum in desertis & squalidis locis habere dignoscitur, hisdem prouincialibus cõcessimus, & chartas superfluæ describtionis cremari cẽsemus. Dat. VIIII. Cal. April. Med. Olybrio & Probino COSS.

III. Idem AA. Ardromacho P. V.

Omnium titulorum, siue qui ad inlustres viros Præfectos prætorio, siue qui ad largitiones nostras pertinent, vsque in consulatum primum clemẽtiæ nostræ, id est, vsque indictionem quintãdecimam, quæ proxima fuerit, reliqua vniuersa concedimus. Atque vt ipsa memoria reliquorum intercidat, chartas omnes, siue quas tabularij ciuitatum, siue officia Iudicum, siue officium palatinum, siue discussores habent, quibus tamẽ eius temporis & debitorum nomina, & debita continentur, vndique in medium cõgregatas palàm flammis iubemus aboleri. Post consulatum verò mansuetudinis nostræ, id est, à prima indictione in consulatum Olybrij & Probini omnium reliquorum exactionem suspendi oportere censemus, donec admoniti ordinarij Iudices nomi-

† ἴσως notarios. natorios † breues absque vlla conscribtos fraude transmittant, quibus apertè liqueat, quæ penes minuscularios, quæ penes curiales debita, quæ tam in defectis domibus habeantur. his enim præcipuè consulendum est qui iusto remedio indigent. Nouerint igitur officia ad se omne dispendium rediturum, si occultatis idoneis, in eorum locum fæneos defectósve subiecerint. ex consulatu sanè Olybrij & Probini, id est, ex nona indictione in præsentem diem adcelerari solutionem omnium conueniet debitorum. Eos etiam, qui personalibus debitis sacro ærario tenentur adstricti, id est, conductores diuersorum portuum ac vectigalium volumus esse securos. Publicani etiam & telonarij, præpositi thesaurorum adque basyorum, procuratores gynæcæariorum ac monetariorum, ceteríque, quos omnes in chartis suis officium palatinum sine vllo ætatis fine cũstodit, decernimus, vt quæcunque per eos debita contracta sunt, submoueantur ab heredibus, etiam memoratorum exactionis atrocitas conquiescat. Dat. VII. Kal. Iul. Med. Vincentio & Frauitta COSS.

IIII. Idem AA. Theodoro PF. P.

Ab omni intra Italiam iugatione, quam munere annonariæ functionis absoluimus, etiam glebalem pẽsionẽ iubet serenitas nostra remoueri. Dat. Id. Septemb. Med. Basso & Philippo COSS.

V. Imp. Honor. & Thod. AA. Honoratis & possessoribus per Africam.

Reliquorum ex fiscalibus titulis cuncta debita nostræ mansuetudinis indulgentia subsequatur, &c. Dat. VII. Kalend. Decemb. Post Cons. Honor. VIII. & Theod. III. AA.

VI. Idem AA. Macrobio Procons. Afric.

Considerantes Africæ deuotionem vsque in initium fusionis quintæ vniuersa reliqua, quæ tam ad arcam sublimium potestatum, quàm ad largitiones pertinent, relaxari pręcipimus. Priuatę quoque rei debita similiter relaxamus, chartis abolitis, quibus debita publica continentur. Dat. VII. Kal. Iul. Rau. Varane CONS.

VII. Idem AA. Ioanni. PF. P.

Campaniæ, Tusciæ, Piceno, Samnio, Apulię, Calabrię, sed & Brutiis, & Lucaniæ, ex omni præstationis modo, quem antiqua sollemnitas detinebat, quattuor partes iubemns auferri, ita vt ex indictione decima, quinque annorũ indulgentia contributa, partem soluant publicæ functionis. Ad reparationem sanè cursus intra indulgentiæ tempus, quidquid fuerit postulatum, id solum conferri censuimus. Dat VIII. Id. Maij, Rauen. Lucio V. C. CONS.

VIII. Idem AA. Seleucho PF. P.

Nauiculariis intra Africam ex quartadecima indictione consulatus Valentiniani Aug. III. & Eutropi. V. C. vsque ad indictionem quartã consulatus nostri septies, & TheodosI iterum, omnia reliqua indulgemus. Dat. III. Non. April. Rau. Constantio & Constante COSS.

VIIII. Idem AA. Anthemio PF. P.

Per omnes prouincias Orientis ex indictione vndecima Valenţiaca in quintam vsque nuper transactam indictionem, annorum scilicet quadraginta, id est

id est, ex consulatu diuorum Valentiniani & Valentis iterum Augustorum vsque ad consulatum inuictissimi Honorij patrui mei septies, & meum iterum, omnium generalium titulorum sub æqua lance tam curiis, quàm conlatori priuato & patrimoniali, diuinæ quinetiam domui, omníque iuri munifico, necnon & cellariis præter trium metallorum debitoribus Docimeni, Proconensis, & Troadensis concessimus reliqua, siue species, siue æs, pecunia, aurum, argentúmque debetur, ita vt nec horreis & præfectoriæ arce, nec nostro aliquid ex his ærario debeatur, sequentis temporis debitis ex indictione sexta vsque ad præsentem duodecimam emergentibus necessitatibus reseruatis. Dat. v. Id. April. Constantinop. Constantio & Constante coss.

De eadem rescribtum edictum ad Populum, ad Marcianum Com. s. l. Musellio Præposito sacri cubiculi de titulis ad domum sacram pertinentibus, ad Rectores prouinciarũ, & de metallariis edictum ad Populum per prouincias Illyrici, & ad Rectores prouinciarum.

x. Idem AA. Aureliano PF. P.

Indulgentiam quam ex vndecima indictione Valentiaca in quintam vsque nuper transactam generaliter per omnes prouincias & populos sparsimus, nonnulli visi sunt in suum conpendium rapinámque conuertere, vt fierent priuata debita, quæ fuerant publica. Ideóque vt largitatem nostram non nomine, sed re ipsa Prouinciales experiantur, à nullo ordine obtentu anticipatæ per se inlationis vlterius aliquid exigantur, cum eis sufficere debeat ad medellam quidquid & ipsi ex eadem indulgẽtia meruerunt, quam sacrilego animo temerare conati sunt. Dat. v. Id. Iul. Constantinop. Honor. x. & Theod. VI. AA. COSS.

XI. Idem AA. Monaxio PF. P.

Primipili reliqua tanquam ad nuper emissam generalem indulgentiam minimè pertineant, flagitari cognouimus. ideóque sancimus primipili quoque reliqua eiusdem temporis relaxari, nec quẽquam debere pro eo tẽpore, quod indulgentia definiuit, primipili vel cuiuslibet alterius tituli gratia conueniri præter Docimeni, Proconensis, & Troadensis metallorum debitores, quos & dudum latæ indulgentiæ series conprehendit. Dat. v. Id. Sept. Heracleæ, Theod. A. VII. & Palladio COSS.

XII. Idem AA. Palladio PF. P.

Præter cẽsuales functiones Campania quam & vetustatis grauior onerat adscribtio & pòst hostium vastauit incursio, peræquatis territoriis nonam partem tantummodo præteriti assis publicarum toleret functionum. Picenũ verò & Tusciam suburbicarias regiones septimam tributorum ad supputationẽ professionis antiquæ per vniuersos titulos iubemus agnoscere, vt reciso antiqui census onere, is tantùm modus quem superius comprehendimus, chartis publicis inseratur, hac cõdicione, vt omnis super desertorum nomine querela in posterum conquiescat. Dat. XVII. Kal. Dec. Rau. Honor. XII. & Theod. VIII. AA. COSS.

XIII. Idem AA. Venantio Com. R. P.

Breues quos spectabiles ac probatissimi nobis viri ac Palatinorum sacrarum vel ad prætoriana scrinia detulerũt, & professionis modum eum qui breuibus

ſedit, ſcribi, volumus. Eum verò qui reciſus eſt de chartis publicis, iubemus auferri. Vnde ſecundum fidem polypticorum, per prouinciam procõſularem nouem milia duas centurias iugera centumquadraginta vnum in ſoluẽdo, & quinque milia ſeptingentas centurias, iugera centum quadragintaquattuor ſemis in remouendis: per prouinciam verò Byzacenam in præſtanda functione ſeptem milia quadringentas ſexaginta centurias iugera centum octogintaſeptem milia ſexcentas, quindecim verò centurias iugera tria ſemis in auferẽda conſtat adſcribta, vt circa eos, quibus conlocata ac releuata ſunt prædia, ad ſecuritatem perpetuæ proprietatis intermina poſſint ætate ſeruari. De his verò quæ edictis pendentibus nondum ſunt certis adſignata perſonis, Rectores prouinciarum decernimus prouidere, vt manentibus remediis quæ fides ſupradicta adtribuit idoneis conlocentur. Dat. x. Kal. Mar. Rau. Honor. XIII. & Theod. x. AA. COSS.

XIIII. Idem AA. Rufino Com. S. L.

Quod de annonariis functionibus per vrbicarias regiones clementia noſtra conceſſit, etiam in largitionalibus titulis & emphyteuticis reipublicæ prædiis cuſtodiri mandamus. Amotis igitur reliquis etiam circa largitionales titulos debita ex præſenti indictione conſtituet, chartis abolitis debitorum capitali ſanè ſupplicio percelletur quiſquis prouincialem ſupra conſtitutum hac auctoritate modum debitæ functionis adſtrinxerint. Regeſta VI. Id. Febr. Rau. Aſclepiodoto & Mariniano COSS.

XV. Impp. Theod. Valentinianus AA. Tauro PF. P. & patricio.

Quicumque ex inpoſita deſcribtione donatis releuatiſque per ſacram liberalitatem obnoxium ſe eſſe ex parte vel ex integro cognoſcit, noſtri numinis beneficio liberetur, &c. Dat. XII. Kalend. Iul. Conſtantinop. Hariobindo & Aſpare COSS.

XVI. Idem AA. Tauro PF. P.

A ſexta indictione ad quam ſuperior indulgentia vſque proceſſit, ad vndecimam nuper trãſactam ſub æqua diſmẽſione tam curiis, quàm poſſeſſori priuato ac patrimoniali, diuinæ quinetiam domus ex omni iure munifico, necnon & in ſpeciebus cellarienſibus reliqua indulgemus, ita vt quæ in iſtis viginti annis à ſexta, qua dictum eſt, indictione, vndecimam vſque per omnes titulos ſiue in ſpeciebus, ſiue pecunia, auro argentóque debentur, nomine reliquorum omnibus conceduntur, nihil de his viginti annis ſperet publicorum cumulus horreorum, nihil arca ampliſſimæ præfecturæ, nihil vtrunque noſtrum ærarium. Dat. x. Kalend. Maij, Theod. A. XIIII. & Maximo V. C. COSS.

XVII. Idem AA. Iſidoro PF. P.

Debita ſuſceptoribus ante decimam indictionem congregata, quæ ſedes excelſa pretiis humanioribus adærauit, ex parte dimidia condonamus, arcæ cetera inferri præcipimus. Dat. prid. Id. Iul. Conſtp. Iſidoro & Senatore COSS.

De

De relationibus. *Tit.* XXVIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Claudium Plotianum Correctorem Lucaniæ & Brutiorum. Post alia.

SVper paucis quæ iuridica sententia decidi non possunt, nostram debes consulere maiestatem, ne occupationes nostras interrumpas: cùm litigatoribus legitimum remaneat arbitrium à sententia prouocandi. Dat. VI. Kal. Ian. Treu. Acc. VIII. Id. Febr. Regio, Constantino A. III. & Licinio III. coss.

II. Idem A. Profuturo PF. Annonæ.

Si quis Iudicum duxerit esse referendum, nihil pronuntiet, sed magis, super quod hæsitandum putauerit, nostram consulat scientiam: aut si tulerit sententiam, minimè postea, ne à se prouocetur, relatione promissa terreat litigantes. Dat. IIII. Id. Feb. Sirmio, Constantino A. V. & Licinio C. coss.

III. Impp. Valentinianns & Valens AA. ad Viuentium PF. P.

Super delictis prouincialium, numquam Rectores prouinciarum ad scientiam Principum putent esse referendum, nisi ediderint priùs consultationis exemplum. Quippe tunc demum relationibus plena maturitas est, cùm vel allegationibus refelluntur, vel probantur adsensu. Dat. III. Kal. Ian. Treu. Valentiniano & Valente AA. coss.

IIII. Idem AA. & Gratianus AA. ad Apodemium.

Si quando ratio aut necessitas est in negotiis nostra iudicia requirendi, exspectandíque responsa, omnem omnino causam relationis series comprehendat, vt recitata consulatione quæ ita est dirigenda, propemodum auctorum recensione non opus sit, actis etiam necessariò sociãdis. Dat. VI. Id. Maij, Treu. Valentiniano NB. P. & Victore coss.

V. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Eupraxium P. V.

Quicunque Iudicum, vel appellatione interposita, vel ipse dubitans, relationem in causa, vel ciuili, vel criminali spopõderit sese missurum, exemplũ opinionis edendæ, refutariorúmque dandorum, sed & transmittendæ relationis intra eum diem seruet, qui Constantiana lege decretus est: ita vt simul omnia ad eam de qua refertur, causam pertinentia acta transmittat. Quòd si qui Iudicum posthac non ita obseruauerint cuncta in relationibus dirigendis, quæ iampridem statuta sunt, eo crimine tenebuntur vnà cum officio quod ordinẽ seruandorum suggerere neglexerit, quo tenentur, qui sacrilegium admiserint, &c. PP. XVI. Kal. Mart. Gratiano A. III. & Equitio coss.

VI. Impp. Honor. & Theod. AA. Palladio PF. P.

Nunquam ad vnius litigatoris querimoniam nostris altaribus suggestio offeratur, ita vt si cuiusquam ambitione plectenda inportunitas id fortè meruerit, ei, cuius intentione contra generale factum fuerit, constitutum damnum litis Iudex infligat, nec vmquam in rediuiuum statum negotium redigatur, quod hac fuerit cõdicione præsumptum. Dat. V. Id. Septemb. Rau. DN. Theod. A. VII. & Palladio coss.

De appellationibus, & pœnis earum, & consultationibus. *Tit.* XXX.

I. Imp. Constantinus A. ad Claudium Plotianum Correctorem Lucaniæ & Bruttiorum.

SI in negotio ciuili cognitis vtrisque actionibus pronuntiaueris te ad nostram scientiam relaturum, consultationis exemplum litigatoribus intra decem dies edi apud acta iubeas: vt si cui fortè relatio tua minùs plena, vel contraria videatur, is refutatorias preces similiter tibi apud acta offerat intra dies quinque, quàm illi exẽplũ consultationis tuæ obtuleris. Iam dicationis tuæ est omnia quæ apud te, vel apud alios gesta fuerint in eo negotio consultationi tuæ cum refutatoriis litigãtis adnectere, ita vt scias & decem dies intra quos edi consultationem oportet, & quinque intra quos preces refutatoriæ offerendæ sunt, continuos debere seruari. Nam quinque diebus transactis nec offerentem preces refutatorias litigatorem debebis audire, sed sine his quoniam intra statutum tempus oblatæ non sunt, gesta omnia ad nostram referre scientiam, & cetera. Dat. III. Kal. Ian. Treu. Constantino A. III. & Licinio III. COSS.

II. Idem A. ad Catullinum. Post alia.

Minimè fas est, vt in ciuili negotio libellis appellatoriis oblatis, aut carceris cruciatus, aut cuiuslibet iniuriæ genus seu tormenta, vel etiam contumelias perferat appellator, absque his criminalibus causis in quibus etiam si possunt prouocare, eum tamen statum debent obtinere, vt post prouocationem in custodia perseuerent: ea custodita moderatione vt eorum prouocationes recipiantur, qui easdem non à præiudicio interposuisse noscuntur, aut etiam ante causam examinatam, & determinatam, sed vniuerso negotio peremptoria perscribtione finito, vel per cuncta membra decurso contra iudicẽ interpositæ esse noscantur, &c. Dat. III. Non. Nou. Treu. Acc. XV. Kal. Maij, Hadrumeto, Volusiano & Aniano COSS.

INTERPRETATIO. *Ista lex hoc præcipit, non debere appellãtem aut carceris custodia, aut cuiuslibet iniuriæ afflictione constringi, exceptis tamen criminalibus causis, in quibus similis accusantem & accusatum cõdicio pœnæ custodiaque cõstringet. Et eorum appellationes dicit debere recipi, sed ita, vt qui appellauerit, in custodia teneatur, quousq; ad alium Iudicem crimina obiecta perueniant, vt discußis ad integrum omnibus, aut de absolutione, aut de damnatione accipiat sententiam finitiuam.*

III. Idem A. ad Probianum Proc. Afric.

Appellationum causas, quæ per vos in auditorio vestro, quibus vicem nostri mandamus examinis, diiudicantur, ita audire debes, vt edicto quod super appellationum negotiis finiendis iam generaliter constitutum est, pareas, atque eadem negotia quàm maturissimè explices. Dat. VIII. Kal. Sept. Rom. Cõstantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

IIII. Idem A. Amabiliano PF. Annon. Afric.

Officij cura est, vt omnes omnino appellationes, quæcumque fuerint interpositæ, sollemniter curet accipere: nec in recipiendis libellis aliquod genus iniuriæ inferendum cuipiam existimet. PP. III. Kal. Ianuar. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

V. Idem

v. Idem A. Petronio Probiano suo Sal.

Ex illo tempore quo in ciuilibus causis quæ inter priuatos mouentur, consulturum, vel relaturũ te esse promiseris, vel appellationis à te interpositæ sollemnia completa fuerint, nihil posthac tibi quodlibet speciale, ac requisitum, vel quibuscumque modis fauoris gratiam præferens audiendum est: sed obseruandum, vt iuxta priora statuta solẽnitatis more expleto gesta ad comitatum omnia dirigantur, &c. Dat. Id. Aug. Arelato PP. Id. Octo. Thebeste, Sabino & Rufino COSS.

vi. Idem A. Petronio Probiano suo Sal.

Supplicare causa pendente non licet, nisi fortè ei cui opinionis exemplum negatum est, vel instructionis vniuersæ subpressa transmissio. Quo facto crimen Iudici sacrilegij imminebit, qui hoc cõmisso litigatori supplicãdi necessitatem inponit: cui aliter supplicanti dimidię partis rei de qua agitur, inponẽda est multa, vt pro Iudicis æstimatione fisco pretium inferat: eo etiam qui terminatam rescribto, vel cõsultatione quęstionem exquisito suffragio refricare conabitur (quoniam maius crimẽ admittit) in omnem litis æstimationẽ protinus condemnando, & sub sacramẽti obseruatione omni venia denegãda, si quis contra hæc supplicare temptauerit. Dat. Id. Aug. Arelato. PP. Id. Octob. Thebeste, Sabino & Rufino COSS.

vii. Idem A. ad Bassum P. V.

Litigatoribus copia est, etiam non conscribtis libellis, ilico appellare voce, cum res poposcerit iudicata. Dat. VIII. Id. Iun. Sirmio, Gallicano & Basso COSS.

viii. Idem A. ad Bassum P. V.

Manente lege qua præscribtum est intra quot dies opinionis siue relationis exẽplum priuatis Iudex debeat exhibere, & refutatorij libelli intra quot dies rursum iudicibus offerendi sunt, tam in priuatis, quàm etiam in fiscalibus causis, ex eo die quo fuerit quæstio terminata, vel ex quo relationẽ Iudex per sententiam promiserit, intra vicẽsimũ diem quęcumque ad instructionem pertinẽt causæ, ad comitatum nostrum properantissimè volumus adferri. Quod nisi factum fuerit, ab vniuerso officio viginti transactis diebus, quos post latã sententiam placuit supputari, intra viginti alios dies qui sequuntur, tantum fisco nostro præcipimus inferri, quanti per æstimationẽ Rationalis emolumẽtum litis (cuius suppressa fuerat instructio) fidelissimè potuerit æstimari. Cui capitale supplicium imminebit, si rigorem legis quocumque modo mollire temptauerit. eadem pœna officio imminente, si quando appellatione, vel cõsultatione pẽdente, vel post decisas nostris responsionibus causas, ei quod vllo modo fuerit impetratum, damnabilem voluerit conhibentiam commodare. Nam decreta nostra debet ingerere iudicanti, aut ipso etiam dissimulante Iudice, reluctari, & tanquam manibus iniectis eos de iudicio producere, ac rationum officio traditos statuti prioris nexibus obligare, quorum desideriis violari nostras prospexerit sanctiones. PP. IIII. Kal. April. Rom. Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

viiii. Idem A. ad Seuerum Vicarium.

Ne causas quæ in nostram venerint scientiam, rursus transferri ad iudicia necesse sit, instructiones necessarias plenè actis inseri pręcipimus. Nam cogimur

à proferenda sententia temperare, qui sanximus retractari rescribta nostra ad opiniones, vel etiam relationes Iudicum data non oportere: quoniã verendũ est, ne lis incognito negotio dirimatur adempta copia conquerendi. Quare perẽnibus inuretur Iudex notis, si cuncta quæ litigatores instructionis probationisque causa recitauerint, indita actis vel subiecta non potuerint inueniri. Dat. x. Kal. Iul. Aquil. Constantino v. & Licinio Cæs. COSS.

x. Idem A. ad Crispinum.

Si quis per absentiam nominatus ad prouocationis auxilium cucurrerit, ex eo die interponendæ appellationis duum mensum tempora ei conputanda sunt, ex quo contra se celebratam nominationem didicisse mõstrauerit. Nam præsenti qui factam nominationem cognouit, & appellare voluerit, statim debet duorum mensum spatium conputari. Dat. VIII. Id. Iulias, Constantino A. VI. & Constantio C. COSS.

XI. Idem A. ad Maximum. Post alia.

Nemo in refutatione aliquid congerat quod adserere intentione neglexerit. Quod quidem sæpe fit industria, si quod quis probari posse desperet in præsenti disceptatione dissimulet, certus se esse reuincendum, si commenticia & ficta suggesserit. Propter quod cogi etiam singulos oportebit, ad proferenda in iudicio vniuersa quæ ad substantiam litigij proficere arbitrantur, adque ea ratione vrgueri vt sciant sibi ex auctoritate legis istius non licere refutatoriis tale aliquid ingerere, quod aput Iudicem non ausi fuerint publicare. Nam si plena, vt iubemus adsertio per litigatorẽ in iudiciis exeratur, & integra instructio inconsulti ordinem conferatur, stabit ratum ac fidele quod iudicia nostra rescribserint. Neque vllus querimoniæ locus dabitur, nec occasio supplicandi, vt conuelli labefactaríque iubeamus, quæ ad relationem eius sanximus, qui neque vera, neque vniuersa suggessit. Omnes igitur partium allegationes, acta vniuersa, scriburarúmque exempla omnium dirigantur. Quod cùm vniuersos Iudices tunc præcipuè sublimitatem tuam, qui cognitionibus nostram vicem repræsentas, seruare conueniet. Sanè etiam ex eo querimoniæ litigantium oriuntur, quòd à vobis, qui imaginem principalis disceptationis accipitis, appellationum adminicula respuuntut. Quod inhiberi necesse est. Quid enim aceruius indigniusque est, quàm indulta quempiam potestate ita per iactantiam insolescere, vt despiciatur vtilitas prouocationis, opinionis editio denegetur, refutandi copia respuatur? Quasi verò appellatio ad contumeliam Iudicis non ad priuilegium iurgãtis inuenta sit, vel in hoc non æquitas iudicantis, sed litigantis debeat cõsiderari vtilitas. Dat. Prid. Id. Ian. Sirmio, Crispo II. & Constantino II. CC. COSS.

XII. Idem A. ad Florentinum.

Si nominatus magistratus aliquis refragetur, non appellatio, sed querimonia hoc dicetur. appellationis enim verbũ in maioribus rebus dici oportet. Similiter & si ad exactionem annonariam nominatus de iniustitia queratur, nõ appellatio, sed querela hoc esse videbitur. Ideóque nec tempore appellationũ seruanda sunt, sed mox super huiusmodi querimoniis disceptandum. Dat. Id. April. Constantinop. Seuero & Rufino COSS.

XIII. Idem A. ad Iulianum P. V.

Nonnulli Iudicum inferioris gradus à sententiis suis interponi prouocationis

nis auxilium ægreferētes,id efficiunt, vt nobis eorum relationes non necessariæ, & insolentes ingerantur. Igitur volumus cùm ab eorum sententiis fuerit prouocatū, super ea quæstione,cuius appellatione interposita Iudices esse desierunt,minimè eos ad nostram referre clementiam,sed grauitatis tuæ,cui nostram vicem commisimus,sacrum auditorium expectari. Dat.III. Non.Aug. Heracleę,Constantino A.VII.& Constantio C. III. COSS.

XIIII. Idem A. Victori Rationali Vrb.Rom.

Quoniam nonnulli fisci debitores,cum iussi fuerint debitam summam exsoluere,interposito prouocationis auxilio vim exsecutionis eludunt,nec iam opinionis exemplum,nec refutatorias preces curant petere vel offerre: Placuit vt si intra dies complēdis sollemnitatibus præstitutos ad facienda hæc,appellatoris cura defuerit,deserta ab eo prouocatio æstimetur,móxque debitū exigatur. Dat.prid.Kal.Aug.Constantio & Maximo COSS.

XV. Idem A.ad Concilium prouinciæ Afric.

Non rectè Iudices iniuriam sibi fieri existimant, si litigator cuius negotium sententia vulneratum est,à principali causa prouocauerit. Quod neque nouum neque alienum à iudiciis est. Ideoque post negotium principale discussum, litigatori liceat litem iuris remedio subleuare, & Iudices obseruare debebunt, ne appellatores, vel in carcerem redigant, vel à militibns faciant custodiri, PP. IIII. Kal. Aug. Karthag. Constantino A. VIII.& Constantio C. IIII.COSS.

INTERPRETATIO. *Lex ista hoc iubet,non debere Iudices prouinciarum adsertiones appellantium ad suam iniuriam reuocare,quia hoc nec nouum,nec alienum à Iudicibus esse cognoscitur: & ideo hoc iubet, vt liceat litigatori vitiatam causam appellationis remedio subleuare. Hoc etiam specialiter præcepit, vt appellator nec in carcerem, nec in quancunque custodiam redigatur, sed agendum negotium suum liber obseruet.*

XVI. Idem A. ad Vniuersos Prouinciales.

A Proconsulibus, & Comitibus,& his qui vice prężfectorum cognoscunt, siue ex appellatione, siue ex delegato,siue ex ordine iudicauerint, prouocari permittimus, ita vt appellanti Iudex præbeat opinionis exemplum, & acta cum refutatoriis partium suísque litteris ad nos dirigat. A Præfectis autem prætorio, qui soli vice sacra cognoscere verè dicendi sunt, prouocari non sinimus: ne iam nostra contingi veneratio videatur. Quòd si victus oblatam nec receptam à Iudice appellationem adfirmet, Præfectos adeat, vt aput eos de integro litiget, tanquam appellatione suscepta. Superatus enim si iniustè appellasse videbitur, lite perdita notatus abscedet: aut si vicerit contra eum Iudicem qui appellationem non receperat, ad nos referri necesse est, vt digno supplicio puniatur. Dat.Kal.Aug. PP. Kal.Sept. Constantinop. Basso & Ablauio COSS.

XVII. Idem A.ad Vniuersos Prouinciales.

Qui licitam prouocationem omiserit, perpetuò silere debebit, nec à nobis inpudens petere per supplicationem auxilium. quod si fecerit, deportationis pœna plectendus est. Dat. Kal. Aug. PP. Kal.Sept. Basso, & Ablauio COSS.

xviii. Imp. Constantius A. Anicio Iuliano P.V.

Quotiens Rationalis, vel officij necessitate poscente, vel ex prærogatiua rescribti inter priuatos iudicauerit, si à sententia fuerit prouocatum, non ad nostram scientiam referendũ est, sed apostolis datis, quod iuxta obseruatã rationem postulari sufficiet, & ad auditorium grauitatis tuæ, cui ad vicem nostram delata iudicatio est, partes peruenire oportet: in fiscalibus causis seruato priscę consuetudinis more, vt opinione edita vniuersa ad nostram scientiam referãtur. Dat. XIII. Kal. Iul. Serdicæ. PP. VI. Kal. Aug. Rom. Constantio A. II. & Constante COSS.

XVIIII. Idem A. ad Anatolium Vic. Asiæ. Post alia.

Si ad curiam nominati vel ad duumuiratus aliorúmque honorum infulas, vel munus aliquod euocati, putauerint appellandum, intra duos menses negotia perorentur. Dat. VI. Kalend. Decemb. Constantio A. II. & Constante COSS.

XX. Impp. Constantius & Constans AA. Philippo PF. P.

Iudices cùm in ciuilibus causis, tum etiam criminalibus, in quibus vitæ hominum salutísque quodammodo fata retractantur appellationes admittant, nec denegent vocem in supplicium sentẽtia destinatis. PP. V. Id. Iun. Post Cõs. Constantij II. & Constantis AA.

INTERPRETATIO. *Lex ista hoc præcipit, vt etiam in criminalibus causis, vbi vita vtriusque partis in dubium deuocatur, liceat appellari, nec appellandi vox denegetur ei, quem in supplicium sententia destinarit.*

XXI. Idem AA. ad Proculum Proconsul. Africæ.

Si qui fiscale debitum per sententiam luere iussi, appellationem frustrationis commento crediderint obponẽdam ne moris tergiuersantibus abutantur, ilicò ad eum missi cuius vice nostra cognitio est, intra viginti dies appellationis substantiam persequatur, vt vel probata appellatione ad dicationis tuæ officium reuertantur, vel inprobata, vt legis istius cõtemptores ad Præfectorum prætorio commentarios destinentur: eadem forma seruãda etiam, si pessima conscientia fortè grauati appellãdi causa intra diem supersederint perorare. Dat. IIII. Kal. Decemb. Acyndino & Proculo COSS.

XXII. Idem AA. ad Scyllacium.

Omnes Præsides moneantur, vt si quis prouocatione sibi opus esse cognoscit, iuxta morem ordinémque legum accipiant libellos, & ad eos qui consuerunt audire, transmittant: nec appellantes iniuriarum adflictatione deterritos à suffragio necessariæ defensionis expellant. Inponimus enim præsentis multæ fascem, vt Iudex qui suscipere neglexerit, auri libras X. & officium eius quindecim pendat. PP. Cyzico, VI. Kal. Mart. Placido & Romulo COSS.

XXIII. Idem AA. ad Rusticum P.V.

Dudum meminimus sanciẽtibus nobis esse decretum, vt iuris veteris auctoritate submota, nullus clarissimus à Præfecti vrbis sententia prouocãdi vsurparet licentius facultatem, sed cũctas nobis partes publicæ vtilitatis atque cõmunis iuris volentibus præstare, visum est, vt vetustatis auctoritas, & appellãdi facultas & origo repetatur, scilicet consenescente priore lege qua istiusmodi potestas videatur exclusa. PP. Rom. VI. Non. Iul. Amantio & Albino COSS.

XXIIII.

XXIIII. Idem AA. Procopio Præsidi Ciliciæ.

Cum in controuersia criminali siue ciuili Iudex ad nos existimauerit referendum, acta vt gesta sunt refutatorios libellos vt oblati sunt, referri oportet. Quos quidem exigi & intra præscriptum patria Cõstitutione tempus à iurgãtibus flagitari iubemus, ac pronũciamus grauissimam notam esse subiturum, quisquis hæc à nobis cõstituta neglexerit. PP. VI. Id. Nouemb. Phillippo & Sallia COSS.

XXV. Idem AA. ad Lollianum PF. P.

Quoniam Iudices ordinarij prouocationes æstimant respuendas: placet, vt si quis appellationem suscipere recusauerit, quæ non ab exsecutione, vel à prę-iudicio, sed à sententia iurgium terminante fuerit interposita, triginta pondo auri cogatur fisco inferre, XXX. alias libras auri officio eius itidem soluturo. Dat. IIII Kal. Aug. Messadensi. PP. Capuæ, Arbitione, & Lolliano COSS.

XXVI. Idem AA. ad Volusianum PF. P. Post alia.

Lata sententia quæ pertinent ad bona vacantia & caduca, & ad ea quæ indignis, legibus cogentibus, auferũtur, si quis putauerit prouocandum, vox eius debebit admitti. Dat. III. Kal. Aug. Arbitione & Lolliano COSS.

XXVII. Idem AA. & Iulianus Cæs. ad Taurum PF. P.

De Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis & Piceno, Aemilia & Venetia, & ceteris interpositas appellationes laudabilis sublimitas tua more sollemni debebit audire competẽti appellatione terminandas. Nec verò vlla poterit esse confusio. Præfectus enim vrbis nostra responsione conuentus prędictis cognitionibus temperandum sibi esse cognouit. Dat. Sirmio, Cõstantio A. VIIII. & Iuliano II. Cæs. CONSS.

XXVIII. Idem AA. ad Taurum PF. P.

Patris nostri salutaribus imperatis comperimus dudum esse præceptum, vt si à Rationali, vel Comite, vel alio qui curam fiscalis commodi gerit, fiscale debitum postulante, fuerit prouocatum, ad eos qui vice nostra huiusmodi cognitionibus præsident, appellatores intra diem tricensimum perducantur, aduersus sententias quas iniquas esse contendunt, exsecuturi proprias actiones. Quapropter viginti sufficit dies intra eandem prouinciam custodiri, intra quam fuerit prouocatum, sicut ex aliis quadraginta seruentur: adque intra eorum terminos quod patris nostri Constitutio statuit explicetur. Dat. XIIII. Kal. Iul. Singiduno. PP. X. Kal. Aug. Rom. Eusebio & Hypatio COSS.

XXVIIII. Imp. Iulianus A. ad Hymetium Vic. Vrb.

Omnes legitimæ appellationes, quæcunque fuerint contra audientiam tuæ grauitatis interpositę, indubitãter suscipiantur, & post latam sentẽtiam intra triginta dies vniuersa, quæ in eiusmodi negotio geruntur, cum refutatoriis precibus, seu libellis ad nostrum comitatum mittantur: strenuo videlicet officiali ex his qui tibi parẽt, ad hanc sollicitudinem electo, ita vt publicis monumentis confectis dies quo gerulis gesta tradantur, fideliter designetur. nam X. librarum auri multę constituetur officium obnoxium, si statuta nostra aliqua fuerint dissimulatione violata. Dat. X. Kalen. Octobr. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta COSS.

xxx Idem A. ad Germanianum PF. P.

His qui tempore conpetenti non appellant, redintegrandæ audientiæ facultas denegetur. Omnes igitur qui cõtra Præfectos vrbi, seu Procõsules, seu Comites orientis, seu Vicarios sub specie formidinis prouocationem nõ arbitrãtur interponendã, à renouanda lite pellantur. Nobis enim moderãtibus rempublicam, nullum audebit Iudex prouocationis perfugium iurgãtibus denegare. Qui verò vim sustinuerint, cõtestatione publicè proposita intra dies videlicet legitimos quibus appellare licet, causas appellationis euidẽti adfirmatione distinguant, vt hoc facto tanquam interposita appellatione hisdem æquitatis adminicula tribuantur. Emissa xv. Kalen. Ian. Mamertino, & Neuitta coss.

xxxi. Idem A. ad Mamertinum PF. P.

Quoniam plerique Rectores relationes quas ad nostræ trãquillitatis comitatum destinare promittunt, supprimere, vel differre conantur, praua id conscientia faciẽte, cõueniri eos ab inlustri auctoritate tua præcipimus, vt intellegãt sibi quidem denarum librarum auri, officiis verò suis vicenarum imminere condemnationem, si promissa relatio intra triginta dies non fuerit sine aliqua ambiguitate transmissa his officialibus, per quos conuenit gesta transmitti. Et quia plerumque contingit, vt gerulis litterarum, aliquo casu existente, tarditatis obstaculum videatur adferri, ne id quod necessitate contingit, ad culpam Rectorum redundare videatur, actis aput se confectis diem designare debebunt, in quo transmissio gestorum committitur his, qui huic necessitati deputantur. Dat. x Kal. April. Iuliano A. IIII. & Sallustio coss.

xxxii. Impp. Valentinianus, & Valens AA. salutem dicunt Ordini ciuitatis Karthaginis.

Iudicibus non solùm appellationis suscipiendæ necessitas videtur inposita, verùm etiam triginta dierum spatia definita sunt, intra quæ negotij merita ad mansuetudinis nostræ scrinia conueniat destinari: Iudice & officio, si statuta fuerint aliqua parte mutilata, multæ subiacente. Dat. prid. Non. Febr. Med. Diuo Iouiano & Varroniano coss.

xxxiii. Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric.

Quicunque Iudicum aduersus auctoritatem legis appellationes neglexerit, protinus officio tuo non Rationalis imminente ad viginti librarũ auri exsoluendam multã cogetur, ita vt & officium eius triginta simili celeritate dissoluat. Dat. Prid. Id. Septemb. Aquil. Acc. XVIII. Kal. Decemb. Tacapis diuo, Iouiano & Varroniano coss.

xxxiiii. Idem AA. ad Symmachum P. V.

Si quisquam ausus consultationem sequi circa limina palatij nostri comitatúmve fuerit deprehensus æstimatæ litis quæ in controuersiam venit, medietatem in auro adque argento fisci viribus inferre cogetur. Iudex sanè qui relationem promiserit, nisi intra triginta dies dictæ sententiæ promissam relationem ad nostra scrinia destinarit, ipse quidem notabili sententia reprehensus, x. librarum auri condemnatione quatietur. officium verò eius quod non suggesserit, nec commonuerit de relationis necessitate, viginti libris auri fiat obnoxium. Dat. v. Id. Nou. Med. Diuo Iouiano & Varroniano coss.

XXXV. Idem AA. ad Modestum PF.P.

Cuncta instrumenta quæ iudiciis offeruntur, subiecta consulationi gesta continere debebunt. Sed & acta, quæ sint antè habita, & monumenta transmittenda sunt, hísque adnectenda sunt testimonia, vel confessiones partium, & omnia huiusmodi, in quibus causa cõsistit, & habere exitum videatur. Dat. Kalend. Aug. Marc. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XXXVI. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Eupraxium P.V. Post alia.

Cùm ex causis iustis aliquid quo minus iudicari statim possit, repperietur incertum, ac debitor aduersus discussoris statum cœperit reluctari, dilatione postposita super eo quod exorietur ambiguum, vel sublimitas tua, vel vicarius, prout quisque vestrũ proximus erit, adhibeat examen. PP. XVI. Kal. Mart. Gratiano A. III. & Equitio COSS.

XXXVII. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Thalassium Proc. Afric. Post alia.

Cùm de præscribtionibus peremptoriis agitatur examen, si eas perscribtiones iudex, vt leues, putauerit improbãdas, & ab eius interlocutione fuerit appellatũ, prouocatio huiusmodi recipiatur. Cùm peremptoria pręscriptio, & definitiua sententia eadem vi vel consumptæ causæ, vel non admittendæ videãtur operari. Sed quoniam euenire potest, vt multæ pręscribtiones peremptoriæ litigatoribus competant, ne in vno eodémque negotio per singulas necesse sit sępius prouocari, totiens ad nos referri omnes peremptorias præscribtiones quas sibi quisque putauerit conpetere, cogatur expromere: & ita demum si à cognitore fuerint repudiatæ, vtatur, si placet, prouocationis auxilio, &c. Dat. III. Kalend. Septemb. Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

XXXVIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Syagrium PF.P. Post alia.

In condemnationibus appellationes iubemus admitti. Dat. XIIII. Kal. Iul. Gratiano V. & Theodosio I. AA. COSS.

XXXVIIII. Idem AAA. ad Macedonium Com. S.L.

Quotiens fiscalibus causis controuersiæ alicuius dubitatione pendentibus sũmã sentẽtiæ comes ærarij nostri inposuisse detegitur, & cogẽdis obuium debitis prouocationis suffugium fuerit obiectum, proprium super eo esse tribuendum pręstantia tua discat examen, modò vt frequentibus statuta pręceptis eos pręter debiti modum pœna comitetur, quos executionem veteris iudicati superfluæ appellationis obiectu suspendisse claruerit. PP. Karthag. XV. Kal. April. Syagrio & Eucherio COSS.

XL. Idem AAA. ad Basilium Com. S.L.

Omnem quæ de libello scribta recitatur, dici volumus, atque esse sententiam, atque ab ea prouocationis auxilia quisquis efflagitat, ad auditorij sacri venire iudicium, neque illic ex præiudicio pœnam vereri, sed appellationis iniustæ iustæve discrimen conpetenti subire luctamine. Præterea quidquid in cunctis cognitionibus, atque conflictibus libelli absque documento & recitatione decernitur, præiudicij loco iustè ac probabiliter putatur, atque ab eo si vel vocem quisquam prouocationis obiecerit, vel libellum disputatione

non indiget, qui incerta atque manifesta præiudicij cõdicione teneatur, eúmque cõfestim ab eodem cognitore exigi conueniet, ac teneri. Dat. prid. Kal. Septemb. Merob. II. & Saturnino CONSS.

XLI. Idem AAA. ad Ammianum Com. R. P.

Rationales priuatæ rei causis, vel sacri ærarij pręsidentes, examen præsente fisci aduocatione suscipiant, ac si eorum sentẽtia fortè fuerit appellatione suspensa, ad eos Iudices disceptationis fata transeant, ad quos priuatorũ hominum causæ inferri ex prouocatione consuerunt, ita vt si ab illis quoque fuerit prouocatum, mansuetudinis nostræ expectetur arbitrium, vel sinceritate tua, vel sacrarum remunerationum comite, prout ad quem negotium pertinebit, quid super his de quibus referatur gestum sit scribtis currentibus instruente, vt siue athuc superest nostra cognitio, mãsuetudinẽ nostram facta suggestione commoneat, siue adquiescẽtibus partibus terminum negotio datum esse constiterit, plenam rei inquisitionem notitiámque eius accipiat. Sanè tempora tãtùm volumus priuatis fiscalibúsque causis non esse communia, vt antiquo iure fiscalia negotia intra duos menses in eadem prouincia, intra quattuor in contigua, intra sex in transmarina, dicantur. PP. XVII. Kal. Ian. Merob. II. & Saturnino COSS.

XLII. Idem AAA. ad Agrestium Proconf. Palæstinæ.

Probamus verecundiam iudicantis, si superfluam quoque recipiat prouocationem, ne interim reliquum negotium audiret. Dat. prid. Kalend. April. Constantinop. Richomere & Clearcho COSS.

XLIII. Idem AAA. Merobaudi Duci Ægypti.

Prouocantibus multas, nisi ex nostris decretis, non patimur imponi. Dat. XIII. Kal. Nou. Constantinop. Richomere & Clearcho COSS.

XLIIII. Idem AAA. ad Symachum P. V. Post alia.

Obiecta appellatione, etiam si à præiudicio interposita dicatur, vel ad nos, vel ad cognitorẽ sacri auditorij sollemniter causa mittatur. Cùm si ea prouocatio aduersum leges fuerit emissa, facilè post iudicium sacri examinis ab huiusmodi litigatoribus multa possit exculpi. Dat. III. Kal. Decemb. Med. Richomere & Clearcho COSS.

XLV. Idem AAA. & Arcad. A. ad Pelagium Com. R. P. Post alia.

Cùm post sententiam discussoris, vel Rationalis fuerit prouocatum, ad sinceritatem tuam negotium transferatur, vt si mediocritas negotij, aut longinquitas regionis ad iudicium tuum litigatores venire non patitur, Iudici prouinciæ, quem ipse probaueris, negotium deleges. Appellationes verò transmarinæ in iudicio tuo intra anni agantur spatium. De contiguis & non longè positis prouinciis appellationes intra constituta iure tempora peragantur. Dat. XV. Kalend. Mar. Med. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XLVI. Idem AAA. ad Florentium Com. S. L. Post alia.

Cùm super fiscali debito emerserit prouocatio, in eadem prouincia vicensimo die negotij merita noscenda sunt, ita vt secundum generalis arbitrium sanctionis XL. dierum ex contigua prouincia spatia sufficiant. Dat. VII. Kal. Decembr. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XLVII. Impp. Valentinianus Theod. Arcad. AAA. Cynegio PF. P.

Cùm antea sit constitutum, vt consultationem Iudicis ad comitatũ sacrum missam

missam litigatorum nemo sequeretur, hoc integra deliberatione sancimus, vt si ad consultationem anno decurso non fuerit aliqua ratione responsum, litigatores, quorũ interest collectis omnibus gestis, & ipsius relationis exemplis veniendi ad comitatum nostræ serenitatis habeant liberam facultatem. Dat. VII. Kal. Feb. Constantinop. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

XLVIII. Idem AAA. ad Eusignium PF. P.

Reuocare appellationem suam vnicuique minimè permittatur, sed sacro auditorio totius negotij examinatio reseruetur. Quod si hac lege neglecta gratiam fiuerit appellationis, & ipse quinquaginta libras argenti, & eius officium parem summam condemnationis inferre cogetur. Dat. XIIII. Kal. Iun. Med. Valentiniano A. IIII. & Eutropio COSS.

XLVIIII. Idem AAA. Albino P. V. Rom.

In negotiis quæ in vrbe venerabili nostri patrimonij nomine ventilantur, id iuris tulimus, vt si ducentarum librarum argenti negotium quod agitur, summam æstimationémque transcendit, à Rationalis sententia prouocantes, comitiuæ priuatarum sequantur examen. Si verò intra pręstitutum modum litigij summa se cohibet, sublimi eminentiæ tuæ sacrum nostri numinis iudicium delegamus. Dat. VIII. Kal. Aug. Rom. Timasio & Promoto COSS.

L. Idem AAA. Victorio Proconſ. Asiæ.

Eum qui procuratorem suum cum appellatione ante sentẽtiam aduersum se latam ad iudicium dirigit, iudiciaria auctoritate iubemus præiudicialis multæ excipere ac sustinere iacturam. Emissa prid. Non. April. Constp. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

LI. Idem AAA. Apodemio PF. P. II. Illyrici & Ita.

Quibus causis non est prouocatio respuenda, iubemus respuentem Iudicem triginta librarum auri, obsecũdantem officij gratiam, quinquaginta esse feriendam. Dat. V. Id. Iun. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

LII. Idem AAA. Haue Rufine KN. B.

Nihil sub sacri iudicij examine de ea patte negotij debet definiri, de qua nihil in exordio aput præsidem, aut institutum fuerit, ac probatum. Dat. IIII. Kal. Octob. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

LIII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Ennoio Proc. Afric. Post alia.

Libellis vel edictis factæ circa consilium publicum non valeãt nominationes, de quibus nec appellari necesse est, si sollemnitas deest. Dat. XVII. Kalend. Iun. Med. Olyb. & Probino COSS.

LIII. Idem AAA. Andromacho P. V.

Si ante annum relationi missæ responsum sacra scrinia non dedissent, causæ litigatoris commonitio non nocebit. Post quod etiam si aliqua Constitutio manasse monstratur, quæ venientes rei de qua agitur (vt dudum) amissione constringit, in quo ei, quæ tempus designat, nihil intelligitur detraxisse, quia nullam indulti anni nec attigit, nec sustulit mentionem: atque ideo positum vigorem legum scitáque seruabunt, si intra annum missę relationis impatientia litigatoris eruperit, vel condicio pręstituta, vel pœna. Transacto autẽ anni curriculo, nemo venire prohibebitur, quominus à clementia nostra repetat oraculum, quod lex præscribta anni definitione distulit, nõ ademit. Dat. VIII.

Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino COSS.

LV. Idem AAA. Messalæ. PF. P.

In negotiis ciuilibus cùm nihil sit quod ante appellationem iudicio principali indigeat, agnitis partiũ allegationibus, atque pensatis, terminari oportet controuersias, non duntaxat consultatione differri. Neque enim fas est, quod aput infirmum disceptatorem definiendi constantiam prouocãtis trepidatio retardauit, litigatorem sub consultationis ambiguo iugi expectatione pendere. Dat. XIIII. Kalend. Iun. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

LVI. Idem AAA. Nebridio Proconf. Asiæ.

Repugnantes priscorum sentẽtias nostra serenitas temperauit. Si quis itaque libellos appellatorios ingesserit, sciat intra triduũ post oblationem legitimam, non ex quo est sententia deprompta, appellatorem habere licentiam arbitrium commutandi, ne iustæ pænitudinis humanitas amputetur. Dat XI. Kalend. Aug. Constantinop. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

LVII. Idem AAA. ad Eutychianum PF. P. Post alia.

Addictos supplicio, & pro criminum immunitate damnatos, nulli clericorum vel monachorum eorum etiam, quos synoditas vocant, per vim atque vsurpationem vindicare liceat ac tenere, quibus in causa criminali humanitatis consideratione, si tempora suffragantur, interponendæ prouocationis copiam non negamus, vt ibi diligentiùs examinetur, vbi contra hominis salutem vel errore vel gratia cognitoris obpressa putatur esse iustitia: ea conditione, vt siue Proconsul, Comes Oriẽtis, Augustalis, Vicarij fuerint cognitores, non tam ad clementiam nostram quàm ad amplissimas potestates sciant esse referendum. Eorum enim de his plenum volumus esse iudicium, qui si ita res est & crimen exegerit, rectiùs possint punire damnatos, &c. Dat. VI. Kalend. Aug. Mnizo, Honor. A. IIII. & Eutychiano COSS.

LVIII. Idem AAA. Theodoro PF. P.

Multorum querellis excitati hac lege sancimus, vt siquis prouocatione interposita suspecti Iudicis velit vitare sententiam, in hac voce liberam habeat potestatem: nec timeat contumeliam iudiciorum: cùm & ab ipsa iniuria possit facilè prouocare permissum sit. Sciant igitur cũcti sibi ab iniuriis & suspectis Iudicibus & à capitali supplicio ac fortunarum dispendio prouocationem esse concessam. Quòd si quis posthac Iudicum appellatione emissa libellos quoque ablatos audire noluerit, viginti librarum auri dispendio multabitur. Officium verò eius nisi huic pertinaciter restiterit, atque actis ita cõtradixerit, & quid iure sit constitutum ostenderit, vigintiquinque libras auri largitionibus nostris inferre cogetur. Dat. VII. Id. Iun. Med. Theodoro V. C. CONSS.

LVIIII. Idem AAA. Simplicio Præsidi Trip.

Nullum ita credimus cõtumacem, vt appellationem interpositam legibus audeat recusare. Quamobrem teneat apparitio veterẽ disciplinam, nec à suggestionibus necessariis metu eius, cui ad tempus paret, retrahatur. XXX. autem libras auri ærario nostro cogetur inferre, qui obiectam prouocationem iure neglexerit, & eadem officium, si conhibentiam præstet Iudici, pœna retinebitur. Dat. prid. Id. Iun. Verona & Theodoro V. C. COSS.

LX. Idem

LX. Idem AAA. Pompeiano PF. P. Afric.

Cùm de appellationibus recipiendis necne promulgatarum legum sufficiat auctoritas, atque his qui ritè ab iniusta sententia prouocantes audire noluissent, sit pœna proposita, pœna etiam officio constituta, siue in criminalibus, siue in ciuilibus causis fuerit iudicatum: adtamē nostro etiam motu decernimus, vt veterum statuta seruentur, quæ nullum patimur vmquam inpunè violare. Dat. Kalend. Iun. Med. Stilichone & Aureliano COSS.

LXI. Idem AAA. Flauiano P.V.

Quótiens vir spectabilis Vicarius venerandæ vrbis negotium aliquod præmissa inscribtione cognoscit, atque ab eius sententia fuerit prouocatum, ad nostram clemētiam referri decernimus. Sin verò huiusmodi examen arripuerit, in quo sine vllo legis vinculo non tam crimen obicitur, quàm cuiusdam criminis conflatur inuidia, latáque sententia appellatione suspenditur, inlustrem sedem tuam, editis ex more apostolis, sacra vice audientiam præbere sancimus. Dat. XIIII. Kal. Septemb. Brixiæ, Stilichone & Aureliano COSS.

LXII. Idem AAA. ad Diotimum Proconsul. Afric.

In negotiis quæ ex appellatione descendunt, veterem consuetudinem volumus custodiri, illud addentes, vt si quando à gentilibus, vel à Præfectis eorum fuisset interposita prouocatio, sacrum sollemniter hoc est proconsularis cognitionis præstoletur examen. Dat. XI. Kal. Aug. Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS.

LXIII. Idem AAA. Anthemio PF. P.

In his causis quæ præsentes arbitros ex sententia vestræ magnitudinis sortiūtur, vel in ea ciuitate, seu prouincia qua degeris, siue in proximis atque cōtinguis prouinciis lex antiqua propriam obtineat firmitatem: vt duobus exactis mensibus dies sit vltimus temporalis, & intra triginta dies reparatio postuletur. Vbi verò in longioribus ac remotis prouinciis eadem litis ac dilationis ratio pēsabitur, ad eorum instar, quos à Rectoribus prouinciarum eorúmque sentētiis conuenit appellare, sex mensium temporalis diei, trium reparationis nomine, dilatio præbeatur. Dat. XIIII. Kal. Ian. Constantinop. Stilicone II. & Anthemio COSS.

LXIIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Iuliano Proconsul. Afric.

Non ignoramus post interpositam prouocationem in causis fiscalibus antiquitus constitutum, vt viginti dies constituti intra prouinciam videātur & vt sacri auditorij cognitores diuinę domus negotia terminarent: ex contigua verò prouincia intra quadraginta dies negotia vniuersa discingerent. Verùm serenitas nostra certū moderamen inuenit. Præcipimus itaque vt præter hos viginti dies quos lex Augusta constituit, viginti alios iungeremus. Quorum quidem omnium hæc erit forma seruanda, vt quocumque die ex adiectis viginti diebus fuerit negotium peroratum, sacri auditorij habere reuerentiam iudicetur: sitque vltimus etiamsi non quadragensimus conprobatur. Quæ idcirco ita custodiēda sancimus, ne si vnius tantum obseruabitur dies, aut ægritudo iudicantis, aut litigantis fuerit occupatio rectè præfinitum tempus interdum distulisse videatur. Ideóque hanc reuerentiam cunctis his qui superadditi sunt, diebus statuēdam esse censuimus, vt nihil postea excusationis occurrat. Labsos enim post hoc tempus, reparationem præcipimus nō habere:

ac ne medio tempore officij cõludium differat litigantem, viginti librarum auri multam præcipimus imminere, vt si eorum culpa atque cõludio, quos suggerendi cura constringit, negotium claruerit fuisse dilatum, præscribtæ multæ teneantur obnoxij. Si in tot diebus vtilitatibus suis non adfuerit litigator, cui aduersus fiscum nostrum iurgium manet, emẽso iam tempore nullius reparationis beneficium speret, solam fisco exsecutionem superesse iam nouerit. In contiguis quoque prouinciis, in quibus quadraginta dies dedit antiquitas, sub simili conditione alios triginta dies iungi præcipimus, vt adiecti temporis spatium sub ea definitione custodiant, & omni adiecto tempore, sit dies vltimus quocumque potuerit definiri, emenso tamen tempore litigãti reparationem penitus iussimus inhiberi. Officium sanè ad eandem multam pręcipimus retineri, si eius dissimulatione actum esse constiterit, quominus negotium peroretur. Dat. Id. Octob. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

LXV. Idem AA. Symmacho Proc. Afric.

Præscribtiones fori in principio à litigatoribus obponẽdas esse legum decreuit auctoritas, nec ab interlocutionibus appellãdum esse duxerunt. Quòd si quis id fecerit, præiudicialem multam subire cogetur, quæ priscis sãctionibus continetur. Hac igitur lege sancimus, vt appellatio litigantium intra tempus iure præscribtũ suscepta nectatur annalibus, & promissa relatio intra triginta dies legibus definitos ad sacra scrinia destinetur. Quam legem nisi in omnibus causis vniuersorum Iudicum & officiorum exsecutio deuota seruauerit, statutum priscis sanctionibus multæ modum ab his mox iubemus exculpi. Dat. v. Kal. Septemb. Rau. Honor. x. & Theod. VI. AA. COSS.

LXVI. Idem AA. Monaxio PF. P.

Omnes quorum in causis sententiæ Iudicum vel appellationes suspensæ sunt, vel medio tempore transegisse demonstrent, vel si non transegerunt, consultationes eorum quantocius nostris auribus intimare cogantur, vt responsa legibus coNpetentia mereantur: illa videlicet lege seruanda, qua cauetur neminem litigantium post interpositam appellationem intra annum ad sacrum comitatum nostræ maiestatis accedere. Dat. VIII. Id. Mart. Const. Monaxio, & Plinta COSS.

LXVII. Idem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.

Si appellationem oblatam in qua, vel tuæ amplitudinis, vel vrbanæ præfecturæ sacrum auditorium postulatur, Iudex nõ susceperit, vel suscepta appellatione apostolorum copiam denegauerit, ad deponendam super hac iniquitate querimoniam, necnon etiam conueniẽdum aduersarium ex prolata sentẽtia, iuxta antiquum ius anni metas habeat litigator: vel si huiusmodi appellatio suscepta nõ fuerit, in qua inferiorum Iudicum sacra desideratur auditio, ad hæc eadem facienda sex menses habeat litigator. Si verò arbiter appellationem suscipere, aut relationem dare contempserit, quattuor mẽsum tempora obseruẽtur, vt his quæ statuimus actitatis, pareat appellator temporibus, quæ de appellationibus definita noscuntur, &c. Dat. III. Kal. April. Constãtinop. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

LXVIII. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Celeri suo Sal.

In priuatæ rei causis pręter pensionũ & coNpetitionum negotia de ceteris titulis

titulis ex appellatione à Rationalis iudicio Proconſulē oportet cognoſcere. Salua enim noſtræ reuerētia maieſtatis, ius nobis cum priuatis non dedignamur eſſe commune. Dat. v. Kal. Mart. Rau. Poſt Conſ. Felicis & Tauri v v. c c.

De reparationibus appellationum. *Tit. XXXI.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum. PF. P.

SI poſſeſſor in iudicio ſuperatus prouocationis auxilio ſe defenderit, & temporibus fuerit euolutus, intra menſem tertiū redintegrari ſibi exhauſtū poſtulet ſpatium. Id ni fecerit, dictā in eum volumus manere ſententiam. Similis etiam ratio ex iudicio magiſtratuum eſſe debebit, tamen vt in eo artiores metæ temporū ſeruentur, intra triginta enim illic dies reparationem poterit adipiſci, ne ſententiā inpoſitā rerum effectus conpetés ſubſequatur. Dat. Id. Octob. Veronæ, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

II. Idem AA. ad Symmachum P. V.

Et ſi poſt iteratum temporis labſum nulli reparationem præſcribtio legis indulgeat, tamen his iuris beneficia ſubueniunt, quorū non ſtudio, aut culpa, ſed ægritudo Iudicis vel reipublicæ interueniens negotium, ne perſequerentur, obſtiterit. Dat. XIIII. Kal. Mart. Med. Valétiniano & Valente AA. COSS.

III. Idem AA. ad Olybrium P. V.

Si in ſacræ cognitionis examine audientiam neceſſitas publica vel ægritudo Iudicis abnegauerit, intra tres menſes reparatio poſtuletur: atque in aduerſariorum notitiam impetrata reparatio perferatur. Ac ne vtrumque intra hos tres menſes fuerit effectum, ſentētia quam appellator prouocatione ſuſpenderat, conualeſcat. Quotiens verò à magiſtratibus, pedaneíſque Iudicibus dicta ſentētia appellatione ſuſpenditur, ſuper qua diſceptatio non auditorij ſacri, ſed ordinariorum Iudicum cognitione tractanda eſt, cuique duo ad peragendum menſes cauſarum vrguentium concluſione tribuuntur, ſi fortè ſine appellatoris ſtudio predictus labſus inciderit, intra triginta dies reparatio poſtuletur. Dat. XIIII. Kal. April. Treu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

IIII. Idem AA. & Gratianus A. ad Olybrium P. V.

Si qui ex iuſtis cauſis quę diuorum parentū noſtrorū Cōſtitutionibus comprehenſæ ſunt, per occupationem eius Iudicis qui eſt in ſacro auditorio cogniturus, ad reparationis poſſunt beneficium pertinere, trium menſum tempus in vtroque cuſtodiant, ſcilicet vt priùs quàm id poſſit elabi, & redintegrent euoluta curricula & redintegrata denūtient, aut certè, cauillatione ſubmota, his quæ ſtatuta ſunt, obſecundent. Dat. XIII. Kal. Iul. Altaripa, Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

V. Idem AA. ad Olybrium P. V.

In ſpeculis agat is, aduerſus quem in ſacro auditorio cauſa reparanda eſt, & an intra tres menſes reparationem aduerſarius mereatur, exploret, ac ſtatutum ſcitis triumphalibus diem ſedulus in iudiciis litigator obſeruet. Incumbat quoque appellatori cura, vt ſi aduerſarius ex loco quem habitare conſueuit, fortè ſubterfugiat, pergat cum officio publico, hominíque eius quem in loco reppererit, conuētionem tradat ad aduerſarium perferendam. Idque ita geſtū eſſe curator aut magiſtratus reſcribti publici vel actorum teſtificatione confirmet. quibus impletis, ſi is, cuius cōuentio curata eſt, iudicium obire neglexerit, ferat hanc deſidiæ contumaciæque multam, vt vrguens negotium

ipso quoque absente dicatur, diligentíque iudicantis examini sententia proferatur ea, quam æquitatis ratio & iuris præscribta dictauerint. Dat. XVIII. Kalend. Septemb. Altino, Valentiniano & Valente. IIII. A. COSS.

VI. Idem AAA. ad Modestum PF. P.

Reparatis intra mensem tertium ex priore lege temporibus, in notitiam hoc ipsum aduersarij per denuntiationem ex more celebrandam iubemus sine dilatione perferri, scilicet vt interiectorum spatiorum dinumeratione seruata, ad debitum partibus iudicium reuertantur. Quod si is cui reparata sunt tempora, vltra dinumerationem crediderit differendum, lata aduersus eum sententia roboretur, atque in exsecutionem semel iudicata ducantur. Dat. VI. Id. Dec. Constp. Valentiniano & Valente IIII. AA. CONS.

INTERPRETATIO. *Lex ista hoc precipit, vt si quis videtur iniuste in causa sua victus, reparatis ante tertium mensem temporibus, quæ appellationi videntur fuisse concessa, statim hoc ipsum in aduersarij sui notitiam deducere procuret, & intra tempora quæ appellationi cõstituta sunt, de hoc ipso negotio is qui appellauit, vt sibi credidit competere, agere non moretur. Quod si facere neglexerit, sententia quæ aduersus eum lata fuerat perseueret, & data executione in omnibus compleatur.*

VII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Siburium PF. P.

Si possessor primis dicendi negotij temporibus excussus intra tres menses instauratione non potuerit postulare ob id quod copiam ad iudicia veniẽdi hostis obrepserat, iuris beneficium eiusmodi occasionem non perdat, sitque depulsis perduellionibus hæc prima litium rerúmque reparatio, vt cum primum adiri potuerit, sacræ cognitionis auditor cognitis causis præsidium amissæ instaurationis indulgeat. Dat. III. Non. Decemb. Treu. Auxonio & Olybrio COSS.

VIII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Victorio Proconsl. Asiæ.

Quotienscunque in his negotiis quibus aliqui ad curiam deuocantur, primus temporũ labsus inciderit, intra triginta dies sub ea definitione, qua cautum est, reparatio postuletur, & petitæ reparationis tenor in aduersæ partis notitiam perferatur. Dat. VIII. Kalend. Mai, Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

VIIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.

Appellatoribus qui præfinito tempore iudicia non obseruauerint, hæc tempora custodiẽda sunt, vt si contra arbitri definitionem fuerit appellatum, labsumque prouocator incurrerit, tempora priscis statuta legibus obseruentur, secunda reparatione, quam prouocanti ab arbitro serenitas nostra concedit, in ea quidem prouincia, in qua iurgiũ ventilatur, & in contigua tres menses, in vlteriore autem, quattuor menses habitura. Si verò sententiam Iudicis prouocatio obiecta suspenderit, cùm sacri cognitoris tribunal appellatur, post lapsum ad primam reparationem petendam tribus mẽsibus statuendis, si in eadem vel proxima prouincia eius aduersarius commoretur, quattuor verò, si in vlteriore consistet. In secunda verò reparatione, quam à Iudice appellantibus serenitas nostra præstare consueuit, illi quidem qui post labsum intra tres quattuórve menses, sicut statuimus, non poposcerit reparationem ab eo cui sacri auditorij cognitio debetur, trãsacto dierum spatio designato, tres

tres alios menses indulsimus ad impetrandum allegandúmque rescribtum, & ad conueniendos eos, quos pulsat intentio: ita tamen, vt tã in prima, quàm in secunda reparatione, sicut iam diximus, causæ idoneæ comprobentur, hoc est, ægritudo, vel occupatio actuum publicorum, aliáque necessitas quam Iudex aut litigator differre nõ potuit, vel si negotij patronus cognitis adsertionibus temporali die adesse non potuit. Clarum autem fieri volumus post secundam reparationem aliam vlterius nullo modo posse deposci, & in omnibus reparationum generibus formam custodiri, quam super his dedimus, qui se ne conueniantur, ex reparatione subtraxerint. Dat. III. Kal. April. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

De secundo labsu. Tit. XXXII.

I. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Volusianum P.V.

SI culpa Iudicis gemino labsu causa fuerit euoluta, iuxta diui Constantini præceptum ipse ad redhibitionẽ eius æstimationis, quanto res valet de qua iurgium est, debet adtineri. Dat. III. Non. Sept. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

De dilationibus ex consensu. Tit. XXXIII.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Africano P.V.

COgnitiones omnes, quotiens consensu partium differuntur, vltra duos menses differendi non habeãt potestatem, ne paulatim libera dilatione concessa, ętates plerumque iurgantium veternosis litibus consenescant. Dat. III. Kalend. Maij, Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

De his, qui per metũ iudicis non appellauerunt. Tit. XXXIIII.

I. Imp. Constantius A. ad Vniuersos Prouinciales.

IN insulam deportandi sunt cum amissione omnium facultatum quæ fisco addicendæ sunt, hij qui prouocatione omissa litem reparare temptauerint contra Comitum ceterorúmque sententias qui vice nostra iudicauerint, firmantes se per metum appellationis † omissæ auxilium in qua re vel nostrum vel Præfectorum prætorio ex nostra erit iussione iudicium. Dat. Kalend. Aug. PP. Kalend. Septembr. Basso & Ablauio COSS.

† re. omisse.

II. Imp. Constantius A. ad Volusianum PF.P.

Si à Præfecto vrbi, vel à proconsule fuerit dicta sententia, eandémque prouocatio minimè fuerit subsecuta, præsidium postulare fas erit imminente Iudicum metu territos se esse firmantibus. nam quicumque necessitatis huiusmodi laqueis beneficio meo eximi postulauerit, aut per me cognoscam, aut excellentię tuæ impertiam notionem, hac videlicet condicione, qua Vicariorum sententiæ, quas appellatio non suspenderit, ex diui patris mei sanctione retractantur. Cùm verò Consularium ac Præsidum aliorúmve sententiæ in querimoniam deducentur, prioris legis statuta sectanda sunt, quæ similiter certo terrore proposito, auxiliũ poscentibus detulit. Dat. Kalend. Ian. Med. Arbitione & Lolliano COSS.

Si pendente appellatione mors interuenerit. Tit. XXXV.

I. Imp. Constantinus A. ad Bassum P. V. Post alia.

Consulentibus Iudicibus, si debeant cùm de appellatione cognoscunt, litigatoris heredibus qui ante labsum negotium in lite defecerit, noua tempora prorogare, an eos cogere intra dies reliquos etiam incognitum negocium perorare: placuit, cùm de appellationibus iudicatur, altero ex litigatoribus in lite defuncto, menses quattuor innouare, & noua tempora prorogari, ne ignorantes negotia vel etiam super adeunda hereditate dubitantes prius quàm aliquod commodum sentiant, damnis adfici compellantur. PP. XIII. Kal. Iun. Sirmio Crispo. II. & Constantino II. CC. CONSS.

INTERPRETATIO. *Si pendēte adhuc appellatione mors interuenerit litigatoris appellantis heredibus eius qui appellauit quattuor menses, ei cuius auctor mortuus est ad tractandum negotium debent præstari, nec eum debere ad dicendum causam præcipitari, nec per igno rantiam litis quam non ad integrum tractauit, damnum videatur incurrere.*

Quorum appellationes non recipiantur. Tit. XXXVI.

I. Imp. Constantinus A. ad Catullinum.

Moratorias dilationes frustratoriásque non tā appellationes, quàm ludificationes, admitti non conuenit. nam sicut bene appellantibus negari auxilium non oportet, ita his contra quos merito iudicatum est, inaniter prouocantibus differri bene gesta non decet. Vnde cùm homicidā, vel adulterū, vel maleficum, vel veneficū, quæ atrocissima facinora sunt, confessio propria, vel dilucida & probatissima veritatis quæstio, probationibus adque argumentis detexerit, prouocationes suscipi non oportet, quas constat non refutandi spem habere quæ gesta sunt, sed ea potius differre temptare quæ de variis litibus causísque dissentiunt, nec temere, nec ab articulis præiudiciísque, nec ab his quæ iuste iudicata sunt, prouocare debebunt. Quòd si reus in homicidij, vel maleficij, vel adulterij, vel veneficij crimine, partem pro defensione sui ex testibus quæstionéque proposita possit arripere, parte verò obrui accusaríque videatur: tunc superinposita appellatione ab eodem qui sibi magis, quæ pro se faciant, testimonia prodesse debere adfirmat, quàm ea quæ aduersus ipsum egerint nocere, deliberationi nostræ plenum arbitrium relinquatur. Dat. IIII. Non. Nouemb. Accept. XV. Kal. Mai, Hadrumeti, Volusiano & Aniano COSS.

INTERPRET. *In ciuilibus causis, vel leuioribus criminibus, quæ legibus nō tenentur inserta, appellationi constituta legibus dilatio præstanda est, & suspendenda est per appellationē sentētiæ iudicantis: At vero homicidiis, adulteriis & reliquis, quos lex ista comprehēdit si conuicti confessíque fuerint, & appellare voluerint, dilatio denegetur, sed statim in manifestis criminibus conuicti Iudicis est sententia proferenda, aut certe de magnis criminibus & maioribus personis ad principis est notitiam deferendum.*

II. Idem A. ad Volusianum P. V.

Qui à præiudicio appellauerit, vel ab exsecutoribus rerū antea statutarum, adque alterius auditorij præproperè iudicia poposcerit, triginta folliū pœna multetur, ita vt omnem causam ipse sine dilatione discinguas, quippe cùm & causam

causam tuam videaris esse facturus, si per conhibentiam huiusmodi appellationem admiseris. Si quas sanè de omni causa interpositas esse prouocationes perspexeris, in earum disceptatione obseruare debebis, quod iampridem à nobis est euidentissimè constitutum PP. v. Kalend. Mart. Rom. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

IIII. Idem A. ad Ælianum Procons. Afric.

Cùm ante hac lege de appellationibus data statutum sit, ne quis à præiudicio, vel ab exsecutione interponeret prouocationem, néve huiusmodi appellatio ab his, qui vice nostra iudicant, admittatur, ne in perniciem plurimorum interpositis à præiudicio appellationibus, vel moratoriis quibusdam frustrationibus interiectis, litigia protrahantur tamē nunc pœnam addi placuit, vt intelligant vniuersi principalis negotij disceptationes, causas suas munire debere, & non ab ipsis quodammodo primæ interlocutionis exordiis, vel ab exsecutionibus prouocare, cùm & illis qui INpatienter ab articulo appellandum putauerint, post cognitionem totius causæ liceat appellare, & his qui serò ab exsecutionibus prouocant, facultas appellandi minimè fuerit denegata. Si quis igitur tali vsus appellatione fuerit in tuo iudicio deprehensus, ipsum quidem triginta follium pœna multes: causam autem vniuersam eius dumtaxat, qui à præiudicio, vel ab exsecutione temere appellauerit, sine vlla dilatione discingas, cùm in nostro auditorio dari minimè dilationem oporteat interpositæ appellationis tempore sufficiente litigatoribus ad perferendam instructionem plenissimam. PP. VI. Kalend. Maij, Karthag. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

IIII. Impp. Constantius & Constans AA. ad Catullinum.

Oportuerat te publici instituti respectu cōfessione detectos legum seueritate punire, nec frustra vitā differentum moratorias prouocationes admittere, sed delatum adulterij crimen & quæstionibus adhibitis adprobatum pari sceleris immanitate damnare, quod deinceps in huiusmodi criminibus cōuenit obseruari, vt manifestis probationib⁹ adulterio probato frustratoria prouocatio minime admittatur, cum pari simílique ratione sacrilegos nuptiarū tamquam manifestos parricidas insuere culleo viuos, vel exurere iudicantem oporteat. Dat. IIII. Kal. Septemb. Constantio A. II. & Constante Cæs. COSS.

V. Idem AA. ad Albinum Vic. Hispaniarum.

Cùm maior substantia litigij sit, à præiudicio prouocans triginta librarum argenti pondere plectatur: in minoribus etiam negotiis quindecim pondo argenti exsoluat. Dat. VII. Id. April. Marcellino & Probino COSS.

VI. Idem AA. ad Leontium.

In ciuilibus causis appellationis beneficium sæpe sanximus non oportere differri. In fiscalibus verò vel rei priuatæ causis, hoc est ob debitum renuendum, vel munera respuenda, si quis appellare voluerit contra vtilitatem fisci vel rei priuatæ, appellationem oblatā cessare oportet, nec libellos huiusmodi suscipi qui in damna fiscalia commodum sentētiæ latæ aut dilatione suspendant, aut terrore detorqueant. Dat. V. Id. Maij, Antiochiæ, Constantio III. & Constante III. AA. COSS.

VII. Idem AA. ad Heroclen Cons. Syriæ Cœles.

Obseruare curabis, ne quis homicidarum, veneficorum, maleficorum, adul-

terorum, itémque raptorũ argumento conuictus, teste superatus, voce etiam propria vitium scelúsque confessus, audiatur appellans. Vt enim æquum est non cõuictos neque confessos (quia plerumque accidit, vt fortuna iudicij argumenta conglutinet, quorum similitudine opprimatur reus, qui non possit vera ratione conuinci, vel aduersarij calliditas testes subtrahat, qui veritatem audacia vel acrimonia superet) vel confessos neque conuictos, (quod sæpe vel repentinæ formidinis, vel inpositorum tormentorum cogit immanitas) vt in appellando ceteris etiam reis iure communi: ita & aliena & propria voce depressum non oportet, quòd contempserint æquitatem, ac moram tantum vsurpandæ lucis indebitæ rursus inportunitates arripere. Dat. v. Id. Decemb. Leontio & Sallustio COSS.

VIII. Idem AA. Theodoro Cons. Syriæ Cœles.

In fiscalibus debitis nullius prouocationem tua grauitas censeat admittendam. nec enim commodum publicum fas est diuturna frustratione suspendi, nec eludendi licentiam callidis fraudatoribus relaxari. Dat. VIII. Id. Mart. Ancyræ, Eusebio & Rufino COSS.

INTERPRETATIO. *In manifestis fiscalibus debitis nulli penitus appellationem debere præstari: quia non oportet publicæ rei commodum qualibet dilatione suspendi.*

VIIII. Idem AA. ad Cerealem P. V.

Calliditatis auxilio perspicui debitores rei priuatæ nostræ solutionem cupiunt euitare frustratoriis prouocationibus interpositis: ideóque decreuimus minimè conuenire huiuscemodi vocem appellationis admitti. Dat. x. Kal. Aug. Constantio A. VI. & Constante Cæs. COSS.

X. Idem AA. ad Proclianum Procons. Afric.

Placuit quinquaginta pondo argenti fisco inferre prudentiam tuam, si frustratoriam prouocationem contra commodum fisci susceperis, solutionémque vitanti præbueris culpabilem conhibentiam. Dat. XV. Kal. Feb. Constantinop. Acc. x. Kal. Aug. Karthag. Constãtio A. VII. & Constante Cæs. COSS.

XI. Idem AA. ad Lollianum PF. P.

Ab exsecutione vel à præiudicio appellationem oblatam suscipi non oportet. Dat. VIII. Kal. Aug. Arbitione & Lolliano COSS.

XII. Idem AA. ad Volusianum PF. P.

Publica vtilitate suadẽte in causis pensitationum debitorúmque fiscalium inhibitum est prouocationis auxilium, &c. Dat. IIII. Kal. Aug. Arbitione & Lolliano COSS.

XIII. Idem AA. ad Probum Procons. Afric.

Cùm constet iamdudum esse nostra sanctione præceptum, ne aliquis cum fiscale debitum postulatur, audeat prouocare: procõsulare officium si patientiam commodauerit, triginta pondo auri fisco cogatur inferre. Dat. VIIII. Kal. Iul. Sirmio, Datiano & Cereale COSS.

XIIII. Idem AA. ad Flauianum Procons. Afric.

Grauis ista commotio est, ac non ferenda iracundia Iudicis quæ effusione humani sanguinis expiatur, sed ad fucum iniquitatis augẽdum lex nostri genitoris adscita est, scilicet, vt diceretur genitor noster conuictis in quæstione violentię appellationis perfugia decerpisse, Plectatur, inquit, qui manifestam detegitur commisisse violentiam. Quæ legis suæ verba aliis quoque scitis cle

mens

mens conditor explanauit. Etenim vigorem vindictæ differri post totius negotij exitum noluit, scilicet vt si procacem væsaniam principalis negotij discussio publicasset, conuictum reum aut medietatis amissio, aut sors deportationis adfligeret. Dat. III. Non. Aug. Tauro & Florentio COSS.

XV. Impp. Valentinianus & Valens AA. Salutem dicunt Ordini ciuitatis Karthaginiensium. Post alia,

Ab exsecutione, vel à præiudicio prouocantes decreuimus non admitti, intantum, vt contra definita facientes, quinquaginta libras argenti condemnatione feriantur. Dat. Prid. Non. Feb. Med. diuo Iouiano, & Varroniano COSS.

XVI. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Interpositas appellationes à præiudicio, vel ab exsecutione damnantes, & eum qui ab istiusmodi titulis prouocauerit, & officium quod non renũtiarit, quinquagenas argenti libras fisco nostro iubemus inferre: litem suam faciẽte iudice, qui recepit. Dat. VIII. Id. Octob. Altino, Acc. XVI. Kal. Nouemb. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

XVII. Idem AA. ad Modestum PF.P.

Nulli officialium à sententia proprij Iudicis prouocatio tribuatur, nisi in eo tantum negotio, quod ratione ciuili super patrimonio forsitan aput proprium Iudicem inchoarit, scilicet, vt in eo tantum negotio à sententia eius cui paret Iudici, quisquis velit officialis appellet. quod per procuratorem persequi iure tribuitur. Dat. IIII. Id. Iun. Cyzico, Valentiniano & Valente AA. COSS.

XVIII. Idem AA. ad Symmachum P.V. Post alia.

Nullum audiri prouocantem ante definitiuam sententiam volumus: si tamẽ in iudicio conpetenti negotium fuerit inchoatum, salua scilicet iuris antiqui moderatione, atque sententia, cùm vel exceptio obponitur, vel ad agendum locus poscitur, vel dilatio instrumentorũ causa, aut testium postulatur, atque hæc inpatientia vel iniquitate Iudicum denegantur, similiter ne ab exsecutione quidem prouocantem admitti cõuenit: si tamen exsecutoris vitio minimè modus sententiæ transeatur. In fiscalibus quoque, vel manifestis debitis, & criminalibus cõfessis negotiis, necnon etiam pręiudiciis omnis praua repugnãtium amputetur intentio. Postremò vniuersas appellationes, quas iura inprobant, non oportet audiri. Dat. XIII. Kal. Ian. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XVIIII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Olybrium P. V.

Abstinendum prorsus appellatione sancimus, vt quotiens fiscalis calculi satisfactio postulatur, aut tributariæ functionis sollemne munus exposcitur, aut publici, vel etiam priuati (dummodo euidentis atque conuicti) redhibitio debiti flagitatur: vt necessariò in contumacem vigor iudiciarius excitetur. PP. Rom. XV. Kal. Septemb. Valentiniano & Valente II. AA. COSS.

XX. Idem AAA. ad Claudium P.V.

Quoniam Chronopius ex antistite idem fuit in tuo qui fuerat in septuaginta Episcoporum antè iudicio, & eam sententiam prouocatione suspendit

à qua non oportuit prouocare, argentariam multam quam huiusmodi facto sanctio generalis inponit, cogatur expendere. Hoc autem non fisco nostro volumus accedere, sed his, qui indigent fideliter erogari. Quod in hac causa & ceteris ecclesiasticis fiat. Dat. VIII. Id. Iul. Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

INTERPRETATIO. *Chronopium Episcopum à multis Episcopis fuisse damnatũ, & studiose eum ante iudicium sententiam quæ proferebatur appellatione suspendere, à qua sentẽtia quia iuste prolata fuerat, appellare minimè debuisset, in qua eum graui multæ, id est quinquaginta librarum argenti addictum fuisse dicit: quæ tamen summa ipsius multæ non fisco prodesse iussa est, sed pauperibus erogari.*

XXI. Idem AAA. ad Eupraxium P. V. Post alia.

A discussoribus obseruari iubemus, vt manifesti debitores prouocationis suffragio minimè subleuentur, & cetera. PP. XVI. Kalend. Mar. Gratiano A. III. & Equitio COSS.

INTERPRETATIO. *Omnes qui huiusmodi negotia discutiunt, hoc specialiter obseruare debere, vt manifesti debitores appellationis suffragio non vtantur, nec euidens debitum vlla poßint appellationis dilatione suspendere.*

XXII. Idem AAA. ad Claudium P. V.

In interdicto, Quorum bonorum, cessat licentia prouocãdi, ne quod beneficio celeritatis inuentum est, subdatur iniuriis tarditatis. Dat. XII. Kalen. Iun. Treu. Gratiano III. & Equitio COSS.

XXIII. Imppp. Valens, Gratianus & Valent. AAA. ad Thalassium Procons. Afric.

Exceptis præscribtionibus peremptoriis, si quis ab articulo appellare temptauerit, non audiatur: sed neglecta appellatione, Iudex discussis omnibus tendat ad finem, reseruata post vltimum facultate partibus appellandi, si displicuerit definitiua sententia. Neque tamen sit Iudici potestas inrogandæ multæ. Satis enim pœnæ videtur, non audiri ab articulo prouocantem, &c. Dat. III. Kal. Febr. Treu. Acc. VI. Kal. Maij, Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

XXIIII. Idem AAA. ad Thalassium Procons. Afric. Post alia.

Si quis post susceptam super præscribtionibus peremptoriis appellationẽ, & responsum à nobis redditum, aliam peremptoriam præscribtionem obposuerit, non admittatur. Et si propter eam nõ admissam prouocare voluerit, refutetur. Sanè volumus ei iuxta ordinem iuris defensionis loco præscribtiones peremptorias quibus ante vti debuerat, reseruari. Quam formam ab his cognitoribus volumus obseruari quibus necesse est, interposita prouocatione, nostræ insinuare clementiæ. In ceteris verò iudiciis eadem quę dudũ statuta fuerat, forma seruetur, &c. Dat. III. Kalend. Feb. Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

XXV. Idem AAA. ad Thalassium Proc. Afric. Post alia.

Ab exsecutione appellari non posse, satis & iure & constitutionibus cautum est, ita vt appellãtem etiam nostris sanctionibus statuta multa compescat: nisi fortè exsecutor sentẽtiæ modum iudicationis excedat, à quo si fuerit appellatum, exsecutione suspensa decernendum putamus, vt si res mobilis est, ad quã restituẽdam exsecutoris opera fuerit indulta, appellatione suscepta possessores

res eadem detrahatur & idoneo collocetur, reddenda ei parti pro qua facer cognitor iudicauerit. Quòd si de possessione, vel fundis exsecutio concessa erit & eam suspenderit prouocatio, fructus omnes qui tempore interpositæ prouocationis capti vel postea nati erunt, in deposito conlocétur iure fundi, vel penes eum, qui appellauerit constituto. Sciant autem se prouocatores, vel ab exsecutione appellantes vel ab articulo, ex his dumtaxat causis ex quibus recipi iussimus prouocationem, si eos perperam intentionem cognitoris suspendisse claruerit, quinquaginta librarum argenti animaduersione multandos. Dat. III. Kal. Feb. Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

XXVI. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Hypatium P. V.

Qnisquis, ne voluntas diem functi testamento scribta reseretur, vel ne hij quos scribtos patuerit, heredes edicti per diuum Hadrianum conditi beneficium consequantur, ausus fuerit prouocare, interpositámque appellationem (cuius de ea re notio erit) recipiendā esse crediderit: viginti librarum auri multa & litigatorem qui tam inportunè appellauerit, & Iudicem qui tam ignauè conhibentiam adhibuerit, inuoluat. Dat. Non. April. Treu. Auxonio & Olybrio COSS.

INTERPRETATIO. *Lex ista specialiter iubet, vt si quis à quocunque conditum testamentum per appellationem differre voluerit, vt non debeat reserari, & scriptum heredem ab adeunda hereditate suspendere, & in hac parte Iudex appellatori voluerit præbere consensum, vt quo minus scriptam veluntatem non subsequatur effectus, tam ipse Iudex, quàm is qui appellauerit, viginti libras auri fisco cogantur exsoluere.*

XXVII. Idem AAA. Hypatio PF. Augustali.

Vniuersi quos in publicis contractibus manifestissimos debitores cognitio inquisitióque conuicerit, statim, vt sententia fuerit promulgata, obnoxij redhibitione teneātur: nec illis aliquid, ad excogitandas fraudes & versutias exerendas, moræ ac temporis relaxetur. Dat. VIII. Id. Maij, Constantinop. Merob. II. & Saturnino COSS.

XXVIII. Idem AAA. Euchario Proconf. Palæstinæ.

Propter neglectorum cōtumaciam præceptorum, obnoxios, beneficio prouocationis excluso, pœnam inferre sine aliqua procrastinatione præcipimus. Dat. X. Kal. Decemb. Constp. Merob. II. & Saturnino COSS.

XXVIIII. Idem AAA. ad Pelagium Com. R. P.

Ante certum sententiæ tempus & ordinem euentus, à discussore, vel à Rationali appellare non liceat, &c. Dat. XV. Kalend. Mar. Med. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XXX. Idem AAA. ad Florentinum Com. S. L.

Sæpe cautū est euidentissimos debitores appellantes audiri nullatenus oportere: deinde ab exsecutione adeò posse neminem prouocare, vt si hoc fortè tēptauerit, vt postea à præiudicio appellans ad quinquaginta librarum argenti multam iure retinendus sit, &c. Dat. VII. Kalen. Decemb. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

XXXI. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Hypatio PF. Augustali.

Officium, quod rettulit prouocare conuictos vel appellare confessos: trigin-

ta auri libras inferat fisco: nec vlla episcoporum, vel clericorum, vel populi suggeratur interuenire, aut interuenisse persona. Nec enim eos fas est adimi debitæ seueritati, qui pacem publicam actuum perturbatione confusam rebelli contumacia miscuerunt. Non ignaro ipso etiam iudicante, (nisi post sententiam dictam impleuerit suas partes) eadem se multa, qua officium, esse plectendum. Dat. v. Id. Apri. Constp. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

XXXII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Apollodoro Com. R. P.

Et publicarum necessitatum, & priuati ærarij poscit vtilitas, ne commoda, quæ domui nostræ debêtur, callidis debitorum artibus differâtur. Quamobrem eorum appellatione reiecta qui apertè manifestéque conuicti sunt, hoc obseruari præcepti huius auctoritate censemus, vt ei quem cõstiterit esse publicum debitorem, appellationis beneficiũ denegetur. Dat. IIII. Id. Aug. Med. Arcad. IIII. & Honor. III. CONSS.

XXXIII. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA.
Nestorio Com. & Duci.

Aliquantos in Tripolitana prouincia reos temere ad appellationis conperimus auxilium conuolare, vt pœnam prouocatione diffugiant. Ideóque decernimus, vt manentibus his qui de audientiæ discretione superioribus sunt decreta præceptis, in conuictos tamquam confessos sententia proferatur: ea nihilominus condicione seruata, vt nullus prius quàm iudicij formam examen susceptæ cognitionis inueniat, appellandi habeat facultatem. Dat. VII. Id. Decemb. Rauen. Arcad. A. VI. & Probo V. C. COSS.

Si de momento fuerit appellatum. *Tit.* XXXVII.

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA.
ad Eusignium PF. P.

CVm de possessione & momento causa dicitur, etsi appellatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortiatur effectum, atque ita demum ad nostram scientiam referatur. Ita tamen possessionis reformationem fieri oportet, vt integra omnis proprietatis causa seruetur. Dat. XIIII. Kal. Dec. Med. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

INTERPRETATIO. *Si de momento fuerit appellatum, momentariæ causæ audientiam proprietati obesse penitus non debere, quamlibet de momento videatur aliquid iudicatum, quod in effectum sit sine dubio deducendum, nec possit appellatione suspendi. Iubet tamen restituto momento causam proprietatis ex integro debere cognosci.*

De possessione ab eo, qui bis prouocauerit, transferenda. *Tit.* XXXVIII.

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Proculo P. V.

QVi gemino iudicio fuerit superatus, nec tamen obstinatam illam peruicaciam putauerit relinquendam, sed iterum prouocandum esse crediderit, ab eo ad petitorem mox possessio trãsferatur. Dat. XVI. Kal. Iul. Aquil. Tatiano & Symmacho CONSS.

INTERPRETATIO. *Si quicunque in vna causa duobus iudiciis fuerit superatus,*

& adhuc eandem agendi pertinaciam voluerit retinere, & iterum appellandum esse putauerit, in aduersarium eius continuo possessio transferatur.

De fide testium & instrumentorum. *Tit. XXXVIIII.*

I. Imp. Constantinus A. Aurelio Helladio.

ETsi veteris iuris definitio & retro principum rescribta in iudicio, petitori eius rei quam petit, necessitatem probationis dederunt: tamen nos æquitate & iustitia moti iubemus, vt si quando talis emerserit causa, in primordio iuxta regulam iuris petitor debeat probare, vnde res ad ipsum pertineat. sed si deficiat pars eius in probationibus, tunc demum possessori necessitas inponatur probandi, vnde possideat, vel quo iure teneat: vt sic veritas examinetur. Dat. Naisso xv. Kalendas Octob. Paulino & Iuliano coss.

II. Idem A. & Cæs. ad Seuerum Com. Hispaniarum.

Scripturæ diuersæ & fidem sibi inuicem derogantes, ab altera parte prolatę, nihil firmitatis habere potuerunt. Dat. IIII. Non. Maij, Const p. Dalmatio & Zenofilo coss.

INTERPRETATIO. *Si quis multiplici scriptura contractum suum munire cupiens, de vna re venditionem & donationem proferat, vel quæcunque alia documenta, omnia rescindantur, quia impugnantes se chartulas lex hæc vetat admitti.*

III. Idem A. ad Iulianum Præsidem.

Iurisiurandi religione testes prius quàm perhibeant testimonium, iamdudum artari præcipimus, & vt honestioribus potius fides testibus habeatur, simili more sanximus, vt vnius testimonium nemo Iudicum in quacũque causa facile patiatur admitti. Et nunc manifestè sancimus, vt vnius omnino testis responsio non audiatur, etiam si præclaræ curiæ honore pręfulgeat. Dat. VIII. Kal. Sept. Naisso, Optato & Paulino coss.

INTERPRETATIO. *Testes priusquam de causa interrogentur, sacramento debẽt constringi, vt iurent se nihil falsi esse dicturos. Hoc etiam dicit, vt honestioribus magis quàm vilioribus testibus fides potius admittatur: vnius autem testimonium, quamlibet splendida & idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum.*

IIII. Impp. Constantius, & Constans AA. Aurelio Mimenio.

Quotiens scribtura aliqua profertur, eáque ab eo aduersus quem facere videtur, suspecta dicitur, non solum is qui de ea dubitat, falsò conscribtam cogatur ostendere, verùm etiam ille qui eadem vtitur, veritate subnixam probare cogatur. Dat. VI. Kal. Septemb. Constantinop. Constantio IIII. & Constante III. AA. coss. V. Pars actorum habitorum apud imperatorem Iulianum Augustum Mamertino & Neuittã coss. x. Kal. April. Constantinop. in Consistorio, adstante Iouio viro clarissimo quæstore, Anatalio Magistro Officiorum, Felice Com. S. L. &c. Imp. Iulianus A. dixit. *τὴν ἰσχὺν τὰ γραμμάτια μεγάλην ἰσχὺν ἔχει, ὅταν περὶ αὐτῶν τῶν γραμματίων μὴ ἀμφισβήτησις ἐξ ἄλλων ὀφιλεῖσθαι.*

VI. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Olybrium P. V.

Cùm res agatur ex scribto, aut infirmari scribturam conuenit au probari. Infirmari autem quæ potest, nisi falsa doceatur? falsa porro à quibus aliis demõstranda est, quàm ab illis, qui negant ei esse credendum. Dat. Prid. Id. Mart. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore coss.

VII. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Antonium PF.P. Post alia.

Iubemus omnes deinceps qui scribturas nefarias comminiscuntur, cū quid in iudicio promiserint, nisi ipsi adstruxerint veritatem, vt suspectæ scributuræ & falsæ reos esse detinendos. Dat. prid. Id. Ian. Treu. Valente VI. & Valentiniano II. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicumque scripturam in audientiam protulerit, veritatem eius probare iubeatur: quia hoc in omnibus causis statutum est, vt scripturam prolator adfirmet. Nam si is qui scripturam protulit, eius non adstruxit veritatem, vt falsitatis reum esse retinendum.*

VIII. Pars actorum habitorum in consistorio aput imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodosium CONS. Syagrl & Eucherl, die III. Kalen. Iul. Constantinop. in cōsistorio. Imp. Theod. A. dixit: Episcopus nec honoré, nec legibus ad testimonium flagitatur. Item dixit: Episcopum ad testimonium dicendum admitti non decet. Nam & persona dehonoratur, & dignitas sacerdotis excepta confunditur.

VIIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Florentium PF. August.

Non oportet in absentem, quasi in præsentem, atque conuictū, verum statim putari, quidquid ab eo solo dicitur, qui accusat. Dat. XIII. Kal. Ian. Richomere, & Clearcho COSS.

INTERPRETATIO. *Quotiens quilibet accusator aliquid de aduersario suo eo absente suggesserit, ante discussionem vtriusque partis penitus non credatur.*

X. Idem AAA. Paulino PF. August.

Presbyteri citra iniuriam quæstionis testimonium dicant, ita tamen vt falsa non simulent. Ceteri verò clerici qui eorum gradum, vel ordinem subsecuntur, si ad testimonium dicendū petiti fuerint, prout leges præcipiunt, audiantur. Salua tamē sit litigatoribus falsi actio, si fortè presbyteri qui sub nomine superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem iniuriam sunt recepti, hoc ipso quòd nihil metuant, vera suppresserint. multò magis etenim pœna sunt digni, quibus cùm plurimum per nostram iussionem delatum fuerit, occulto inueniuntur in crimine. Dat. VIII. Kal. August. Arcadio I. & Bautone COSS.

INTERPRETATIO. *Presbyteri citra iniuriam quæstionis, id est, sine supplicio corporali possunt testimonium dicere: alij vero clerici qui eorum ordinem subsequuntur, si ad testimonium dicendum adhibiti fuerint, sicut leges præcipiunt audiantur: ita vt salua sit contra presbyteros falsi actio, si in aliquo docebuntur fuisse mentiti, quia magis pœna digni sunt, quibus cum lex reuerentiam præstat, suæ professionis immemores, in mendacij crimine deteguntur.*

XI. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Flauiano PF.P.

Hi qui sanctam fidem prodiderint, & sacrum baptisma profanarint, à consortio omnium segregati sint, à testimoniis alieni, &c. Dat. V. Id. Maij, Cōcordiæ, Tatiano & Symmacho COSS.

XII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Æternali Proc. Asiæ.

Cogi possessorem ab eo qui expetit, titulum suæ possessionis edicere, quæ tanta erit amentia, vt ratione præpostera petitor ab eo quem pulsat, informari suas

ſuas poſtulet actiones, cùm omnẽ probationẽ exigi oporteat ab eo qui vindicare nititur, non ab eo qui ſe iuſtè tenere contendit? Intentanti namque, nõ ſuſcipienti probationum neceſſitas inponẽda eſt, præter eum qui edicere cogitur, vtrum pro poſſeſſore, an pro herede poſſideat. Dat. XII. Kal. April. Arcadio VII. & Honorio III. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Lex iſta hoc præcipit, vt probatio non à poſſeſſore, ſed à petitoris partibus requiratur: quia omnem probationem ab eo quæri debere dicit qui petitam rem deſiderat obtinere, non ab illo qui ſe iuſte tenere contendit: præter illum tantum caſum, vbi interrogari neceſſe eſt poſſidentem, vtrum ex ſua perſona, an ex ſucceſſione cœperit poſſidere.*

XIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Cæciliano PF. P. Poſt alia.

Quoniam ingenui teſtes ad cauſas poſtulantur alienas, ſi ſocij & participes criminis non dicãtur, ſed fides ab his notitiæ poſtuletur: in exhibitione neceſſariarum perſonarum, hoc eſt, teſtium, talis debet eſſe cautio iudicantis, vt his venturis ad iudicium per accuſatorem, aut ab his per quos fuerint poſtulati ſumptus conpetentes, dari præcipiat, &c. Dat. XII. Kal. Feb. Rauennæ, Honorio VIII. & Theodoſio IIII. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque teſtes neceſſarios habet, dummodo idoneos qui non ſint cauſæ aut culpæ participes, ſtudeat qualiter eos ſuo ſumptu, vbi cauſa dicenda eſt, debeat exhibere.*

CODICIS THEODOSIANI LIBER DVODECIMVS.

De decurionibus. *Tit. I.*

I. Imp. Conſtantinus A. ad Euagrium.

NEMO Iudex ciuilium munerum vacationem cuiquam præſtare curiali conetur, vel aliquem ſuo arbitrio de curia liberet. Nam ſi quis fuerit eiuſmodi infortunio deprauatus, vt debeat ſubleuari, de eius nomine ad noſtram ſcientiam referri oportet, vt certo temporis ſpatio ciuiliũ munerum ei vacatio porrigatur. PP. Id. Mart. Conſtantino A. III. & Licinio III. COSS.

INTERPRETATIO. *Nullus Iudex vacationem indebitam tribuat Curiali, nec eum de ſuo officio ſtudeat liberare: Nam ſi ita tenuis cuiuſcunque Curialis & exhauſta facultas eſt, vt ei publici oneris neceſſitas non credatur, ad Principis iuſſit referri notitiam.*

II. Idem A. ad Crispinum.

Quoniam dubitasti, vtrum ex numero dierum, an ex nominatione Kalendarum conputari duum mensum spatia debeant, forma publici iuris obseruanda est quæ manifestè declarat, quid pro dierum diuersitate præceperit conprehendi. Dat. Kal. Octob. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

III. Idem A. Mechilio Hilariano Correctori Lucaniæ, & Brutiorum.

Vniuersos decuriones volumus à tabellionum officiis temperare. Nemo autem ad decurionatum vocatus excusare se poterit, eo quòd fuerit tabellio, cū & huiusmodi homines, si sint idonei, vocari ad decurionatum oporteat. Lex enim quę decuriones à tabellionum officiis voluit submouere, ad decurionatum tabelliones vocari non prohibet. Dat. III. Kalend. Feb. Sabino & Rufino COSS.

IIII. Idem A. ad Octabianum Com. Hispaniarum.

Hij qui honoris indebiti arripere insignia voluerunt, cum in consilium primates municipésque coguntur, adsistunt, sedentibus his quibus emeritis, omnis honor iure meritóque debetur. Ideóq; sublimitas tua nullū omnino faciet pręsidatus prærogatiua lætari, nisi qui cunctos in patria gradus egressus ordinem venerit, ita vt illi etiam qui præsidatum ante tempus reportarūt, post expletos honores ciuicos honestamentis præstitis potiantur. PP. XIIII. Kal. Feb. Gallicano & Basso COSS.

V. Idem A. ad Bithynos.

Eos qui in palatio militarunt, & eos quibus prouinciæ commissæ sunt, quique meritò amplissimarum administrationum honorē perfectissimatus, vel egregiatus adepti sunt, necnon & illos qui decuriones, vel principales constituti cuncta suæ patriæ munera impleuerunt, frui oportet dignitate indulta. Si verò decurio suffragio comparato perfectissimatus, vel ducenæ, vel centenæ, vel egregiatus meruerit dignitatem, declinare suam curiam cupiens, codicillis amissis, suæ condicioni reddatur: vt omnium honorum & munerum ciuilium discussione perfūctus iuxta legem municipalem aliquam prærogatiuam obtineat. Eum quoqne qui originis gratia, vel incolatus, vel ex possidendi cōditione vocatur ad curiam, perfectissimatus suffragio impetrati dignitas nō defendit. Qua remota tradi eum curiæ oportebit. Dat. XII. Kal. Aug. Gallicano & Basso COSS.

VI. Idem A. Patroclo.

Nulla præditos dignitate ad sordida descendere connubia seruularum etsi videtur indignum, minimè tamen legibus prohibetur. Sed neque cōnubium cum personis potest esse seruilibus, & ex huiusmodi contubernio serui nascūtur. Præcipimus itaque, ne decuriones in gremia potentissimarum domorum libidine ducente confugiant. Si enim decurio clam actoribus atque procuratoribus nescientibus alienę fuerit seruæ coniunctus, & mulierem in metallum trudi per sententiam Iudicis iubemus & ipsum decurionē in insulam deportari bonis eius mobilibus & vrbanis mancipiis confiscandis. Prędiis verò & rusticis mancipiis ciuitati, cuius curialis fuerat, mancipandis, si patria potestatē fuerit liberatus, nullósque habeat liberos, vel parentes, vel etiam propinquos, qui

qui secundum legum ordinem ad eius successionem vocantur. Quòd si actores, vel procuratores loci in quo flagitium admissum est, fuerunt conscij, vel compertum facinus prodere noluerunt, metallo eos conuenit inplicari. Si verò dominus hoc fieri permisit, vel postea cognitum celauit, si quidem in agro id factum est, fundus cum mancipiis & pecoribus ceterísque rebus, quæ cultui rustico sustinentur, fisci viribus vindicetur. Si verò in ciuitate id factum est, dimidiam bonorum omnium partem præcipimus confiscari: pœnā augētes quoniam intra domesticos parietes scelus admissum est, quod noluit mox cognitum publicare. Igitur si legis latæ die repperietur quisquam patrimonium suum alienasse, atque in dominum seruulæ contulisse, ordini liceat diligēter inquirere, vt ita reipublicæ ciuitatis quod de facultatibus supradicti fuerit deminutum in pecunia sarciatur. Dat. Kal. Iul. Aquil. Constātino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

VII. Idem A. ad Edictum.

Filios decurionum qui decem & octo annorum ætate vegetantur, per prouinciam Karthaginem muneribus ciuicis adgregari præcipimus. Neque enim opperiendum est, vt soluantur familia & sacris explicentur: cum voluntates patrum præiudicare non debeant vtilitatibus ciuitatum. PP. X. Kal. Mart. Constantino A. VI. & Constantio Cæs. COSS.

VIII. Idem A. ad Florentium.

Decuriones ad magistratum, vel exactionem annonarum ante tres menses, vel amplius nominari debent: vt si querimonia eorum iusta videatur, sine impedimento in absoluēdi locum alius subrogetur. Dat. Id. Apri. Constantinop. Seuero & Rufino COSS.

VIIII. Idem A. ad Hilarianum Proc. Afric.

Si quis decurio, vel propriæ rei causa, vel reipublicæ cogatur nostrum adire comitatum, is nō antè discedat, quàm insinuato Iudici desiderio proficiscēdi licentiā cōsequatur. Quòd si pro sua audacia parui aliquis hanc fecerit iussionem, deportationis exitum sortiatur. PP. VII. Id. Iul. Kartha. Crispo III. & Constantino III. COSS.

X. Idem A. ad Maximum.

Quoniam diuersis præstitimus, vt legionibus, vel cohortibus deputentur, vel militiæ restituantur, quisquis huiusmodi beneficium proferat, requiratur, vtrum ex genere decurionum sit, vel antè nominatus ad curiā, vt si quid tale probetur, curię suæ & ciuitati reddatur. Quam formam circa omnes, qui iamdudum probati in militaribus officiis agunt, vel restituti militiæ sacramento muniantur, vel posteà per suffragia probabuntur, obseruari cōueniet. PP. V. Id. Iul. Antiochię Paulino & Iuliano COSS.

XI. Idem A. ad Constantium PF. P.

Quoniam relictis curiis nonnulli ad militiæ præsidia confugiunt: omnes, qui nondum primipilo inueniuntur obnoxij, solutos militia ad eandem curiam reuerti præcipimus, his solis in militia permansuris, qui pro loco, adque ordine iam pars tui † adtinentur. Dat. Non. Octob. Paulino & Iuliano COSS.

† fortè, primipilatus

XII. Idem A. ad Maximum Vic. Orient.

Si qui vel ex maiore, vel ex minore ciuitate originem ducit, si eandem eui-

tare studens ad alienam se ciuitatem incolatus occasione contulerit, & super hoc vel preces dare temptauerit, vel qualibet fraude niti, vt originem propriæ ciuitatis eludat: duarum ciuitatum decurionatus onera sustineat, in vna voluntatis, in altera originis gratia. PP. VIII. Kal. Ian. Paulino & Iuliano coss.

INTERPRETATIO. *Si quicunque Curialis de ea in qua natus est ciuitate ad aliam transire voluerit, conditionem curiæ debitam nullatenus possit euadere, nec si hoc ipsum mereri interposita supplicatione tentauerit, nec ullo argumento necessitatis aut seruitia ciuitatis suæ, pro eo quod habitationem mutare voluit, possit euadere. Nam quicunque hoc fecerit, & se in aliam ciuitatem transtulerit, hoc iubet, vt in vtraque seruiat ciuitate, hoc est, in vna pro conditione nascendi, & in alia pro habitandi voluntate deseruiat.*

XIII. Idem A. ad Euagrium PF.P.

Quoniam curias desolati cognouimus, his qui per originem obnoxij sunt, militiam sibi per supplicationem poscentibus, & ad legiones, vel diuersa officia currentibus, iubemus omnes curias admoneri, vt quos intra viginti stipendia in officiis deprehenderit, vel originem defugisse, vel spreta nominatione, militiæ se inseruisse, hos ad curiam retrahant, & decetero sciant esse seruãdum. & qui derelicta curia militauerit, reuocetur ad curiam: non solùm si originalis sit, sed & si substantiam muneribus aptam possidens ad militiam confugerit, vel beneficio nostro fuerit liberatus. Dat. XVI. Kal. Iun. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. coss.

XIIII. Idem A. ad * PF.P.

Dudum lege promulgata sanxit nostra clementia, vt filij comitum, & præsidum, & rationalium, magistrorúmque priuatæ, qui tamen ex origine curialium descendunt, ordinibus necterentur nunc præcipimus, vt qui perfuncti muneribus idonei reperti sint, iudicio clementiæ nostræ accedere ad honores præcepti ad honestas promotiones perueniãt. Eos verò quos nescit principalis auctoritas, iudicio præfecturę commisimus, vti eos, qui ex genere videntur esse curialium, & minùs apti iudicio principali, ordinibus propriis restituẽt. Illos verò, quos iudicio nostro proueximus, intactos esse perficiant: ita tamen, vt heredes eorum curiis mancipentur. Si quis sanè decurio euertẽs fiscalia cõmoda, fugiens curiam, ambitu ad senatum orbis inclytum peruenerit, minimè admittatur. Dat. VIII. Kalend. Decemb. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. coss.

XV. Idem A. ad Annium Tiberianum Com.

Vniuersis prouinciarum Rectoribus intimato nostram clementiã statuisse, veteranorum filios curialibus muniis innectendos, ita vt & hij qui perfectissimatus sibi honore blandiuntur, trusi in curiam, necessariis officiis publicis inseruiant. PP. XI. Kal. Mai, Karthag. Constantio & Maximo coss.

XVI. Idem A.

Si ad magistratum nominati aufugerint, requirantur: & si pertinaci animo latere patuerint, his ipsorum bona permittantur qui præsenti tempore in locum eorum ad duumuiratus munera vocabuntur: ita vt si postea repperti fuerint, biennio integro onera duumuiratus cogantur agnoscere. Omnes enim, qui obsequia publicorum munerum declinare temptauerint, simili condicione

ne teneri oportet. Dat. III. Kal. Octob. Serdicæ, Constantino A. VIIII. & Constantio IIII. coss.

XVII. Idem A. ad Lucretium Paternum.

Vacuatis rescribtis per quæ munerum ciuilium nonnullis est vacatio præstituta, omnes ciuilibus necessitatibus adgregentur: ita vt nec consensu ciuiũ, vel curiæ præstita cuiquam immunitas valeat: sed omnes ad munerum societatem conueniatur. Dat. VIII. Kal. Nouemb. Heracleæ, Constantino A. VIII. & Constantio IIII. coss.

XVIII. Idem A. ad VV. CC. PF. P. Post alia.

Ad senatum decurio non adspiret, manẽtibus athuc his qui eandem dignitatem consecuti sunt. Filios sanè militarium iuxta prius præceptum aut patris militiam adsequi volumus: aut si detrectauerint militare, & triginta quinque annos impleuerint, curiis mancipari. Dat. VII. Kalend. Decemb. Constantino A. VIII. & Constantio IIII. coss.

XVIIII. Idem A. ad Euagrium.

Quoniam nonnulli diuersarum ciuitatum curiales intemperanter minores quibus publica tutela debetur, ad curiæ consortium deuocarunt, vt septem, vel octo annorum constitutos nonnullos nominasse firmentur, decernimus, vt omnino nullus in curiam nominationibus deuocetur, nec functionũ obsequia subire cogatur, nisi qui decimum & octauum annum ætatis fuerit ingressus. Quod & in futurum arceri volumus, & eos eximi qui infra eius ætatis terminos constituti iam nominati sunt, curialibus vt vinculis absoluantur. Cùm enim decimum & octauum annum ætatis intrauerint, si militiæ nomen inserere iuxta legem datam non potuerint, vel supersederint, municipali poterunt dari obsequio. Dat. prid. Non. Aug. Basso & Ablauio coss.

INTERPRETATIO. *Minores decem & octo annorum ætate, Curiales nec nominari à quibuscunque, nec ad seruitia applicari debere: quia hoc lex sufficere credit, vt ab decem & octo annis necessitati publicæ, si necesse fuerit, applicentur, ita vt si quis infra hanc ætatem ante nominati iam fuerint, absoluantur.*

XX. Idem A. ad Euagrium PF. P.

Nullus decurionum ad procurationes, vel curas ciuitatum accedat, nisi omnibus omnino muneribus satisfecerit patriæ, vel ætate vel meritis. Qui verò per suffragium ad hoc peruenerit administrare desiderans, non modò ab expetito officio repellatur, sed epistula quoque, vel codicilli ab eo protinus auferantur, & ad comitatum destinentur. Dat. prid. Id. Aug. Basso & Ablauio coss.

INTERPRETATIO. *Ista lex hoc iubet, nullum Curialem, nisi omnibus curiæ officiis per ordinem actis, aut curatoris, aut defensoris officium debere suscipere, nisi omnibus, vt dictum est, ante muneribus satisfecerit, quæ patriæ ordine debentur: nam si præfatus contra hanc præceptionem quolibet suffragio, aut sub quocunque obtentu honoris se munire voluerit, & obtentis careat, & vbi rerum domini fuerint dirigantur.*

XXI. Idem A. ad Felicem PF. P.

Quoniam Afri curiales conquesti sunt quosdam in suo corpore, post flaminij honorem, & sacerdotij, vel magistratus decursa insignia, præpositos con-

pelli fieri mansionum, quod in singulis curiis sequentis meriti & gradus homines implere consuerunt: iubemus nullum prædictis honoribus splendentem ad memoratum cogi obsequium, ne nostro fieri iudicio iniuria videatur. Dat. prid. Non. Aug. Viminacio, Constantio & Albino coss.

XXII. Idem A. ad Euagrium PF. P.

Cùm decuriones decurionúmque filij, deque his geniti ad diuersas militias confugiant: iubemus eos in quibuscunque officiis militantes exemptos militia, restitui curiæ: exceptis his qui in palatij nostri iam habentur officiis. Dat. XI. Kal. Septemb. Constantinop. Nepotiano & Facundo coss.

XXIII. Imp. Constantini A. ad Iulianum.

Quamuis eos qui tertio edicto vocati minimè respõdere voluerunt, legum seueritas obnoxios faciat cœtibus curiarum: tamen humaniorem placuit sequi viam, & eos admonere edicto, vt intra triginta dies sui præsentiam faciāt. Quòd si intra hoc tẽpus neglexerit, vel sui præsentiam facere, vel defensorem ad iudicia mittere, qui absentiæ eorum iustas allegationes deponat, sententia super his lata sine aliquo cũctamine cõualescat. Dat. V. Id. Octob. Antiochiæ, Vrso & Polemio coss.

XXIIII. Idem A. Aconio Catullino Vic. Afric.

Quicumque fugientes obsequia curiarum affectauerint adumbratæ nomina dignitatis, & si eos spes falsi honoris inluserit, triginta argenti libras inferre cogantur. Acc. Karthag. prid. Id. Decemb. Vrso & Polemio coss.

XXV. Idem A.

Quoniam emptæ dignitatis obtentu curias vacuefactas esse non dubiũ est, placuit vt cuncti qui suffragiis dignitatum insignia consecuti sunt, inmeriti honoris splendore priuati, ciuilium munerum sollennitate fungantur. Eorum sanè intemeratas inconcussásque dignitates volumus permanere, qui vel iudicio prouinciarum in officium legationis electi sunt, vel honestis testimoniis adminiculis enitentes talium dignitatum priuilegia insigniáque meruerunt. Dat. V. Kal. Nouemb. Emesa, Vrso & Polemio coss.

XXVI. Impp. Constantius & Constans AA. ad Catullinum Vic. Afric.

Cunctos excomite cuiuslibet ordinis, & expræsidibus, & Rationalibus, & magistris studiorum, denique experfectissimis honorariis, vel affectus eorum ad ciuica onera constringes, si quidem rectiùs patriæ, vel honoribus, vel magistratibus expendere debuissent, quæcunque ab his fœdantibus honores consũmpta sunt. Dat. Kal. Nouemb. Vrso & Polemio coss.

XXVII. Idem AA. Haue Celsine K. NB.

Rarum Karthaginis splendidissimæ senatum, & exiguos admodum curiales residere conquestus es, dum vniuersi indebitæ dignitatis infulas fœda familiaris rei vexatione mercantur. Igitur istiusmodi viri demptis honoribus imaginariis, huiuscemodi illi erunt quos fuerant consecuti ciuicis muneribus subiugentur. Quod quidem per omnem Africam sollertissimè seruari oportet. Dat. VI. Id. Ian. Treu. Constantio II. & Constante AA. coss.

XXVIII.

XXVIII. Idem AA. ad Anatolium Vicarium Afric.

Constitutionibus perspicuè definitum est, Kalendis Martiis nominationes fieri, vt splendidorum honorum munerúmque principia primo tempore procurentur, &c. Dat VI. Kal. Decemb. Constantio II. & Constãte AA. COSS.

XXVIIII. Idem AA. Ordini ciuitatis Constantinæ Circensium.

Magistratus desertores ad eam grauitas tua faciat necessitatem condicionis vrgueri, vt quascunque pro his expensas ciuitas prærogauit, refundere protinus, ac repræsentare cogantur. Et deinceps tenaciter obseruabit, ne qui derelicta curia in ordinem veniant senatorium, priusquàm cunctas functiones ciuicis honoribus pensitauerint. Dat. XIIII. Kalend. Feb. Naisso, Acindyno & Proculo COSS.

XXX. Idem AA. Nemesiano Com.

Curiales omnium ciuitatum nullam pro re priuata nostra debent inquietudinem sustinere, nec huiusmodi oneribus, veluti extraordinariis occupari: quoniam satis est, si ciuitatũ munera per eos congrua compellantur, &c. Dat. prid. Id. Aug. Bessæ, Acindyno & Proculo COSS.

XXXI. Idem AA. ad Catullinum. PF. P.

Nullus omnino ex tabulariis, vel scribis, vel decurionibus eorúmque filiis in quocumque officio militet, sed ex omnibus officiis, necnon etsi intra nostrum palatium militent, necdum impleto quinquennio repperti & retracti protinus curiis officiísque municipalibus reddantur. Dat. VIII. Kal. Iul. Lauriaco, Marcellino & Probino COSS.

XXXII. Idem AA. ad Hilarianum.

Militarium filios qui gestandis armis idonei non esse dicuntur, curiis iamiámque tradi oportet. Nam reipublicæ incommodum est curias hominum paucitate languescere. Dat. XVI. Kal. Sept. Marcellino & Probino COSS.

XXXIII. Idem AA. Rufino Com. Orient.

Quoniam sublimitas tua suggessit multos declinantes obsequia, machinari, vt priuilegia rei priuatæ nostræ colonatus iure sectantes, curialium nominationes declinent: sancimus, vt quicumque vltra vigintiquinque iugera priuato dominio possidens, ampliorem ex re priuata nostra iugerationis modũ cultura & sollicitudine propria gubernauerit, omni priuilegiorum, vel originis, vel cuiuslibet excusationis alterius frustratione submota, curiali cõsortio vindicetur. Illo etiam curiæ similiter deputãdo qui minus quidem quàm vigintiquinque iugerorum proprietatem habeat, ex rebus verò nostris, vel paruum, vel minorem iugerationis modum studio cultionis exercet, ita vt omni fraude submota, si qui vẽditione simulata præscribtas legi minuat facultates, omne quod simulata vẽditione ad alium transtulit, fisci nostri viribus vindicetur. Quam pœnam illi etiam sustinebunt qui captione supplicatione delata, speciale rescribtum in fraudem sanctionis extorserint. Dat. Non. April. Antiochiæ, Constantio III. & Constante II. AA. COSS.

XXXIIII. Idem AA. ad Auxentium Præsid. Aug. Tamnice. †

† *te. Augustamnicæ.*

Eos qui curialibus muneribus obnoxij honorariis dignitatibus gaudent, iuxta legem nostram remoto hoc patrocinio publicis vtilitatibus obedire, ac satisfacere prudentia tua decernat. Dat. VI. Id. April. Antiochiæ, Constantio III. & Constante II. AA. COSS.

xxxv. Idem AA. Leontio PF.P.

Iterata lege ſancimus, vt veteranorum filij, ſi poſt ſedecim annos militiæ munus ſubire non poſſint, vel armis geſtãdis habiles non exiſtãt, curiis mancipentur. Dat. v. Kal. Iul. Hierapoli, Placido & Romylo COSS.

xxxvi. Idem AA. ad Titianum.

Vniuerſi omnino excomitibus, vel expræſidibus, qui ſuffragio perceperint dignitates, ciuilibus oneribus muneribúſque teneantur adſtricti. Plebeiam quoque ſuſtineant capitationem, ne cõmoda publica ſub vmbratili ſuffragiorũ pactione lacerentur. Eos tamen à prædictis oneribus excipi oportebit qui vel in adminiſtratione, vel in legationibus publicis verſati ſunt, ita vt ſi quis contra interdictum legis noſtræ præcationem obtulerit, eius patrimonium fiſci noſtri viribus protinus vindicetur. Dat. prid. Kalend. Iul. Triueris, Placido & Romylo COSS.

xxxvii. Idem AA. ad Placidum PF.P.

Cautum eſt, vt quicumque orti ex decurionibus ſeſe ad militiam contuliſſent, in quibuſcumque ſtipendiis deprehenſi nulla abſolui prærogatiua temporis poſſint: ſed ordinibus quos reliquerãt, traderentur. Hoc & in calcarienſibus & fabricenſibus & argentariis obſeruetur, vt quicumque obnoxij officiis, vel muneribus ciuilibus ex ſupradictis fabriciis fuerint, curię reſtituti nec impetrato reſcribto liberentur. Dat. v. Kal. Iul. Leontio, & Salluſtio COSS.

xxxviii. Idem AA. ad Anatolium PF.P.

Quoniam nonnulli curiis derelictis, domeſticorum ſeu protectorum ſe conſortio copularunt, ſcholarij etiam quidam nomen dederunt militiæ, aut palatinis ſunt officiis adgregati: cũctos iubemus, omni fruſtratione ſubmota, ad curias reuocari. Ne tamen diuturnitatis ratio videatur eſſe neglecta, quicumque ſub armis militię munus comitatenſe ſubierunt, ſi necdum quinque ſtipendia compleuerunt, nec pro publica defenſione prœliis adfuerunt, reddantur. Qui verò palatini nominis præferunt dignitatem, ſi curialem trahunt originem, infra tot annos militiæ nudati præſidiis, oppidaneis reſtituantur obſequiis. De qua re magiſtros equitum, ac peditum & v. c. Comitem domeſticorum, necnon etiam ſacrarum largitionum Comitem, & Magiſtrum Officiorum & Caſtrenſem (ſub quibus cuncti eſſe noſcuntur) credidimus commonendos: vt tua inſiſtente prudentia & ſcribente de nominibus ſingulorum vnuſquiſque propriæ condicioni reddatur. Dat. x. Kalend. Iun. Cæſenæ Conſtantio IIII. & Conſtante III. AA. COSS.

xxxviiii. Idem AA. ad Anatolium PF.P.

In perpetuum obſeruandum eſſe ſancimus, vt citra iniuriam corporis, quod in ſeruis etiam probroſum, atque poſtremum eſt, cuncti primarij, & curiales præcepta à Iudicibus exſequantur. Frequenti ergo monitione atque hortatu tam primarios curiarum, quàm hos qui magiſtratus gerunt, atque geſſerunt, ſinceritas tua incitare debebit, vt promptius præcepta ſuſcipiant, omni corporalis contumelię timore ſublato. Dat. Kalend. April. Antiochiæ, Limenio & Catullino COSS.

xL. Idem AA. ad Taurum PF.P.

Curiales plerique ad inane vocabulum militiæ cucurrerunt, ac tanta arte rem

rem gerunt, vt nec muniis militaribus obsequantur, nec oneribus oppidaneis prosint. Igitur vniuersi nulla prærogatiua de vocabulo dignitatis in militia conquisitæ, nullóque stipendiorum numero suffragante restituantur ciuitatibus. Dat. XII. Kal. Aug. Rau. Constantio VI. & Constante II. AA. COSS.

XLI. Idem AA. Ordini Carthaginiensium.

Ex comitibus & ex præsidibus vniuersi ceteríque qui sine administratione adumbratarum dignitatum codicillos honorarios meruerint, si ex vestro eosdem numero fuisse claruerit, in vestro consortio perseuerēt. Fungantur oneribus & honoribus vniuersis quos ratio municipalis exposcit, permanētibus dignitatum titulis quas eisdem constat indultas. Dat. X. Kal. Aug. Constantino A. VI. & Constantio II. COSS.

XLII. Idem AA. Ordini Cæsenatium Salutem dicit.

Si qui ex præsidibus, vel perfectissimatus accessione cumulati esse noscuntur, manentibus dignitatibus quas suffragio meruerunt, nihilominus in sui ordinis consortio perseuerēt: fungantur officiis curialibus, ac municipalium munerum cura partita vobis cum obsequio capiantur. Si quis autem clarissimæ meruerit infulas dignitatis, nec indulti muneris gratiam codicillorum allegatione percepit, impetratæ fructum dignitatis amittat, & cuncti qui per officia diuersa nomina dederūt militiæ, si decurialium numero originem trahunt, soluti sacramentis vestris cœtibus adgregentur. Dat. XI. Kal. Iun. Med. Constantino A. VII. & Constantio III. Cæs. COSS.

XLIII. Idem AA. ad Taurum PF. P.

Inludere commodis curiarum decurionibus, ac decurionum filiis cautum est non licere, etsi verò adfectu militiæ se obsequiis traderent. Tum verò idcirco tantummodo ad militiæ sacramenta confugiunt, vt commodis oppidaneis obsequium denegetur. Fraudis huius commenta facilè comprimētur: comperimus nanque plurimos prędictorum nomen militiæ tradidisse, vel ad suffragia cucurrisse: ita vt post tempus exiguum honesta missione donentur, & muneribus patriæ perferendis curam sedulæ mentis intendant. Dat. XVI. Kalend. Aug. Med. Arbitione & Lolliano COSS.

XLIIII. Idem AA. ad Martinianum Vicarium Africæ.

Quicumque intra palatium perfectissimus, aut Comes prouectus suffragio est spolietur honoris indebiti dignitate. etsi intra prouinciam reppertus fuerit otiosus, cuius munia vitare studebat, obsequiis competētibus subiugetur. Dat. XI. Kalend. Iun. Sirmio, Datiano & Cereale COSS.

XLV. Idem AA. ad Martinianum Vic. Afric.

Parui habito generis & originis nexu, plerique (muniis oppidaneis improbè destitutis) ad militiam confugisse dicuntur. Ideóque non eos tantum, qui etiam nunc in militia perseuerent, set veteranos etiam statuimus euocari, excusaturos proprias allegationes in iudiciis conpetentibus. Æquum est namque nullū se nomine honestę missionis tueri, vt etiam nunc in militia permanentes, vel iam otium consecutos recipiant curiæ, si sibi obnoxios esse monstrauerint. Elicitas quoque epistulas adimi volumus veteranis, curiæ decernentes esse reddendos, quos obnoxios esse claruerit. Dat. X. Kalend. Iul. Sirmio, Datiano & Cereale COSS.

XLVI. Idem AA. ad Martinianum Vic. Afric.

A solis pręcipimus aduocatis eorúmque consortio dari prouincię sacerdotem. Nec aliquis arbitretur ita esse aduocationis necessitatem impositam sacerdotio, vt & ab eo munerũ oppidaneorum functio secernatur: cùm nulla vnquam iura patronis forensium quæstionum vacationem ciuilium munerum præstituerint. Nullum igitur aduocatum à curia (cui tenetur obnoxius) patimur excusari: videlicet, si ciuico nomine, aut vinculo incolatus oppidadanea necessitas eum detinet obligatum. Itaque aput alios etiã Iudices operam dantes negotiis perorandis, obnoxios esse decernimus sacerdotio: sic videlicet, & vt intra eam prouinciam huiusmodi honoribus mancipentur, vbi eos necessitas curialis detinet obligatos. Dat. v. Kalend. Iul. Mursæ, Datiano & Cereale coss.

XLVII. Idem AA. Cæciliano PF. P.

Oppidaneis ordinibus consulentes dudum iussimus ab iniuriis corporalibus tutam esse debere ordinis dignitatem. Condemnationibus etiã modum inposuimus, qui legib⁹ designatur. Ideóque sancimus, vt si Iudex, vel in condemnationibus exprimendis, vel in corporalibus iniuriis vltra licitum contra curialem exarserit, ipse quidem auri pondo quinque, officium verò eius decem fisco inferat. Dat. XVIII. Kalend. Iul. Eusebio & Hypatio coss.

INTERPRETATIO. *In correptione Curialium certam patientiam Iudices debẽt retinere, vt in corpore vel in sanguine Curialium non facile audeant desæuire: nam si qui contra hoc fecerit, ipse quidem Iudex quinque libras auri, & officium eius decem auri libras fisco cogantur inferre.*

XLVIII. Idem AA. ad Senatum.

Si qui fortè decuriones munia detrectantes, ad senatus nostri sese consortium contulerunt, exempti albo curiæ propriis vrbibus mancipãdi sunt. Qui verò prætorum honore perfuncti sunt, residentes in senatu, redhibere debebunt quæ ex rationibus fisci, aut vrbium visceribus abstulerunt: ita vt omnibus deinceps adipiscẽdi honoris huiusce aditus obstruatur. Dat. v. Non. Mai. Tauro & Florentio coss.

XLVIIII. Idem AA. ad Taurum PF. P.

Solum Episcopum facultates suas curiæ, sicut antè fuerat cõstitutum, nullus adigat mancipare: sed antistes maneat, nec faciat substantię cessionem. Sanè si qui ad presbyterorum gradus, diaconum etiam, seu subdiaconum, ceterorúmque peruenerint, adsistente curia, ac sub obtutibus Iudicis promente consensum (cùm eorum vitam insignem, atque innocentem esse omni probitate constiterit) habere debet patrimonium probabilis instituti, vt retineat proprias facultates: maximè si totius populi vocibus expetatur. Quòd si qui fortè, non curialibus aput Iudicem profitentibus, non denique expetẽte populo, ad eos (quos diximus) gradus adspirent, aut studio fraudulentæ artis inrepserint, patrimonium suum liberis tradant ad curialia obsequia subrogatis. Quòd si suboles defuerit, propinquis suis (quos tamen gradus poterant legitimæ successionis adtingere) duas tradat propriæ substantiæ portiones, sibi tertiam reseruaturus: scilicet, vt per propinquos (si tamen curiales sunt, aut etiam, si curiæ nunquàm antea obsequium præbuerunt) præbeatur susceptis facultatibus obsequela. Quòd si filios aut propinquos non habuerint hij qui derelicta

derelicta curia ad cultum diuinæ reuerentiæ existimauerint transeundũ, duas portiones curia debebit accipere, relicta penes eum tertia, quem antè diximus ad ecclesiasticorum consortium insidiosis artibus adspirasse. Ea verò quę ad curiam ex eorum iure transierint, curiæ esse oportet, nec ex eius iure transferri. Sed quoniam verendum fuerit, ne alienatis facultatibus, aut in aliorum iura antè transcribtis, nulla ex parte possit curię vtilitatibus consuli, obseruari oportet, vt si patefacta fuerint fraudulenta consilia, qui qualibet necessitudine copulatus est, cùm id potuerit demonstrare, easdem percipiat facultates, curiæ muneribus præbiturus obsequia. Vel si propinquorum cesset indago, cuncta ad curiam transferantur, quæ quolibet titulo alienata probabuntur, ex eo tempore, ex quo curiæ munia cœperit detrectare, qui viam diuinæ cultionis affectat. Si præpositi horreorum hiique qui suscepturi sunt magistratum, præpositi etiam pacis, seu susceptores diuersarum speciérũ ad ecclesiam crediderint adspirandum, postquam officia iNpositæ sollicitudinis, aut honoris adgressi sunt, ipsos primùm antistites supernæ legis conueniet reluctari, ipsisque primùm adnitentibus, eosdem ad obsequia congrua reuocari: aut si hoc neglexerint, à curialibus, iudiciali officio suffragante, retrahẽdi sunt, &c. Dat. IIII. Kal. Septemb. Tauro, & Florentio COSS.

L. Imp. Iulianus A. Secundo PF. P. Post alia.

Decuriones, qui vt Christiani declinant munia, reuocentur: & ab auri atque argenti præstatione, quod negotiatoribus indicitur curiæ immunes sint: nisi fortè decurionem aliquid mercari constiterit, ita vt ordines ciuitatum ex huiusmodi reliquis sarcinarum (vt iam diximus) amoueantur. Et quoniam ad potentium domus cõfugisse quosdam relatum est curiales: vt tam fœda perfugia prohibeantur, multam statuimus, vt per singula capita singulos solidos dependat, qui ad potentis domum confugerit, & tantumdem, qui receperit, multæ nomine inferat. Nam si seruus inscio domino susceperit, capite punietur: & ingenuus qui inuito patrono hoc fecerit, deportabitur. PP. III. Id. Mar. Constantinop. Mamertino, & Neuitta COSS.

LI. Idem A. Iuliano Com. OR.

Eos indulserunt veteres principes qui materno genere curialibus Antiochenis adscribi, quos patris dignitas nullius vindicaret iure ciuitatis. Dat. V. Kal. Septemb. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta COSS.

LII. Idem A. ad Iulianum Conf. Fœnicis.

Non obstat curialium petitioni, quòd hij quos incolas dixerũt, alibi decuriones esse dicuntur. Poterunt enim & aput eos detineri, si eorum patitur substantia, & ante conuentionem incolatui renuntiare noluerunt. Sola verò possessione sine laris conlocatione prædictos onerari iuris ratio non patitur: quãuis res decurionum comparasse dicãtur. Sanè incolonatus iure tunc detinendi sunt, si non aut arma gesserunt, aut expeditioni militari præfuerunt, aut sub præcone administrationis facti sunt senatores. Dat. III. Non. Septemb. Antiochiæ, Acc. Id. Octob. Tyro, Mamertino & Neuitta COSS.

LIII. Idem A. ad Sallustium PF. P.

Quoniam ex paucis plurima commissa non absurdè suspicamur, ex die Kal. Septembrium omnes omnino pręter sollemnes nominationes factas à curiis in irritum deuocamus: de pręcedentibus porrò iustum agitabis examẽ.

Placuit etiam designare, quæ corpora sunt, in quibus nomina t ionis iustè sollemnitas exercetur. Decurionum enim filios necdum curiæ mancipatos, & plebeios eiusdem oppidi ciues, quos ad decurionum subeunda munera splendidior fortuna subuexit, licet nominare sollemniter. Dat. XIIII. Kalend. Octob. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta COSS.

LIIII. Idem A. ad Iulianum Com. OR.

Prouidendum est eorum nouitati decurionum qui nuper nomẽ curiis addiderunt, ne præteritis debitis susceptorum onerentur, sed conuentis propter hæc debita, qui ea præcedentibus delegationibus contraxerunt, nullam molestiam pro sarcina nominationis alienæ sustinere patiaris. PP. Byritho, Kalend. Nouemb. Mamertino, & Neuitta COSS.

LV. Idem A. Leontio Consul. Palęstinæ.

Qui pater sit XIII. liberorum, non modò ad curiam non vocetur, verumetiam si sit decurio, honoratissima quiete donetur. Dat. Kal. Mart. Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

INTERPRETATIO. *Lex ista hoc dicit, eum qui pater esse probatur tredecim filiorum, non solum ad curiæ seruitia non detinendum, verumetiam si Curialis sit, honoratißima quiete donandum.*

LVI. Idem A.

Qui nati origine curiali militare munus adamauerunt, vbi decem annorum stipendia confecta sunt, iussionum nostrarum auctoritate erunt curia immunes. Si verò intra decennium recens athuc erit ratio militiæ limitaneæ causa generis præponderauerit & originis. Curiis enim adgregabũtur. Dat. XII. Kal. Ianuar. Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

LVII. Idem Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PF. P.

Nemo ad ordinem senatorium ante functionem omnium munerum municipalium Senator accedat. Cùm autem vniuersis transactis patriæ stipendia fuerit emensus: tum eum ita ordinis senatorij cõplexus excipiet, vt reposcentium ciuium flagitatio nõ fatiget. Hij autem qui legem nostram neglexerint, exempti senatorio albo quoad municipalibus necessitatibus satisfaciant, non capiant cassi honoris augmentum. nam qui cupiunt incrementum honoris adipisci, perfunctos se esse muneribus actis debent ordinarij iudicis adprobare in locum suum scilicet filiis subrogatis, si eos successio familiæ ad exsequẽdam vniuersam legis nostræ mẽtem docebitur adiuuare. Dat. Non. Mai, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

LVIII. Idem AA. ad Mamertinum PF. P.

Qui curiali ortus familia ante completa munera patriæ Senator factus est, fructu careat, quousque muneribus absoluatur: quibus expletis, si velit sumptuosum ordinem senatorium vitare, denuntiet dignitati si permãserit, liberos quos post ediderit, habeat Senatores, prętores iam, quęstorésque non muneri decurionum obnoxios. Militiæ verò nullus gradus, nulla diuturnitas defendet eum qui vt curialẽ contrahens originem, repetetur. Sed & qui nexum curialem nascẽdi oportunitate vitauerit, nisi cùm duodeuiginti annos expleuerit, militiam exerceat, per quam parentibus eius immunitas quęsita est, securus esse non poterit propter sortem originis. Dat. III. Id. Mai, Hadrianop. diuo Iouiano, & Varroniano COSS.

LVIIII. AA. Idem ad Byzacenos.

Qui partes eligit ecclesiæ, aut in propinquum bona propria conferendo eum pro se faciat curialem, aut facultatibus curiæ cedat quam reliquit ex necessitate reuocãdo eo qui neutrum fecit, cùm clericus esse cœpisset, & cetera. Dat. IIII. Id. Septemb. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano coss.

LX. Idem AA. ad Byzacenos.

Sacerdotes vel curiales vltra terminos propriæ ciuitatis non iubeantur sui exhibere pręsentiam: in sacerdotibus creandis & in priuilegiis quæ hisdem deferebantur, veteri more seruando. Dat. Prid. Id. Septemb. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano coss.

LXI. Idem AA. ad Terentium Corr. Tusc.

Vrbis Vulsiniensium principales qui tamen patronorum adepti fuerint dignitatem, hãc pręrogatiuam laborum atque officiorum ferant, ne interdum ad libidinem prauè consulentium Iudicum grauibus adficiãtur iniuriis. Dat. v. Kal. Nouemb. diuo Iouiano & Varroniano coss.

LXII. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Municipalis qui ad fabrorum collegium, alia officia inlusurus inrepsit, statui pristino reformetur, nec in posterum decurionum quis originem trahens ad hoc officium aspirare audeat. Dat. IIII. Id. Decemb. Mediol. diuo Iouiano & Varroniano coss.

LXIII. Idem AA. ad Modestum PF.P.

Quidam ignauiæ sectatores desertis ciuitatum muneribus, captant solitudines, ac secreta, & specie religionis cum cœtibus monazonton cõgregantur. Hos igitur atque huiusmodi intra Ægyptum deprehensos per Comitem Orientis erui è latebris consulta præceptione mandauimus, atque ad munia patriarum subeunda reuocari, aut pro tenore nostræ sanctionis familiarium rerum carere inlecebris: quas per eos censuimus vindicandas qui publicarum essent subituri munera functionum. PP. Byritho, Kalend. Ianuar. Valẽtiniano & Valente AA. coss.

LXIIII. Idem A. Mauris Sitifensibus.

Priuilegio militię paternę se nõ vindicet, quem auitus curię nexus adstringit, & patrem sine dubio receptura curia, si intra prędicti tẽporis calcem suis partibus adfuisset. quòd si militari auo & patre decurione nascetur, paternæ erit succedaneus functioni. Dat. VIIII. Kalend. Mai, Treu. Valentiniano & Valente AA. coss.

LXV. Idem AA. ad Terentium Corr. Tusc.

Omnes curiales qui qualibet gratia prius ad altiorem gradum properauerint, quàm munia vniuersa percurrerint, ad ordinem necessitatum suarum reuocentur, nec ante ad vsurpatam dignitatem admittantur, quàm quæ patriæ debentur, impleuerint. Non difficilè autem intelligitur id quod senatorio ordini concessum non est, concedi non posse ordinibus ciuitatum. Dat. v. Kalend. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. coss.

LXVI. Idem AA. ad Rufinum PF.P.

Ordinibus curiarum quorum nobis splendor vel maximè cordi est, non adgregẽtur, nisi nominati, nisi electi, quos ipsi ordines cœtibus suis duxerint adgregandos, nec quis ob culpam, ob quam eximi deberet, ex ordine mitta-

tur in curiam. Dat. XI. Kal. Iul. Rauen. Valentiniano, & Valente AA. COSS.

LXVII. Idem AA. ad Volusianum P.V.

Nullus, exceptis palatinis, qualibet prærogatiua fultus à debitis muneribus habeatur immunis. Dat. IIII. Kalend. Iul. Mediol. Valentiniano, & Valente AA. COSS.

LXVIII. Idem AA. ad Seuerum P.V.

Quæ cùm in perniciem ordinis Auellinatium sine auctoritate ac iudicio principali ordinarij Iudicis nimia arrogatione gesta sunt, neque vetustæ consuetudini præiudicare debebunt, neque in futurum quandam necessitatem legis inponere. Dat. prid. Non. Octob. Veronæ, Valentiniano & Valente AA. COSS.

LXVIIII. Idem AA. ad Auxonium. Vic. Diœceseos Asianæ.

Vniuersi qui prematura cupiditate senatorios cœtus honoribus patriæ prætulisse noscuntur, habeant quidem incolumem statum senatoriæ dignitatis, verùm fungantur his honoribus, quos patriæ nondum reddiderunt. Quinetiam liberos suos indicent, quos ante senatoriam dignitatem quisque suscepit. Dat. prid. Non. Octob. Valentiniano & Valente AA. COSS.

LXX. Idem AA. ad Mamertinum PF. P.

Quisquis ex hoc corpore quod susceptioni deputatũ est, honorem quemlibet suffragio meruit: etiamsi nostras purpuras adorauit, meritis careat dignitatis. Dat. III. Kalend. Feb. Valentiniano & Valente AA. COSS.

LXXI. Idem AA. & Gratianus A. ad Amphilocium Consf. Campaniæ, siue ad Sophronium Consf. Piceni.

Qui preterito aliquo vel honore vel munere ad locum indebitum tetenderunt: etiamsi conhibente curia, vel aliquibus in iudicium causis tamquam probabilibus allatis valuit obreptio, ad ea quæ fugerant retrahantur. quiescat autem illa interlocutio, quæ cum huiusmodi querimoniæ deferantur, pronuntiet Iudex curiam suum nosse discrimen. Dat. III. Non. Maij, Treu. Valentiniano & Valente III. AA. COSS.

LXXII. Idem AA. ad Olybrium Consf. Tusc.

Si quis negotiator fundos comparauerit, & vt aliquorum possessor prædiorum vocetur ad curiam, ei necessitatis vmbra non adsit, quod propterea pecunia quam habet, in conuersatione mercatoribus indictum aurum argentúmque agnoscit, sed nominatione facta, eius pareat functionibus, cui se sponte dedit, pecuniæ vsum in glebæ commodum conferendo. Dat. III. Non. Maij, Treu. Valentiniano & Valente III. AA. COSS.

LXXIII. Idem AA. ad Symmachum Proconsf. Afric.

Qui nullo administrationis honore fultus, nullis vel palatini laboris insignibus, vel meritis iustis militiæ in consortiũ senatus nititur peruenire: missa in hanc rem legatione reuocetur, eíque reddatur curiæ, quam voluit declinare. Dat. prid. Kal. Decemb. Treu. Valentiniano & Valente IIII. AA. COSS.

LXXIIII. Idem AAA. ad Modestum PF. P. Post alia.

In his, qui ex curiis ad senatus consortia peruenerunt, hec forma seruetur, vt si perfunctus quispiam muneribus, & filij subole nixus fuerit, quem senatorio necdum indepto honore susceperit, filiũ suũ curiæ functionibus tradat, ipse optata clarissimatus dignitate potiatur. Quòd si ei gemina vel numerosa suboles

suboles erit: tunc discrimen promptè dudum diualis legis adhibendum est, vt de duobus eius liberis, ac pluribus sortiendi vnius filij ad collegium senatus habeat optionem, ita vt ei qui cum patre, vel post patrem ad consortium senatus legetur, diuisio cum fratribus per sortem successionis patrimonij idonea solius glebæ substantia congregetur. Planè si quis curialis factus senator, & vnius filij posteritate subnixus ipsum senatui poposcerit connecti, seque promittat ad curiæ munera regressurum, eiusmodi captio minimè admittatur. Ceterùm si de numerocurialium factus Senator filiũ non habebit, quem functionibus patriæ heredem generis ac munerum derelinquat: glebæ senatoriæ breuibus eximatur, circa eos forma data, qui intra annos quadraginta cõsulatus Cõstãtij decimi, & Iuliani III. amplissimi ordinis participasse collegium monstrabuntur. Ceterum anteriore tẽpore adscitos ipsa æquũest antiquitate defendi. Si quis igitur curialis prosapiæ senatorio adepto vel à nobis vel à diuis principib⁹ honore subnixus sit, quãtum ad liberos, quidẽ pertinet, eadem quæ superiùs comprehensa est forma seruetur, excepto scilicet eo qui sine filio sit. & vt statuimus, retrahendus est, nisi vel antiquitate participati senatus, vel præstituti temporis prærogatiua muniatur, vel ius gladij habuit, vel præconum, qui honores concessi ceteris, & antiquum instar senatorij nominis fuerint consecuti his veræ dignitatis titulis & Iudicibus adiungendis qui proprium decus senatum indepti præturæ insignibus fuerint & honoribus ampliati, vel quos veteris tribunorũ plebis appellatione respersos vmbra nominis nobis annuentibus constiterit populo pręfuisse. Inanes verò vmbras & cassas imagines dignitatum codicillis honorariis sectãtes nihil adiuuari præcipimus, exceptis eminentium elatis titulis dignitatum, si & honorario nomine à summo gradu vsque ad consularitatem haut exiguis profectò meritis amplissima sibi honestamenta pepererunt, ceteris inferioribus dumtaxat honorariis dignitatibus ad ea officia quæ reliquerant, deducendis, hæc super obnoxiis curiali origine. Ceterùm suæ potestatis, & nullis per prouincias functionibus obligatis, vel longæ militiæ labore, vel proximis erga nos iuuantibus codicillos senatorios reportauerint, nisi vitiis, aut actæ vitæ obprobriis amplissimo ordine deprehendantur indigni, indepti semel clarissimatus dignitatem perpetuo manebunt in ordine Senatorum. Dat. Kal. Mart. Constantinop. Gratiano A. II. & Probo COSS.

LXXV. Idem AA. ad Viuentium PF. P.

Qui ad sacerdotium prouinciæ & principalis honorem gradatim & per ordinem muneribus expeditis, non gratia, emendicatísque suffragiis & labore peruenerint, probatis actibus, si consona est ciuium fama, & publicè ab vniuerso ordine comprobantur, habeãtur immunes, otio fruituri. quod continui laboris testimonio promerentur, liberúmque sit corpus eorum ab his iniuriis quas honoratos non decet sustinere, honorem etiam eis excomitibus addi censemus, quem hij consequi solent qui fidem diligẽtiámque suam in administrandis rebus publicis adprobarint. Dat. III. Kal. Iul. Treu. Gratiano A. II. & Probo COSS.

LXXVI. Idem AA. ad Modestum PF. P.

Ex omnibus domibus producti, qui origine sunt curiali, ad subeũdam publicorum munerum functionem protrahantur: quippe cum occultatoribus

talium, præter iacturam existimationis, etiam rerum discrimen incumbat, si vlterius progressi, vtilitatem publicam priuatis studiis, & patrociniis postponant. Dat.III.Id.Iul. Ancyræ, Gratiano A.II.&Probo COSS.

LXXVII. Idem AA. ad Probum Vicarium Vrb.

Nemo originis suæ oblitus, & patriæ cui domicilij iure deuinctus est ad gubernacula prouinciæ nitatur ascendere prius quàm decursis gradatim curiæ muneribus, subuehatur. Nec verò à duumuiratu, vel à sacerdotio incipiat, sed seruato ordine, omnium officiorum sollicitudinem sustineat. quod nec his deferri per gratiam, aut conhibente Iudice patimur, qui aduocationis prerogatiua nituntur. Nec verò principalium, vel sacerdotalium, cùm nullam curialium officiorum agnouerint functionem, in honores primos inrepant. Post munera verò & magistratus gradatim patriæ persolutos, aditus singulis ad administrationes publicas, nobis quoque adsistentibus recludatur, &c. Dat.VII.Kal.Mart.Treu.Modesto & Arintheo COSS.

LXXVIII. Idem AAA. ad Probum PF.P.

Ad inlustres Comites & Magistros equitum ac peditum scribta porreximus, vt scirent ab omnibus his veteranorum filiis qui vel curiæ addicti sunt, vel ciuilibus muneribus, aliisque necessitatibus obsecundãt, penitus abstinendum: vel si qui forte retracti essent, eos ita protinus officiis anterioribus redderent, nec pro his vicarios expeterent iuniores. Dat.XVII.Kal.Iun.Patauione, Modesto & Arintheo COSS.

LXXVIIII. Idem AAA. Modesto PF.P.

Quicumque per Osdroënam primipilarium maiore lætatur numero filiorum, vnum loco suo veluti hereditario iure substituat, alterum pro amore patriæ Ædesenæ curiæ tradat obsequiis, ceteris quam voluerit militiam prouisurus. Sin autem duos tantùm procreauerit, cohorti satisfacere cogatur & curiæ. Quòd si vnum procreauerit, eũdem ordini patriæ restituat, nullo contra hanc formam beneficio valituro. Damus sanè licentiam tam patribus eorum, quàm ipsis, qui huius legis auctoritate ciuitatum obsequio adgregãtur, vt si quos Curiales patrocinio principalium inuenerint excusari, in medium proferant, vt & ipsi similibus officiis deputati pareant impetratis. Dat.III. Non.Decemb.Antiochiæ, Post cons. Gratiani A.III.& EquitI V.C.

LXXX. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod.
AAA. Iuliano PF. Ægypti.

Omnis ordo curialis à tormentis his quæ reis debita sunt & ab ictibus plumbatarum habeantur immunes, scituro Iudice, quòd si vel ipse, vel eius officium cõtra vetitum legis aliquid vsurpare temptauerit, grauissimo se supplicio esse subdẽdum. Grauitas igitur tua sanctionis maiestate perspecta, non solùm à corporalibus Curialium iniuriis temperabit, verum etiã tota obseruatione prouidebit, vt si aliquid temerarium ab officio aliquo fuerit perpetratum, seuerioris pœnæ discrimine vindicetur. Dat.XVI. Kalend. April. Gratiano V.& Theod. I.AA. COSS.

LXXXI. Idem AAA. ad Neotherium PF.P.

Fabricenses ordinibus restituantur, qui originem curialem & propriæ munera declinauerint ciuita tis: reliqui ne leui quidem inquietudine pulsentur. Dat. XVI. Kalend. April. Thessal. Gratiano V.& Theod. I.AA. COSS.

LXXXII.

LXXXII. Idem AAA. Neotherio PF.P.

Omnes ad curiam præcipimus reuocari, qui ad munera ſubeunda originalibus vinculis occupati officia conãtur exhibere maiora, ſiue ſe ſplẽdidiſſimo ſenatui tradiderunt, ſiue per officia militantes obſequia patriæ denegarunt, ſi tamen allegationum meritis deſeruntur. Dat. XVI. Kal. April. Theſſalonicæ, Gratiano V. & Theod. I. AA. COSS.

LXXXIII. Idem AAA.

Si quis militaris proſapiæ ſe officio cohortis adgregarit, & ſi infractis viribus grandæuam præferat ſenectutem, aut debilitatis obtentu bellico inconueniens operi iudicetur, de ignauiæ latebris, vel ſera indagatione retractus curiarum functionibus mãcipetur. Scribta Petro Conſulari Fœnicis Damaſco, prid. Id. Maij, Conſtp. Gratiano & Theod. I. AA. COSS.

LXXXIIII. Idem AAA. ad Camenium Vic. Afric.

In nominationibus à ſingulis, quibuſque ordinibus celebrandis dudum expreſſæ quãtitatis modum eatenus volumus cuſtodiri, vt eorum in duabus, quæ concilio adeſſe debent, partibus numerus derogetur, quos aut obiectus debilitatis alienat, aut ſenectus pigra remoratur, aut clericatus obſequia vindicarunt, aut crimen deſertionis abſentat, vt ex reliquo numero duobus tertiis ſupputandis. PP. Karthag. XV. Kal. Mart. Syagrio & Eucherio COSS.

LXXXV. Idem AAA. Eutropio PF.P.

Omnes Iudices prouinciarúmque Rectores à cõſuetudine temerariæ vſurpationis abſtineant, ſciántque neminem omnino principalium ac decurionum ſub qualibet culpæ aut erroris offenſa plumbatarum cruciatibus eſſe ſubdendum. Quod ſi quis fortè Iudicum in hanc pertinaciam inliciti furoris eruperit, quod audeat principalem ac decurionem & ſuæ (ſi ſic dici oportet) curiæ Senatorem plumbatarum ictibus ſubdere, viginti librarum auri inlatione multatus, & perpetua infamia inuſtus, vt nec ſpeciali quidẽ reſcribto notam vel euere mereatur, & officium quinquaginta librarum auri multam fiſco noſtro cogetur inferre: quoniam, vt pertinaciæ Iudicis reſiſtat, liberam eidem contradicendi permittimus facultatem. Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ, Eucherio & Syagrio COSS.

LXXXVI. Idem AAA. Eutropio PF.P.

Qui laborem Curialis officij declinantes, per inlicitæ ambitionis compendia prouecti non merito probantur eſſe, ſed pretio: nulla debent ratione defendi, ſed functionibus debitis redhiberi. Super eorum autem filiis reuocandis, nullius dubietatis exſtet ambiguum. Dat. XII. Kal. Aug. Heracleæ Eucherio & Syagrio COSS.

LXXXVII. Idem AAA. ad Florum PF.P.

Vniuerſos qui ſe tam cauſarum actionibus, quàm etiam ſacramentis militaribus ceſſantes, ac ſtipendiis manciparunt, ad obſequium ſublimitas tua iubeat redire Curiale. Eos verò quos emptæ defenſionem præferre coNpererit dignitatis, cunctas quas crediderant ſubtrahendas, complere præcipiat functiones. Dat. III. Kal. Aug. Heracleæ, Eucherio & Syagrio COSS.

LXXXVIII. Idem AAA. ad Syagrium PF.P. Poſt alia.

Curiales, niſi per quinquennium armata militia, vel per triginta annos dignitas palatina defendat, certum eſt origini eſſe reddẽdos: ita vt ſeruata quin-

quennij de præterito condicione, & in posterum istiusmodi personis à consortio militiæ celsioris exclusis, omnes, qui intra præscribtum tempus inter palatinos habentur, seu inter protectores, aut domesticos, restituãtur suæ fortunæ. PP. v. Id. April. Karthag. Post cons. SyagrI & EucherI. v v. c c.

LXXXIX. Idem AAA. ad Syagrium PF. P.

Omnes omnino quos paterna obsequia municipes fecerunt, resultandi curiæ nexibus (quælibet auorum atque maiorum stemmata referant) licentiam penitus amittãt: non minore Rectoribus (si hoc concesserint) periculi denunciatione constrictis. Veteranorum quoque filios armis inpares, séque otio, vel debilitate membrorum, vel mentis torpore donantes, vindicet curiarum necessitas. Dat. III. Non. Iul. Viminacio Post cons. SyagrI & EucherI vv. cc.

XC. Idem AAA. Proculo Com. O R.

Vniuersos qui ex consulatu diui Pij ConstantI decimi & Iuliani tertij (hoc enim tempus est quod Diuorum parentium nostrorum Valentiniani, & Valentis decreta signarunt) ex genere curiali ad senatoriam dignitatem adspirasse constiterit: vel restituendis omnibus functionibus quas debebunt, curabis addicere, vel si cunctis functionibus obsecuti sunt, in substituendis quam maximè idoneis obnoxios facere non desistas. Dat. VIII. Id. Mart. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

XCI. Idem AAA. Dario Cons.

Si qui curiales curia derelicta, neque debitas patriæ reddiderint functiones, nec, cùm ipsi discederent, idoneos subrogarunt, ita eos constringi oportet, vt & agenda persoluant, & in locum suum idoneos pro publica vtilitate constituant. Dat. VIII. Id. Aug. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

XCII. Idem AAA. Floro PF. P.

Si quis procurationem facultatum suarum curiali crediderit esse mandandam, totius dignitatis exceptione depulsa, patrimoniũ eius, quod crediderat curiali, proscribtio fiscalis inuadat. Ille verò, qui immemor libertatis, & generis, infamissimam suscipiens vilitatem, existimationem suam seruili obsecundatione damnauerit, deportationis incommodo subiugetur. Dat. x. Kalend. Nouemb. Antonio & Syagrio COSS.

XCIII. Idem AAA. Clearcho PF. P.

Cuncti qui ex decurionibus senatorum se splẽdori & collegio miscuerunt, eorúmque omnis suboles, vel quæ priùs edita est, vel quæ postmodum docetur esse suscepta, remittatur ad curiam. Dat. VII. Kalend. Decemb. Antonio & Syagrio CONSS.

XCIIII. Idem AAA. Constantiano Vic. Diœce. Pontic.

Vniuersos quos furtiuam militiam & fraudes varias dignitatum obsequia ciuitatum grauitas tua conpererit refugisse, ac per ambitũ honoris indebiti, necessarium patriæ ministerium denegasse, ad collegium ordinum, & consortium functionum amota reuocare dilatione contendat: neque eos sub excusatione alicuius officij, vel honoris permittat euagari, qui tunc demum libero poterunt honore gaudere, si vniuersis muneribus nominationibúsque completis, absolutã possidere cœperint dignitatem. Dat. prid. Kalend. Feb. Constantinop. Merob. II. & Saturnino COSS.

xcv. Idem AAA. ad Eusignium Proc. Afric.

Viri ordinibus nati ad militiæ non debent sacramenta confugere. Post quindecim verò stipendia, vinculo prioris ordinis liberetur, qui se tribus lustris adsiduè militasse, & neque bellicis necessitatibus, neque muneribus militaribus ostenderit defuisse. Dat. IIII. Kal. Mart. Med. Merob. II. & Saturnino coss.

xcvi. Idem AAA. Floro PF. P.

Concessum curialibus prouinciæ Mysiæ, vt si quos è plebe idoneos habent, ad decurionatus munia deuocent: ne personæ famulãtium facultate locupletes, onera, pro quibus patrimonia requiruntur, obscuritate nominis vilioris euadant. In quorum desiderio etiam istud adiectum est, vt originales, qui ad diuersa prouinciarum officia confugerunt, ex diui Iuliani tempore, ad curiales functiones, sublata omni ambiguitate retrahantur. Dat. III. Non. Mar. Cõstp. Merob. II. & Saturnino coss.

xcvii. Idem AA. Cynegio Com s. L.

Scias, excepta diœcesi Ægyptiaca, vbique seruandum esse, ne vsquam penitus in susceptionem, vel minimi vectigalis decurio conductor accedat, sed eorum professionibus, & personis omnis hæc diuersarum locationum summa credatur, qui ad exhibendam publicis rationibus fidem, periculo & fortunæ coguntur, & vitæ. Dat. VIII. Id. Mar. Constp. Merob. II. & Saturnino coss.

xcviii. Idem AAA. Postumiano PF. P.

In muneribus peragendis, si qua soluta antè non fuerãt, vel in substituendis idoneis, ne quid patriæ perisse videatur, vel in filiis retinendis priorum præceptorum decreta sublimitas tua custodiat. Eos quoque qui aduocationis obtẽtu curialia onera declinant: onera vniuersa compellat, quæ, etsi necessitas non exigit, tamen patria non remittit ipsos. Quinetiam filios magistrorum, qui ex curiali stirpe descendunt simili modo obnoxios esse decernat. Dat. VIII. Id. April. Constp. Merob. II. & Saturnino coss.

xcviiii. Idem AAA. ad Hypatium PF. P. Post alia.

Iussio, qua sibi Iudææ legis homines blandiuntur, per quam eis curialium munerum datur immunitas, rescindatur: cum ne clericis quidem liberum sit prius se diuinis ministeriis mancipare, quàm patriæ debita vniuersa persoluãt. Quisquis igitur verè deo dicatus est, alium, instructus facultatibus suis, ad munera pro se complenda constituat. Dat. XIIII. Kal. Maij, Med. Merobaude. II. & Saturnino coss.

c. Idem AAA. ad Hypatium PF. P.

Omnes, qui ex origine curialiũ se diuersis gradibus inseruere militiæ, reddi propriis ordinibus oportebit: exceptis his, quibus legis vetustę (quæ certũ numerum stipendiorum, vel palatinę militię viris statuit) opitulatur auctoritas. Dat. XIII. Kal. Maij, Med. Merobaude II. & Saturnino coss.

ci. Idem AAA. ad Basilium Com. s. L.

Exemplo senatorij ordinis, patris originem municeps vnusquisque sequatur: nec valeant specialiter delata rescribta, si quis se matris origine defendẽs, à maiore curia ad minorem trãsferri fortasse promeruerit, neque vlla pro more

prouinciæ referri sinatur exceptio. Dat. xvi. Kal. Iul. Rom. Merobaude II. & Saturnino COSS.

CII. Idem AAA. Postumiano Iter. PF.P.

Quotienscunque se ex rescribtis nostris aliquid impetrasse contendent, hij, quos obnoxios curiæ, vel origo fecerit, vel latum inter partes iudiciũ designarit, nullam prorsus spem curias declinandi ex colore sacræ iussionis accipiant. Dat. XIIII. Kal. Aug. Constp. Merob. II. & Saturnino COSS.

CIII. Idem AAA. ad Proculum Com. Or.

Voluntate propria vnusquisque Syriarchiæ munus suscipere debet, non necessitate inposita. Dat. VI. Kal. Aug. Salamariæ, Merob. II. & Saturnino COSS.

CIIII. Idem AAA. Postumiano PF.P.

Curiales, qui ecclesiis malunt seruire, quàm curiis, si volunt esse quod simulant, contemnant illa, quæ subtrahunt. Nec enim eos aliter, nisi contemptis patrimoniis liberamus. Quippe animos diuina obseruatione deuinctos non decet patrimoniorum desideriis occupari. Dat. VII. Id. Nou. Constp. Merob. II. & Saturnino COSS.

CV. Idem AAA. Cynegio PF.P.

Ob penuriam Ædesenorum municipum, diui parentes nostri statuerũt, vt officij præsides Osdroenæ prouinciæ principum liberi, si singuli essent memoratæ ciuitatis, curialibus iungerentur. sin verò bini, diuisa fecunditate singuli militiæ, singuli verò curiæ necterentur. Quod cum ita sit, iubemus & præsenti lege, & superiore seruata, vt omnes omnino, qui ordine militiæ ad principatum vèturi sunt, vel venisse monstrantur, (etiam si aliqua calliditatis arte se à principatus munere putauerint subtrahendos) memoratæ curiæ suos liberos tradant: diuidantque cum Ædesena ciuitate subolem rei publicæ profuturam. Hij quoque, qui iam contra legem, ante principatum patrum, quibuslibet sacramentis innexi sunt, retracti memoratæ curiæ congregentur. Dat. pridie Non. Maij, Constp. Richomere & Clearcho COSS.

CVI. Idem AAA. Cynegio PF.P.

Curiales quicunq; perfuncti prouincialibus dignitatibus fuerint, ad persoluenda ea quæ debent patriæ detinẽtur. Dat. VIII. Id. Iul. Heracleæ, Richomere & Clearcho COSS.

CVII. Idem AAA. Cynegio PF.P.

Quicunque heres curiali, vel legitimus, vel electus testamento gradúve successerit, quíque fidei commissarius, aut legatarius eiusdem arbitrio morientis extiterit, vel si quem liberalitas locupletauerit fortè viuentis, quos à curiæ nexu condicio solet dirimere, sciant pecuniariis describtionibus, pro ea tantum parte patrimonij, in quam quisque successit, ad denarismum, siue vncias sese auctoris sui nomine retinendum. Dat. prid. Kal. Sept. Veronę, Richomere & Clearcho COSS.

CVIII. Idem AAA. ad Cynegium PF.P.

Ne quis officialiũ curię, pœnę specie, atque æstimatione edatur. nisi si quis fortè curiam diffugiẽs, ob hoc cœperit militare, ne ingenitis fungatur officiis. Omnes itaque omnino Iudices tuę censurę subditos admonebis, ne quis ęstimet

met curiæ, loco supplicij, quemquam deputandum. Cùm vtique vnũquemque criminosum non dignitas debeat, sed pœna comitari. Dat. VIII. Id. Nou. Constp. Richomere & Clearcho COSS.

CVIIII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Nec cogi ad agonothesiam volumus inuitos, & ad eum statum cuncta referenda sunt, in quo inueniuntur. Atque ideo curiales qui vniuersa persoluerint, nihílque iam, vel ex honoribus reliquum habeant, quod debere videantur, dumtaxat huius, ac similium pro qualitate generis functionum, postquam patriæ cuncta reddiderint, quæ publica poscit vtilitas. Et si præsentare forsitan nolunt, tamen propter personarum condicionem præstare cogendi sunt: & concessa sibi generaliter, atque in perpetuum excomitibus dignitate lætentur. Osculum quoque his in prouincia iudicantum, & consessus indultus sit. Dat. VI. Kal. Maij, Arc. A. I. & Bautone COSS.

CX. Idem AAA. ad Neotherium PF. P.

Vniuersos municipes sibimet debitos ordo aput proprium repetat cognitorem. Siquidem nullum magis vniuscuiusque forum competẽs poterit appellari, quàm patriæ. Si quis tamẽ prouinciam rexerit Curialis, aditum sibi interclusum senatoriæ dignitatis intellegat: nisi patriæ quidquid debet antè dissoluerit. Et ne conludio fortè municipum, quę sunt iussa frustrentur: sciát singulatum ordines ciuitatum triginta libris auri se esse multandos, nisi ad reposcẽdos proprios, sedulis institerint querelis. Dat. V. Kal. Iun. Med. Arcad. A. I. & Bautone COSS.

CXI. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Nemo prorsus curialium substituto filio, vel quolibet alio, deferendorum munerum patriæ habeat facultatem. Sed vnusquisque qui relicto in aliqua ciuitate, vel filio, vel vicario, ordini se iNplicat senatorio, tam suis, quàm subrogati muneribus obligatos, sub specie munerum publicorum enormia vtrubique cogatur patrimonij subire dispẽdia. Dat. prid. Kal. Maij, Constp. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

CXII. Idem AAA. Florentio PF. Augustali.

In consequenda archierosyna ille sit potior qui patriæ plura præstiterit: nec tamẽ à templorum cultu, obseruatione Christianitatis abscesserit. Quippe indecorum est, imo (vt verius dicamus) inlicitum, ad eorum curam templa & templorum sollemnia pertinere, quorum conscientiam veræ ratio diuinæ religionis imbuerit, & quos ipsos decebat tale munus etiam si non prohiberentur effugere. Emissa XVI. Kal. Iul. Constp. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

CXIII. Idem AAA. vniuersis Com. & Magistris equitum & peditum.

Admonitis VV. CC. Ducibus, Tribunis, Præpositis, cunctos transfugas statuat inlustris magnificentia vestra ad originem pristinam reuocari, seu qui diuersis officiis dedicati, seu qui sacramentis militaribus mancipati sunt. Nemo se annositate tueatur. Nemo (si tamen eius pater, aut auus Decuriones fuerunt) factum suum incongrua vsurpatione defendat. ordine quoque meminerint se condemnationi obnoxios & periculo quiquibuscun-

que in locis reppertos, non etiam renitentes, ac repugnantes huius statuti auctoritate reddiderint. Dat. III. Non. Sept. Valentiæ, Honor. NB. P. & Euodio COSS.

CXIIII. Idem AAA. ad Eusignium PF. P.

Curiales qui sese priuilegio domus nostræ defendi posse crediderint, ad curiam retrahantur, & vt propriis functionibus mancipentur, & publica damna sarciant. Tamen si quis ex his domui diuinæ detectus fuerit quippiam debere, exsoluat. Dat. VIII. Kal. Ian. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

CXV. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Clerici ad curiam pertinentes sciant ex patrimonio suo, si ipsi immunes cupiunt permanere, alios idoneos esse faciendos, qui recedentum præsentiam personámque restituant in publicis muneribus subeundis. Dat. prid. Kal. Ian. Constp. Honorio NB. P. & Euodio COSS.

CXVI. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio PF. P.

Omnes qui ex origine decurionum, ad perorandas causas laudum, atque industriæ amore ducuntur, reddãt patriæ, cui nati sunt, debitas functiones. Nec sese superflui nominis prærogatiua defendãt. Quandoquidem facilius parere muniis possint, si necessitatem publicam eo tempore, quo studẽt causis, industriæ fauore tolerauerint. Dat. VI. Kal. Apr. Constantinop. Valentiniano A. III. & Eutropio COSS.

CXVII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Quilibet principalium, vel decurionum, vel decoctor pecuniæ publicę, vel fraudulentus in adscribtionibus inlicitis, vel immoderatus in exactione fuerit inuentus, iuxta pristinam cõsuetudinem non solùm à vobis (quibus propter loci dignitatem rerũ summa commissa est) verùm à Iudicibus ordinariis, plũbatarum ictibus subiciatur. Dat. die Kal. April. Constantinop. Valẽtiniano A. III. & Entropio COSS.

CXVIII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Decurio fortunam quam nascendo meruit, suffragiis, atque ambitione non mutet. Et si vacare per senectutem potuerit propter ordinationẽ, quę per plurimos citò definiri solet curiam non relinquat. Illud verò iterata lege præcipimus, ne in locum propriũ homo curialis filium suum substituat, & ipse otiosus defendatur senatorij nominis dignitate. Si quis verò ad indebitũ honorẽ posthac adspirare ausus fuerit, auctoritate ordinarij Iudicis remotus, patriæ reddatur & ciuibus. Dat. prid. Non. Iul. Constantinop. Valentiniano A. III. & Eutropio COSS.

CXVIIII. Idem AAA. Tatiano PF. P.

Claudiopolis, Prusiadis, ac Tottai, & Voridis oppidorum, siue mansionum per Bithyniam, curiales publicis inludere functionibus per suam fugam cognouimus: iubemúsque, vt edictis primitus euocati, vtilitatibus se patriæ & ei cui nati sunt restituant ciuitati. Quòd si etiam post publicam admonitionem fugæ & indeuotionis vita præfertur, tunc ex idoneis quibusque corporibus, ac potissimum ex his, qui in sublimitatis tuæ officio probatam militiam peregerunt, in locum fugacium subrogentur: ita vt quorum subeunt necessitates, & patrimonia consequantur: illis qui sponte patriam

patriam reliquerunt, id necessitatis habituris, vt perpetuò careant, cui nihil commodi contulerunt. Dat.xi. Kal. Iul. Scupis, Theod.A.II.& Cynegio coss.

cxx.Idem AAA.Tatiano PF.P.

Vniuersos, qui ad indebitam militiam similiter adspirarunt, datis litteris ad inlustrem virum Magistrum officiorum, Comitem sacrarum ac priuatarum, solutos militia ordinibus propriis atque officiis iussimus subrogari. Dat. XVI. Kal. Ian. Med. Timasio & Promoto coss.

cxxi. Idem AAA. Tatiano PF.F.

Qui ante secundum consulatum mansuetudinis meæ ex ordine curialis, vel presbyteri fastigium, vel ministerium diaconi, vel exorcistæ suscepit officiũ, omne eius patrimonium immune à curialibus nexibus habeatur ac liberum. Is verò qui se ad religiosa diuini cultus obsequia, quocunque sub nomine, post memorati consulatus tempora præscribta contulerit, omni sciat cedendum esse patrimonio. Dat.xv. Kal. Iul. Med. Valentiniano A.IIII. & Neotherio coss.

cxxii. Idem AAA. Tatiano P.P.

Hij quibus detulimus splendidos magistratus, quósque etiam ornauimus insignibus dignitatum, si non habent curiam, cui aut necessitudinis fœdere, aut nexu sanguinis teneantur, in splendidissimum ordinem senatorium, & illam nobilissimam curiam cooptentur. His verò ratio diuersa sit, qui statim vt nati sunt, curiales esse cœperint. Hij namque prærogatiua quidem concessæ dignitatis vtantur: atque eos præstiti honoris splendor exornet, sed maneant in sinu patriæ & veluti dicati infulis, mysterium perenne custodiant: sit illis piaculum inde discedere. De filiis verò eorum, vti natiuis curiis debeant permanere, adfatim cautum est: cum adempta sit patribus licẽtia discedendi. Dat.IIII. Non. Sept. Veronę, Valentiniano A.IIII.& Neotherio coss.

cxxiii. Idem AAA. ad Tatianum PF.P.

Dudum super his qui relicta curia, vel senatoriam dignitatem adepti sunt, vel Christianitatis obtentu curialium se consortio separarunt, euidẽs sanctionum nostrarum processit auctoritas, vt si eorum personas, vel honor, vel religio defenderet, quod ex curiali substantia, vel ipsi retinerent, vel in alios transtulissent, obnoxium publicis describtionibus haberetur. Euidens etiam præcepto nostro tempus expressum est, ex quo consulatu, si qui de curialibus ad ecclesiam confugissent, omni scirent patrimonio curiæ esse cedendum: quidquid ex substantia curialium ad vnumquenque diuersa largiendi occasione peruenerit, denarismo, vel vnciis habeatur obnoxium, in ea parte, in qua auctoris sui nomine fuerat retentatum. Eos verò qui honores aliquos consecuti, naturale nomen dignitate mutarunt, hos etiam post honorem muneribus obligamus, quibus debitores patrię monstrabuntur. Super filiis autem eorum euidens sanctionis definitum est, quæ cum patres patria non concedat excedere, non potest filios curiæ muneribus liberare. Si qui autem diuino cultu occupati, & sacrosanctis mysteriis seruientes, legitima filiorum successione nituntur, si nullum filij eorum adhuc in ecclesia locum tenentes, vel his, quæ per leges comprehensa sunt, non defendantur, officiis hos, cum patrum

facultatibus curiæ inseruire decernimus. Vacuas verò & inanes sine naturali successione fortunas (vt euidenter expressimus) sibi curia vindicabit: habitura solatium facultatum, cui desit in functionibus numerus personarum. Dat.v. Kalend. Aug. Constantinop. Tatiano & Symmacho coss.

CXXIIII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Filoxeno Vic. Thraciar.

Si quis filiam decurionis, vel principalis suo iunctam consortio, nullis exstantibus liberis, fatali sorte perdiderit, atque eius vltimo hereditatem fuerit adeptus arbitrio, si ab omnibus alienus officiis est, & nullis (quibus merito excusari possit) priuilegiis adiuuatur, eius mox ciuitatis curię mancipetur in qua antea vxore viuente sine rerum dominio & proprietate liber curiæ obnoxias facultates heres cœperit vxoris possidere. Dat. III. Non. April. Constp. Arcad. A. II. & Rufino coss.

INTERPRETATIO. *Si quis filiam Curialis accipiat vxorem, & hæc ipsa in cōiugio eius mortua fuerit, & omnia ad maritum, quæcunque supradicta videbatur possidere, testamenti voluntate peruenerint, omnibus curiæ necessitatibus maritus ille qui heres est teneatur obnoxius.*

CXXV. Idem AAA. Victorio Proc. Asiæ.

Submoto priuilegio militari, quo sibi actuarij blandiuntur, eum qui euidenter ostenditur curiali patre genitus, mox necessariis atque origini suæ debitis functionibus mancipari pręcipimus. Dat. VIII. Kal. Maij, Cōstantinop. Arcad. A. II. & Rufino coss.

CXXVI. Idem AAA. ad Potamium PF. Augustalem.

Principales deuoti & nihil debentes habeant priuilegium, vt nihil corporalium molestiarum patiantur: scitura experientia tua, nisi præceptionis nostræ forma seruetur, & officium, & ipsam sedis tuæ iudiciariam potestatem propositæ multæ esse subdendam. Dat. x. Kal. Iul. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino coss.

CXXVII. Idem AAA. Tatiano PF. P.

Quicunque decursis perfunctis officiis, primum obtinuerit in sua curia, sequētibus ceteris locum, comitiuæ tertij ordinis habeat dignitatem, vt ab omnibus eum iniuriis dignitas cōcessa defendat: ita tamen vt hoc honore donatus à nexu propriæ originis non recedat. Dat. prid. Kal. Iul. Cōstp. Arcad. A. II. & Rufino coss.

CXXVIII. Idem AAA. Abundantio Com. & Magistro vtriusque mil.

Militaribus viris nihil sit commune cum curiis: nihil sibi licitum sciant quod suæ non subiectum est potestati. Nullum iniuria, nullum verbera, nullum graui pulsatione tribunus, Dux ille, an Comes sit, curialem principalem contingat. Si quis posthac temerario & inconsiderato ausu vllum ex principalibus viris vsurpata adtrectauerit iniuria, sciat se decem auri libris esse multandum. Dat. prid. Kal. Aug. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino coss.

CXXVIIII. Idem AAA. Rufino PF. P. Post alia.

Quicunque est è curia Senator effectus, quicunque militiam cùm esset Curialis

rialis adgressus est, restituatur: obstringendus ei quam declinauerat, functioni. Quinetiam iubemus eos ad munera relicta & ad cognoscenda constringi, quos administrationum honor diuersa suffragiorum ambitione prouexit, vt eo quidem quem adepti sunt, honore non careant, sed ab ea quam reliquerant functione non absint: prouidendo, ne quispiam curiæ natus ad consortium senatoriæ dignitatis adspiret: Cum ita sibi videat, & præterita, & præsenti iussione præscribtum, vt ei, vel affectata, vel emẽdicata huius ordinis gratia prodesse non possit. Dat. x. Kal. Decemb. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

CXXX. Idem AAA. Aureliano PF. P.

Si quis municipum ad senatorium transire ordinem omnibus muniis perfũctus optauerit, bona sua, quibus substitui idoneus possit, sciet curiæ semper esse obnoxia. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

CXXXI. Idem AAA. Aureliano PF. P.

In calefaciendis aput Antiochiam thermis, veterem præstationis consuetudinem seruari placet. Constat enim meritò submouendum quidquid à Tatiano probatur adiectum. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

CXXXII. Idem AAA. Aureliano PF. P.

Si quis curialis tres mares filios susceperit, vnum dare senatui non vetetur. Dat. III. Id. Mart. Constp. Theo. A. III. & Abundantio COSS.

CXXXIII. Idem AAA. Siluano Duci & Corr. limitis Tripolitani.

Quicunque ex numero plebeiorum præsentibus singulorum ordinibus ciuitatum agro, vel pecunia idonei CONprobantur, muniis curialibus adgregentur. Qui verò nullam rei familiaris substantiam habent, militare in apparitorum numero non vetentur. Dat. VI. Kal. April. Constp. Theod. A. III. & Abund. COSS.

CXXXIIII. Idem AAA. Rufino PF. P.

Omnes qui curiali obstricti sanguine, diuersis se officiorum priuilegiis & actuum præiudiciis adgregarunt, reddendos muniis esse non ambigas. Eos etiam qui adepti honores esse dicuntur, debitis statuas functionibus subrogãdos, manente priuilegio dignitatis. Ac ne ab his sententia promenda se temperet quos præsidalis officij defendit obscuritas, quósue nullum munus adlegat nauiculariæ functionis, vsque eò super hac re iudicantis est sententia porrigenda, vt quoniam curialium fundos, diuersis titulis huiuscemodi homines tenere cœperunt, intellegant sese, quos nulla militiæ priuilegia, nulla honorum suffragia, non ætatis defensabit infirmitas, in eorum locum suscipiendis functionibus subrogandos, quorum, vel habendo, vel habitando sibi patrimonia pręsumpserunt. Dat. prid. Id. April. Cõstantinop. Theod. A. III. & Abũdantio COSS.

CXXXV. Idem AAA. Rufino PF. P.

Nullus vacationem temporariam curialis accipiat: nisi id fortè veris ac probatis causis annotatio nostra concesserit. Dat. prid. Non. Iun. Constp. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

CXXXVI. Idem AAA. Rufino PF. P.

Nec debitis curiæ licitum poteſt eſſe negare, aut vitare quod declinare non poſſunt, nec curiis eſſe liberum debet eos expetere, quos iuſtis adſertos priuilegiis non poterunt obtinere. Dat. VIIII. Kal. Iul. Cõſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

CXXXVII. Idem AAA. Rufino PF. P.

Omnes qui municipibus genere aut actu tenentur obnoxij, à militia, vel à quibuſlibet retrahi mãdamus officiis, nec reſcribta, aut adnotationes ad munerũ fugam prodeſſe permittimus. Incolas etiam & vacantes (qui tamen idonei ſunt) iubemus adſtringi. Nullus ſanè ſolis materni ſanguinis vinculis illigetur: quia mulierum infirmitas nunquam huiuſmodi functionibus reddit obnoxios, à quibus ipſa habeatur immunis. Dat. V. Id. Aug. Conſtp. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

CXXXVIII. Idem AAA. Aureliano PF. P.

Curiales qui gradu meritorum vſque ad honorariam peruenerint dignitatem, nulla equorũ præſtatio maneat: ne gleba ſenatoria ab his poſcatur, quos non ita fecit obligatos. Dat. VI. Id. Decemb. Conſtantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

CXXXVIIII. Idem AAA. Rufino PF. P.

Omnes ilico qui curiis debiti militarint, patriis muneribus reſtitui oportet. In qua re ſublimis auctoritas tua prouidebit, vt de ſingulorum nominibus ad ſedem veſtram ſingulæ quęque referant ciuitates, ne quis diſſimulatione ſuggerentium deliteſcat, vt cuncti ſine fruſtratione aliqua reſtituti curiarũ munus cum omni poſteritate deſeruiãt. Quod ita fixum volumus intemeratúmque ſeruari, vt aduerſũ hoc poteſtas nulla denique adnotatio audiatur. Quòd ſi quis ex illis in officia externa tranſierit, omnis eius ſubſtantia iure curiæ, & poſſeſſione teneatur. Dat. III. Kal. Iun. Conſtantinop. Arcad. III. & Honor. II. AA. COSS.

CXL. Impp. Arcad. & Honor. AA. Theodoro PF. P.

Ad ſubeunda patriæ munera digniſſimi & meritis, & facultatibus eligantur: ne tales forte nominentur, qui functiones publicas implere non poſſint. Dat. XIII. Kal. Feb. Olybrio & Probino COSS.

CXLI. Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

Inconcuſſa volumus permanere, quæ de incolatus iure antiquitus ſunt cõſtituta. Dat. XVII. Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino COSS.

CXLII. Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

Nominationum forma vacillare non debet, ſi omnes qui albo curiæ continentur, adeſſe non poſſunt, ne paucorum abſentia ſiue neceſſaria, ſiue fortuita debilitet, quod à maiore parte ordinis ſalubriter fuerit cõſtitutũ. Cum duæ partes ordinis in vrbe poſitæ totius curiæ inſtar exhibeant, &c. Dat. XVII. Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino COSS.

CXLIII. Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

Fraudem ciuium non ferendam, in diſpendium ire ciuitatum animaduertimus, cùm municeps, aut peregrinando, munera ciuitatum, aut militiæ ambitione, declinant. Intra quinquennium igitur, niſi ad curiam reuerterint, facultates

tates eorum pro muneribus & oneribus curiæ addici decernimus. Dat.xvii. Kal.Iun.Med.Olybrio & Probino coss.

CXLIIII. Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

Ne diu in fraudem ciuitatum municipes euagentur, vel ad militiam socientur: nisi intra quinquēnium ad ciuitates proprias reuertantur, facultates eorū pro muneribus & oneribus curiæ addicantur. Dat.xvii. Kal. Ian. Med. Olybrio & Probino coss.

CXLV. Idem AA. Ennoio Proc. Afric.

Africani sacerdotales Karthagini restitui ibíque arbitratu suo agere cum fauorabili editione placuit. Quod facientes, diui patris nostri beneficium renouamus. Dat.xvii.Kal.Iun.Med.Olybrio & Probino coss.

CXLVI Idem AA. Dextro PF.P.

Multos animaduertimus, vt debita præstatione patriam defraudarent, sub vmbra potentium latitare: oportet igitur statui multam, vt quisquis in præscribti iuris formam inciderit, pro curiali quinque auri libras fisco nostro cogatur inferre: pro collegiato, vnam. Omnes igitur quos tegunt, expellant, ne clementia nostra ob contumaciam dissimulantium in maiorem indignationem exurgant. Dat. xvii. Kal. Iul. Med. Olybrio & Probino coss.

CXLVII. Idem AA. Palladio PF.P.

Quicumque decuriones patre, atque maioribus adprobantur, & armatam quacumque occasione adepti docentur esse militiam, absoluti sacramēto militari (vt cōstitutum est) ad munia ciuilia reuocantur. Si quos etiam huiusmodi homines palatinorū officiorum consortia retinent, exempti matriculis, ad propriam vrbem sub prosecutione dirigātur. Ac si in apparitione prætoriana aliquis inuentus fuerit decurio, inmorari pari cōdicione ad ciuitatem originariā dirigatur. reliqua quoque ministeria, adque officia palatina pari forma legis adstringimus, vt quisquis municeps deprehēsus fuerit, absolutus militari cingulo, reddatur muneribus ciuitatis, & cetera. Dat.v.Id.Septemb.Rau.D N. Theod.A.VII.& Palladio coss.

CXLVIII. Idem AA. Theodoro PF.P.

Cùm super ordinando sacerdote prouinciæ publicus esset ex more tractatus, idem nostra auctoritate decretū est, vt ad subeunda patrię munera dignissimi & meritis, & facultatibus eligātur, nec huiusmodi nominentur, qui functiones debitas implere non possint. Dat.IIII. Cal. Octob. Med.Olybrio & Probino coss.

CXLVIIII. Idem AA. Ennoio suo Sal.

Curiales in exitium curiarum, se conātur exuere quacumque occasione patrimonij, qualitercūque quę sit in nauiculariorum onere, volētes suam originem commutare. Qua in re quia totum inhibere non possumus, ratione diuidimus. Ciuitas ergo, quem genuit non amittat: patrimoniū quod ex ordine nauiculariorū aduenerit, prodat pro moderatione quem ditat: quia nec emere, nec donatum adsequi, nec damnosam quisque hereditatem adire conpellitur: cùm & in deliberationibus cōiunctionum futurarum commodis prospiciatur heredum. neminē igitur sublimitas tua ad expediendas publicas necessitates, parenti curiæ se permittat auferre, détque operam vt & ordines curia-

rum nostrarum reddãtur indemnes,& patrimonia nauiculariorũ non pereãt, sed functionis vterque status habeatur incolumis. Dat.VII. Kal.Ian. Olybrio & Probino COSS.

CL. Idem AA.Cæsario PF.P.

Curiales qui honorariam adepti sunt comitiuam, formidare debent eos, quorum sunt moderationi commissi, nec se existimare ideo meruisse dignitatem, vt Iudicum præcepta despiciant. Quòd si in eadem culpa perseuerent,quinque librarum auri multæ obnoxius subiugetur, honore quoque quem prodit,spoliandus.Dat.IIII.Kal.Ian.Constantinop. Olybrio & Probino COSS.

CLI.Idem AA.Petronio Vic.Hispaniar.

Municipalia gesta non aliter fieri volumus,quam trium principaliũ præsentia,excepto magistratu,& exceptore publico: Semperq; hic numerus in eadẽ actorum testificatione seruetur. Sic enim & fraudi non patebit occasio,& veritati maior crescit auctoritas. Dat.Non.Maij,Med.Arcad.IIII. & Honor.III. AA. COSS.

Hæc lex interpretatione non indiget.

CLII. Idem AA.Africano P.V.

Ne quis ex corpore togatorum prouinciales suscipiat functiones: scilicet vt & ambientibus claudatur ingressus,& inuitis necessitas auferatur. PP.Constãtinop.III.Non.Aug.Arcad.IIII.& Honor.III.AA.COSS.

CLIII. Idem AA.Florentino P.V.

Nonnulli decurionum honorarias ex protectoribus, vel domesticis, vel quaslibet alias obtinent missiones:vnde licet superiore præcepto consultũ sit, vt sic penes eosdem emendicata dignitas permaneret, nec quicquam ob hoc patriæ negaretur,nunc altiùs intuẽtes,honoris eius ab his penitus amouemus vmbracula:ita vt si quis id meruit,ac si nihil impetrauerit,habeatur: neque ob hoc sordido quolibet minimóve tueatur,vel à verberib⁹(si id modò personæ eius qualitas patitur) iudiciariæ emendationis excusetur. Dat.XII. Kalen. Ian. Med.Cæsario & Attico COSS.

CLIIII. Idem AA.Florentino P.V. Post alia.

Si qui municipum, vel palatinam,vel armatam aliquando militiam debitis prætulerit functionibus,nullis priuilegiis, nullis postremò temporibus exuatur:nec ei annorũ spatia stipẽdiorúmque merita supputẽtur: sed teneat suum curia,& perpetua sibi obnoxium vindicatione defendat,&c.Dat.XII.Kal.Ian. Med.Cæsario & Attico COSS.

CLV.Idem AA.Florentino P.V.Post alia.

Quia ex spendidissimum ordinem submoueri dignitatibus non oportet,quisquis honorum emensus curialia onera,vel honestis,vel administrationis, vel quarumcunque aliarum dignitatum infulas INpetrauerit,ipse quidem decoretur insignibus,sed liberi omnísque successio paternæ dignitatis obiectu curialia vincula nonexuant,nisi fortè quis iamSenatore susceptus consortio curiæ nobilioris adnectitur. Inlustrium quoque virorum liberos, si non otio, & torpore degeneri paternam exuẽre virtutẽ,fas erit excusari.In his tamẽ,qui ante expletas curialium munerum functiones, meruerint dignitates, speciali humanitate tribuimus,vt quæ illis INponẽtur à patria, per substitutos

præbere

præbere simulauerint: non vetétur, nec agentis persona quęratur, dummodo debiti non negetur officij, &c. Dat. XII. Kalend. Ian. Med. Cæsario & Attico coss.

CLVI. Idem AA. Florentino P.V. Post alia.

Omnes ordines, collegia, centuriones, ac si qui cuiusque muneribus, vel officiis vbicumque sunt corporati, ita generaliter inligentur, vt testimoniales impetratas sciant sibi nihil honoris, priuilegij excusationísve conferre, &c. Dat. XII. Kal. Ian. Med. Cæsario & Attico coss.

CLVII. Idem AA. Theodoro PF.P.

Omnes qui quolibet curiæ iure debentur, cuiuscumque superstitionis sint, ad implenda munia teneantur. Dat. Id. Feb. Med. Hon. A. IIII. & Eutychiano coss.

CLVIII. Idem AA. Theodoro PF.P.

Vacillare per Apuliam Calabriámque plurimos ordines ciuitatum comperimus, quia Iudaicæ superstitionis sunt, & quadam se lege, quæ in Orientis partibus lata est, necessitate subeundorum munerum æstimant defendendos. Itaque hac auctoritate decernimus, vt eadem, si qua est, lege cessante (quam constat meis partibus esse damnosam) omnes, qui quolibet modo curiæ iure debentur, cuiuscumque superstitionis sint, ad conplenda suarum ciuitatum munia teneantur. Dat. Id. Septemb. Med. Honor. A. IIII. & Eutychiano coss.

CLIX. Idem AA. Eutychiano PF.P.

Omnes omnino curiales in originalibus, ac debitis perpetuò curiis perseuerent, & qui ex his ad prouinciarum regimen, adque administrationũ qualibet fraude, adque ambitione peruenerint, sciant se eo, quem meruerant, honore priuandos: & non solum ad curiam, velut manu mox iniecta, reuocandos, & cunctis rursus ab exordio muneribus seruituros, verumetiam media patrimonij parte multandos. Dat. VIII. Kal. Nou. Constantinop. Honor. A. IIII. & Eutychiano coss.

CLX. Idem AA. Optatio P.V. Post alia.

Si quis ex curia vsque ad diem Iduum Nouembrium Cons. DN. Hon. Augusti fratris æternitatis meæ quarti & Eutychiani v.c. administratione donatus, senatorio est ordini mancipatus, Senator quidem esse non desinat, neque ad nouellæ legis vincula pertineat, sed de substituto, & rebus (vt antea caueram⁹) omnia incunctanter quæ sunt iussa custodiant. Dat. VIII. Kal. Dec. Cõstp. Honor. A. IIII. & Eutychiano coss.

CLXI. Idem AA. Messalæ PF.P. Post alia.

Plectibili seueritate eorum fraudibus obuiandum est, qui genitalem curiam deserentes, ad indebita officia fraude callidæ molitionis inrepunt. Et quamuis prouisum fuerat congruæ emẽdationis occursu, quemadmodum isti, militiæ nomine, & honore suspenso, officiis redderentur: tamen quia hoc callido cõsilio reppererunt, vt euitatis prouinciæ suæ finibus, tamquam his eorum tantùm interdictus fuisset accessus, peregrinos expeterẽt commeatus: ne diutius in perniciem curiarum latitandi spes & solatium eos inpunitatis exacuat, horum cupiditatibus obuiamus, vt ex eorum bonis, qui se, vel prosecutioni,

vel muniis ciuitatum, interdictæ dudum ambitione militiæ, vel qualibet fraude subtraxerint, curiis quas deseruerant, consulatur. Itaque, si vocati edictis intra anni metas, hij tamen, qui manifestis curiæ nexibus inligantur, latere potiùs quàm redire maluerint, nec suffecerint, qui ad vicem eorum munera patriæ post emensum annum (vt ordinis ratio postularit) exsoluant, sciant interpellatis prouinciarum moderatoribus, ex facultatibus suis curiis (quas destituerunt) consulendum. Neque enim de inmaturo præiudicio temporis possunt breuitate causari, &c. Dat. XVII. Kal. Septemb. Theod. V.C. CONS.

CLXII. Idem AA. Benigno Vic. Vrb. Rom.

Ne relictis vrbibus, plures sese ad corpus centenariorum transferant, spectabilitas tua, quoscunque, & vbicumque latentes curiis adque collegiis debitis adprobarit, matura exsecutione restituat. Siquidem tot existentibus legibus, quæ occultatores certa feriri pœna voluerunt, exsecutiones præstare Iudices conueniat, non referre. Dat. Kal. Dec. Med. Theod. V.C. CONS.

CLXIII. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Si qui ex secundo diui patris nostri consulatu curiam relinquentes, clericorum se consortio manciparunt, si iam episcopi, vel presbyteri diaconos esse meruerunt, in sacris quidem & secretioribus dei mysteriis perseuerent, sed aut substitutos pro se curiæ offerre cogãtur, aut iuxta legem dudum latam, tradãt curiæ facultates. Residui omnes lectores, subdiaconi, vel hij clerici quibus clericorum priuilegia non debẽtur, debitis mox patriæ muneribus præsentẽtur. Dat. III. Id. Decemb. Theodoro V.C. COSS.

CLXIIII. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Si quis vmquam natus patre curiali, vel initis muneribus curiæ affectata militia, à suis consortibus in iudicio Rectoris prouinciæ lite pulsabitur, nullo fori præscribtionis obice, quæ quidem habeat locum, (vti) licebit. In aliis actionibus aput eundem prouinciæ moderatorem suis allegationibus vtatur. Dat. V. Kal. Ian. Theodoro V.C. CONS.

CLXV. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Quicunque ex Iudæis obnoxij curiæ conprobãtur, curiæ mancipentur. Dat. III. Kal. Ian. Theodoro V.C. CONS.

CLXVI. Idem AA. Pompeiano Proc. Afric.

Iuxta veterem morem Mecilianus legatus adstruxit, vt sacerdotum filij inuiti ad sacerdotium non cogantur. Antiquã igitur consuetudinem laudabilitas tua præcipiat custodiri, ita vt neque vllus indebitè teneatur, & tam idonei sacerdotes deesse non possint. Dat. prid. Kal. Iul. Med. Stilicone & Aureliano COSS.

CLXVII. Idem AA. & Theod. A. Anthemio PF. P.

Ne quis curialium per substitutionem muneribus se patriæ, quibus natus est abstrahat, intercludi curialibus iussimus licentiam supplicandi. Dat. III. Non. Octob. Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo COSS.

CLXVIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

Vniuersarum ciuitatum ordinibus consulentes, retrò principum statuta firmamus, vt nemo nexui curiæ mancipatus ad cuiuslibet militiæ sacramentum

tum

tum audeat aſpirare, vel hoc admiſſo, mox abſtractus militia, obſequiis oppidaneis mancipetur. Dat. xv. Kalend. Iun. Conſtp. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

CLXIX. Idem AA. Anthemio PF. P.

Sexcentorum ſolidorum prębitionem, qua magiſtratuum cenſus Antiochenæ per Syriam ciuitatis, cùm frequenter nutaret, erectus eſt, gratanter admiſimus. Fruatur itaque decora ciuitas tuæ prouiſionis iugiter incrementis, & largitione noſtræ clementiæ, vt ſub hac oblectatione populus ſua triſtitia cõſoletur. Dat. v. Kal. Octob. Conſtp. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

CLXX. Idem AA. Liberio PF. P. Poſt alia.

Eos curiales, qui non expletis muneribus, declinarunt eſſe quod nati ſunt, reddi vrbibus debita cenſura pręcipimus, &c. Dat. VI. Kal. Decemb. Rau. Honor. VIII. & Theod. VIII. AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque curialis non actis ſeruitiis quæ debebat à debito officio declinauit, ad ciuitatis vnde diſceßit ſeruitia reuocetur.*

CLXXI. Idem AA. Dardano PF. P. Gall.

Placuit principales viros è curia in Galliis non antè diſcedere, quàm quindecennium in ordinis ſui adminiſtratione compleuerint: per quæ annorum moderata curricula impleant patriæ gratiam. Et quamuis cunctos deceat reuocari, qui breui tempore videntur elabſi, ſectandam tamen moderationem eſſe cenſuimus, vt eos tantùm ad declinatas neceſſitates nunc redire iuberemus, qui ante hoc receſſiſſe ſexſennium deteguntur. Nec quemquam conuenit conſtituta ſalubriter annorum ſpatia recuſare, quando expletis omnibus, ſplendoris & honoris ornamenta ſuccedunt. Sanè quoniam principalem locum, & gubernacula vrbiũ probatos adminiſtrare ipſa magnitudo depoſcit, ſine ordinis pręiudicio conſenſu curiæ eligendos eſſe cenſemus, qui contemplatione actuum omnium poſſint reſpondere iudicio. Cùm verò, qui vſque ad ſecundum euectus locum adminiſtrationem, aut ætate implere, aut debilitate nequiuerit, ſuffragium meritorium, & trãſactæ teſtimonium vitæ, tamquam primus conſtituto tempore curiam rexerit, obtinere conueniet. Dat. VII. Id. Decemb. Rau. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

CLXXII. Idem AA. Herculio PF. P. Illyrici.

Sententiæ conquieſcant quæ in pręiudicium curiarum tranſactis temporibus ſub examine magnificæ ſedis tuæ contra rationem veritatis prolatæ curiæ debitos per gratiam abſoluerunt. Vniuerſique quos ſors naſcendi municipalibus muneribus obligauit, fortunam propriam ſubire cogantur. Eos autem qui ſub patrocinio clericatus muneribus debitis patriam fraudauerunt, reddi ſub ea condicione pręcipimus, vt pro temporis cõſideratione, & gradu, quem in eccleſiis obtinent, vel ipſi ad ſtatum priſtinum redeant, & functionibus municipalibus obſecundent, vel eorum patrimonia curiis conſignentur: his etiam, qui vltro ſe curiarum cœtibus inſeruerunt, in ea, quam elegerũt fortunam à reſidentibus, circa eorum filios legum auctoritate ſeruata. Dat. VIIII. Kal. Iun. Conſtantinop. Varane v.c. CONS.

CLXXIII. Idem AA. Anthemio PF. P.

Ad inferiorum curialium releuandas fortunas, & impreſſionem potentium cohibendam, placuit, vt ab inſtanti octaua indictione deſcribtiones, quæ per

ſingulos ordines agitantur cogentibus diuerſis negotiis, non ſumant antè principium, quam aput acta prouinciarum Rectoribus intimentur, & ex eorum fuerint auctoritate firmatæ. Sed & aurum quod ex huiuſmodi contributione redigitur, ita debet ſuſceptori aurario conſignari, vt ſecuritatibus nomen inferentis, dies, conſul, menſis, cauſa, & ſumma comprehendatur: quò & deſcribtionis æquitas inluſtretur, & deſcribtus documentis euidentibus fulciatur. Hoc etiam obſeruando, vt quadrimenſtruis quoque breuibus, qui ab excellentiæ tuæ officio ſollemniter diriguntur, celebratæ deſcribtionis diſpunctio ſocietur: vt veſtræ poteſtatis ſcientiam formidantes, nihil ad releuationem locupletum, adque inopum perniciem, audeant pertemptare. Quod & circa hos optimum eſt cuſtodiri, quibus lucratiuæ facultates ex bonis curialium obuenerunt, & ipſi fructu prouiſionis ſimillimæ potiantur. Quam diſpoſitionem ſi quis Iudicum numerariorum, vel curalium mutilandam crediderit, interminationi, quam veſtra ſedes ſtatuerit ſubiacebit. Dat. VII. Kalend. Sept. Conſtantinop. Varane v. c. CONS.

CLXXIIII. Idem AA. Euchario Proc. Afric.

Duumuirum impunè non liceat extollere poteſtatem faſcium extra metas propriæ ciuitatis. Curiales etiam ſacerdotio prouinciæ, ſed & filios reddi præcipimus propriæ ciuitati. Dat. VI. Id. Mart. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

CLXXV. Idem AA. Lupiano Com. & Mag. mil. per Orient.

Hij quos moderatores prouinciarum maximéque Fœnices, ordinibus ciuitatum proſequentibus, docti ex conſortio curiali, ad officium culminis tui demigraſſe ſuggeſſerint, mox ſub fida proſecutione ad eiuſdem Iudicis tranſmittantur examen, qui ſuper eorum nominibus rettulerint, vel ſponte ciuilia munera ſubituri, vel ſi litigandum putauerint, poſt ſententiam cognitoris, ſi id ea ſuggeſſerit, ordini mancipandi. Dat. XV. Kal. Iun. Conſtantinop. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

CLXXVI. Idem AA. Iuliano II. Proc. Afric.

Exceptis his qui Karthaginienſi curiæ munus ſacerdotij tranſegerunt, omnes, quicunque ex aliis prouinciis, adque ciuitatibus hoc honore decorantur, ad proprias vrbes redire præcipimus. Quidquid ſanè prouinciarum nomine agi ſacerdotalium ſuperflua turba cõſueuit, id ab eo, qui ſacerdotium reddet, ſuo tempore iubemus impleri. Ac nequid feſtis ac legitimis diebus ſubtraxiſſe videamur, etiam illud definiendum eſſe cenſemus, vt quicumque propter pompam illius diei Karthaginem fortè conuenerit, intra quinque dies ad propria rediturus, ex eadem vrbe diſcedat. Ne autem certa ſtatuta INpune vllus audeat violare, triginta librarum auri multa ſtatim à procõſulari officio exigi ſe cognoſcat, qui in Karthaginienſi vrbe (excepto ipſius decuriæ viro) habitandi gratia voluerit reſidere, cùm dierum numerum qui eſt ſtatutus exceſſerit: ipſius quoque dignitatis priuilegio ſpoliandum eſſe non dubitet. Inhiberi autem etiam illas occaſiones præſenti auctoritate cẽſemus, ne comparatis ſacerdotalibus aliquis ſubitò ædibus, domicilium ſe habere confingat: cùm ſpecialiter ſtatuiſſe videamur, vt quiſque illò redeat, vnde eum ducere originem conſtat. Dat. VI. Kalend. Feb. Rau. Poſt conſ. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. Coſſ.

CLXXVII. Idem AA. Leontio PF. P. Illyrici.

Et si veterum principum sanctiones, eos qui nullis curiæ nexibus obligati, soli genitalis amore vel liberalitatis cupiditate suadente, munus curiale subierint, obligari necessitatibus curiarum præcipiunt: tamen vastato Illyrico consulẽtes, aput omnes dumtaxat Illyrici ciuitates præcipimus obseruari, vt quisquis posthac integræ opinionis, à consortio curiæ penitus alienus, vltro munus curiale putauerit subeundum, vel oblata dumtaxat pecunia, per quam id ex integro poterit experiri, vel actu muneris ipsius, vel insignibus subeundis, id est, siue cum populi plausu, siue etiam verecundæ, & tacitæ conscientiæ remuneratione contentus, à debito ordine, vel maiore eius parte, illius videlicet ciuitatis, in qua munus spontaneum crediderit explicãdum in iudicio Rectoris prouinciæ, vel absente eo, aput duumviros, siue defensorem eiusdem ciuitatis, primò se curiæ non teneri incorrupta ordinis adstipulatione perdoceat. Dein si certum munus se explicaturum promiserit, curialium præsentium responsione munitus, quod nec ipse, nec facultates eius aut successores vt pote curialis inquietudine sustinebunt, liberet ab omni securus molestia curiali, promissum munus adsoluat. Nec enim quod cœperit, semiplenum deserere permittatur: ita vt pro hac liberalitate peracto munere, quod sponte promisit, eum honorem in ea ciuitate habeat, quem curialis habet, eodem munere suscepto pariter & impleto. Sed si quis ex curiali prosapia, vel gratia, vel angustiis ordinis abusus, prætextu legis per munus aliquod se putauerit curia liberandum, post expletum munus, & gratiosam, vel necessitate expressam professionem ordinis, nihilominus pulsetur à curia, vt pote curialis. Quam legẽ, ex quo lata est, videlicet valituram per omnem duntaxat Illyricum præcipimus obseruari. Dat. XVI. Kalend. Maij, Constp. Lucio V. C. CONS.

CLXXVIII. Idem AA. Seleucho PF. P.

Omnes qui curiali genere origine, vel stirpe gignuntur, curiarum nexibus obligentur. Æquum est enim, vt ingenua matre nascentes, & quorum natales origo demonstrat, ex matre ingenua nati maiorum suorum dignitatibus socientur. Nec quisquam priuatorum suorum iuri lege nostra putet aliquid derogatum, qua eorum morem secuti, reipublicæ nostræ ex feminis cupimus esse consultum, &c. Dat. XII. Kal. Feb. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA. COSS.

CLXXVIIII. Idem AA. Seleucho PF. P. Post alia.

Senatusconsulti Claudiani auctoritatem firmantes, ingenua stirpe creatos, quorum maiores curiæ seruierunt, ciuitatibus iussimus redhiberi. Quod non solum de futuris, sed etiam de pręteritis obseruandum esse censemus. Vacantes quoque, & nulla veterum dispositione vllius corporis societate coniunctos, curię, atque collegiis singularum vrbium volumus subiugari. Eos etiam, qui ad militiæ cuiuslibet sacramenta venerunt, conuentos propriis volumus inseruire muneribus: ita vt si quis de reddendis, ac iungendis eligendisve curialibus vocem reluctationis obiecerit, quinque librarum auri multa protinus feriatur, fisci nostri compendiis profutura. Seruus verò actor, siue procurator flammis detur vltricibus: obnoxiis curialibus nihilominus restitutis. Dat. XII. Kal. Feb. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA. CONS.

CLXXX. Idem AA. Vrso P. V.

Licet augeri cœtum amplissimum cupiamus, cuius consortio gratulamur,

tamen si quis functionibus inuolutus, & nexibus municipalis ordinis innodatus codicillos clarissimatus potuerit impetrare, nec suscipiēdos eos tua sublimitas, nec penitus allegandos esse cognoscat. Nec enim credimus vtrunque per vnum, prout conuenit, posse compleri. Dat. XIIII. Kalend. Mart. Constantinop. Theod. A. VII. & Palladio CONS.

CLXXXI. Idem A. Palladio PF. P.

Saluis his quæ iamdudum tam à nobis, quàm à retrò principibus parentibus nostris super curialibus statuta noscuntur, hac etiam generali lege sancimus, vt si quis suum decurionem vindicare voluerit: si Iudicis desit copia, in eundem manus iniectione concessa, sciet ad examen cognitoris resultantem esse deducendum: ita vt moderator prouinciæ, si quæstio fortasse fiducia defensionis vlla generatur, nisi intra tres menses causam originis competenti disceptatione cognouerit, atque cōuictum cum pœna restituerit debitis muneribus, vel liberum ab inquietudine vindicauerit, decem librarum auri multam cogatur exsoluere: eius etiam officium pari damni inrogatione teneatur. Si quos sanè curiæ obnoxios, in diuersis officiis atque militia subterfugientes decurionatum ante esse claruerit, si per suffectam personam, & periculo suo idoneam, originis nexum procurare noluerint, exutos sacramēto militiæ, ad ciuitates proprias dirigi conuenit, sub prosecutione idonea: ita vt de eorum nominibus qui armatum adpetierit sacramentum, ad viros inlustres magistros militum scribta mittātur, vt eorum auctoritate soluto cingulo militari, reddantur muniis ciuitatum. Dat. v. Non. Maij, Rau. DN. Theod. A. VII. & Palladio COSS.

CLXXXII. Idem AA. Monaxio PF. P.

Nemo posthac munerum ordine transcurso, ad altioris curiæ honores audeat peruenire, sed prius vniuersis functionibus per ordinem propriæ ciuitatis expletis, tum demum ad conpetentem honorem singuli venire depropere̜nt. Dat. VII. Kal. Septemb. Eudoxiop. Theod. A. VII. & Palladio COSS.

CLXXXIII. Idem AA. Monaxio PF. P.

Neminem obnoxium curiæ, & publicis functionibus inuolutum ad incongruam sibi fortunam deinceps adspirare, elicitis codicillis clarissimatus, magnitudo tua permittat: vt singulę ciuitates retineant obnoxios suis muneribus. Super hoc enim etiam & inlustris præfectura vrbana nostra est commonita sanctione. Dat. XV. Kal. Maij, Constp. Hon. XII. & Theod. VIII. AA. COSS.

CLXXXIIII. Idem AA. Asclepiodoto. PF. P.

Liberos curialiū, vel cohortalinorum quandoque susceptos, siue ante prærogatiuam & tempora expressa prę̨sumptæ militiæ, siue post decursa stipendia, originalem sequi condicionem oportet: quoniam satis est parentibus eorum, vacationem à nostra clementia pro remuneratione fuisse concessam. Dat. XVII. Kal. Maij, Constp. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

CLXXXV. Impp. Theodos. & Valentinianus AA.
Celeri Proconſ. Afric.

Semel securitatem de refusione munerum emissam ab alio Proconsule non liceat refricari. Et ideo spectabilitas tua saluberrimę, ac iustissimæ præceptionis formam secuta prohibebit in posterum eos ad discussionem trāsacti muneris

neris constringi, quos claruit acceptæ securitatis prosperitate lætari. Dat.v. Kal.MaI,Rau.Post conf.Felicis & Tauri v v.c c.

CLXXXVI. Idem AA.Celeri Proc.Afric.

Legatio proconsularis prouinciæ per Bubulcum spectabilem virum comitẽ curiales pro aliis,qui in eodẽ territorio possident, defleuit adstringi, quod ab obnoxiis sæpe debetur, deuotissimi quique cogantur exsoluere. Quæ res pro arbitrio coNpulsorum,vel opinatorum,siue Iudicum in eam famam mali iugitate peruenit, vt nullus pene curialis idoneus in ordine cuiusquam vrbis valeat inueniri. Cuius pręsumptionis abolita consuetudine iubemus neminem curialem pro alieni territorij debitis adtineri, sed tantùm municipem pro gleba propria conueniri spectabilitas tua salubrem sanctionem secuta, vnumquenque debitorem suo deinceps nomine faciet adtineri. Dat.v.Kal. Maij,Rau.Post conf.Felicis & Tauri v v.c c.

CLXXXVII. Idem AA.Isidoro PF.P.

Qui ante hanc legem spectabilium,vel inlustrium quocumque modo sortiti sunt dignitatem,parto semel honore & priuilegiis perfruãtur. Si qui verò postea ex decurionibus, vel subiectis curiæ ad spectabilium gradum processerint, per se tam curialia, quàm senatoria subeant munera, eorúmque liberi post senatoriam suscepti dignitatem patrum obstringantur exemplo. Quòd si qui inter inlustres etiam viros locum occupauerint,non laborioso administrationis actu, sed honorario titulo dignitatis senatui quidem per se respondeant:curiæ verò per substitutos suarum periculo facultatum statim † faciãt, quorum liberos, & post eorum inlustrem dignitatem progenitos, non solum Senatorum,sed etiam Decurionum munia per se nõ per subrogatos subire cõueniet, &c. Dat.III.Non. April.Constantinop.Isidoro & Senatore coss.Eodem exemplo Eubulo PF.P.Illyrici.

† *rę. satis.*

CLXXXVIII. Idem AA.Isidoro PF.P. Post alia.

Si quis decurio,aut subiectus curiæ vllam ante hanc legem gessit militiam, aut cœptam dudum etiam nunc gerit, aut causidicinam in foro amplissimæ præfecturæ Orientis, atque Illyrici, vel vrbano profitetur iudicio,in eodem latarum pridem Constitutionum sanctio obseruetur,post hanc verò legem si quis ex his ausus fuerit vllam affectare militiam, nulla præscribtione temporis muniatur:sed ad condicionem propriam retrahatur:ne ipse, vel eius liberi post talem ipsius statum procreati,quod patriæ debetur valeãt declinare,&c. Dat.III.Non.April.Constp.Isidoro & Senatore coss.

CLXXXVIIII. Idem AA.Isidoro PF.P.

Alexandrinis principalibus etsi aduocatione fungantur,nihilominus onus peregrinationis incumbat, nec cura publica, nisi in sua tantum ciuitate committatur. Et primus curiæ qui in muneribus vniuersis expletis ad summum peruenerit gradum, comitiuæ primi ordinis frui per quinquẽnium dignitate præstita,nec senatoriis minime functionibus obstringatur, in curia tamen permaneat. Dat.prid.Non.Iun.Constantinop. Isidoro & Senatore coss.

CXC. Idem AA.Isidoro PF.P.

Quinque primates ordinis Alexandrini à corporalibus iniuriis immunes esse censemus, vt voce libera commoditates patriæ defendant:cùm possint,si quid egerint criminosè pecuniariis coherceri dispendiis. Æstimabuntur au-

tem præſente curia viri ſpectabilis Auguſtalis iudicio. Dat. Prid. Non. Iun. Conſtp. Iſidoro & Senatore COSS.

CXCI. Idem AA. Iſidoro PF. P.

Eum qui triginta annos in Alexandrina ciuitate ciuilibus inhæſerit muneribus, corporalibus muniis, non pecuniariis excuſari conueniet: habita conſideratione videlicet meritorum, vt hoc bene cognitum priuilegium conſequantur, nec eo paſſim fruantur indigni. Dat. Prid. Non. Iun. Conſtantinop. Iſidoro & Senatore COSS.

CXCII. Idem AA. Iſidoro PF. P.

Si quos ſpontaneos Hypomnematografi munificos ſuis exhortationibus ad publicas nominauerint functiones: Auguſtalis iubemus non expectãdum eſſe conſenſum, qui ſit plerumque venalis, ſed vtriuſque partis ſufficere voluntatem, vt incipiat functio quam nullus incuſat: tum ad memoratum Iudicem tam nominati quàm etiam creatores conſona relatione currente, quam ſi ſuſcipere, vel confirmare diſtulerit, ſciat ſe vigintiquinque auri librarũ condemnatione plectendum. Dat. Prid. Non. Aug. Conſtp. Iſidoro & Senatore COSS.

De præbendo ſalario. *Tit. II.*

I. Imp. Conſtantinus A. ad Marcellinum Corr. Poſt alia.

NVlli ſalarium tribuatur ex viribus reipublicæ, niſi ei qui iubentibus nobis ſpecialiter fuerit conſecutus. Grauitas igitur tua placitis obſequatur, &c. Dat. v. Non. Octob. Conſtantinop. Limenio & Catullino COSS.

De Prædiis & Mancipiis curialium ſine decreto non alienandis. *Tit. III.*

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio PF. P.

SI quis Decurionũ, vel ruſtica prædia, vel vrbana vel quælibet mancipia venditor neceſſitate coactus addicit, interpellet iudicẽ competentem, omnéſque cauſas ſingillatim, quibus ſtranguilatur, exponat: vt mereatur valituram in perpetuum, comparatori probata adſertione, ſententiam. Ita enim fiet, vt nec inmoderatus venditor, nec emptor inueniatur iniuſtus. Denique nihil erit poſtmodum quo venditor, vel circumuẽtum ſe inſidiis, vel obpreſſum potentia comparatoris queri debeat: quandoquidem ſub fide actorum, & de neceſſitate diſtrahentis, & de voluntate patuerit comparantis. Quòd ſi quis contra vetitum occultis molitionibus, per ſubpoſitas fraude perſonas cuiuſlibet loci, quem tamen Decurio diſtrahat, comparator extiterit, ſciat ſe pretio, quod dederit, & loco, quem comparauerit, eſſe priuandum. Dat. VIII. Kalẽd. Decemb. Conſtantinop. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

II. Impp. Honor. & Theod. AA. Aſclepiodoto. PF. P.

Quoniam de Conſtitutione inclytæ recordationis aui ñoſtri de alienandis prædiis curialium promulgata dubitatum eſt, vtrum ſoli principales ſine decreti interpoſitione collegarũ poſſeſſiones emere vetentur, an omnibus conparandorũm huiuſce fundorum copia ſine prædicta obſeruatione negata ſit, generali ſanctione decernimus, vt ſi curialis prædium vrbanum, aut ruſticum vendat,

vēdat cuiuſcumque conditionis emptori,aput Rectorem prouinciæ idoneas cauſas alienationis alleget, non perfunctoriè à Iudice,ſed veriſſimè requirendas , vt ita demum diſtrahendæ poſſeſſionis facultatem accipiat , ſi alienationis neceſſitatem probauerit. Infirma enim erit venditio , ſi hæc fuerit forma neglecta,ita vt pretium emptor amittat, & venditori cum fructibus inlæſam poſſeſſionem reſtituat. Quæ quidem de futuris contractibus obſeruāda ſunt, præteritas verò emptiones in Oſdroëna ſpecialiter prouincia confectas, licet ex tempore legis ſub diuo auo noſtro promulgatæ , ſine geſtorum teſtificatione,à qualibet perſona celebratas infirmari oporteat,tamen ex prima tranſacta nuper indictione,ita volumus infirmari, vt alterius fortunæ, vel honoris homines, qui ſine decreto prædia curialium in memorata prouincia compararunt, receptis pretiis,poſſeſſiones,quas emerant,dominis reſtituant,ita vt ſi vſuras,vel ſumptus rei melioratæ popoſcerint,à venditore percipiant,fructus inuicem reddituri. Dat.v.Id. Aug. Eudoxiop. Aſclepiodoto & Mariniano coss.

De imponenda lucratiuis deſcriptione. *Tit. IIII.*

I.Impp.Theod.& Valentinianus AA.Florentio PF.P.

HIj qui ex lucratiua cauſa poſſeſſiones detinent quæ aliquando curialium fuerint,pro ſingulis earum iugis & capitibus quaternas ſilliquas annuæ ordinibus nomine deſcribtionis exſoluant,ita vt præbitionis iſtius forma non præiudicet illis ciuitatibus , in quibus conſuetudo præcedēs vel pacta quædam,vel alia neceſſitas ampliorem ſummam exigi perſuadet,&c. Dat.v.Id.Iun.Conſtantinop.Felice & Tauro coss.

Quemadmodum munera ciuilia indicantur. *Tit. V.*

I. Imp.Conſtantinus A.Tiberiano Com.per Afric.

HIj magiſtratus qui ſufficiendis duumuiris in futurum anni officium nominationes impertiunt,periculi ſui contemplatione prouideāt, vt quamuis populi quoque ſuffragiis nominatio in Africa ex conſuetudine celebretur,tamen ipſi nitātur pariter,ac laborent,quemadmodum poſſint hij qui nominati fuerint , idonei repperiri. Iam æquitatis ratio perſuadet, niſi idonei fuerint nominati , ipſos , quorum eſt periculum, adtineri. Dat.Nicomediæ III.Kalend.Aug.Conſtantino A.VII.& Conſtante Cæſ. coss.

II. Idem A.ad Concilium Prouin.Afric.

Sacerdotales & flamines perpetuos atque etiam duumuirales ab annonarum præpoſituris inferioribúſque muneribus immunes eſſe præcipimus. Quod vt perpetua obſeruatione firmetur , legem hanc inciſam æneis tabulis iuſſimus publicari. PP.XII.Kal.Iun.Karthagini.Feliciano & Tatiano coss.

III. Impp.Arcad.& Hono. AA. Probino Proc.Afric.

Quis tam inueniri iniquus arbiter rerum poteſt,qui in vrbibus magnifico ſtatu præditis,ac votiua curialium numeroſitate locupletibus,ad iterationem quempiam tranſacti oneris inpellat , vt cùm alij nec dum penè initiati curiæ ſacris fuerint, alios continuatio & repetitæ ſæpe functiones adficiant. Dat. XVI.Kal.April.Med.Cæſario & Attico coss.

De susceptoribus, præpositis & arcariis. Tit. VI.

I. Imp. Constantinus A. ad Edictum.

SI quem susceptorem euertisse constiterit rationem, & ad soluendum nō esse idoneū: creator eius hac necessitate teneatur, vt quidquid ille dilapidauit, ipse de propriis rebus instauret, conpellatúrque damnum omne sarcire, quod esset inlatum, si in idoneis nominandis conpetens adhibitum esset examen. Dat. VII. Id. April. Crispo II. & Constantino II. A A. CONS.

II. Idem A. ad Eufraxium Rationalem trium prouinciarum. Post alia.

Pro multis etiam & in diuersis locis constitutis liceat simul auri pondus inferre, ita vt pro omnibus fūdis securitas emissis cautionibus detur: ne separatim ab vnoquoque auro exacto, multis & assiduis incrementis prouincialiū vtilitas fatigetur. Hoc quoque addimus, vt vnusquisque quod debet, intra anni metas, quo tempore voluerit inferat: & per tabellarium apparitorem in latio cognoscatur, absque omni mora auro suscipiēdo: ne quis in aliena ciuitate sumptus faciat, vel (quod est grauius) legem cōmissi frustratus incurrat. nam si soluere volens à suscipiente fuerit contemptus, testibus adhibitis cōtestationem debebit proponere, vt hoc probato, & ipse securitatem debitam commissi nexu liberatus, cum emolumentis accipiat: & qui suscipere neglexerit, eius ponderis quod debebatur: duplum fisci rationibus per vigorem officij tui ...ferre cogatur. Dat. XIIII. Kal. Aug. Paulino & Iuliano COSS.

III. Impp. Constātius, & Cōstans AA. Claudio PF. Annon. Alexandriæ.

Susceptores centesimæ dimidium, annotatores verò ceterorúmque officiorum diuersos homines, quos rationibus constat obnoxios esse, alterum dimidium habere censuimus. Et nihil impetratoribus beneficij per rescribtū, aduersus ordinem constitutionis possint prodesse commenta. Dat. Kalend. Aug. Limenio & Catullino COSS.

IIII. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Mamertinum PF. P.

Ad virum clarissimum Proc. Africæ dari litteras iubemus, vt siue ex principalium, siue ex honoratorum numero, pro merito fidei suæ industriæque susceptor vestiū electus fuerit, huiusmodi necessitatis sarcinam vno dumtaxat anno sustinere pręcipiatur. Exceptis tamen his qui palatinæ militiæ priuilegiis muniuntur: vel qui officiis ac ministeriis functi merito stipēdiorum, merito dignitatis ornatum se adprobant consecutos: ita tamen vt creationis periculum à proconsulari officio non recedat. Dat. XIII I. Kal. Iul. Valentiniano & Valente AA. CONS.

V. Idem AA. ad Secundum PF. P.

Perpenso prospeximus studio, vt susceptores & præpositi horreorum ex pręsidali officio qui per diuersa officia militię sacramenta gestarunt, congrua ratione crearentur. Sed quoniam præses Ciliciæ adseruit deesse ex his corporibus, quibus possit hæc sollicitudo cōmitti: ne in pręsens tempus fisci nostri, seu publica emolumenta vacillent, excellentia tua, vbi eos deesse peruiderit, quos susceptores ac præpositos creari scitis prioribus iusseramus; vetustum morem consuetudinémque sectabitur: scilicet, vt ex eo ordine cōstituantur, ex quo antè consueuerant ordinari: modo vt ipse Ciliciæ præses & ceteri magnitudinis

gnitudinis tuę litteris vrgueātur, vt idoneos ex diuersis officiis tota sagacitate vestigēt, eósque gerere pręstitutam scitis nostræ mansuetudinis sollicitudinē faciant. Nam si qui per gratiam fuerint prætermissi, necesse habet exigere publica commoditas vltionem. Nec enim dubiū est eos officiales qui nunc diuersis officiis obsecundāt, plurimos prętermittere, quorū si qui in huiusmodi fuerint arte deprehensi, dabunt pœnas (facultatibus traditis curiis) etiam capitis ac salutis. Dat. IIII. Non. Iul. Cæsarea, Valentiniano & Valente AA. COSS.

VI. Idem AA. ad Mamertinum PF. P.

Tametsi iam lege apertissimè cautum sit de officiis diuersis quæ extra palatium sunt, susceptores debuisse constitui: tamen & hac iussione similiter designamus, ab his, qui in officio magistrorum equitum & peditum militarūt, siquidem ordinis sint militaris, inquietudinem submouendam: eligendos autem susceptores è diuersis officiis scilicet quæ extra palatium deputantur: additis etiam largitionalibus ciuitatum, quos post militiam volumus inter cetera corpora susceptionis munus agnoscere. Dat. XV. Kal. Aug. Valentiniano & Valente AA. COSS.

VII. Idem AA. ad Mamertinum PF. P.

Ad susceptionem speeierū veniāt qui ante omnia sciant se decuriones non esse. Ex corpore igitur diuersorum officiorū quisquis idoneus repperitur tam moribus, quàm facultatibus, veluti matriculæ per singulas prouincias nomen suū adscribat, vt hac ordinatione dispositi annuas susceptiones peragāt: ita vt nihil præterea muneris pertimescant, atque expleta susceptione, erogationibúsque perfectis, transacto illo officio, cùm aput iudicem fidele obsequium comprobarint, iudicij nostri digna pręmia consequantur. Adiungi autem ad hoc corpus debent etiam illi, qui ex officiis singulis sint, hoc est, ex tabulariis & numerariis similibúsve officiis eorum officiorum, de quorum ordine hoc corpus constitui volumus. Quicunque verò ex his ad honores potiores per suffragium peruenerint, susceptionis munus perfungantur, ita vt salua sit dignitas, quam habēt, nec ex hac ordinatione curiale consortium pertimescāt. Dat. prid. Non. Aug. Sirmio, Valentiniano & Valente AA. COSS.

VIII. Idem AA. ad Secundum PF. P.

Iuxta inueteratas leges, nominatores susceptorum, & eorum qui ad præpositura m horreorum & pagorum creantur, teneantur obnoxij, si minus idonei sint, qui ab hisdem fuerint nominati. Nec quicquam ex eorum substantia, celebrata per interpositam personam emptione, mercentur. Dat. III. Kalend. Aug. Constantinop. Valentiniano & Valente AA. COSS.

VIIII. Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric.

Susceptores specierum idcirco per Illyrici prouincias ex officialium corpore creari præcipimus, quòd cognitum est illos & re, & fide idoneos haberi, quàm eos qui in curia suscipere consueuerint. verum in prouinciis Africæ tua sinceritas hoc ab his officium iubeat amoueri, atque eos susceptores specierum annonariarum manere, quos ad hanc necessitatem vetus consuetudo constringit: maximè cùm (si susceptores de curia dati aliquid vel neglegentia, vel fraude decoxerint) ad redintegrationem specierum (sicuti moris est) ordo, qui creauerit, possit artari. Acc. prid. Kalend. Septembr. Constantinæ, Valentiniano & Valente AA. COSS.

x. Idem AA. ad Mamertinum PF.P.

Susceptores noui non modò præsentis anni debita, verum etiam species, quæ ex reliquis inferuntur, (quia nouæ sunt ac recentes) suscipiant. Dat. prid. Kalend. Nou. Rom. Valentiniano & Valente AA. CONS.

XI. Idem AA. ad Florentium S.L.

Neminem biennio iugi allegationis officiis inseruire permittat: neminem ab huiusmodi munere ad id munus adstringi, nisi priùs se vinculo sollicitudinis superioris absoluerit. Nam neque eos qui placuerint, grauare iusti est, neque illos, qui displicuerint tenere, prudentis. Integro igitur singuli anniuersario anno transcurso, cogantur exponere, quibus titulis suscepta dispersferint, vt faciliùs, si quis in furto fuerit deprehensus, recentem queat redintegrare iacturam. Dat. XI. Kal. Octob. Mantebri, Gratiano NB.P. & Dagalaifo CONS.

XII. Idem AA. ad Rufinum PF.P.

Nulla debet esse causatio, quin solidi ex quocũque titulo congregati (sicut iampridem pręcipimus) in massam obryzę soliditatémque redintegrentur. Et ita fiat omnis inlatio, vt largitionũ & prosecutorum, allectorúmque fraudibus aditus obstruatur. Facilè etenim eos prouinciæ Rector à dispendio vindicabit, qui binis solidis, seu ternis necessitatẽ solutionis implebũt: si postquã viritim nominatímque susceperint solidos plurimorum, ea (quam superius memorauimus) qualitate poscẽda, omnium debitum completur in massam. Sanè si idem suscipientium deprehenditur (quod fuerat antè) fastidium, cùm obryzæ materies adferatur quæ non potest displicere, sed congrua animaduersione plectens est, qui id calumniatur, & reprobat, quod ad compendium simplicis satisfactionis inuentum est. Prius tamen ad comitatum mansuetudinis nostræ massa obryzæ quæ fuerit repudiata, mittatur: vt, qua sit mẽte reiecta, videamus. Dat. IIII. Id. Nou. Gratiano NB.P. & Dagalaifo COSS.

XIII. Idem AA. ad Germanianum Com. S.L.

Quotienscumque solidi ad largitionum subsidia perferendi sunt, non solidi, pro quibus adulterini sæpe subdũtur, sed aut idem in massam redacti, si aliunde qui solui potest habere materiam auri obryza dirigatur: pro ea scilicet parte, quam vnusquisque defendit: ne diutius vt allecti, vel prosecutores, vel largitionales adulterinos solidos subrogãdo in cõpendiũ suum fiscalia emulumenta conuertant. Illud etiã cautionis adicimus, vt quotienscumque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, & auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepto, &c. Dat. VI. Id. Ian. Rom. Lupicino & Iouino COSS.

XIIII. Idem AA. Alexandriano Com. R.P.

Singulas tantùm depẽdant centesimas, qui reditus domui nostræ debitos, arcariis quotannis iuxta cõsuetudinẽ tradũt: ita tamen, vt earum quoque singularum centesimarum ratio semper euidens scientiæ tuæ digesta referatur, vt erogationibus cunctis aperta instructione patefactis reliquorum ratio ex eadem centesima possit agnosci. Dat. VII. Kalend. Octobr. Dorostoli, Lupicino & Iouino COSS.

XV. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. Probo P.P.

A possessoribus per tres vices petatur annona. In epimetris autẽ eam consuetudinem sinceritas tua faciat obseruari, vt in aridis quidem fructibus, centesimam

tesimam leuandi dispendij causa à possessore susceptor accipiat, laridi verò, & vini vicensimam consequatur. PP. VII. Id. Ian. Sabariæ, Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

XVI. Idem AAA. ad Chilonem.

Frumenta, quæ horreis inferuntur, pro inlationis modo ilico apocharum cautionibus annotentur. Non autem oportet in horreis fiscalibus nisi fiscalia fruméta cóstitui. Dat. v. Id. April. Treu. Post cós. Gratiani A. III. & Equiti v. c.

XVII. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. Hanc Hypati K. NB.

Vnus posthac in vna diœcesi auri vel argenti susceptor ne sit: nec diu penes ipsos susceptores maneat facta cólatio, sed statim quodcumque à prouincialibus fuerit exsolutum, sacris thesauris inferatur. Dat. III. Id. Kal. MaI, Constainop. Post Cons. Antoni & SyagrI.

XVIII. Idem AAA. Flauiano Proc. Asiæ.

Quisquis posthac quem exactionis, vel susceptionis prouincia manet, nó specialiter & quid, & in qua specie, & ex quibus titulis, & pro qua indictione videatur accepisse, rescribserit, quadrupli eius rei, quam debitor dedisse se dicit, inlatione multetur. Officium quoque, nisi ad fraudes (si fortè deinceps iteratæ fuerint) detegendas tale commissum & inquisitione subiaceat. Dat. VI. Id. Maij, Constantinop. Merobaude II. & Saturnino COSS.

XVIIII. Idem AAA. Postumiano PF. P.

In singulis stationibus & mensuræ, & pondera publicè conlocentur, vt fraudare cupientibus fraudendi adimant potestatem. Dat. v. Non. Octobr. Merobaude II. & Saturnino CONS.

XX. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Exactores, vel susceptores in celeberrimo cœtu curiæ, consensu & iudicio omnium, sub actorum testificatione firmentur: prouinciarúmque Rectores eorum nomina, qui ad publici munus officij dediti, adque obligati fuerint, innotescant, & animaduertát quicumque nominauerint, ad discrimen suum vniuersa, quæ illi gesserint, redundare. Dat. VI. Kalend. Nouemb. Constantino. Honorio NB. P. & Euodio COSS.

INTERPRETATIO. *Exactores & susceptores publicæ functionis, non secretim, sed publice præsentibus aliis Curialibus vel populo, necessitates agendas expediendásque suscipiant, & qui nominati vel electi fuerint; Iudicibus innotescant, scituris hiis qui de electione talium fuerint apud acta professi, quod si quid euerterint, ad eorum à quibus electi sunt, dispendium pertinebit.*

XXI. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Cynegio PF. P.

Modios æneos, seu lapideos cum sextariis, adque ponderibus per mansiones singulas, quasque ciuitates iussimus conlocari, vt vnusquisque tributariis sub oculis constitutis rerum omnium modi sciat quid debeat susceptoribus dare, ita vt si quis susceptorum conditorum modiorum sextariorúmque vel ponderum normam putauerit excedendam, pœnam se sciat conpetenté esse subiturum: & submotis, quæ contra vtilitatem populorum omniú hactenus gesta sunt, fruméti quinquagésimas, hordei quadragensimas, vini & laridi vicensimas susceptoribus dari præcipimus. Humanitatis auté necessitate commoniti susceptoribus in Armeniæ susceptionibus, lóginquitatis causa fruméti & hordei quadragensimas, vini & laridi quintasdecimas dari præcipimus.

Dat. III. Kal.Decemb.Constantinop.Honor.NB.P. & Euodio v.c. coss.

XXII. Idem AAA.ad Paulinum PF. Aug.

Non perpetui exactores in continuata vexandorum prouincialium potestate, veluti concussionum dominatione teneantur, sed per annos singulos iudiciaria sedulitate mutentur, nisi aut cōsuetudo ciuitatis, aut raritas ordinis eos per biennium esse conpellat. Quod nisi factum fuerit, scias te & officium tuum non minus multa, quàm graui pœna esse compellendum. Dat.prid. Kalend.Decemb.Constantinop.Honor.NB.P.& Euodio v. c. coss.

INTERPRETATIO. *Lex ista hoc iubet, non debere Exactores, qui vno anno exegerint, secundi anni exactionem suscipere, & possessores superflua exactione vexare. Sed hoc obseruari debere, vt annis singulis iudiciaria electione mutentur, nisi forte aut consuetudo ciuitatis, aut raritas Curialium per biennium eos Exactores esse compellat: aliter enim si factum fuerit, & Iudicem, & officium suum multa pariter & grauis pœna constringat.*

XXIII. Idem AAA.Cynegio PF.P.

Susceptores præsentibus defensoribus, & modum iugationis possessorum, & species singulas, vel earum numerum quantitatémque perscribant. Dat. IIII.Kal.Decem.Constantinop.Timasio & Promoto coss.

XXIIII. Impp. Arcad.& Honor.AA.ad Senatum & Populum. Post alia.

Susceptores canonis horreorúmque prępositi singulis annis, audiente viro spectabili Vicario, & Præfecto Annonæ, expensionem susceptarū specierum probare cogantur: ita vt si qui eorū idonei probabuntur, quinquennio in huius officij statione permaneāt, & electi deinceps de curiis memorato muneri subrogentur, &c. Dat.XII. Kal.Maij, Med. Cæsario & Attico coss.

XXV. Idem AA.Firmino Com.R.P.

Palatinum iubemus procurare officium, vt nullus præpositurǣ, vel cuiuscumque susceptionis subeat munus antè, quàm iuxta legem diuæ memoriæ Gratiani, & susceptorum substantiæ, & fideiussorum facultates diligenti describtione collectę ad eiusdem officij notitiam perferantur: cessante responso quod per subreptionem in ærarij nostri dispendium elicitum est. Dat.XV. Kalend.April.Med.Theodoro v.c. cons.

XXVI. Idem AA. Benigno Vic.Vrb.Rom.

Securitates semel publicatas & gestis lectas binis susceptoribus inputari, & cœptam arcæ discussionem volumus in apertum quæsita ratione deduci, & omnes publicas securitates quę gestis tenentur, à susceptoribus ferri accepto. Dat.VI.Id.Iun.Med.Stilichone & Aureliano coss.

XXVII. Idem AA.Pompeiano suo Salutem.

Ne fraude susceptorum, dum subducunt eos qui apochas scribserunt, denuo soluta poscantur, manifestè sancimus, vt periculo totius corporis intra ipsam indictionem mutare eos nō liceat, à quibus emissæ sunt securitates: nisi falsitatis arguantur, & plurima inprobare non audeant, item tabulariis quadrimenstruos breues publicari iubemus, vt si hisdem relatæ securitates fideliter continent debitum duplex, non teneat exactio. Si autem aliquid à susceptore, vel tabulario fraudis admissum, & possessor deprehendat, nemo eorum semel in interuersione conuictus id rursus officiū gerat, in quo antè decoxit: etsi rescribtum nostrum elicitū clandestina supplicatione detulerit. Dat.prid. Kal.

Kal.Ian.Med. Stilichone & Aureliano coss.

xxviii. Idem AA. Pompeiano Proc.Afric.

Si apochæ ad ſuſceptores nomine militum deferantur, nihil ex ea pecunia intra prouinciam tibi creditam prorogetur, quam ſub teſtificatione geſtorum ad inſtructionem prouinciæ Numidiæ, vel Mauritaniæ oportet integram peruenire: vt illic deuotiſſimus miles emolumenta ſibi debita ex integro conſequatur. Si quis autem poſt interdictum manſuetudinis noſtræ apochas putauerit eſſe deferendas, inaniter eas ſciat eſſe delatas, nec in acceptum ei, qui ſuſceperit, referendum. Dat. IIII. Kal. Mart. Med. Poſt Conſ. Stilichonis & Aurel. vv. cc.

xxviiii. Idem AA. & Theod. A. Septimino Proc. Afric.

Dudum præcipimus, vt ex corpore negotiatorum ad ſuſcipiendam tuendámque aurariæ noſtræ rationem adponeretur idoneus qui tamen fide omnium, & periculo fuiſſet electus. Et nunc eadem renouantes, ex negotiatorum, ſiue quolibet alio corpore ad ſuſcipiendam arcæ rationem idoneum adponi præcipimus: ea dumtaxat cõdicione ſeruata, vt tam de ſuis, quàm officij ſui facultatibus Iudices nouerint eruendum, ſi quid ille ex commiſſa ſibi ratione crediderit vſurpandum. Dat. x. Kal. Mart. Rau. Theod. A. I. & Rumorido coss.

xxx. Idem AAA. Lucio Com. S. L.

Duos tabularios & ſuſceptores totidem per vniuerſas prouincias oportere conſtitui clementia noſtra præcipit. Super hoc autem admonuimus, & prætorianam ampliſſimam præfecturam, quò ſciret eos, qui aurum largitione ſuſceperunt, nihil cum arcæ ratiociniis habere commune. Iudices autem prouinciarum quinque libris auri multandos, & primates officiorum capitali pœna plectendos, ſi hoc vel in præſenti non fuerit cuſtoditum, vel poſtea commutatum. Dat. VI. Kal. Feb. Baſſo & Philippo coss.

xxxi. Impp. Honor. & Theod. AA. Euchario ſuo Sal.

Humilibus officiis, aut extraordinariis oneribus occupari curiales non patimur, ne publica vacillet vtilitas. Suſceptionem itaque veſtium æquius eſt ab officio Procõſulari, vel ab his qui in eodem meruerunt, ſollemniter procurari. Horum namque intereſt huiuſmodi explorare rationem, & quęrere qualitatem eorum, quorum ad contuendum cura commodior eſt. Neque enim æquum eſt, vt ad officium lucella, ad curialem ſuſceptionis tantùm damna pertineant. hanc igitur ab ordinibus iniuriam ſubmouemus, exceptis his, ſi qui curialium officio memorato, aut militaſſe, aut militare fuerit deprehenſus. Dat. pridie Kal. Mar. Rau. Honorio VIIII. & Theodoſio V. AA. coss.

xxxii. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Voluſiano PF. P. Poſt alia.

Aurum ſiue argentum cúmque à poſſeſſore confertur, arcarius vel ſuſceptor accipiat: ita vt prouinciæ moderator eiúſque officium ad crimen ſuum nouerit pertinere, ſi poſſeſſoribus vllum fuerit ex aliqua ponderum iniquitate inlatum diſpendium. Poſſeſſori ſanè ſecuritatem ſub deſignatione titulorum arcarius vel ſuſceptor emittat: & quidquid ex prouinciis ad noſtrum di-

rigetur ærarium, id non solum ad inlustres viros ærarij nostri comites, sed etiam ad eminentiam tuam pari relatione deferatur. Contra hæc nostra si quisquam vetito ausu Palatinus audebit, licebit prouinciæ moderatori eundem correptum ad sublimitatis tuæ iudicium sub prosecutione dirigere. Licebit prouinciali, etsi probatur obnoxius, palatini contra vetitum exactionem sibi vindicantis temeritatem legitimè repellere. Quam si prouincialis pulsare nequiuerit, & delata ad inlustres viros ærarij comites querimonia, inpediente Palatino officio, non meruerit vltionem, tunc demum licebit magnificentiæ tuæ possessorum querellas, & probata apud se dispendia vindicare. Dat. III. Kalend. Mart. Rau. Post Cons. Felicis & Tauri vv. cc.

XXXIII. Idem A A. Theodosio PF. P.

A Byzachena prouincia dudum impetratū fuisse comperimus, † vt vrbium suariorum curiales horreorum custodiam curámque susciperēt: ideóque sancimus Proconsularis prouinciæ horreis non præfici principalem. Dat. XV. Kal. Mar. Rau. Theodosio XIII. & Valentiniano V. AA. COSS.

† *forte, ne vrbiū suarum.*

De ponderatoribus & auri inlatione. Tit. VII.

I. Imp. Constantinus A. ad Eufraxium Rationalem trium prouinciarum.

Si quis solidos appendere voluerit auri * cocti, septem solidos quaternorum scripulorum nostris vultibus figuratos adpendat pro singulis vnciis: quatuordecim verò pro duabus iuxta hanc formam omnem summam dediti inlaturus: eadem ratione seruanda, & si materiam quis inferat, vt solidos dedisse videatur. Aurum vero quod infertur æqua lance, & libramentis paribus suscipiatur: scilicet, vt duobus digitis summitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad susceptorem emineant, nec pondera deprimant nullo examinis libramento seruato, nec æquis ac paribus suspenso statere momentis, &c. PP. XIIII. Kal. Aug. Paulino & Iuliano COSS.

II. Imp. Iulianus A. ad Mamertinum PF. P.

Emptio venditióque solidorum quos excidunt, aut deminuunt, aut (vt proprio verbo vtar cupiditatis) adrodunt, tanquam leues eos vel debiles nonnullis repudiantibus inpeditur. ideóque placet, quem sermo Græcus appellat, per singulas ciuitates constitui Zygostaten, qui pro sua fide atque industria, neque fallat, neque fallatur, vt ad eius arbitrium, atque ad eius fidem, si qua inter vendentem emptorémque in solidis exorta fuerit contentio, dirimatur. Dat. VIIII. Kal. Mai, Salonę, Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

III. Impp. Valentinianus & Valens A A. ad Dracontium.

Si quid ex proscribtionibus, vel condemnationibns deposcitur, si quid ex ceteris titulis, qui annui atque sollemnes sunt, vel veteres, vel recētes, aut peculiaris in singulis, aut certa per paucos, aut vniformis in cunctos cogit indictio, non in materia conferatur, sed sub condicionaliū oculis, ac periculis diu multúmque flammæ edacis examine in ea obryza detinetur, quemadmodum pura

ra videatur. Dat. prid. Non. Aug. Nemasia, Post consl. Gratiani N.P. & Dagalaisi COSS.

De auri publici prosecutoribus. Tit. VIII.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF.P.

AVri prosecutores partim nulla præmissa (vt adsolet) prosecutoria, aurum pręsumunt, partim diutiùs retentãt, quod statim fuerat adsignandum. Ideóque censemus, ne quis absque præcepto viri inlustris comitis sacrarum largitionum, vel coquendum aurum sumat, vel capiat deinceps retinendum. Dat. XIII. Kal. Aug. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

De his, quæ ex publica conlatione inlata sunt, non vsurpandis. Titulus VIIII.

I. Imp. Constantinus A.

NVllus Iudicum id quod à republica ex conlatione susceperit, mutui interuentione obposita, vel inuadat, vel conetur inuadere. Dat. prid. Non. Mar. Treu. Paulino & Iuliano COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA.
Haue Lampadi K. N.B.

Nullus penitus ex eo quod refertur in conditis, vel in arca continetur, ad quemlibet titulum vsurpet, nisi fortè præsumendi facultatem sublimium potestatum iussione perceperit. Dat. III. Id. April. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

III. Impp. Arcad. & Honor. AA. Messalæ PF.P. Post alia.

Sciant Iudices nihil sibi ex priuatæ rei canone, vel eo quod ex hisdem titulis exegerint, ad necessitates alias transferre licere: nisi malunt grauissima seueritate suam licentiam coherceri. Dat. XVI. Cal. Iun. Med. Theodoro V.C. COSS.

Ne præfectianus exactoris, vel curiosi, vel horreorum custodis fungatur officio. Tit. X.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Zosimum Præsid. Epyri nouæ.

COmperimus, imperatoriæ iussionis auctoritate neglecta, præfectianos ad perniciem prouincialium exitiúmque remeasse, & exactionibus in prouincia meritis tuis credita, vel potius lucris, & quæstibus suis contra vetitum laborare. præterea vel horreorum gerere custodiam, vel curarum ius atque arbitrium sibi præsumere. Horum si quis existat, volumus huius auctoritate præcepti in futurum susceptorum officiis eum deputari, déque eius nomine vniuersa clementiæ nostræ auribus intimari. Dat. XIIII. Kal. Dec. Med. Valentiniano & Valente IIII. AA. COSS.

De curatoribus Kalendarij, & fideiussoribus eorum *Tit. XI.*

I. Imp. Constantinus A. Locrio Verino suo Salutem.

APut eos quos superstites integris facultatibus esse peruideris, vel quorum heredes incolumia retinere patrimonia, sortes Kalendarij perseuerare debebunt: ita tamen, vt annuas vsuras suis quibusque temporibus exsoluant: cùm simul & reipublicæ vtile sit retinere idoneos debitores, & ipsis commodum cumulum debiti minimè nutriri. Et quia nefas est obnoxiis corporibus alienatis circumscribi ciuitates, placuit, si qui debitor reipublicæ ciuitatis quippiam ex eo patrimonio quod habuit, cùm pecuniam reipublicæ sumeret, donauerit, vel distraxerit, vel qualibet in alium ratione contulerit, qualitate rei alienare perspecta, atque omnibus debitoris facultatibus consideratis, quas habuit cum ei pecunia crederetur, pro rata ab eo, qui ex debitoris facultatibus aliquid detinet, ex sorte atque vsuris postulari. Itaque quotiens minus idoneum deprehéditur eius patrimonium, cuius nomen Kalendario ciuitatis alicuius inuenitur obnoxium, Iudex omni diligentiæ sollicitudine debebit inquirere, ad quos ex qualibet condicione transierint debitoris facultates: vt singuli æqua æstimatione habita pro rata rerum, quas possident, conueniantur, personalem actionem contra eum habituri debitorem, qui ipsis soluentibus liberatur. Ab eo autem, à quo constat fortunarum suarum partem maximam recessisse, etiam reliquam portionem, quæ aput eum resederit, transferri ad idoneum oportebit. Quòd si quispiam debitor reipublicæ ciuitatis fisco nostro locum fecerit, emptores quidem, qui ex fisco nostro coNparauerint, manifestum est secundum ius vetus & rescribta diuorum, constitutionésque nostras nullam debere molestiam sustinere: cum huiusmodi casibus rempublicam placuerit fortuita dispendia sustinere. Qui verò aliquid ex eiusdem bonis principali liberalitate fuerint consecuti, iuxta legem latam obnoxij erunt reipublicæ, habita solidarum facultatum consideratione, quæ fuerat debitoris, cùm pecuniam reipublicæ sumeret, vt pro rata corporis, quod ex largitate nostra retinent, coNpetentem sortis atque vsurarum partem exigantur. Quòd si quis debitor non coNparauerit, vel certè ita omnia sua consumpserit, vt nemo aliquam rem ex eius bonis possideat, id quoque debitum conuenit ad dispendium reipublicæ pertinere. Ideóque periculo curatoris Kalendarij, & magistratuum & creatorum, aput idoneos, vel dominos rusticorum prędiorum pecunia conlocanda est. PP. III. Kal. Feb. Volusiano & Anniano COSS.

II. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. ad Hellenium Vic. vrb.

Kalendariorum nomen tam olearię arcæ, quam frumentariæ, non multò antè oratio ad senatum missa † nascitur antiquas sanè igitur ea, quæ aboleri antè censuimus, nouis calumniarum facibus inardescant, tua prouidebit instantia. Nos enim quò sanctius quæ cauta sunt, obseruentur, viginti librarum auri multa iudicem censuimus esse plectendum, ac primates officij capitali cohercendos esse sententia. Dat. Non. Aug. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

† *fortè, nescitur antiquasse. ne igitur.*

De

De legatis, & decretis legationum. *Tit. XII.*

I. Impp. Constantinus & Constans AA. ad Taurum PF. P.

IN Africanis prouinciis vniuersis conciliis liberam tribuo potestatem, vt congruente arbitrio studij cōdant cuncta decreta, aut commodum, quod credunt, consulant sibi, quod sentiunt. eloquantur decretis cōditis missisque legatis. Nullus igitur obsistat cœtibus dictator, nemo consiliis obloquatur. Dat. Kal. Aug. Med. Arbitione & Lolliano COSS.

II. Idem AA. & Iulianus C. Musoniano PF. P.

Nullus ad gentem Axumitarum & Homeritarum ire præceptus vltra annui temporis spatia debet Alexandriæ de cetero demorari: nec post annum percipere alimonias annonarias. Dat. XVIII. Kal. Feb. Med. indictione XV. Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. COSS.

III. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PF. P.

Prouinciales desideriorum suorum decreta initio aput acta ordinariorum Iudicum prosecuti, ad sedis tuæ eminentiam mittant, vt inpudentior petitio refutetur, aut iustior petita commoda consequatur. Si qua autem eiusmodi fuerint, quę magnificentiam tuam probabili cunctatione destringant, super his satis erit consuli scientiam nostram, ita vt cunctas petitiones cum litteris tuis legatorum vnus aduectet. Dat. III. Kal. Iun. Serdicæ, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

IIII. Idem AA. ad Mamertinum PF. P.

Iuxta legem diui Constantini nihil post tractatum habitum ciuitatum voluntate mutetur, siue mutiletur, sed integrè atque inlibatè ciuitatum petitiones ad magnificentissimæ sedis tuæ notitiam perferantur: vt sit examinis tui, quænam ex his auxilio tuo inplenda protinus, quæ clementiæ nostrę auribus intimanda videantur. Dat. VII. Id. Septemb. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

V. Idem AA. Victori Duci Ægypti.

Cùm legati gentilium venerint, obsignari eorum tabulas oportet, vt ad mansuetudinem nostram fides eorum, quæ à regulis profectæ fuerint litterarum, & numerus perferatur: ne per hanc occasionem etiam addendi in epistulis possit his facultas aperiri. Dat. V. Kal. Ian. diuo Iouiano & Varronio COSS.

VI. Idem AA. & Gratianus A. ad Claudium Proc. Afric.

Legati qui ad comitatum nostrum non cum necessariis desideriis & probabilibus rebus aduenerint, cum iniuria sui ad prouinciam animalibus propriis reuertentur. Dat. IIII. Non. Feb. Treu. Valentiniano NB. P. & Victore CONSS.

VII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Eutropio P. P.

Cùm desideria sua singulæ ciuitates cupiunt explicare, non viritim legatos mittant ad nostri numinis comitatum, sed tractatu habitóque conuentu, tres è prouincia, qui petitiones aduehant, delegentur: multæ conpetentis denuntiatione præstrictis his, qui prouincias moderantur. Dat. VI. Kal. Aug. Constp. Gratiano V. & Theod. I. AA. CONSS.

VIII. Idem AAA. ad Seuerum P.V.

Quæcunque ciuitas legatos ad sacrarium nostrum voluerit ordinare, libera ei tribuatur facultas: ita tamen, vt à te probata atque elimata ad nos desideria perferantur. PP. Karthag. VIII. Kal. April. post Cons. Syagrij & Eucherij vv.cc.

VIIII. Idem AAA. ad Prouinciales.

Siue integra diœcesis in commune consuluerit, siue singulæ inter se voluerint prouinciæ conuenire, nullius Iudicis potestate tractatus vtilitati earum congruus differatur: neque prouinciæ Rector, aut præsidens vicariæ potestati, aut ipsa etiam præfectura decretum æstimet requirendum. Illud etiam addimus, vt si integra diœcesis vnum, vel duos elegerit, quibus desideria cuncta committat, redæ cursualis, vnius hisdem tribuatur euectio. Si verò singulæ prouinciæ separatim putauerint dirigendos, singularum angariarum copia præbeatur, dummodo (sicut licere volumus) oppressis deflere, quæ perferunt. Ita prouinciales nostri nec in cassum peregrinationem suscipiendam, eáque ad sacras aures deferenda cognoscant, quę probabiliter principibus adserantur, nec superfluis perennitatem nostram existiment actibus occupandam. Dat. VI. Id. MaI, Brixiæ, Antonio & Syagrio coss.

X. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Principio PF.P.

Quotiescunque ex diuersis prouinciis ad sacrum mansuetudinis nostræ comitatum legationes quas instruxere decreta necesse erit commeare, in auditorio quidem celsitudinis tuæ vniuersa tractentur, sed ita vt nullum finem capiat ordo gestorum, inlibatáque rerum decisio singularum nostro auditui sententiæque seruetur: ita vt deinceps excellentia tua cum in consistorio mansuetudinis nostræ secundum consuetudinem ex decretis petitiones legatorum de nostris scriniis recitantur, motum proprij arbitrij ratione decursa sententiis, quas pandimus, referat. Dat. Non. Nou. Aquil. Arcad. A. I. & Bautone coss.

XI. Idem AAA. ad Eusignium PF.P.

Si quis vel ciuitatis, vel prouinciæ, vel corporis alicuius ita prosequi desideria voluerit, vt non omnia mandata litterarũ decretorum auctoritate demõstret, inauditus, ac sine effecto remeare protinus iubeatur. Dat. XV. Kal. Mart. Ticeni, Honor. NB. P. & Euodio coss.

XII. Imppp. Theod. Arcadius & Honor. AAA. Apodemio PF.P. per Illyricum.

Si quod extraordinarium concilium postulatur, cùm vel ad nos est mittenda legatio, vel vestro sedili aliquid intimãdum, id quod inter omnes communi concilio tractatuque conuenerit, minimè in examen cognitoris ordinarij perferatur. Prouincialium enim desideria quibus necessaria sæpe fortuitis remedia deposcuntur, vobis solis agnoscere atque explorare permittimus: nobis probationem ac Iudicium reseruamus: ad prouinciale concilium in vna frequentiore totius prouinciæ vrbe cunctos volumus conuenire, qui primatum honorantur insignibus: exceptis præfectoriis, quos dignitatibus ampliatos indignius à consiliantibus præteriri, indignius verò ad publicum

blicum honoris iniuria deuocari, vnde honestum esse censemus de singulis, quæ tractanda erunt, intra domos suas eos consuli. Et ne plebi mixta dignitas inclinetur, nec eius, cuius præsentiæ copia deerit, probatum in republica consilium neglegatur: scilicet vt in loco publico de communi vtilitate sententia proferatur: adque id quod maioris partis probarit adsensus sollemnis firmet auctoritas. Dat. v. Kal. Aug. Constantinop. Arc. A. II. & Rufino COSS.

XIII. Idem AAA. Apodemio PF.P. per Illyricum.

Prouinciale concilium quo tempore iniri debeat, cùm adsensu omnium, atque consilio propria auctoritate definiat, ita vt ipse conuentus in vna opulentiore totius prouinciæ vrbe absque vllius iniuria celebretur. inde quod in consilium communia vota deducunt, vel in æde publica, vel in aliqua fori parte tractetur, ad quam omnium possit esse conuersus, ne quid dispositio paucorum tegat, quod in communem vtilitatem expetat sollicitudo cunctorum. Si quis autem eorum virorum, quos emeritos honor à plebe secernit, prouincialium extraordinario cupit interesse consilio, pro suo loco atque ordine, seruata reuerentia dignitatis, vel ad eum locum, in quo cunctorum desideria possit agnoscere, ire debebit, vel procuratoribus destinatis sententiæ suæ promere voluntatem: modò vt quod voluerit paucorum voluntas publica conuocetur auctoritas. Dat. IIII. Id. Sept. Constp. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

XIIII. Impp. Honor. & Theod. A A. Anthemio PF.P. & Patricio.

Omnium legationum prouincialium instructiones apud sublimitatẽ tuam actis legi pensaríque præcipimus, vt quæ digna nutu, vel indulgentia nostræ clemẽtiæ probabuntur, eligere ac referre ad nos sublimitas tua non ambigat. Nam remedia fessis quibusque necessaria nostro arbitrio decernentur. Dat. XIIII. Kal. Octob. Constantinop. Basso & Philippo COSS.

XV. Idem AA. Monaxio PF.P.

Quotiens legatio destinatur, vniuersos curiales præcipimus, qui intra vrbem consistunt (si non ægritudine, vel alia inexcusabili necessitate impediuntur) in locum curiæ conuenire, & decreta sua propria subscriptione firmata viro spectabili Præfecto Augustali insinuare: vt eius relatione tuis virtutibus intimata, & sub examine tuo perpensa, venire necne legati debeant, ordinetur: nulli penitus legatione libera committenda, & auro coronario non (sicut nuper factum est) ab his colligendo, qui venditis honoribus, vt ad gradus altiores venirent contra licitum coëmerunt. Quos quidem, recepta summa quam dederunt, vniuersa munia patriæ implere præcipimus: sed à curia omni præstanda vindicta huius facinoris tuæ sublimitati permissa, &c. Dat. III. Non. Octob. Constantinop. DN. Theod. A. VII. & Palladio V. C. COSS.

XVI. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Hierio PF.P.

Ciuitatium postulata, decreta vrbium, desideria populorum liquidò tua sublimitas recognoscit ad imperialis officium pertinuisse responsi, admissósque sacrariis nostris semper sui imperatoris aspectu decoratos esse, legatos dixisse liberè quæ illorum fuerant à communi fidei, constantiæque commissa.

Dat. Kal. Iun. Nicomediæ, DD. NN. Theod. XII. & Valentiniano II. AA. COSS.

De auro coronario. *Tit.* XIII.

I. Imp. Iulianus A. ad Salluſtium PF. P.

AVrum coronarium munus eſt voluntatis quod non ſolùm Senatoribus, ſed ne aliis quidem debet indici: licet quædam indictionũ neceſſitas poſtulauerit, ſed noſtro arbitrio reſeruari oportebit. Dat. III. Kal. MaI, Mamertino & Neuitta COSS.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Mamertinum PF. P.

Vniuerſi quos Senatorij nominis dignitas non tuetur, ad auri coronarij præſtationem vocentur, exceptis his quos lex præterita ab hac conlatione abſoluit. Omnes igitur poſſeſſores, aut inter decuriones coronarium aurum, aut inter Senatores glebalem præſtationem deinceps recognoſcant. Dat. v. Kal. Septemb. Emonæ, diuo Iouiano & Varroniano VV. CC. COSS.

III. Idem AA. ad Probum PF. P.

Nullus (exceptis curialibus quos pro ſubſtantia ſui aurum coronarium offerre conuenit) ad oblationem hanc adtinatur. Dat. VIIII. Kal. Iul. Sabariæ, Valentiniano & Valente AA. COSS.

IIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius AAA. Pancratio P. V.

Quæ diuerſarum ordines curiarum, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus proſperè geſtis admoniti in coronis aureis ſignísque diuerſis obtulerint, in quacumque fuerint oblata materia, in ea ſuſcipiantur: ne id quod voluntate offertur, occaſione obryzæ incrementi neceſſitatis iniuria inſequatur. Dat. IIII. Id. Aug. vico Auguſti, Auxonio & Olybrio COSS.

V. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Ad conlationem auri coronarij placuit neminem abſque conſuetudine eſſe cogendum. Dat. XV. Kalend. Febr. Conſtp. Richomere & Clearcho COSS.

VI. Idem AAA. Gaddanæ Satrapæ Soſanenæ.

Aurum coronarium his reddi reſtituíque decernimus quibus inlicitè videtur ablatum, vt ſecundum conſuetudinem moris antiqui, omnes Satrapę pro deuotione quæ Romano debetur imperio, coronã ex propriis facultatib' faciant ſerenitati noſtrę ſollemniter offerendam. Dat. XVIII. Kal. Iul. Conſtantinop. Valentiniano A. III. & Eutropio COSS.

De Hirenarchis. *Tit.* XIIII.

I. Impp. Honorius & Theod. AA. Anthemio PF. P.

HIrenarcharum vocabula quæ adſimulata prouincialium tutela quietis ac pacis per ſingula territoria haud ſinunt ſtari concordiam, radicitus amputanda ſunt. ceſſet igitur genus pernicioſum reipublicæ, ceſſet reſcribtorum Hirenarchas circiter inconuulſa ſimplicitas, & celſitudinis tuæ ſedes prouinciarum defendenda ſuſcipiat pacis huiuſmodi

huiusmodi locupletioribus commissura præsidia. Dat. VIII. Kal. Ian. Cōstantinop. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

De centurionibus. *Tit. XV.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Vincentio PF. P.

HAc auctoritate sancimus, vt quicumque centurionum corpus deseruit, nullis dignitatum priuilegiis excusatus debitum munus subire cogatur. Dat. Id. Septemb. Med. Theodoro V. C. CONS.

De mancipibus. *Tit. XVI.*

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Albino P. V. Rom.

QVicumque vel rescribti aduersus veteres sanctiones subreptiua defensione munitur, vel de minusculis corporibus, aut certè otiosis idoneus adprobatur, functioni mancipatus est addicendus. Dat. XVII. Kal. Septemb. Rom. Timasio & Promoto COSS.

De his qui numero liberorum, vel paupertate excusationem meruerint. *Tit. XVII.*

I. Imp. Constantinus A. Dalmatio.

QVoniam cognouimus nonnullos vacationem à nobis personalium munerum impetrasse, alienos pro suis liberis nostris conspectibus offerentes, iubemus eos, cùm hoc probatum sit, indulto beneficio priuari. Eos autem qui cuiuscúque sexus liberos quinque habeant, impetrata semel vacatione potiri: ita vt si in hoc numero filius legitimæ ætatis inueniatur, obeundis statim pro suo patre muneribus adplicetur: patribus qui filios vel filias quinque habuerint promissa legibus immunitate seruanda. Quòd si quis propter censum tenuem vacationem meruerit, atque hoc probauerit, beneficio potiatur, si propter rerum angustias ad personalia vocabatur obsequia. Dat. XIIII. Kal. Feb. Sirmio, Crispo III. & Constátino II. COSS.

Si curialis relicta ciuitate rus habitare maluerit. *Tit. XVIII.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Tatianum PF. Ægyp.

IVdiciario omnes vigore cōstringes, ne vacuatis vrbibus ad agros magis (quod frequenti lege prohibetur) larem curiales transferát familiarem. Data VI. Id. Maij, Marcianop. Lupicino & Iouino COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano PF. P. Post alia.

Curiales omnes iubemus interminatione moneri, ne ciuitates fugiant, aut deserant rus habitandi causa: fundum quem ciuitati prætulerint scientes fisco

esse sociandum, cóque rure esse carituros, cuius causa impios se vitando patriam demonstrarint. Dat. XVIII. Kal. Ian. Constantinop. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

De his qui condicionem propriam reliquerunt. Tit. XVIIII.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Vincentio PF. P. Gall.

DEstitutæ ministeriis ciuitates splendorem quo pridem nituerant, amiserunt. Plurimi siquidem collegiati cultum vrbium deserentes agrestem vitam secuti in secreta sese & deuia contulerunt, sed talia ingenia huiusmodi auctoritate destruimus, vt vbicúque terrarum repperti fuerint, ad officia sua sine vllius nisu exceptionis reuocentur. De eorum verò filiis qui tamen intra hos proximè quadraginta annos docebuntur fuisse suscepti, hæc forma seruabitur, vt inter ciuitatem & eos, quorum inquilinas, vel colonas, vel ancillas duxerint, diuidātur: ita vt in vlteriorem gradum missa successio nullam calumniam perhorrescat, &c. Dat. III. Kal. Iul. Med. Stilichone & Aureliano VV. CC. COSS.

II. Idem AA. Vincentio PF. P. Gall.

Actiones publicas priuatásque non eadem ratione concludimus. si quidem statui publico inpensiùs prouidendum est. Eum igitur qui curiæ, vel collegio, vel burgis ceterísque corporibus intra eádem prouinciam post triginta annos in alia quadraginta sine interpellatione seruierit, neque res dominica, neque actio priuata cōtinget, si colonatus quis aut inquilinatus quæstionem mouere temptauerit, &c. Dat. III. Kal. Iul. Med. Stilichone, & Aureliano COSS.

III. Idem AA. Vincentio PF. P. Gall. Post alia.

Manente hoc præcepto mansuetudinis nostræ, vt is qui triginta annis docebitur functus officiis, neque vlla vmquam interpellatione pulsatus, intra eandem dumtaxat prouinciam, nihil calumniæ super statu suo à priuato neque à rei dominicæ actoribus pertimescat. Intra definiti temporis metas, si quis docebitur fuisse conuentus, iure legitimo in ordinaria sede pulsabitur, vt illic de statu eius sententia proferatur. Primates sanè ordinum defensorésque ciuitatum pœnæ denunciatione constringimus, ne passim vagari curiæ, vel collegij defugas in publica damna patiātur. Quòd si per gratiam tacuisse detegētur, pœnam relegationis excipiant. Dat. III. Kal. Iul. Med. Stilichone & Aureliano COSS.

CODICIS THEODOSIANI LIBER DECIMVSTERTIVS.

De lustrali conlatione. *Tit. I.*

I. Imp. Constantius A. & Iulianus Cæs. ad Taurum PF. P.

NEGOTIATORES omnes protinus conuenit aurum argentúmque præbere, clericos excipi tãtum, qui copiatæ appellantur, nec alium quenquam esse inmunem ab huius conlationis obsequio. Dat. IIII. Non. Decemb. Acc. Rom. VIII. Id. Feb. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

II. Idem A. & Cæs. ad Taurum PF. P.

Præter eos quos manifesta probatio demonstrat sub armis militię sacramẽta tolerasse, quósque cùm requiem sortirentur, in pecuniarum certo numero inmunitatem claruerit cõsecutos, vniuersi qui negotiandi videntur exercere solertiam, ad onus conlationis adstringantur. Acc. VI. Id. Iul. Karthagine, Cõstantio A. X. & Iuliano Cæs. III. COSS.

III. Idem A. ad Senatum.

Rusticanos colonósque vestros inter negotiatores describi nõ oportet, scilicet si nequaquam exercẽt negotiationis industriam. Si quidem in eo negotiationem & mercimonia nõ oporteat æstimari, si ea homines vestri ac rusticani etiam in vestris possessionibus commorantes distrahãt, quæ in his terris, quas incolunt, adque in eodem rure gignuntur. Dat. V. Non. Maij, Tauro & Florentio COSS.

IIII. Imp. Iulianus A. Secundo PF. P. Post alia.

Decuriones qui vt Christiani declinant munia, reuocentur: & ab auri adque argenti præstatione, quod negotiatoribus indicitur curię, inmunes sint. Nisi fortè decurionem aliquid mercari constiterit: ita vt ordines ciuitatum ex huiusmodi reliquis sarcinarum (vt iam diximus) amoueantur. PP. III. Id. Mart. Cõstantinop. Mamertino, & Neuitta COSS.

V. Impp. Valentinianus & Valens AA. Secundo PF. P.

Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent (si modò mercandi videantur exercere sollertiam) & Christianos quibus si verus est cultus, adiuuare pauperes & positos in necessitatibus volunt potiorũ quoque homines vel potiores, si possis tamẽ his mercandi cura est, ad necessitatem pẽsitationis adhibeas, prętertim cùm potiorum quisque, aut miscere se negotiationi nõ debeat, aut pensitationem debeat, quod honestas postulat, primus agnoscere. Dat. XV. Kal. Maij, Constantinop. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VI. Idem AA. ad Florentium Com. S.L.

Aurum mercatoribus adque argentum, quo erogatio publica iubetur, indiximus. Igitur exceptione inmunitatis nullus vtetur. Omnium enim regionum huiusmodi homines omnium dignitatum, hanc virilem iuuandæ reipublicæ partem sine aliqua priuilegij venia iussimus sustinere. Exceptio autem eos tantummodo in hac communi ferè sorte defendet, qui proprio iure per se aut homines suos, qui euidentissimè cognoscuntur negotiantes, non tam mercatorum loco haberi debent, quàm sollertium strenuorúmque dominorum. Dat. VI. Id. Sept. diuo Iou. & Varroniano coss.

VII. Idem AA. ad Probum PF. P.

Qui in sudore bellandi stipendiorum gradus vsque ad protectores meruerunt, vnius vaginæ pretium, etiam si aliis mercimoniis studere videantur. Si quid autem supra hunc modum in mercimonij commutatione habeant, pro eo quod amplius potuerit inueniri, ad necessitatem conlationis artentur. Omnes verò omnino qui alterius nomine dignitatis, emeritæque militiæ honore cumulati sunt, etsi per homines suos id exercent, ad oblationis obsequia adstringantur. PP. Karthagine, Kal. April. Valentiniano NB. P. & Victore coss.

VII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Claudium Proc. Afric.

Hi tantùm ad auri argentíque detineantur oblationem, qui merces emendo adque vendendo commutantes, qui in exercitio tabernarũ vsúque versantur: non etiam coloni rei nostræ, qui ea distrahunt, quæ in dominicis possessionibus annus tulerit. Dat. VI. Kal. Maij, Triueris, Valentiniano & Valente III. AA. coss.

IX. Idem AAA. ad Leontium Cons. Fœnicis.

Omnes iam nunc studio negotiationis intenti, seu conchylioleguli, seu ex aliquolibet corpore mercatores ad pensitationem auri quod negotiatoribus indicitur, conpellãtur. Beneficium enim quibusdam datum plebis iniuria est. PP. Byrito, prid. Kal. Iul. Modesto & Arintheo coss.

X. Imppp. Valentinianus, Gratianus & Valens AAA. ad Italicum Vic. Italiæ.

Colonos rei priuatæ, vel ceteros rusticanos pro speciebus quæ in eorum agris gigni solent, inquietari non oportet. Eos etiam qui manu victum rimantur, aut tolerant, figulos videlicet, aut fabros, alienos esse à præstationis molestia discernimus: vt hi tantùm qui pro mercimonio & substantiæ mercede ex rusticana plebe inter negotiatores sunt, sortem negotiationis agnoscant quos in exercendis agris ingenium iampridem studium non retinet, sed mercandis distrahendisque rebus institutum vitæ & voluntatis inplicuit. Dat. Non. Feb. Med. Gratiano III. & Equitio v.c. coss.

XI. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Hesperium PF. P.

Etsi omnes mercatores spectat lustralis auri depensio, clerici tamen intra Illyricum & Italiam in denis solidis, intra Gallias in quinis denis solidis inmunem vsum conuersationis exerceant. Quidquid autem supra hunc modum negotiationis

negotiationis versabitur, id oportet ad functionem aurariam deuocari. Dat. III. Non. Iul. Aquileiæ, Auxonio & Olybrio coss.

XII. Idem AAA. ad Atticum PF. P.

Nemo negotiator muneribus publicis eximatur exceptis his dumtaxat qui innocenti industria fructus domesticos suis possessionibus innatos simpliciter vendũt: officiis & exactoribus pro his negotiatoribus adtinendis quos excusatos subtractósve esse constiterit, in duplã quantitatẽ eius summæ, quam illi inferre debuerant. Dat. III. Id. Mar. Med. Richomere & Clearcho coss.

XIII. Idem AAA. Habe Postumiane K. NB.

Singuli quique si per eos vernacula quæque vendantur, functione auraria non teneantur: si verò emendi vendendíve conpendiis vltro citróque quæsitis familiaris rei amplitudo cumuletur (etsi militares sint) memoratæ prestationi nectantur. Dat. VII. Id. Nouemb. Richomere & Clearcho coss.

INTERPRETATIO. *Si quicunque rem quæ ei nata est, aut quam non emit vendat, ad solutionem aurariam minime teneatur. Si verò emendi vendendíque studio probabitur huc illúcque discurrere, etiamsi militans est, ad solutionem teneatur aurariam.*

XIIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Principium PF. P.

Eos quos peractæ militiæ labor decurso stipẽdiorum ordine, vel protectoris honore cumulauit, vel honestę, vel causariæ missionis necessitate donauit, quindecim solidorum in mercimoniis omnibus inmunitatem habere iubemus: agnituros publicum munus, si vltra præstitutum legis nostræ modum emendis vẽdendísque rebus laxiore sumptu operam voluerint commodare. Dat. Prid. Non. Nou. Veronæ, Arcadio A. I. & Bautone coss.

XV. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Si quis potentior negotiatorem quempiam, quominus aurum debitum inferat contra fisci nostri commoditates putauerit defendendum, ipse defensor negotiatoris adscribtam ei, quem defenderit, summam cogatur expendere. Dat. XVIII. Kal. Maij, Constantin. Hon. NB. P. & Euodio coss.

XVI. Impp. Arcad. & Hon. AA. Clearcho P. V.

Omnes corporatos de quibus orta querimonia est, quàm maturissimè precipimus conueniri, vt aut commoda negotiatorum sequentes à clericorum excusatione discedant, aut sacratissimo numini seruientes versutis quæstibus intuitu tuæ sinceritatis abstineant. Distincta enim stipendia sunt religionis & calliditatis. Dat. VIII. Id. Maij, Constp. Theodoro V. C. CONS.

XVII. Idem AA. Ianuarino. Cons. Numidiæ.

A negotiatoribus aurum lustrale dependi non ignoramus: & cùm ad eos soleat distributionis cura recurrere, quos necessitas cõlationis adstringit, non conuenit municipes hoc onere subiacere. Sciant igitur de corpore suo sicut in omnibus ferè ciuitatibus mancipes eligere, absque vlla ærarij nostri deminutione, à curialibus alienæ functionis distributione reiecta. Dat. prid. Non. Iun. Med. Theodoro V. C. CONS.

XVIII. Idem AA. Pompeiano Proc. Afric.

Omnes negotiatores lustralem conferre conuenit pẽsionem. Non solùm igitur hi qui probantur in territoriis siue in ciuitatibus exercere commercia, subcumbant aurariæ functioni, verùm etiam qui studentes fænori, crescẽtis

in dies singulos pecuniæ accessione lætantur. Dat.prid.Kalend.Iul.Med.Stilichone & Aureliano CONS.

XIX. Idem AA. Septimio Proc.Afric.

Omnes deuotionem aurariæ functionis agnoscant quos diuersi mercimonij cura constringit:ita vt quibus negotiandi sollicitudo est, ad solutionem teneantur. Dat.VII.Kal.April.Rau.DN.Theod.A.I.& Rumorido COSS.

XX. Impp.Honor.& Theod.AA.Anthemio PF.P.

Functiones quas conferentium frequentia extenuata debilitat,ad stabilitatem reuocandæ sunt:vt quod simul & sub vna conuentione petebatur, sub parua ac minima contributione, absque consensu conferentium,præbeatur. Hoc inlustralis auri conlatione in perpetuum decernimus obseruari, illud videlicet præcauentes, ne quis à nostra clementia vectigal huiusmodi audeat postulare. Dat.VIII.Kal.Iun.Varane v.c. CONS.

XXI. Idem AA.Monachio PF.P.

Nemo mercator, vel possessor rerum, quæ lustralis auri conlatione tenentur obnoxiæ, patrociniorum fiducia, vel nomine cuiuslibet altissimæ dignitatis, à prædicta se functione æstimet subtrahendum: nec si ad domum dominæ ac venerabilis Augustæ Pulcheriæ germanæ nostræ, seu nobilissimarum sororum pietatis nostræ pertineat. Dat.XII.Kalend.Sept.Hon.XII.& Theodosio VIII.AA.COSS.

De *argenti pretio quod thensauris infertur.* *Tit. II.*

I. Impp.Arcad.& Honor.AA.Eutychiano PF.P.

IVbemus,vt pro argenti summa quam quis thensauris fuerat inlaturus, inferendi auri accipiat facultatem: ita vt pro singulis libris argenti quinos solidos inferat. Dat.XI.Kal.Mart.Constantinop.Cæsario & Attico COSS.

De *medicis & professoribus.* *Tit. III.*

I. Imp.Constantinus A.ad Volusianum.

MEdicos, grammaticos & professores alios litterarũ INMUNES esse, cum rebus quas in ciuitatibus suis possident,pręcipimus:& honoribus fungi: in ius etiã vocari eos, vel pati iniuriam prohibemus: ita vt si quis eos vexauerit, centum milia nummorum ærario inferat à magistratibus,vel quinquennalibus exactus,ne ipsi hanc pœnam sustineant. Seruus eis si iniuriam fecerit, flagellis debeat à suo domino verberari, coram eo cui fecerit iniuriam: vel si dominus consensit, viginti milia nummorum fisco inferat, seruo pro pignore, donec summa hæc exsoluitur, retinendo.Mercedes etiam eorum & salaria reddi pręcipimus. Quoniam grauissimis dignitatibus,vel parẽtes,vel domini, vel tutores esse non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus,inuitos non cogimus.PP.Kal.Aug.Sirmio Crispo & Constantino Cęs. COSS.

II. Idem A.ad Rufinum PF.P.

Archiatri omnes & exarchiatris ab vniuersis muneribus curialium,Senatorum & Comitum, perfectissimorúmque muneribus & obsequiis quæ administratione perfunctis sępe mandantur:à pręstationibus quoque publicis liberi INMUNÉSQUE permaneant, nec ad vllam auri & argenti & equorum præstationem

ſtationem vocentur, quæ fortè prędictis ordinibus aut dignitatibus adſcribuntur. Huius autem indulgentiam ſanctionis ad filios quoque eorum ſtatuimus peruenire. Dat.XII.Kal.Iun.Conſtantino A.VII.& Conſtantio Cæſ. COSS.

III. Idem A.ad Populum.

Beneficia diuorum retrò principum confirmantes, medicos, & profeſſores litterarum, vxores etiam & filios eorum ab omni functione & ab omnibus muneribus publicis vacare pręcipimus, nec ad militiam comprehendi, neque hoſpites recipere, nec vllo fungi munere, quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant. PP.V.Kalend.Octob.Conſtp.Dalmatio & Zenophilo COSS.

IIII. Imp. Iulianus A. ad Archiatros.

Ratio æquitatis expoſcit, vt veterum priuilegia principum circa vos cenſeamus eſſe firmanda. Proinde noſtræ manſuetudinis ſanctione ſubnixi ſecuri à moleſtiis munerum omnium publicorum reliquum tempus ætatis iugiter agitabitis. Dat.IIII.Id.Maij, Conſtp.Mamertino & Neuitta COSS.

V. Idem A.

Magiſtros ſtudiorum doctoréſque excellere oportet moribus primùm, deinde facundia. Sed quia ſingulis ciuitatibus adeſſe ipſe non poſſum, iubeo quiſque docere vult, non repentè nec temerè proſiliat ad hoc munus, ſed iudicio ordinis probatus decretum curialium mereatur, optimorum conſpirante conſenſu. hoc enim decretum ad me tractandum referetur, vt altiore quodam honore noſtro iudicio ſtudiis ciuitatum accedat. Dat.XV.Kalend. Iul.Acc.IIII.Kal.Aug.Spoletio, Mamertino & Neuitta COSS.

VI. Impp. Valentinianus & Valens AA.ad Mamertinum PF.P.

Si qui erudiendis adoleſcentibus vita pariter & facundia idoneus erit, vel nouum inſtituat auditorium, vel repetat intermiſſum. Dat.III.Id.Ian. Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

VII. Idem AA. ad Probum PF.P.

Reddatur vnuſquiſque patriæ ſuæ, qui habitum philoſophiæ indebitè & inſolenter vſurpare cognoſcitur: exceptis his qui à probatiſſimis adprobari ab hac debent conluuione ſecerni. Turpe enim eſt, vt patriæ functiones ferre non poſſit qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitetur. Dat.XIIII.Kalend.Feb. Sirmio, Valentiniano NB.P.& Victore COSS.

VIII. Idem AA.ad Prætextatum P.V.

Exceptis portus Syxti virginúmque veſtalium, quot regiones vrbis ſunt, totidem conſtituantur archiatri, qui ſcientes annonaria ſibi commoda à populi commodis honeſtè obſequi tenuioribus malint, quàm turpiter ſeruire diuitibus. Quos etiã ea patimur accipere, quæ ſani offerũt pro obſequiis, non ea quæ periclitantes pro ſalute promittunt. Quòd ſi huic archiatrorum numero aliquem aut condicio fatalis, aut aliqua fortuna decerpſerit, in eius locum non patrocinio prępotentium, non gratia iudicantis alius ſubrogetur, ſed horum omnium fideli circumſpectóque dilectu, qui & ipſorum conſortio & archiatriæ ipſius dignitate, & noſtro iudicio dignus habeatur: de cuius nomine referri ad nos protinus oportebit. Dat.III.Kal.Feb.Triu.Valentiniano & Valente III.AA.COSS.

IX. Idem AA. ad Olybrium P.V.

Si qui in archiatri defuncti est locum promotionis meritis adgregandus, non antè eorum particeps fiat, quàm primis qui in ordine repperientur, septem, vel eo amplius iudicâtibus idoneus adprobetur: ita vt quicumque fuerit admissus, non ad priorum numerum statim veniat, sed eum ordinem consequatur, qui ceteris ad priora subuectis, vltimus poterit inueniri: hísque annonarum compendia quę eorum sunt meritis dignitatíque pręstanda, tua sinceritas iuxta dispositionem priùs habitam faciat ministrari. Dat. VI. Id. Mar. Valentiniano & Valente III. AA. COSS.

X. Idem AAA. ad Principium P.V.

Medicis & magistris vrbis Romę sciant omnes inmunitatem esse concessam: ita vt etiam vxores eorum ab omni inquietudine tribuantur inmunes & à ceteris oneribus publicis vacent: eosdémque ad militiam minimè conprehendi placeat: Sed nec hospites militares recipiant. Dat. III. Kal. Maij, Valentiniano & Valente III. AA. COSS.

XI. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. Antonio PF. P. Galliarum.

Per omnem diœcesim commissam magnificentiæ tuæ frequentissimis in ciuitatibus quæ pollent & eminent claritudine pręceptorum, opimi quíque erudiendæ pręsideant iuuentuti. Rhetores loquimur & grammaticos Atticæ Romanęque doctrinæ, quorum oratoribus viginti quatuor annonarũ è fisco emolumenta donentur, Grammaticis Latino vel Gręco duodecim annonarũ deductior paulò numerus ex more pręstetur, vt singulis vrbibus, quæ metropoleis nuncupantur, nobilium professorum electio celebretur. Nec verò iudicemus, liberũ vt sit cuique ciuitati suos doctores & magistros placito sibi iuuare compendio: Triuerorum vel clarissimę ciuitati vberius aliquid putauimus deferendum: Rhetori, vt triginta: item viginti Grammatico Latino, Gręco (etiam si qui dignus repperiri potuerit) duodecim prębeâtur annonæ. Dat. X. Kalend. Jun. Valente V. & Valentiniano AA. COSS.

XII. Idem AAA. Vindiciano.

Archiatrorum qui intra penetralia regalis aulæ totius vitæ probitate floruerunt, nulla dignitate sequatur expensa, neque eorum fatiget heredes. Ab his etiam qui comitiuæ honore donati sunt (vt consuetudo poscebat) sordidi muneris interpellatio conquiescat. Nam dilecti à patribus adque suscepti honoris ac muneris incrementa seruamus. Dat. XVIII. Kal. Octo. Triu. Auxonio & Olybrio COSS.

XIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Pinianum P.V.

Si quid impetratis subrepticiis in iudicio suo magnificentia tua ita viderit actitatum, vt his legibus quæ ad relationes promulgatę sunt, videatur aliquid inminutum, rescissis omnibus quæ per gratiam gesta videbuntur, eorum tenorem super archiatris ordinandis quæ à diuæ memoriæ patre nostro constituta sunt à nobis quoque cõfirmata ex huius auctoritate rescribti faciet omnifariam custodiri. Dat. XI. Kalend. Februar. Mediol. Valentiniano A. III. & Eutropio COSS.

XIIII.

XIIII. Idem A AA. Cynegio PF.P.

Ea quæ principes veteres archiatris sacri palatij salutaris ac necessariæ artis professoribus, sacro & mansuro in æternum iudicio detulerunt, & antiquorum contemplatione iussorum, & laborum pręsentium intuitu roborata in perpetuum manere pręcipimus: nec vlla cuiuspiam inprobitate conuelli. Dat. VI. Id. Mart. Constp. Valentiniano A. III. & Eutropio COSS.

XV. Idem AAA. Rufino PF.P.

Archiatrorum priuilegia quæ his vetustis sanctionibus adtributa sunt inlibata volumus permanere, ac tenere perpetem firmitatem. Hoc quoque addendum esse censuimus, vt qui egerunt administrationes, aut earum honore fungentur, vel dimissi è palatio testimonialium suffragio munientur, ad describtiones senatorias non vocentur, sed ab omnibus muniis absoluti, liberi adque securi dignitatis pręmiis perfruantur. Dat. VII. Kalend. Aug. Constp. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XVI. Impp. Honor. & Theod. AA. Monachio PF.P.

Grammaticos, oratores, adque philosophię pręceptores, necnon etiam medicos pręter hęc quæ retro latarum sanctionum auctoritate consecuti sunt priuilegia inmunitatésque, frui hac pręrogatiua pręcipimus, vt vniuersi qui in sacro palatio inter archiatros militarunt, cum comitiuam primi ordinis, vel secundi adepti fuerint, aut maioris gradum dignitatis ascenderint, nulla municipali, nulla curialium conlatione, nulla senatoria, vel glebali describtione vexentur: seu indepta administratione, seu accepta testimoniali, meruerint missionem sint ab omni functione omnibúsque muneribus publicis inmunes, nec eorum domus, vbicumque positæ militem, seu Iudicem suscipiant hospitandum. Quæ omnia filiis etiam eorum & coniugibus inlibata præcipimus custodiri, ita vt nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inuiti. Hæc autem & professoribus memoratis eorúmque liberis deferenda mandamus. Dat. Prid. Kal. Decemb. Constp. Constantio & Constante COSS.

XVII. Idem AA. Helioni Magistro Offic.

Artium liberalium professoribus ac pręcipuè medicis qui cum comitiuæ primi ordinis ac secundi militant dignitate, priuilegia & beneficia à retro principibus pręstita, necnon etiam noua ipsis eorúmque filiis clementia nostra detulit, vt cohęrens sanctio protestatur, quæ tenaciter obseruari oportet. Dat. prid. Kal. Dec. Const. Constantio & Constante COSS.

XVIII. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Helioni Magistro Offic.

Habente propriam firmitatem secundo nostræ maiestatis oraculo quod de excusandis, siue præbendis his quæ militantibus debentur, hospitiis, promulgatum est, illa quæ dudum circa archiatros & magistros sanximus litterarum, obseruentur. Hos enim pro necessariis artibus & liberalibus disciplinis hospitali molestia, quoad viuerent, liberari præcipimus. Inlibata ergo permaneant illa quæ quondam circa archiatros quos in palatio nostro primi vel secundi ordinis comites militasse constiterit, & circa liberalium litterarum magistros videntur à nobis iustissimè constituta. Dat. XIIII. Kalend. Septembr. Hierio & Ardabure COSS.

XVIIII. Idem AA. Proculo P.V.

Archiatrorum sacri palatij obsequia cogitantes, id præsenti sanctione decernimus, vt si qui ex his, aut primi ordinis adepti fuerint comitiuam, aut maioris gradum dignitatis ascenderint, secundum id quod eis dudum per sacras Constitutiones indultum est, à glebali conlatione specialiter INMUNES sint: non præiudicante eis nouella lege, per quam iussimus, exceptis quibusdam dignitatibus, quæ illic nominatæ sunt, senatoria munera omnes agnoscere. Dat. III. Id. Iul. Constp. Felice & Tauro COSS.

De excusationibus artificum. *Tit. IIII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Felicem.

ARchitectis quamplurimis opus est: sed quia non sunt, sublimitas tua in prouinciis Africanis ad hoc studium eos INPellat qui ad annos fermè duodeuiginti nati, liberales litteras degustauerint, quibus vt hoc gratum sit, tam ipsos quàm eorum parentes ab his quæ personis iniungi solent, volumus esse INMUNES, ipsisque qui discent, salarium CONpetens statui. PP. VI. Kal. Septemb. Karthag. Optato & Paulino COSS.

II. Idem A. ad Maximum.

Artifices artium breui subdito CONprehensarum per singulas ciuitates morantes, ab vniuersis muneribus vacare præcipimus. siquidem ediscendis artibus otium sit adcommodandum, quo magis cupiant & ipsi peritiores fieri & suos filios erudire. Dat. IIII. Non. Aug. Feliciano & Titiano COSS.

Architecti, laquearij, albarij, tignarij, medici, lapidarij, argentarij, structores, mulomedici, quadratarij, barbaricarij, scasores, pictores, sculptores, diatritarij, intestinarij, statuarij, musiuarij, ærarij, ferrarij, marmorarij, deauratores, fusores, blattiarij, tesselarij, aurifices, specularij, carpentarij, aquæ libratores, vitriarij, eburarij, fullones, figuli, plumbarij, pelliones.

III. Impp. Constantius, & Constans AA. ad Leontium PF. P.

Mechanicos & geometras & architectos qui diuisiones partium omnium, incisionésque seruant, mensurisque & institutis operam fabricationi stringunt, & eos qui aquarum inuentos ductus & modos docili libratione ostendunt, in par studium docendi adque discendi nostro sermone perpendimus. Itaque INMUNITATIBUS gaudeant & suscipiant docẽdos, qui docere sufficiunt. Dat. prid. Non. Iul. Leontio & Sallustio COSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Chilonem Vic. Africæ.

Picturæ professores, si modo ingenui sunt, placuit neque sui capitis censione, neque vxorum, aut etiam liberorum nomine tributis esse munificos: & ne seruos quidem barbaros in censuali adscribtione profiteri: ad negotiatorum quoque conlationem non deuocari, si modo ea in mercibus habeãt quæ sunt propria artis ipsorum: pergulas & officinas in locis publicis sine pensione optineant. Si tamen in his vsum propriæ artis exerceant, néve quemquam hospitem inuiti recipiãt, lege prescripsimus, néve pedaneorum Iudicum sint obnoxij potestati, arbitriúmque habeant consistendi in ciuitate, quam elegerint: néve ad prosecutiones equorum, vel ad præbendas operas deuocentur: néve à Iudicibus ad efficiendos sacros vultus, aut publicorum operum

expolitionem

expolitionem sine mercede cogantur. Quæ omnia sic concessimus, vt si quis circa eos statuta neglexerit, ea teneatur pœna qua sacrilegi cohercentur. Dat. XII. Kalend. Iul. Triu. Gratiano A. III. & Equitio COSS.

De nauicularijs. *Tit. V.*

I. Imp. Constantius A. ad Volusianum.

SI nauicularius originalis leuamentarius fuerit, nihilominus aput eosdem, aput quos & parentes eius fuisse videntur, firmiter permanebit. Dat. XIIII. Kalend. April. Volusiano & Anniano CONS.

II. Idem A. Amabiliano PF. Annon.

Nauicularios ad consortium pistorum vrbicorum nominatos, neque vlla hereditatis successione pistoribus obnoxios absolui ab hoc munere oportebit. Quòd si hereditario iure forsitan pistoribus teneantur, facultatem habeant, si forte maluerint ob vindicias, pistorum hereditates eidem corpori reddere, aut quibuscumque proximis defuncti cedere, vt ipsi à pistorum consortio liberentur. Quòd si hereditatem amplectantur, necesse est successionis ratione pistorij muneris societatem eos suscipere, & ex propriis facultatibus onera nauicularia sustinere V. C. PF. vrbi super hac re videlicet disceptante. Dat Kalend. Iun. Triu. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

III. Idem A. Ambiliano PF. Annonæ.

Si quis nauicularius per obreptionem, vel quacumque ratione INmunitatem INpetrauerit, ad excusationem eum admitti in † vllo modo volumus: sed & si quis patrimonium nauiculario muneri obnoxium possidet, licet altioris sit dignitatis, nihil ei honoris priuilegia in hac parte dumtaxat opitulentur. Sed siue pro solido, siue pro portione huic muneri teneantur. Nec enim æquum est, vt patrimonio huic functioni obnoxio excusato commune onus non omnes pro virili sustineant portione PP. V. Kalend. Iun. Constantinop. Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

† *ss. nullo*

IIII. Idem A. Helpidio.

Ex quocunque Hispaniæ litore portum vrbis Romæ nauicularij nauis intrauerit quæ onus dumtaxat fiscale subuexerit, eandem sine interpellatione cuiusquam abire præcipimus: nec vlli extraordinario oneri deseruire, vt facilius iniuncta sibi possit implere obsequia. Dat. VIII. Id. Mart. Thessalonicæ, Crispo II. & Constantino II. COSS.

V. Idem A. ad Ablauium PF. P.

Nauicularios omnes per orbem terrarum, per omne æuum ab omnibus oneribus & muneribus (cuiuscumque fuerint loci vel dignitatis) securos, vacuos immunésque esse præcipimus: siue decuriones sint, siue plebei, seu potioris alterius dignitatis, vt à conlationibus & omnibus oblationibus liberati, integris patrimoniis nauicularium munus exerceant. Naues quoque eorum (quantæcumque fuerint) ad aliud munus ipsis inuitis teneri non conuenit, ad quodcumque litus accesserint: litorum custodibus, & vectigalium præpositis, exactoribus, decurionibus adque Rationalibus, & Iudicibus scituris, quòd qui hanc legem violauerit, capite punietur. Dat. XIIII. Kalend. Octob. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

VI. Idem A. ad Felicem.

Commoda nobis visa est ea dispositio quæ expressè nauicularios in hunc ordinẽ formauit, vt non promiscuè, sed per vicissitudines ritè seruatas iuges cursus agnoscerent & exiguos implerent: quò ita leuamentis alternantis auxilij cunctorum fortunæ & tenuioribus † tum potissimum confirment, nec necessitas fieret aliquos semper longiora lustrare, ac plerisque obnoxios casibus fieri. Quòd ne vlteriùs possit accidere, labor omnibus par & iustus adiunctus sit, & subsidia pari ratione deferantur: nec tenuiores in querellas infructuosæ conplorationis incurrant PP. VII. Id. Septemb. Karthagine Optato & Paulino COSS.

† forte, tenuiorũ potissimũ cõfirmentur.

VII. Idem A. Nauiculariis Orientis.

Pro commoditate vrbis quam æterno nomine, iubente Deo, donauimus, hæc vobis priuilegia credidimus deferenda, vt nauicularij omnes à ciuilibus muneribus & oneribus & obsequiis habeantur INMUNES: & ne honores quidem ciuicos ex quibus aliquod incommodum sentiant, subire cogantur. Ab administratione etiam tutelæ, siue legitimæ, siue eius quam magistratus, aut prouinciæ Rectores iniungunt, habeantur INMUNES: & vacatione legis Iuliæ & Papiæ potiantur: vt etiam nullis interuenientibus lucris † & viri ex testamento vxorum solidum capiant, & ad vxores integra volũtas perueniat maritorum. De proprietate etiam vel hęreditate, vel qualibet alia ciuili causa pulsati, ne ex rescribto quidem nostro ad extraordinarium iudicium euocentur, sed agentibus in suo foro respondeant, & ad exemplum Alexandrini stoli quaternas in frumento centesimas consequantur: ac præterea per singula milia singulos solidos, vt his omnibus animati, & nihil pene de suis facultatibus expendentes, cura sua frequentent maritimos commeatus. Acc. Kalend. Decemb. Optato & Paulino COSS.

† sc. liberis

VIII. Idem A. ad Seuerum.

Nauicularios Hispaniarum neque ad extraordinaria teneri officia, neque alicubi retentos moras sustinere oportet, sed relatorias traditarum specierum intra decem dies à susceptoribus percipere. Cúmque ad aliquas insulas, portus, litora, stationes accesserint, ostensis relatoriis nullam prorsus inquietudinem sustinere. Dat. XIIII. Kal. Iun. Nepotiano & Facundo COSS.

VIIII. Impp. Constantius A. & Iulianus Cæs. Olybrio P.V.

Nullam vim oportet nauicularios sustinere, delegatas species annonarias transferentes, nec concussiones perpeti, nec aliquod genus incommodi, sed venientes ac remeantes omni securitate potiri: decem auri librarum multa proponenda his, qui eos inquietare temptauerint. Dat. Kal. Iun. Rom. Constantio VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

X. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Ampelium Proc. Africæ.

Nauicularios Africanos, qui idonea publicis dispositionibus ac necessitatibus ligna conuectant, priuilegiis cõcessis dudum rursus augemus. Dat. III. Id. Mart. Hadrianop. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

XI. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Quisquis ex nauiculariorum corpore defugiens solita munia ad honores indebitos venit, in corporis sui consortia reuertatur, &c. Dat. III. Id. Ian. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XII

XII. Idem AA. ad Demetrianum PF. Anti. Afric.

Si quis nauiculariorum ex nostræ perennitatis indulto fori translationem potuerit optinere, fructu careat impetrati. Circa feminarum verò personas veterum statuta teneatur: vt in quibus foris antiqua eas dispositione constet adscribtas, illic nauicularij oneris munus agnoscant. Vt enim in litibus caussisque priuatis fora easdem sequi conuenit maritorum, ita in publicis necessitatibus originis debent seruare rationem. Dat. prid. Id. Maij, Triu. Valentiniano NB. F. & Victore COSS.

XIII. Idem AA. ad Olybrium P.V.

Sicut enim de linteonibus & nauiculariis diuus Constantinus instituit, ita nunc ex omnibus sexaginta ad præsentis necessitatis teneatur inpensas. Quos tamen idoneos & communis dilectus adseruit, & facultatum inspectio conprobauit, & sententia tuæ sublimitatis adstrixit. Quibus si quem aut necessitas fatalis, aut inopia repentina, aut aliquis casus inuiderit, aut vocationibus obnoxiis oportebit idoneum subrogari: sed sollicita inspectione prospiciatur, ne à quoquam ampliùs postuletur, quàm necessitas exegit lauacrorum, vel instituta iamdudum forma præscribsit. Dat. IIII. Non. Decembr. Triu. Valentiniano NB. & Victore CONS.

XIIII. Imppp. Valētinianus, Valēs & Gratianus AAA. ad Modestū PF. P.

Iuxta eum tenorem quem à diuo principe Constantio data Musoniani clarissimæ memoriæ PF. P. executione constat esse roboratum, intra orientales prouincias nauiculariorum corpus impleri iubemus: ea videlicet statutorum ratione seruata, vt per eminentiam tuam numerus nauiculariorum designetur, tam intra Orientem, quàm intra Ægyptiacas partes, qui præsenti possit intētione compleri: excusandis videlicet pro denum milium modiorum luitione quinquagenis numero iugis in annonaria præstatione dumtaxat: ita vt vestes adque equi ceteræque canonicæ species ab indictione eadem non negatur. Ad conficienda verò conpetentia nauigia prouincialibus cunctis primitus materiæ postulentur, reparationē deinceps per singulos annos hisdem nauiculariis ex concessa iugorum inmunitate curaturis. Eorundem autem nauiculariorum ex fide nobis nomina, loca, substantiæ nuntientur breuibus duplici ratione conscriptis: quot videlicet de veteribus, quotque sint & quales recēti adsocietate delecti. His autem nauiculariis qui fuerint instituti seruari priuilegia Africana decernimus, ita vt facultatibus propriis per succedaneas hereditatum vices perpetuò sint obnoxij functioni. Et sunt corpora, de quibus nauicularij ex indictione quinta decima constituendi sunt, iuxta sacram iussionem. Ita ex administratoribus ceterisque honorariis viris: prēter eos qui intra palatium sacrum versati sunt, de cœtibus curialibus & de veteribus idoneis nauiculariis, & de ordine primipilario, & de senatoria dignitate: vt si qui voluerint, freti facultatibus consortio nauiculariorum congregentur. Dat. III. Id. Feb. Constantinop. Gratiano A. II. & Probo COSS.

XV. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Hesperium PF. P.

Quisquis nauiculariorum codicillis optauerit ornari, præbitioni equorum intellegat se esse subdēdum. Acc. XII. Kal. Aug. Constantinæ, Auxonio & Olybrio COSS.

XVI. Idem AAA. Corpori nauiculariorum.

Delatam vobis à diuo Constantino & Iuliano principibus æternis equestris ordinis dignitatem nos firmamus. Quòd cùm ita sit, si quis contra interdicta innumerabilium sanctionum corporali vos iniuria pulsare audeat, nisi qui digna expiatione est luiturus aurum INMANIS: apparitione quoque sua vltimo supplicio deputanda. Cuius monitio hanc debet sollicitudinem sustistinere, vt Iudices praua forsitan indignatione succensos ab inlicitis tempestiua suggestione deducat. Huic illuc additur, ne qui certum ordinem ex nostra definitione retinet, is vlli vos alteri hominum generi hærere vereamini, nec timeatis vos ciuitatium municipibus innecti. Ex nullo itaque nexu, nulla causa, nulla persona decurionum vos obsequia contingent: cùm præsertim priscis Constitutionibus (quarum series orationis paginis antelata est) magis illud inualuisse perhibeatis, vt plerumque & ordinarios curiales nauiculariorum sibi necessitas vindicaret. Quòd verò ad negotiationis commodum aduehendásque merces spectat, ac respicit, in eo solers cura competentium Iudicum prouidebit, vt optentu nominis vestri non passim ac sine consideratione negotiatorum lateat INMUNITAS, nec ipsi dudum delati beneficij priuilegiis fructúque fraudemini. Dat. VIII. Id. Februar. Triu. Gratiano V. & Theod. I. AA. COSS.

XVII. Idem AAA. ad Principium PF. P.

Omnes nauicularij per omne æuum ab omnibus oneribus & muneribus & conlationibus, & oblationibus fubleu ētur, cuiuscumque loci fuerint, vel dignitatis. Et quicumque contra istam fecerit legem, seu custos litorum, seu vectigalium præpositus, seu exactor, vel decurio, seu Rationalis, vel Iudex cuiuscumque prouinciæ exhibitus, sublatis vniuersis facultatibus suis, capitali sentētiæ subiugetur. Dat. XII. Kal. Maij, Aquil. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

XVIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA.
Alexandro PF. Augustali.

Iudæorum corpus ac Samaritanorum ad nauiculariam functionem non iure vocari cognoscitur. Quidquid enim vniuerso corpori videtur indici, nullam specialiter potest obligare personam. Vnde sicut inopes villibúsque commerciis occupati nauiculariæ translationis munus obire non debent, ita idoneos facultatibus qui ex his corporibus deligi poterunt, ad prædictā functionem haberi non oportet INMUNES. Dat. XII. Kalend. Mart. Constantinop. Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

XVIIII. Idem AAA. Tatiano PF. P.

Quæ de nauiculariis & curialibus ordinasti, maneant inlibata atque perpetua. Sint perpetuò nauicularij: quia qui meritò esse debeant prouidisti. Ac si, cùm obierint subolem non relinquent, quísque ille in eorum facultatibus qualibet ratione successerit, auctoris sui munus agnoscet, manebit verò in ordine curiali, & ei filius in officium curiale succedat. nihil hic subripiendum decerpet. ambitio ipsa denique, si quoquo modo annotatio elicita fuerit, excludatur. Dat. VI. Septemb. Veronæ Valētiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

XX. Idem AAA. Hypatio PF. Augustali.

Eum qui Agentum in rebus militiam adeptus est, certis & debitis (eatenus nauiculariæ inquietudinis suspicione submota) frui priuilegiis non vetamus, si nec

si nec genere nauiculariorum corpori cohæret, nec nauarchiæ obnoxias functioni retinet facultates. Dat. prid. Id. April. Constantinop. Arcadio II. & Rufino coss.

XXI. Idem AAA. Apodemio PF. P. Illyrici & Afric.

Vnusquisque nauicularius nouerit intra biennium aut securitatem suscepti oneris reportandam, aut periculorum adprobandam esse fortunam. Dat. XV. Kalend. Mart. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino coss.

XXII. Idem AAA. Rufino PF. P.

Nauiculariorum vires, ac debitas huic necessitati origines in ipsis prouinciis honoratorum fides lecta pensabit, mansurúmque aliquid definiet, vel reuocãdo excusatos, vel debitos obligando, quos compositis omnibus ad nos referre necesse est: scituros à nobis de suo iudicio iudicandum. Dat. III. Non. Septemb. Constp. Theod. A. III. & Abundantio coss.

XXIII. Idem AAA. Rufino PF. P.

Solos nauicularios à vectigali pręstatione INmunes esse pręcipimus. Omnes verò mercatores teneri ad supradictam pręstationem in soluendis vectigalibus absque aliqua exceptione decernimus. Dat. III. Id. Decemb. Theod. A. III. & Abundantio coss.

XXIIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Prouincialibus Afric.

Ne qua causatio vectigalium nomine relinquatur, hoc obseruari decernimus, vt nulla omnino exactio nauiculariis ingeratur, cùm sibi rẽ gerere probabuntur: sed à pręstatione vectigalium habeantur INmunes. Dat. VII. Kal. Iun. Med. Olybrio & Probino coss.

XXV. Idem AA. Ennodio suo Sal.

De nauiculariis & curialibus aliquid sanxissemus, nisi diui patris nostri super his personis processisset auctoritas. Dat. VII. Kal. Ian. Med. Olybrio & Probino coss.

XXVI. Idem AA. Eusebio PF. P.

Comperimus nauicularios susceptas species in negotiationis emolumenta conuertere, eo quòd abutantur Constantinianæ legis indulto quæ his ex die susceptarum specierũ concluso biennio securitates reportare permisit. Quod nos quoque non prohibemus, sed tantùm sententiæ consultæ definitionis addimus: vt intra annum quas susceperint, inferant species, & eiusdem consulis securitates reportent, quæ etiam diem inlationis edoceant. Biennium autem propter aduersa hiemis & casus fortuitos in reportandis securitatibus non negamus, dummodo intra tempus superiùs designatum fides peracti constet officij, quod ad omnium notitiam volumus peruenire: vt cognoscãt transmissionem, vel traditionem intra annum susceptionis esse CONplectendam. Dat. X. Kal. Ian. Med. Arcad. III. & Honor. III. AA. coss.

XXVII. Idem AA. ad Senatum & Populum. Post alia.

Nauiculario tertiam vrbani canonis portionem inter prima nauigationis iubemus deferre exordia. Quorum classem in curiæ vetustatem CONlapsam prætoriana præfectura restituat, ita vt omnes qui prædia his obligata muneribus quibuslibet modis, vel contractibus impetrarunt, secundum possessionis modum ad commeandi vocentur officium, &c. Dat. XVII. Kalend. Maij, Med. Cæsario & Attico coss.

XXVIII. Idem AA. Messalæ PF.P. Post alia.

Prouideatur vt naues singuli quique nauiculariæ obnoxij functioni ad necessarium & constitutum modum exædificare cogantur: vt onera debita & iusta suscipiant. Qui scient se de propriis periclitaturos esse fortunis, nisi in his præparandis debitæ capacitatis summam modúmque seruauerint. Dat. XIIII. Kal. Mart. Med. Theodoro v.c. CONS.

XXVIIII. Idem AA. Flauiano P.V.

Depræhensæ fraudes iure puniuntur. Solidos itaque quos sublimitas tua eruere valuit, ab his qui in nauicularios prædas egerunt, volumus nauiculariorum commodis reseruari. Et ne simpli pœna in raptores constituta crescat audacia, in posterum sancimus, vt quicumque in rapinis fuerit depræhensus, in pœnam quadrupli teneatur. PP. Rom. in Foro Aproniani, VIIII. Kalend. Feb. Stilichone & Aureliano COSS.

XXX. Idem AA. Pompeiano Proc. Afric.

Venerandæ vrbis intuitu nauiculariis priuilegia certa delata sunt quæ quicumque temerare temptauerint, nostra auctoritate propositam multã lege, inferre cogantur. Dat. XVII. Kal. Iul. Med. Stilichone & Aureliano COSS.

XXXI. Idem AA. Hadriano PF.P.

Vniuersa quæ consultis nostris, vel decretis inlustris præfecturæ indulta sunt nauiculariis, si nulla melior vtiliórque sententia commutauit, vel auctoritas sanctionis infregit, firma seruari decernimus. Dat. XV. Kal. Septemb. Honorio A. VI. & Aristeneto COSS.

XXXII. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF.P.

Cùm nauarchorum cœtus circiter prouincias Orientis inopia nauium titubaret, & inuestigandæ classis obtentu insularum successus obiret, & nauigandi opportunitate transacta, iudiciorum indignatio sine transuectionis expectaretur effectu, meritò celsitudo tua, PF. Augustali & insularũ præside conuentis, Alexandrinæ & Carpathiæ classis summates, & nonnullos alios naucleros eò professionis adduxit, vt onus frumentarij commeatus qui per orientales nauarchos ex Alexandrinæ ciuitatis conditis censuerat ad sacratissimam vrbem transferri, in suam fidem susceptum, ad eadem augustissimæ vobis horrea comportaret, solatiis pro mercedula præstitis ex tributariç pensitationis inmunitate, vel ex eo quod vocatur filicon: necnõ etiam alios quæ tuæ cognitionis limauit examen: ita vt super naufragiorum quæ contigerint, casibus vsitato more habita quæstione, si qui calculus modiationis dicatur tempestate maris deperisse sub tuæ sedis auditione nequaquam feratur acceptus: sed hæc dispendij lacuna in omne nauiculariorum concilium, pro rata scilicet contingentis muneris, deferatur. Hæc igitur nostra lege firmamus. Dat. XIIII. Kal. Feb. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

XXXIII. Idem AA. Anthemio PF.P.

Qui fiscales species susceperit deportandas, si recta nauigatione contempta litora deuia sectatus, eas auertendo distraxerit, capitali pœna plectetur. Dat. XIIII. Kal. Aug. CP. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

XXXIIII. Idem AA. Faustino PF.P. Post alia.

Iudices qui in portubus diœceseos suæ onusta nauigia, cùm prosperior flatus inuitat, sub prætextu hiemis inmorari permiserint, vnà cum municipibus

&

& corporatis eiusdem loci fortunarum propriarum feriantur dispendiis. Nauicularij præterea pœnam deportationis excipiant, si aliquid fraudis eos admisisse fuerit reuelatum. Dat. XVIII. Kal. Sept. Rau. Varane v.c. CONS.

xxxv. Idem AA. Seleuco PF. P.

Vniuersos quos nauiculariæ condicioni obnoxios inuenit antiquitas, prædictę functioni conueniet famulari. Personas igitur memoratas & eorum heredes & prædia persequenda esse decernimus: vt canon sacratissimę vrbis, vel expeditionalium portuum necessitas impleatur. Dat. prid. Non. Mart. Rau. Honorio VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

xxxvi. Idem AA. Nauiculariis per Africam.

Tributa nauiculariis priuilegia hac interminatione firmamus, vt si quis cuiuslibet dignitatis Iudicum, vel militātum crediderit neglegēda, & aditus negauerit petitū à se tuitionis præsidiū, patrimonium suum nouerit istius functionis oneribus addicēdum, sine vlla spe veniæ, quam de nobis sub annotationis indulto meruerit. Illud etiam addimus, vt decem librarū auri multa tā nauiculariis, quam Iudicibus necnon Proconsuli & Vicario spectabilibus viris & v.c. PF. Annonę officiisque eorum proponatur, si vmquam ordine memorato, vel ipsi coegerint, vel sponte cupienti (quod non potest fieri) de centesimis suis auferri permiserint, vel de propria substantia quidquam sportulæ nomine cuiquam donare, vel offerre personæ: vt à singulis constitutum multæ pondus non ambigant exigendum. Accipientem quoque quadruplum fisco nostro iubem⁹ exsoluere, &c. Dat. XVI. Kal. April. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA COSS.

xxxvii. Idem AA. Nauiculariis per Africam. Post alia.

Si vlla dignitas, vel apparitio frumenti curam sustinens dirigendi, à nauiculario magistróve nauis aliquid accepisse detegitur, probato crimini pro motu Iudicis pœna non desit, &c. Dat. XVI. Kal. April. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

xxxviii. Idem AA. Albino P. V.

Dissimulationi & corruptelæ vrbani vel annonarij officij exquisitis remediis mansuetudo nostra prospexit: vt si quando nauicularius extra modum centesimarum diametrū incidisset, intra quinque dies, ex quo portum venerabilis vrbis esset ingressus, adhibitis tribus inlustribus viris Vrbana præfectura, præsente quoque Annonario cognitore, quid euenisset detrimēta inquireret: & quicunque in hac fraude fuisset inuentus, sub elogio, adiuncto idoneo executore mox ad Africam adque ad v.c. PF. Ann. iudicium deduceretur: soluturus instantia memorati, quidquid debere fuerit depręhensus. Hac itaque lege decernimus, vt si vltra diem præfinitum permiserit nauiculariū protelari, quinque libras auri se adque officium suum sciat ærario nostro debere inferre. Apparitionem quoque præfecturæ Vrbanæ multa trium librarum auri feriendā esse censuimus. PF. Annonæ duas libras auri sacris largitionibus inferre cogetur, nisi eius præcipuè instantia intra diem constitutum fuerit adcelerata cognitio. Huiusmodi igitur inquisitio etiam diebus feriatis & deuotionū, absque vlla obseruatione peragenda est. Dat. XV. Kal. Octob. Rau. Constantio & Constante COSS.

De prædiis Nauiculariorum. Tit. VI.

I. Imp. Constantius A. ad decretum Nauiculariorum.

ALienationes possessionum à Nauiculariis factas fugiendi muneris gratia præiudicare vobis non sinimus. Ideóque volumus. vt comparatores suprascribtarum possessionum interpellato PF. Annonæ ad id obsequium conpellantur, cui se obnoxios esse fecerunt. Dat. v. Kal. Nou. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. coss.

II. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P.V. Post alia.

Patrimonia Nauiculariorum quę quolibet genere in extraneorum dominia demigrarunt, in corporis sui ius proprietatémque remeent. Dat. III. Id. Iun. Med. Valentiniano & Valente AA. coss.

III. Idem AA. ad Musufilum Vic Afric.

Aduersus petitionem Nauiculariorum de suo iure certantium spatium non præscribat, annorum etiam illis adsertionibus remotis quibus nõnulli amplexantur, quæ diuorum principum consecuti fuere permissu. Sed & si est quidquam nauicularioiuri obnoxium quod domus nostræ proprietatem spectat, tolerare præcipimus Nauicularias functiones. Dat. Prid. Kal. Aug. Vangionibus, Valentin. & Val. AA. coss.

IIII. Idem AA. ad Dracontium Vic. Afric. Post alia.

Nauiculariæ facultates Nauiculario corpori reddantur, si bona ritè retinentes subire eorum onera nolint, quorum possessione fruuntur. Ceterùm si spõte cognoscunt Nauiculariam functionem sine exceptione potioris, vel cuiuscunque bona ad se trãsmissa sine inquietudine possideât: cùm pro rata ex parte debitis fungantur officiis, &c. Dat. IIII. Kal. Maij, Remis, Lupicino & Iouino coss.

V. Idem AA. ad Aurelianum PF. Ann.

Temporibus præscribtionem in vindicatione rerum ad Nauicularios pertinentium cognoscat tua grauitas esse succisam: domum etiam mansuetudinis nostræ in his quæ Nauiculario nomine obnoxia sunt, agnoscere præcipimus debitam functionem. Dat. III. Kal. Octob. Lupicino, & Iouino coss.

VI. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Prouinciales Afros.

Fundi omnes ad Nauiculariorum dominium pertinentes, & ad aliorũ iura translati fisco, vel reipublicæ, vel Nauiculario, vel quolibet alio distrahẽte siue donante, vel ad filios, vel propinquos, vel extraneos transferẽte, etsi ad nauicularios trãslati sint, reddantur: dominis actione in rem & persecutione cõcessa. Nisi maluerint hi ad quos res peruenerint, onus agnoscere cui erat ille obnoxius, cuius nomine vindicatio cõpetit, euectionis ac melioratæ rei perceptorúmque fructuum inspectione habita, &c. Dat. VII. Id. April. Triu. Modesto & Arintheo coss.

VII. Idem AA. Achiloni Proc. Afric.

In his quæ Nauicularij vendunt, quoniam intercipere contractum emendi vendendíque

vendendíque fas prohibet, emptor nauicularij functionem pro modo portionis comparatæ subeat. Res enim oneri addicta est, non persona mercantis. Neque Nauicularium ilico iubemus fieri eum qui aliquid comparauit, sed eam partem quæ empta est pro suo modo ac ratione esse munificam. Nec enim totum patrimonium ad functionem Nauicularij muneris occupandum erit, quod habuerit, qui rei exiguæ mercator accessit: sed illa portio quæ ab initio nauicularij fuit, ad pensionem huius functionis sola tenenda est, residuo patrimonio, quod ab hoc vinculo liberum est, otioso & inmuni seruando. Domos verò quarum cultu decus vrbium potiùs, quam fructus adquiritur, vbi à Nauiculariis veneunt, pro tanto modo ad hanc pensionem obligari placet, quantum habebant emolumentum, cùm pecuniam mutuarentur. Vbi verò spatia loci & exiguitas nullam habuit pensionem, aut extructio, cuius est ardua difficilísque molitio, aut decus sumptuosum, aut (vt est plerumque liberale institutum) habitationem quis suam ornamento vrbis adiecit, nolumus munificentiam, quæ postea addita est, inprobam licitationem æstimationis excipere, sed vetusta potiùs loci specie & pensio cogitetur quàm cultus hodiernus, qui per industriam hominis animosi accessit. Dat. III. Non. Aug. Post cons. Gratiani A. III. & Equitl v.c.

VIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Messalæ PF. P.

Hi qui fundos Nauiculariæ functioni adscribtos à Nauiculariis acceperunt, quolibet ad se titulo transeuntes, secundum agri opinionem quæ antiquitus habetur adscribta Nauiculariam functionem suscipere cogantur. Neque eas condiciones sibi æstiment profuturas, quas venditor minùs idoneus in se receperit inpositæ mentis arbitrio. Hac tamen ratione seruata, vt si ad minus idoneum fuerit translata possessio, etiam auctores transscribti prædij teneantur obnoxij: sitque hoc in promptu, vt damnis fiscalibus primitus ab idoneis consulatur, &c. Dat. XIIII. Kalend. Mart. Med. Theodoro v.c. COSS.

VIIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Sebastio Com.
Post alia.

Naualem hęresim in omnibus volumus custodiri, vt vsque ante viginti annos quæcunque possessiones subhastariç sorte distractæ sunt, & propter cõtractum publicum, nauali fuerant hæresi separatæ, si huic oneri ante eas subiacuisse constiterit, rursus ad debitam functionem teneantur obnoxiæ, &c. Dat. prid. Id. Maij, Rau. Honor. XI. & Constantio II. COSS.

X. Idem AA. Proculo PF. P.

Si quod prædium in quolibet Africani cespitis loco per quinquaginta annorũ curricula ad naualem functionem nulla sollicitudo reuocabit, nec pulsatum aliquãdo intra designatam annorum seriem super hac parte cõstiterit: ac prædictæ annositatis cursum sine vlla naualis hæresis cõuectione transcenderit, nullis patimur sollicitudinibus agitari. Illud quoque penitus abolẽdum esse censemus, vt quem nõ personæ alicuius super Nauicularia functione probamenta confutarant, nulla chartarum post quinquaginta annorum seriem molestia † re diuinu conueniat. Dat. XV. Kalend. Iun. Rau. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

† *rediuiua*

De nauibus non excusandis. *Tit. VII.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano PF. P.

CVnctis per Ægyptum intimetur, viginti librarum auri multæ esse subdendos eos qui naues suo nomine, vel defensione à transuectionibus publicis excusare temptauerint: publica iactura nauium quoque dominis feriendis, qui neglectis necessitatibus publicis, potiorum voluerunt patrociniis excusare. Dat. prid. Id. Mart. Cp. Theodoro v. c. CONS.

II. Idem AA. Longiniano PF. P.

Multi naues suas diuersorum nominibus & titulis tuentur. Cui fraudi obuiantes præcipimus, vt si quis ad euitationem publicæ necessitatis titulum crediderit adponendum, sciat nauem esse fisco sociandam. Nam vt priuatos quoque non prohibemus habere nauigia, ita fraudi locum esse non sinimus. Cùm omnes in commune (si necessitas exegerit) conueniat vtilitatibus publicis obedire, & subuectionem sine dignitatis priuilegio celebrare. Nisi igitur intra triginta dies hæc fraus fuerit remota, vniuersa nauigia quæ ad exceptiones confugiunt, dominis auferantur. Data III. Id. Ian. Rau. Arcad. A. VII. & Probo COSS.

Ne quid oneri publico inponatur. *Tit. VIII.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Rufino PF. P.

ONeri publico sarcinam priuatam ne quis inponat: nec audeat portitores frumenti ad suscipiendum onus aliqua necessitate conpellere. Hoc enim facto adque commisso, non in dispendium solum adque naufragij damnum tenebitur obligatus, verum etiam publicæ cohercitionis experietur vigorem. Dat. v. Id. Ian. Cōstantinop. Olybrio & Probino COSS.

De naufragiis. *Tit. VIIII.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Modestum PF. P.

SI quis nauicularius naufragium sustinuisse adfirmat, prouinciȩ Iudicem eius videlicet in qua res agitur, adire festinet, ac probet apud eum testibus euētum, relatióque ad sublimissimam referatur præfecturam, ita vt intra anni spatium veritate relata, remedium ex indulgentia consequatur. Quòd si per huiusmodi neglegentiam præfinitum anni spatium fortasse claudatur, superuacuas serásque actiones emenso anno placuit non admitti. Dat. PP. Bersti, Non. Iun. Modesto & Arinth. COSS.

II. Idem AAA. ad Demetrianum PF. Ann. Afric.

Si quando causatio est de impetu procellarum, medium ex his nautis numerum nauicularius exhibeat quęstioni quos eum in naui pro modo capacitatis constat habuisse, quò eorum tormentis plenior veritas possit inquiri. De casu

casu autem nauis quæ ad vrbem Romam directa fuerit, intra annum quidquid acciderit iudiciis publicetur. De his verò quæ ad portus expeditionales longius, vel Constantinopolim sint profectæ, intra biennium oblato prædicto numero nautarum, super fide casus examen agitetur. Addimus etiam, vti intra præfinitum tempus nulla fuerit delata querimonia omnis posthac deplorationum aditus obstruatur. Acc. Aquil. Lecta actis.

III. Imppp. Gratianus, Valentianus & Theod. AA. nauiculariis Afris Sal.

Quotiens obruta, vel submersa fluctibus naui examen adhibetur, PF. Ann. duorum vel trium quęstione destrictum purgandi in alios nautas licentia offeratur. Quid est enim quod non abunde intra præfinitum numerum sollers quæsitor inueniat circa magistros nauium, quibus est scientia plenior, INmoretur. Qui si fatali sorte defuerint, in alios inquisitio transferetur. Sanè si vniuersos violentia tempestatis obruerit, ne veritas lateat, sequimur Constantinianæ legis prouidam sanctionem: vt adfectionibus nauiculariorum intra iudicia constitutis super eorum quæratur interitu, quos nauicularius naufragio perisse contendit. Cuius rei examen placuit vnius lustri spatio terminari, vt omnis in posterum (vt à duarum semiscentesimarum quæ ex hibernis oneribus postulantur) à vobis petitio conquiescat. Placuit sanè vt Nouembri mense nauigatione subtracta Aprilis qui æstati est proximus, susceptionibus adplicetur. Cuius susceptionis necessitas ex Kal. Aprilib. in die Kal. Octob. mensura seruabitur. In diem verò Iduum earundem nauigatio porrigetur. Et quia ordinem vestrum ampliari etiam hominum adiectione gaudemus, quoscumque vacuos publico inuenerit officio in complexum vestri ordinis adplicate, dummodo is qui in municipalibus manet causis, nominatione ordinis non teneatur. Dat. VIII. Id. Feb. Triu. Gratiano vel Theod. I. AA. COSS.

IIII. Imppp. Valentinianns, Theod. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P.

Quæ in naufragiis pereunt, nolumus nobis cum possessoribus vel Senatoribus vel priuatis esse communia: si quidem naufragij detrimentum fiscus agnoscat quod interdum non grandis dispendij esse monstratur, si vexatam fluctibus nauem leuis iactura defendat, quam si pondere suo grauatam pelagi vnda submergat. Vbi verò non est testis periculi, restituantur damna naufragij, & dispendia prosecutoris fraudibus inferantur: vt ad eorum iniuriam retorqueatur, qui minus idoneos nominarunt, non ad eos redeant, quos semel constiterit fuisse deuotos. Dat. XV. Kal. Aug. Constp. Tatiano & Symmacho COSS.

V. Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Senatum & Populum. Post alia.

Nauicularios quos vis aduersa naufragij prohibuerit suscepta deferre, vel de oneribus prauitate submersis, vel de diametris aliisque iacturis quia excludere casus, & inclementem non possumus cohibere fortunam, PF. Annonæ & Vic. vrbis fidem probare gestorum congrua iudicatione compellant, moram

& neglegentiam punituri. Dat. XVII. Kalend. Maij, Mediol. Cæsario & Attico coss.

VI. Impp. Honor. & Theod. AA. Nauiculariis per Africam Post alia.

De submersis nauibus decernimus, vt leuato velo istæ causæ cognoscantur: & si quisquam de talibus negotiis aliquid accepisse detegitur, Iudex, apud quem constiterit his conquerentibus, qui nudantur, pro qualitatibus personarum multandi, remouendi, proscribendi habeat potestatem. Si verò causarum talium cognitores libelli aditione, vel plenaria interpellatione commoniti intra metas temporis constituti, hoc est, intra biennium causis talibus veteri lege præscribtum, has causas audire neglexerint, & legitimum tempus fuerit elabsum: præiudicium noceat eatenus cognitoris, vt nauiculario propter vitium Iudicis absoluto mediam oneris eius partem, propter cuius probandam amissionem legitimo dumtaxat tempore cognitio petebatur, Iudex cogatur inferre. Residuam verò officium eius exsoluat. Dat. XVII. Kalend. April. Rau. Honorio VIIII. & Theod. V. AA. coss.

De censu siue adscribtione. *Tit.* X.

I. Imp. Constantinus A. ad Populum.

QVoniam tabularij ciuitatum per conlusionem potentiorum sarcinam ad inferiores transferunt, iubemus, vt quisquis se grauatum probauerit, suam tantum pristinam professionem agnoscat, &c. PP. XV. Kal. Feb. Rom. Constantino A. IIII. & Licinio III. coss.

INTERPRETATIO. *Si tabularij, aut hij quibus exactionis libri traduntur, potentiores voluerint releuare, & quod releuauerint inferioribus addiderint, is qui grauatum se probauerit, non amplius dissoluat, quàm secundum censum se ostenderit suscepisse.*

II. Idem AA. ad Eusebium V. P. Præsidem Lyciæ & Pamfyliæ.

Plebs vrbana (sicut in orientalibus quoque prouinciis obseruatur) minimè in censibus pro capitatione sua conueniatur: sed iuxta hanc iussionem nostrã INmunis habeatur, sicuti etiam sub domino & parẽte nostro Diocletiano seniore A. eadem plebs vrbana INmunis fuerat. Dat. Kal. Iun. Constantino A. III. & Licinio III. coss.

III. Imp. Constantius A. ad Dulcitium Cons. Æmiliæ.

Si quis prædium vendere voluerit, vel donare, retinere sibi transferendos ad alia loca colonos priuata pactione non possit. Qui enim colonos vtiles credũt, aut cum prædiis eos tenere debent, aut profuturos aliis derelinquere, si ipsi sibi prædia prodesse desperant. Dat. III. Kal. Maij, Med. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. coss.

IIII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Viuentium PF. P. Galliarum.

In virginitate perpetua viuentes, & eam viduam, de qua ipsa maturitas pol-

pollicetur ætatis nulli iam eã esse nupturã, à plebeiæ capitationis iniuria vindicandas esse decernimus. Item pupillos in virili sexu vsque ad viginti annos ab istiusmodi functione inmunes esse debere. Mulieres autem donec virum vnaquæque sortitur. Dat. x. Kalend. Decemb. Valentiniano & Valente AA. COSS.

v. Idem AA. ad Florentium PF. P. Galliarum.

Si quis census inquisitione conpleta grauatum se esse credat, aput prouinciæ Iudicem pulset quem mauult, ex die clausi renuntiatique census spatia præstituta dinumerans: vt si necessitatibus publicis occupatus domesticis commodis defuit cùm census agitatus est, intra anniuersarij temporis curriculum fiducia competitionis adsistat. Si verò præsentem sciat se esse censitum, intra quinque menses, quibuscũque viribus fultus immineat, vltra non habeat huius vocis arbitrium. Dat. III. Non. Iun. Remis, Lupicino & Iouino COSS.

INTERPRETATIO. *Si aliquis in causa publica occupatus, cum descriptio agitaretur, per absentiam suam se esse grauatum queratur, intra anni spatium apud Iudicẽ loci querelas suas allegare debebit: nam si præsentem fuisse constat, non plus quàm quinque menses ad exequendas querelas suas nouerit sibi fuisse concessum, quibus transactis agendi copia denegetur.*

vi. Idem AA. & Gratianus A. ad Viuentium PF. P.

Nulla vidua, nemo pupillus ex vtroque sexu, donec eos ingrediatur annos, qui iam Tutoribus, Curatoribúsve publicis non egeant, exactionem plebis agnoscat. Simili autẽ deuotione habeantur inmunes, & si quæ se sacræ legis obsequio perpetuò dedicarunt. Dat. III. Kal. April. Triu. Valẽtiniano & Valente III. AA. COSS.

vii. Idem AAA. ad Modestum PF. P.

Sicubi subscriptorum modo sorte fatali moriẽtibus describto aliquid fuerit inminutum, contráque in vicina, vel contermina eius, vel in eodem, vel vbilibet similis substantia ratione nascendi vltra cõscribtorum numeris adcreuerit, modus censuum intráque seruetur: vt ex eo qui superest, ille qui defuerit suppleatur. Hoc autem vt ritè celebretur, auctoritas tua Iudicibus tantum, id est, Rectoribus prouinciarum permittat potestatem: ita vt idem, cũ querimonia defensorum, vel plebeiorum ad eos fuerit nuntiata, exhibitis partibus, secundum fidem rerum coràm cognoscant: ac stabilitatem census finita altercatione componãt, eos tantùm qui mortui videbuntur, ex adcrescentibus repleturis. Ceterum illos qui relictis censibus aufugerunt, ad excusationem pertinere non est æquum. quandoquidẽ eum qui videbitur aufugisse, constat esse reuocandum. Dat. XVII. Kal. Feb. Constp. Gratiano A. II. & Probo COSS.

viii. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Populum.

Nemo aliquid inmune possideat: sit inritũ, si quid domui nostrę tale concessimus. Exæquationes cẽsuum quas consensus prouinciarum, quas nostra responsa, quas cẽsorum, & peræquatorum officia, quas auctoritates denique ordinariorum & amplissimorum Iudicum necessaria emẽdatione, vel cõstitutione probauerãt, incõcussa æternitate permaneãt. Inmunitates verò spe-

O

cialiter datæ, iugatio vel capitatio libris publicis, & ciuitatū ac prouinciarum encautariis sine aliqua probatione factæ penes fruentes erepta in functionem pristinam redeat. His nostræ serenitatis edictis ciuitatum tabulariis erit flamma supplicium, si cuiusquam fraude, ambitu, potestate iniusta cuiuspiam profiteretur inmunitas: ac non secūdum præcedentem definitionem, omnes omnino abolita specialium inmunitatium gratia necessitas tributariæ functionis firmata cēsitorum, peræquatorum, prouincialium Iudicum peræquatione cōstrixerit. Dat. III. Non. Mart. Med. Merobaude II. & Saturnino coss.

De censitoribus, peræquatoribus, & inspectoribus. *Tit.* XI.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Eutropio PF. P

SI quis sacrilega vitem falce succiderit, aut feracium ramorū fetus hebetauerit, quo declinet fidē censuum, & mētiatur callidè paupertatis ingenium, mox detectus capitale subibit exitium: & bona eius in fisci iura migrabunt: illo videlicet vitante calumniam qui forte detegitur laborasse pro copia, ac reparandis agrorum fetibus non sterilitatem, aut inopiam procurasse. Dat. prid. Non. Iun. Constantinop. Eucherio, & Syagrio coss.

II. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Si peræquatore misso aliquis, aut procuratorem suum retraxerit, aut colonum ad contumaciam retractationis armauerit, ad eum censuum modum quem vel eo, vel procuratore illius ablēte peræquator adposuerit, ad nostræ sanctionis auctoritatē tenebitur. Dat. VI. Kal. April. Constantinop. Honor. NB. P. & Euodio coss.

III. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PF. P.

Qui fundum aliquem, velut afanticorum mole depressum, cupit aliquatenus releuari, omne nihilominus patrimonium suum admisso patiatur inspecto recenseri. Quod quidem etiam ad singularum ciuitatium legationes conuenit custodiri: vt scilicet omne territorium censeatur, quotiens defectorum leuamen exposcitur: vt squalidiora adque ieiuna inculta adque opima conpensent. Nemini autem citra nostram conscientiam in quantolibet modo tributariam suspendere liceat functionem. Quod enim ad tempus differri iubebit, aut perpetuò amittitur, aut sub acerbiore reliquorum mole repetendum est. Dat. III. Non. April. Constp. Theod. A. III. & Abundātio coss.

IIII. Idem. AAA. Rufino PF. P.

Qui grauatos se à peræquatoribus conquesti sunt & iniusto oneri inpares esse proclamant, conpetitionis habeāt facultatem, vt quid remissum gratia, quid interceptum fuerit fraude, conuincant: & ex eo leuamen accipiant quod per deformia & criminosa commercia sibi inpositum esse deplorāt, vt aliis demeretur. Sed in eo tēpus placuit definiri, ne plures frustra litibus premerentur,

merentur, si nullis intercepta metis actio tolleretur. Quare cum fuerint traditi codices & completa peræquatio, intra annum cui videbitur, de iniusto onere conqueratur, iniquitatem peræquatoris accuset, ac præstitam gratiam habita competitione conuincat. vt quod ei fuerat superfusum, ille cognoscat, quem debitæ functioni fraus clandestina subtraxerat. Emenso autem eo tempore actio denegabitur: sequestratis minoribus qui fuerint indefensi: his etiam qui aberunt causa reipublicæ, qui tamen ex eo tempore quæ sunt statuta custodient, ex quo ad agendum habere potuerint facultatem. Dat. III. Kalend. Decemb. Constp. DN. Theod. A. III. & Abundantio V.C. COSS.

V. Impp. Arcad. & Honor. AA. Herodi.

Actus stratoris qui possessores iuris ENphyteutici sub peræquationis colore turbauit, iubemus aboleri, alio ad id negotium dirigendo quem obseruari conueniet: vt pristinis dominis (si quidem idonei comprobantur) cuncta restituat. Nobis verò ad rethibenda omnia quæ per eum, vel suspensa, vel minuta, vel dilata sunt, strenuus† excator incumbat. Si quid etiam latioribus ac fecundioribus fundis addi in prestatione potest, tenax inquisitor incumbat. In omnibus verò subsignationem facultatium, quę in huiusmodi locationibus prima est quęrenda, suscipiat. Dat. XVI. Kal. Mart. Arcad. IIII. & Honorio III. AA. COSS.

† fo. exceptor.

VI. Idem AA. Hilariano.

Peræquationem omnibus necessariam esse non ignoramus. Ideóque præcipimus, vt nullus electus contra iudicium culminis tui rescribti se priuilegio alicuius auctoritate defendat: quoniam per cognitos, ac probatos viros CONpédia prouincialium Iudicum volumus ordinari. Dat. XIIII. Kal. April. Med. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

VII. Idem AA. Eusebio PF. P.

Peræquatores ac discussores, quorum nobis data sunt nomina, si incurrerint culpam neglegentiæ, vel gratiæ: non solum honorum iacturam, verum etiam annonarum in quadruplum multæ subire debebunt. Ea verò quæ in damnum prouincialium fuerint accepisse conuicti, in quadruplum cogentur exsoluere. Dat. IIII. Kalend. April. Med. Arcad. & Honorio III. AA. COSS.

VIII. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Qui per INpotentiam fundos opimos ac fertiles occuparunt, cum quæstuosis vberibúsque pro rata portione suscipiant infœcũdos. Quoniam itaque legati Hieropolitanæ ciuitatis succisos esse prosecuti sunt, huiusmodi possessionum retentatores cum opimis fundis & minus idoneos suscipiant: quò eiusmodi æqualitate seruata, & antedictæ curiæ vires possint in posterum respirare, & fisci indemnitas custodiri. Dat. Non. Mart. Constantinop. Honorio. A. IIII. & Eutychiano COSS.

VIIII. Idem AA. Messalæ PF. P.

Quoniam ex multis gentibus sequentes Romanam felicitatem se ad nostrũ imperium contulerunt, quibus terrę lætricę administrandæ sunt, nullus ex his agris aliquid, nisi ex nostra adnotatione mereatur. Et quoniam aliquanti aut

amplius quam meruerant occuparunt, aut conludio principalium, vel defensorum, vel subrepticiis rescribtis maiorem, quàm ratio poscebat, terrarũ modum sunt consecuti, inspector idoneus dirigatur qui ea reuocet, quę aut male sunt tradita, aut inprobè ab aliquibus occupata. Dat. Non. April. Med. Theodoro V.C. CONS.

x. Idem AA. Longiniano PF. P.

Per hoc quinquennium multos Comites ac peræquatores, necnon etiam discussores per diuersas prouincias constat esse directos, quos nihil profuisse vtilitatibus publicis cognouimus. Ideóque sublimitas tua eorum actus diligenti examinatione perpendat, & si quos neglegentes inuenerit iniuncta curasse, ablatis codicillis primitus & refusis faciet in duplum, quæ perceperunt emolumenta rethibere. Si quos verò rapacitate plectenda à prouincialibus aliquid abstulisse constiterit, direpta in quadruplum rethibere compellas. Dat. v. Id. Febr. Rauen. Arcad. A. VI. & Probo COSS.

xi. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

Cunctis per prouincias administratoribus nostra insinuetur præceptio, vt si quando è republica visum fuerit discussiones inspectionésque, aut aliquid simile agitari, ei iniungant qui vicarianæ potestati comitiuæ Orientis, aut Augustalitati parendo statuta peregit stipendia: ita vt si quis ex his quos palàm expressimus super hoc officij munere excusando nostrum impetrauit oraculum, aut post elicuerit, nequaquam id admittatur. His enim ita ritè digestis, & ab hominibus ignaris administrabuntur publica munia, & altiores adque inhabiles fortunæ homines incompetentia obsequia declinabunt. Dat. x. Kalend. Febr. Constantinop. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

xii. Idem AA. Ioann. PF. P.

Loca quæ præstationem suam implere non possunt, præcipimus adæquari, vt quid præstare possint, mera fide & integra veritate scribatur. id vero quod impossibile est, è vasariis publicis auferatur. Et primò quidem veteribus dominis adscribi prædia ipsa conueniet, quorum si personæ eorúmve heredes non potuerint repperiri, vicinos vel peregrinos volentes, modo vt sint idonei, dominos statuendos esse censemus. In tantum autem omnium animos beneficiis prouocamus, vt id quod defectæ possessioni inspectoris arbitrio adscribitur, biennij inmunitate releuetur, vt nec idonea prædia alterius glebæ sarcina in posterum prægrauentur. Dat. VIII. Id. Iun. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

xiii. Idem AA. Vrsacio Com. R. P.

Peræquationem Agapij in perpetuum manere censemus. Dat. IIII. Non. Iul. Rau. Theod. A. VII. & Palladio COSS.

xiiii. Idem AA. Sebastio Com. primi ordinis. Post alia.

Si qui aliarum possessionum dominus desertũ prædium suum inspici fortè voluerit, vniuersa loca quę possidet, etiamsi idonea sunt, peragrari patietur, vt sarcina destitutę possessionis inquãtum inspectio deprehẽderit, possit melioribus

ribus sociari, peræquatóque omni patrimonio, nihil de desertis postea conqueratur. Tantùm enim his prædiis aperta & absoluta leuamenta præstamus, quorum aut domini omnino non extant, aut paupertate mediocres ipsa tantum prædia habere monstrantur. Dat. prid. Id. Mart. Rau. Honorio A. XI. & Constantio II. COSS.

XV. Idem AA. Sebastio Com. primi ord.

Competitionis obreptione seclusa aput eum possessio firma permaneat, cui à peræquatore semel eam traditam fuisse constiterit. Reliqua verò temporis anteacti à nouo domino fiscum postulare non patimur: ne alterius culpa alter incipiat subiacere dispendio. Si quis verò priuatus aut obligatam sibi possessionem, quæ deserta hucusque permansit, aut ex aliquo titulo deberi sibi iure confirmat, allegationes suas sine mora, vel per se, vel per aliam personam legibus ordinatam aput spectabilitatem tuam publicare debebit: ita vt si æquitatis ratione suadente ad petitorem fuerit translata possessio, is qui eam à peræquatore susceperat, rei melioratæ receptis subleuetur expensis. Verùm ne sub specie litis dominationis semel constitutæ turbentur, duorum mensum spatium censemus debere seruari, intra quod is qui putat sibi rem probabili ratione competere, debitas exerat actiones. Quòd si tempus adscribtum silentio fuerit interueniente transactum, nullum penitus repetendi volumus esse principium. Quòd si quis eo tempore, quo peræquator prædium alicui addicit de suo iure vel per se, vel per homines suos non crediderit actitandum, duorum mensum curriculis euolutis in perpetuum conquiescat, &c. Dat. prid. Id. Mart. Rau. Honorio XI. & Constantio II. COSS.

XVI. Idem AA. Sebastio Com. primi ordinis.
Post alia.

Illa quæ ante viginti retrò annos speciali inpetratione diuersis petitionibus inspecta claruerit, ab spectabilitate tua conuenit iterare: quatenus aliorum cessante iudició intra prouinciam sibi commissam tuo omnia finiantur arbitrio. Eas quoque possessiones quæ ante vinginti similiter annos speciale beneficium de recisione meruerunt, studiosè peragrare debebis: vt vtrum veræ sint, postulata remedia, vel his aliquid deceat functionis adiungi, æstimatio fida demonstret, &c. Dat. prid. Id. Mart. Rau. Honor. A. XI. & Constantio II. COSS.

CODICIS THEODOSIANI LIBER DECIMVSQVARTVS.

De decuriis vrbis Romæ. *Tit. I.*

I. Imp. Constantius A. & Iulianus Cæs. ad Iulianum.

IN decuriarum ordine, nisi cui librariorum, vel fiscalium, siue censualium nomen est, nequaquam aliquis locum primi ordinis adipiscatur: nisi is quem cōstiterit studiorum liberalium vsu adque exercitatione pollere, & ita esse litteris expolitū, vt citra offensam vitij ex eodem verba procedāt. Quod cunctis volumus intimari. Ne autem litteraturæ (quæ omnium virtutum maxima est) præmia denegentur, eum qui studiis & eloquio dignus primo loco videbitur, honestiorem faciet nostra prouisio, sublimitate tua, vel eius nomina indicante, vt deliberemus, quæ in eum dignitas defendenda sit. Dat. VI. Kal. Mart. Constantinop. Acc. Id. Mai, Rom. Constantio VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

II. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcadius AAA. ad Salustium P. V.

Priuilegiorum antea decurialibus concessorum firmitatem mutare, nec volumus, nec debemus: quinimo ea quæ primitus statuta perdocētur, etiam nostræ mansuetudinis sanctione permaneāt. Dat. III. Id. Iun. Med. HONORIO NB. P. & Euodio COSS.

III. Idem AAA. Tryfolio PF. P.

Perire nolumus quod æternæ Vrbi cōstat fuisse concessum: vsque adeo priuilegia vetusta seruamus, vt noua (inquantum ratio permittit) beneficia præstare velimus. Vnde in defendendis decurialibus quos binos esse ex singulis quibusque vrbibus omnium prouinciarum veneranda decreuit antiquitas, id obseruare debebis, quod vel priscorum principum cōstitutis, vel nostris intellegis sanctionibus definitum. Si quis verò decurialem de auferēdis priuilegiis putauerit lite pulsandum, intellegat se decuriæ interpellare debere Iudicem. Dat. XIIII. Kal. Feb. Med. Timasio & Promoto COSS.

IIII. Imppp. Arcadius, Honorius & Theod. AAA. Exsuperantio Iulio & ceteris decurialibus.

Leges tam à superioribus principibus, quàm à Diuo patre nostro conditas nostra auctoritate firmamus. Singulos itaque Iudices scire volumus, ne quis huic collegio iniuriis corporalibus temptet notā adterere, neque ab his commodis

modis quæ rationibus adprobantur, audeat separare. Huic etenim collegio volumus antiquam priuilegiorum prærogatiuam seruari. Dat. VIII. Id. Iul. Rom. Honorio A. VI. & Aristeneto COSS.

V. Idem AAA. Curtio PF. P.

Cùm tot & tam euidentibus prçceptionibus sacris iam inde ab antiquis principibus nostris quoque rescribtis decuriæ sunt sacratissimæ vrbis priuilegia confirmata, adtamen quæ sæpius statuta sunt, hæc etiam lege firmamus, &c. Dat. VII. Id. April. Rau. Honorio VII. & Theod. II. A. COSS.

VI. Impp. Honorius & Theod. AA. Bonosiano P. V.

Vellemus priuilegia augere decuriæ, nisi genus esset iniuriæ antiquitati aliquid sociare. Quare cuncti cognoscant quinque libras auri multæ nomine propositas, si quo in loco eorum actibus vllius persona obripere fortè temptauerit. Emolumenta omnia per diuersos erepta rethiberi decernimus. In eos sanè qui cõtra Diualia statuta venisse dicuntur, spectabilis Vic. Afric. vindictam ferre curauit. Dat. VII. Kal. Octob. Rauen. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

De priuilegiis corporatorum vrbis Romæ. *Tit. II.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P. V.

EA priuilegia quibus pro reuerentia Vrbis æternæ varia corpora hominum, vel priscarum legum cautio, vel antecedentium principum fouit humanitas, magnifica sinceritas tua sciat, vel confirmata esse arbitrio serenitatis nostræ, vel si in aliqua parte titubauerint restituta. Dat. Kal. Iun. Bonamansione, PP. in Foro Traiani, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

II. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. ad Alypium P. V.

Nulli sit liberum, nulli permissum, vt nouum aliquid vrbis incolæ in vrbe sustineant. Dat. prid. Id. Iul. Aquil. Tatiano & Symmacho COSS.

III. Impp. Arcadius & Honorius AA. Florentino P. V.

In honorem æternæ vrbis corporatis indulta suffragia valere præcipimus, &c. Dat. XV. Kal. April. Med. Cæsario & Attico COSS.

IIII. Impp. Honorius & Theod. AA. Palmato P. V.

Cura Rectorum prouinciarum corporati Vrbis Romæ qui in peregrina transgressi sunt, redire cogantur: vt seruire possint functionibus, quas imposuit antiqua sollemnitas. Dat. IIII. Kalend. April. Rau. Honorio IX. & Theodosio AA. COSS.

De *pistoribus & catabolensibus.* *Tit. III.*

I. Imp. Constantinus A. ad Profuturum PR. Ann.

CVnctis pistoribus intimari oportet, quòd si quis fortè possessiones suas ideo putauerit in alios transferendas, vt postea se, rebus in abdito conlocatis, minùs idoneum adseueret tamquã in locũ eius alio subrogando, nihil ei hæc astutia, nec detestabilia commenta profutura sunt, sed in obsequio pristini sine vlla excusatione durabit, nec ad eius iura reuocabuntur, si quas emptiones transcribserit. PP. Id. Aug. Constantino A. & Licinio Cæs. COSS.

II. Imp. Constantius A. ad Orfitum P.V.

Si quis pistoris filiam suo coniugio crediderit esse sociandam, pistrini consortio teneatur obnoxius: sed familiæ pistoris adnexus, oneribus etiam parere cogatur. Et quoniam necessarium corpus fouẽdum est, patronos pistoribus constitutos ad altera functionis officia prohibeo deuocari, caudicariorum corpori minimè deceterò copulãdos, vt aliis necessitatibus absoluti eam tantummodo functionem liberæ mentis nisibus exsequantur. Dat. prid. Non. Iul. Med. Arbitione & Lolliano coss.

III. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P.V.

Prædia rustica, vel vrbana quæ possident priuato iure pistores, nec Senatorem, nec officialem comparare permittimus, contractu pari cum aliis non interdicto. Quippe mercantes ad venditoris officium vocabuntur super hac emptione apud PF. Ann. testatione deposita. In donationibus verò filij excepti sunt & nepotes, eodem loco positis omnibus qui qualibet proximitate iunguntur, quibus ideo non dempsimus beneficium largitatis: quia & paneficij necessitatem suscipere successionis iure coguntur. Hæc forma seruabitur & in testamentis, aut donatione, vel nouissima volũtate, vt in extraneos conlata non valeant, nisi pistoris officium sponte susceperint, qui pistorum sunt munificentiam consecuti. Dat. IIII. Non. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano coss.

IIII. Idem AA. ad Symmachum PF. Vrb.

Optio concessa est his, qui è pistoribus facti sunt Senatores, vt aut studio facultatum, aut splendidissimo ordine segregati sunt. Quòd si fuerint cupidi dignitatis, in tantam paneficij substantiam idoneos de suis subrogare cogantur, quantam ipsi exhibuere pistores. Dat. VIII. Id. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano coss.

V. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Filios pistorum, qui in paruula ætate relinquũtur, vsque ad vicesimum annum ætatis à pistrini sollicitudine defendi iubemus. Sanè periculo totius corporis subrogari cõuenit pistores idoneos pro pupillis, sub hac videlicet cõditione, vt post emensum vicesimum annum ætatis paterni muneris necessitatem subire cogantur: nihilominus permanentibus pistoribus his, quos in locum eorum constat substitutos. Dat. VI. Id. Ian. Naisso, diuo Iouiano, & Varroniano coss.

VI. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Nulli liceat, pistorum supplicatione delata, subterfugiendi muneris impetrare licentiam. Dat. VI. Id. Ian. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano coss.

VII. Idem AA. ad Viuentium P.V.

Post quinquennij tempus emensum vnus prior è patronis pistorum otio & quiete donetur: ita vt ei qui sequitur officinam cum animalibus, seruis, molis, fundis dotalibus, pistrinorum postremò omnem enthecam tradat adque consignet. Dat. VIII. Id. Octo. Altino, diuo Iouiano & Varroniano coss.

VIII. Idem AA. ad Symmachum P.V.

In speculis erit officium sinceritatis tuæ, ne cui qui semel pistorum corpori fuerit deputatus, abscedendi qualibet ratione copia facultasque tribuatur: etiamsi absolutionẽ eius pistorum omnium labor & adsensus confessus conuenisse

uenisse videatur. Ne illud quidem cuiquam concedi oportet, vt officina ad aliam possit transitum facere. Dat. XVIII. Kal. Febr. Mediol. Valentiniano & Valente AA. COSS.

VIIII. Idem AA. ad Olybrium P.V.

Ex libertinis catabolensium corpori statuimus sociari eum, cuius tota substantia triginta librarum argenti æstimatione colligitur. Idque pondus, siue ipsum per se habet, seu in aliis quibuscumque speciebus, vel in ędificiis adque agris dictæ adscribtionis merita non transit, iubemus ab inquietudine istius molestiæ segregari. Dat. III. Kalend. April. Triu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

X. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Olybrium P.V.

Libertini qui à dominis cuiuscumque honoris aut meriti aliquid testamento, vel donatione meruerunt, si aliquam pistrinis obnoxiam consecuti sunt, pistorum corpori copulentur. Si verò libera ob hoc nexu hisdem sunt corporibus derelicta, catabolensium necessitatibus obsequantur. Quinetiam si qui ex his aliis se corporibus crediderint inserendos, ab his incunctanter abstracti, ei cui hac lege sociati sunt, muneri deputentur: si autẽ à clarissimis viris aliquos acceperint fundos, sic prædicto corpori pareant, vt glebæ ex qua lucratiua sunt corpora, nullum præiudicium comparetur. Dat. Non. Iul. Lecta in Pantheo, Non. Nou. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XI. Idem AA. ad Symmachum P.V.

Hac sanctione generaliter edicimus, nulli omnino ad ecclesias ob declinanda pistrina licentiam pandi. Quòd si quis ingressus fuerit, amputato priuilegio Christianitatis, sciat se omni tempore ad cõsortium pistorũ & posse & debere reuocari. Dat. V. Kal. Oct. Aquil. Valẽtiniano & Valente AA. COSS.

XII. Idem AA. ad Claudium Proc. Afric.

Secundum parentis nostri Constantini diuale pręceptum, omnibus lustris pistores ex officio quod ei corpori cõstat addictum, ad vrbem sacratissimam destinentur, in quo illud conuenit præcaueri, ne quis hãc quæ personalis est, functionem pretio putet esse taxãdam: veniant suo tempore quos causa constringit: & ita veniant vt eos officium quod tibi paret pistorum patronis adque PF. Annonæ aput publica monumenta consignet. Quòd si quis Iudicum statuto tempore personam quæ est destinanda, non miserit, ipse profectò remanebit obnoxius functioni cui subtraxisse probatur obnoxium. In officiũ quoque pœna conpetens exeretur, quod aut dissimulatione neglexerit, aut fraude subtraxerit Iudicem suum super vi legis & consuetudinis admonere. Dat. Kal. Decemb. Triu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XIII. Idem AA. ad Olybrium P.V.

Non ea sola pistrini sint, vel fuisse videãtur, quæ in originem adscribta corpori dotis nomen & speciem etiam nunc retentant: sed etiam ea quæ ex successione pistorum ad heredes eorum, vel quos alios deuoluta noscuntur, quò eorum quoque distractio inhibita euidentiùs cerneretur. In his verò solis liciti contractus eidem corpori reseruetur quæ ad ipsos non hereditario pistorum nomine, sed priuatorum institutione, liberalitate, vel dote, aut quolibet titulo probantur esse transfusa & si qua ipsi ex priuata munificentia consecuti, in rebus humanis agẽtes in aliquem ex sociis, id est, in pistorem alterum

transtulerũt. Ceterùm si hæc quoque in successione propria reliquere, etiam eadem dotis nomine & titulo nuncupamus. Quia pistrino proficere conuenit, quod aput pistorem eo viuente permansit. Seruaui igitur decęterò ordinem constitutum, vt si vel donatione pistoris rem pistrino hereditatis successionísve meritis obligatam quicumque ex priuatis à pistoribus fuerit consecutus, sciat corpori obnoxium vendere, & alienare non posse, sed in sua causa & pistorum nomine ac iure residere. Dat. Kalend. Iun. Triu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

XIIII. Idem AA. ad Vrsicinum PF. Ann.

Si cui pistoris filia nubserit, ac postea ea is eandem dilapidatis facultatibus consortio putauerit eximendam, non alia lege adque ratione eundem pistoriæ necessitati & corpori præcipimus adstringi, quàm eodem munere originis vinculo teneretur. Dat. VIII. Kal. Mart. Triu. Modesto & Arintheo COSS.

XV. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Gregorium v.c. PF. Ann.

Ne quis vmquam PF. Ann. cõtra suam alienámve sententiam pistorum locum eiectis permiserit reformari, cùm præscribtum suum aput Iudices obtinere lex debeat, per quam simul aduersus decoctorum vitia, & vtilitati annonæ publicæ, & rerum iudicatarum constantiæ prouidetur. Dat. XIIII. Kal. Mart. Tri. Gratiano A. IIII. Merobaude COSS.

XVI. Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Arborium P.V.

Quidquid ex horreis plectibili vsurpatione præsumptum sit, id per pistores, (in quos totius criminis confertur inuidia) matura exactione reddatur: vt si quid in hac specie minùs potuerit exsolui, in quibuscũque speciebus in ære vel plumbo seu qualibet alia solutione pensetur, dummodo redintegratio totius summæ curetur. Dat. Id. Iun. Gratiano A. V. & Theodosio A. I. COSS.

XVII. Idem AAA. ad Titianum Vic. Afric.

Iudices Africanos laudabilis sinceritas tua huiusmodi interminatione conterreat, vt nisi tempore solito debitos pistores venerabilis Romæ vsibus dirigere curauerint, sciant seipsos, quinquaginta argenti librarum officiúmque eorum pari condemnatione multandum. Dat. IIII. Id. Iul. Triu. Gratiano V. & Theod. A A. COSS.

XVIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcadius AAA. ad Salustium P.V.

Vt concessa decurialibus priuilegia nolumus abrogari, ita lege super mancipibus data nihil iubemus imminui. Nam si qui ob hoc ad decurias inlicitè transierunt, vt munus euaderent mancipatus, necesse est erga eos priuilegia non posse seruari, qui obnoxios sibimet rectè vindicat functio memorata. Intantum etiam defensiones diuersorum principum largitate concessa erga decurias manere decernimus, & mancipatui obnoxios iubemus addici, vt si quispiam super absolutione mancipatus nostræ maiestati preces obtulerit, bonorum amissione plectetur. Quod quidem non solùm in decurialibus, sed etiam in ceteris decernimus perpetua lege seruari. Dat. III. Id. Iun. Mediol. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

XVIIII.

XVIIII. Impp. Arcadius & Honor. AA. Eusebio PF.P.

Pistores vrbis æternæ prætermissa veteri cõsuetudine, fundis vel prædiis ad nihilũ redactis quæ eorum corporis solatia certa præbebát, nouos sibi quæstus excogitasse comperimus. Ideóque in futurum prouisionis remedia proferentes misso probatæ industriæ viro singulorum fundorum siue prædiorum, quæ pistorum corpori obnoxia sunt, vires discuti exquiríque præcipimus, vt idem iure perpetuo idoneis adfixa præstatione tradátur: adque conductores præstationis modum & solatia ministrẽt antiquitus constituta pistoribus. Dat. VII. Id. Iul. Arcad. IIII. & Honorio III. AA. coss.

XX. Idem. AA. Theod. PF.P.

Adscribtis semel per sententiã Iudicis ordini pistorio subreptitia rescribta non quærant, nec vlla eis supplicandi præstetur facultas. Et qui huiumodi sperare voluerit beneficia, quinq; libras auri fisco nostro inferre cogetur. Si quo enim casu vel occultis, vel ambitiosis hoc precibus elicuerit Iudex, cuius in iudicio hæc fuerit prolata sententia, officium quoque eius, si consensum præbuerit impetratis, quinas auri libras ærario nostro inferent. Dat. XVII. Kalend. Maij, Med. Honor. A. IIII. & Eutychiano coss.

XXI. Idem AA. Vitali PF. Ann.

Nulli pistori, nec posteris eius in priuatas personas, vel thymelicas, vel eas quæ aurigandi studio detinentur, liceat coniugij societate transire: etiam si huic facto omnium pistorum accedat adsensus, etiam si nostra elicita fuerint aliqua subreptione rescripta. Quòd si quisquam in hæc vetita adspirare temptauerit: sciat se verberibus adfectum deportatione puniendum: facultatésque suas paneficio sociandas. Quod si non statim officium grauitatis tuæ in ipsis inceptis occurrerit, sed in suggestione cessauerit, in singulis familiis librarum auri decem multa feriatur: ita vt hæ quoque personæ cum patrimonio ad debitum officium reuocentur, quæ per huiusmodi nuptias in simili cõsortio fuerunt. Omnes igitur, qui filias pistorũ † in con... sortiti sunt, vel † ex thymelicis, vel aurigis, vel vniuersis priuatis, pistorio corpori ilico deputentur. Dat. VIII. Id. Mart. Rau. DN. Theod. A. I. & Rumorido v. c. coss.

† se coniugium.

XXII. Impp. Honor. & Theod. AA. Palladio PF.P.

Quicumque inlustris vrbanæ sedis vel annonariæ potestatis apparitor clãdestina fraude pistorem concusserit, accusatus adque cõuictus perpetuis paneficij nexibus addicatur, &c. Dat. VII. Kalend. Ian. Rau. Honor. A. XI. & Constantio II. v. c. coss.

De suariis, pecuariis & susceptoribus vini, ceterísque corporatis. Tit. IIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Pacatianum PF.P.

QVoniam suariorum corpus ad paucos deuenit, iubemus eos adstãte populo Romano dicere, quibus excusatio sit delata, quibus prouenerit onus: vt his in mediũ publicæ rationis edoctis exemplũ rei nauicularíæ proponatur. Itaque dinoscant facultates proprias suariorum esse obnoxias muneri: ac de duobus alterum eligant, aut retineant bona quæ suariæ functioni destricta sunt, ipsique suario teneantur obsequio, aut idoneos quos volunt, nominent, qui necessitati idem satisfa-

ciant. Nullum enim vacare ab huius rei munere patimur. Sed siue honoribus euecti, siue quolibet versutiæ genere fugerunt, reuocari eos iubemus: idque ipsum teste & audiente populo Romano compleri, ac nos super his consuli: vt animaduertamus in eos qui hac tergiuersatione nulli penitus tribuenda ideo, qui subripere potuerit post beneficium infirmatum salutis etiam periculum subituro. Dat. VIII. Id. Mart. Rom. Optato & Paulino COSS.

II. Idem A. Lucrio Verino.

In arbitrio suo possessor habeat ne suario pecuniã soluat. Quod ideo permissum est, ne in æstimando porcorum pondere licentia suariis præbeatur. Quòd si iustè porcos suarius æstimauerit, huic pecuniam possessor, cui pensitationis vtriusque copia est indulta numerabit. Ne autẽ suario in suscipienda pecunia detrimenta aliquid adferatur, singulis quibusque annis ea pretia porcinæ possessor adnumeret, quæ vsus publicæ conuersationis adtulerit. Et quoniam non semper nec in omnibus locis vna est forma pretiorum pro diuersitate locorum & temporum in specie pretia dãda sunt: nisi ipsa porcina præstetur. Iudices autem regionum monendi sunt, vt per singulos annos ad scientiam tuam referant, quæ in quibus locis sunt pretia porcinæ, vt instructione hac à tua grauitate perpensa tunc demum suarij per diuersa proficiscantur, & pretia suscipiant, quæ in his regionibus versari cognoueris. Queri enim suarij non poterunt, quia nihil interest carius, an vilius comparẽt, cum quantum pretium daturi sunt, à possessore accipiant: & possessores erũt moderati in specie distrahẽda, cum se sciant quanto maiora pretia pro carne poposcerint, tãtò plus suariis soluturos. Dat. III. Id. April. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

III. Imp. Iulianus A. Fl. Aproniano suo Salutem.

Ea pretia, quæ in Campania per singulos annos reperiuntur, suariis vrbis Romæ debent solui: ita vt periculo suariorum populo porcinæ species adfatim præbeatur. Et quia officialibus pro omni supplicio sufficit direptorũ restitutio, quidquid vltra senos folles per singulas libras claruerit flagitatum, id fisci viribus protinus vindicetur. Exactio autem nummaria non per officium tuum, vel ipsos suarios, sed per officiales consularis iuxta præceptum nostræ mansuetudinis cõpetentem sortiatur effectum. Nam quia maiorum potestatum officiales solent esse prouincialibus perniciosi, per ordinarios Iudices adque curias etiam hanc exactionem conuenit celebrari. Per singulos itaque annos iuxta pretia, quæ reperiuntur in publica conuersatione per Campaniam, habitantes pecuniam pro singulis libris porcinæ præcipiantur exsoluere: ita vt non ad prętia, quæ in vrbe Roma repperiuntur, sed quæ apud Campanos in publicis vsibus habentur, nummariæ exactionis facultas denegetur. Nam dedimus litteras ad virum clarissimum Consularem, vt remotis officialibus pręfecturæ vrbanæ & suariis, ipse totius exactionis instantiam atque periculum ad suam curam sollicitudinémque reuocare contendat: qui euidentissimo discrimini constituetur obnoxius, si in transmittendis pecuniis aliqua fuerit materia deceptionis exorta. Dat. V. Id. Decembris, Antiochiæ, Iuliano A. IIII. & Sallustio COSS.

IIII. Impp. Valentinianus, & Valens AA. ad Prætextatum P.V.

Per singulas & semidecimas, quibus suariorum dispendia sartiũtur, damnum

num quod inter susceptionẽ & erogationem necessariò euenit, vini, hoc est, septẽ & decem milium amphorarũ perceptione releuetur. Cui rei illud prouisionis accedat, vt Lucanus possessor & Brutrius, quos longæ subuectionis damna quatiebant, possint (si velint) speciem moderatam, hoc est, septuagenarum librarũ compensatione dissoluere: Quod ibi debebit inferre, vbi vina fuerat traditurus. Quibus in rebus illud quoque à decessore tuo salubriter institutum est, quò suariis æstimãdi licentia denegetur, pondúsque porcorum trutinæ examine, non oculorum libertate quęratur: ita videlicet vt ne volenti quidem possessori tradere animal liceat, cuius modũ non prius põderatione certa deciderit suarius: animal verò à possessore tradẽdum ob digeriem prius vnius noctis tantum ieiunitate vacuetur. Illud quoque salubris Constantinianæ legis forma conpescat, videlicet vt cùm à possessore cui commodioris pretij beneficia indulta à veterib⁹ principibus prętogatiua prouidit, proprius ordo decidat, ac transigat: ídque ordo suarius quibuscum habet vini emolumenta cõmunia, aut legitimum pretium, id est, Romani fori, cui carnem fuerat inlaturus, tradat, aut carnem debitam subministret. Porrò decimæ semis, quam statuimus, non petãtur ab his, à quibus fuerit pecunia ministrãda. Hæc autem omnia æneæ tabulæ in Foro suario collocãdę ad æternam memoriam oportebit insculpi. Dat. VIII. Id. Octob. Remis, Lupicino & Iouino COSS.

V. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. ad Albinum P.V. Romæ.

Suariorum vires ea concidisse occasione comperimus, quòd fundi eorum adque alia prędia in extraneas quasque personas multimoda donatione transcribta sunt. Quæ sublimis eminentia tua, aut ad memoratorum iura reuocabit, aut si eorum detentatores putauerint abluendum, subeant cum his communem sarcinam, quorum incubuere corporibus. Consanguineos quoque eorum, vel originales, vt memoratorum nomini functioníque iubeas adiungi, plenum & æquitatis & iuris est. Dat. XV. Kalend. Septemb. Romæ, Timasio & Promoto COSS.

VI. Idem AAA. ad Albinum P.V.

Porcinarij vrbis æternæ cùm peruigilem laborem populi Romani commodis exhibeant, id se diuæ memoriæ Gratiani beneficio meruisse proponunt, ne sordidis vmquam muneribus subiacerent. Inlustris igitur auctoritas tua diualium præceptorum formam cõseruans, etiam cum interminatione conpetenti suo insistat officio, quatenus id, quod & antè cõstitutum est, & nulla postmodum iussione mutilatum, indubitatum adque intactum faciat perdurare. Dat. VIII. Kalend. Septemb. Romæ, Timasio & Promoto COSS.

VII. Impp. Arcad. & Honor. Florentino P.V.

Heredes suariorum, filiorum etiam emancipatorum bona omnia ac patrimonia requirantur: vt siue personarum agatur ratio, siue rerum, non minus habeatur obnoxius, quem possessio tenet, quàm quem successio generis adstringit: dummodo suo ordini adtributos suarij non admittant, & propriis facultatibus solitísque subsidiis aliena adque longinqua, & ab hoc munere distracta non quærant. Dat. XV. Kal. Mart. Med. Cæsario & Attico COSS.

VIII. Idem AA. Hilario P.V.

Quicumque de suariorum corpore originariã functionem sub cuiuslibet

† ſę ad diuerſa

† ſę. tã qui

deſiderio auxilij, vel honore declinaſſe noſcuntur, vel † aduerſa ſe officia contuliſſe, aut adnotationibus vel reſcribtis noſtræ ſerenitatis elicitis ad munus piſtrinum reuòcentur † tamquam paterno, quàm qui materno genere inueniuntur obnoxij. Oportet enim viribus vacuari, quæ in diſpendium publicum adumbratione exorta ſint. Nullíque penitus ad quemlibet honorem adque militiam aditus tribuatur, niſi qua deinceps de noſtris altaribus per adnotationem, vel reſcribtum, vel quolibet genere fuerint elicita vel emendicata, caſſentur. Eos etiam qui ad clericatus ſe priuilegia contulerũt, aut agnoſcere oportet propriam functionem, aut ei corpori, quod declinant, proprij patrimonij facere ceſſionem. Hij verò qui prædia obnoxia corpori, vel ex empto, vel ex donato, vel ex quolibet titulo tenẽt, pro rata publicum munus agnoſcãt, aut poſſeſſionibus cedant. Circa reliqua etiam corpora quæ ad priuilegia vrbis Romæ pertinere noſcuntur, eadem præcepti noſtri forma ſeruetur. Dat. XVIII. Kal. Feb. Romæ, Baſſo & Philippo COSS.

VIIII. Impp. Honorius & Theodoſius AA. Palladio PF. P. Poſt alia.

Ad excludendas patronorum caudicariorum fraudes & portuenſium furta menſorum, vnus è patronis totius cõſenſu corporis eligatur qui per quinquennium cuſtodiam portuenſium ſuſcipiat conditorum, clandeſtinum ad collegas digma miſſurus, ne quid ex ſpecie fraus occulta vectorum peſſimæ qualitatis inmutet, cui præmia iſta deferimus, vt ſi optima fide adminiſtrauerit munus iniunctum, poſt expletas luſtralis ſollicitudinis metas, comitiuæ tertij ordinis honore cumuletur: ídque non iam ex codicillis noſtris, ſed conſtituti iſtius cõſequatur indulto, depręhenſus in fraudem amiſſo patrimonio ad piſtrini etiam munia prima reuocetur. Illud etiam decernimus, ne in ſingulis tres primos patronos corporum ſingulorum vir clariſſimus PF. Ann. ius habeat corporalis iniuriæ. Nam ſufficit in delinquentem inluſtris vrbani cenſura iudicij. Dat. VII. Kal. Ian. Rau. Honor. A. XI. & Conſtant. II. V. C. COSS.

X. Idem AA. Palladio PF. P.

Suariis pecuarij iungantur, ſub hac tamen condicione decreti corpora volumus miſcere, vt reſciſſis priuilegiis quæ impetraſſe dicũtur, mixtæ corporũ vices alternis fungantur officiis. Quibus cùm lege concedimus, vt corpora externa iungamus, è re eſt, vt his quoque ſuas reddi iubeamus perſonas, quas reſciſſis omniũ priuilegiis, vinculis, gratioſis ſententiis, ſi quas in abolitionem genuinæ functionis callida fraude meruerunt, reſtitui cum facultatibus ſuis poſthabita dilatione. Nulla tamen eos corporis iniurię formido percellat. Nã præcipimus, vt tres huius corporis principales † certi ordinis comitiuã recipiant: quam ſibi nõ iam ex codicillis noſtris, ſed ex priuilegio latæ legis adſumant. Per quinque autem mẽſes quinas in obſoniis libras carnis poſſeſſor accipiat, ne per minutias exigui põderis amplius fraus occulta decerpat. Poſſeſſores quoque qui pro larido millenos denarios in vicenis libris ſolebant conferre, ſuariis in pretio exſoluãt. Primi ſcrinij quoque tam inluſt. vrbanæ ſedis, quàm ſpectabilis vicariæ poteſtatis, niſi anno militiæ finalis inſtiterit, ad ſupplendam ſummã prę̨teritæ diſſimulationis artentur: vt ex propriis facultatibus debita ſuariæ functionis exſoluant quæ neglexerunt flagitare, dum militabant, priuilegia etiam militiæ perdituri quattuor milia ſanè obſoniorum, amputatis

† ſę. fortè, tertij

amputatis superfluis,ac domus nostræ perceptionibus, diurna sublimitas tua decernat, quibus copiis populus animetur. Dat.IIII. Kal.Aug.Rau.Monaxio & Plinta COSS.

De mancipibus thermarum vrbis & subuectione lignorum. Titulus V.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA.ad Olybrium P.V.

QVidquid erga mácipes,qui thermarum exhibitionem Romæ curant in exercitio compendiísque salinarum, scitis priorum principum cautum est, æterna sanctione firmamus. Dat.III. Non. April.Triu.Valentiniano & Valente COSS.

De calcis coctoribus vrbis Romæ & Constantinop. Tit. VI.

I. Imp. Constantius A.ad Orfitum P.V.

EX omnibus prædiis quæ iamdudum præstationi calcis cœperũt obnoxia adtineri,coctoribus calcis per ternas vehes singulę amphoræ vini prębeantur. Vecturariis verò amphora per bina milia & nongenta pondo calcis. Quinetiam volumus non personas, sed ipsos fundos titulo huius pręstationis adstringi: vecturarios etiam ex quattuor regionibus trecentos boues pręcipimus dari. Dat. VIII. Kal.April.Eusebio & Hypatio COSS.

II. Impp.Valentinianus & Valens AA.ad Symmachum P.V.

Oratio nostra immunitatem eorum quos coctio calcis manet & vecturariorum est euidenter amplexa.Quæcumque igitur extraordinariorum prisca adque inueterata consuetudine huiusmodi sortis homines antea sunt adepti, nunc quoque ad leniendum opus quod sustinent publici muneris consequantur. Dat.VI.Id.Iun.Naisso,diuo Iouiano & Varroniano CONSS.

III. Idem AA.ad Volusianum v.c.Vic.

Statum vrbis æternæ reformare cupientes,ac prouidere publicorum mœnium dignitati,iubemus,vt calcis coctoribus vectoribúsque per singulas vehes singuli solidi prębeantur.Ex quibus tres partes inferãt possessores,quarta ex eius vini pretio sumatur,quod cõsueuit ex arca vinaria ministrari. Illud addentes,vt non amplius,quàm terna milia minores vehes annuæ postulentur. Huius autem vehationis ita sit ratio partita, vt mille quingenta onera formis alia sartis tectis annua deputẽtur:ita vt nulli Iudicum,seu officiorũ excoquendæ calcis licentia relinquatur sub eo statuto, vt qui in hac vsurpatione fuerit, austeritatem vigoris publici ferre cogatur. Hoc autẽ excepto à Tarracinensis prestationis canone suggera, quæ vetusto pręberi fari ac portus visibus more consueuit:à curialibus verò Tuscis nungẽtarum vehum, quas inferre per singulos annos cogebantur, sarcinam sub ea condicione pręcipimus amoueri, vti quãdo necessitas noui operis extiterit, idipsum in notitiam nostram suggestionibus Iudicum perferendũ quid addendũ, vel quatenus inferẽdum sit, nostræ deliberationis moderamine sanciatur. Ex supradicto autem numero vehationis medietatem, quam sartis tectis iussimus deputari,separatim conueniet adscribi: ita vt Pręfecti vrbis officiũ ad suam partẽ hanc curã pertinere cognoscat. Dat.VIII. Id. Aug. Med. Valentiniano & Valente AV. COSS.

IIII. Imppp. Gratianus, Valẽtinianus & Theod. AAA. ad Seuerum P.V.

Vt cementorum & calcis in vrbe venerabili copię minimè derogetur, quisquis ex his quidpiam sibi deferendum qualibet cœlestis indulgentiæ definitione contenderit, nihil prorsus accipiat, nisi quod cunctis mœnibus fabricationíque Romanæ superfluere ac redundare constiterit. Dat. Kalend. April. Antonio & Syagrio coss.

V. Impp. Honor. & Theod. AA. Æthio P.V.

Omnes fornaces per omne spatium, quod inter amphitheatrũ & diui Iuliani portum per litus maris extenditur, tolli præcipimus, propter salubritatem vrbis amplissimæ, & nostrarum ædium vicinitatem, nec vlli in his locis coquendæ calcis prębere licentiam. Dat. IIII. Non. Octob. Constantinop. Monaxio & Plinta coss.

De collegiatis. *Tit. VII.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Græco Cons. Campaniæ.

DE retrahendis collegis, vel collegiatis Iudices competentes dabunt operam, vt ad proprias ciuitates eos, qui longiùs abierunt, retrahi iubeant cum omnibus quæ eorum erunt: ne desiderio rerum suarum loco originario non valeant adtineri. De quorum agnatione hæc forma seruabitur, vt vbi nõ est æquale coniugium, matrẽ sequatur agnatio: vbi verò iustum erit, patri cedat ingenua successio. Dat. VIIII. Kal. Iun. Med. Cæsario & Attico coss.

INTERPRETATIO. *Collegiati si de ciuitatibus suis forte discesserint, ad ciuitatis suæ officia cum rebus suis, vel ad loca vnde discesserunt reuocentur: de quorum filiis hæc seruanda condicio est, vt si de colona vel ancilla nascuntur, matrem sequatur agnatio: Si verò de ingenua & collegiato, collegiati nascuntur.*

II. Impp. Honor. & Theod. AA. Liberio PF. P. Post alia.

Collegiatos & vitutiarios, & nemesiacos, signiferos, cantabrarios, & singularum vrbium corporatos simili forma pręcipimus reuocari. Quibus etiã supplicandi inhibendam facultatem esse censuimus, ne originem (quod fieri non potest) commutare vlla iussio videatur, ac si fortè per sacram auctoritatem cognoscitur, aliquis liberatus cessante beneficio ad originem reuertatur. Dat VI. Kalend. Decemb. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. coss.

De centonariis & dendroforis. *Tit. VIII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Euagrium PF. P.

AD omnes Iudices litteras dare tuam conuenit grauitatem, vt in quibuscunque oppidis dendrofori fuerint, centonariorum adque fabrorum adnectantur. Quoniam hæc corpora frequentia hominũ multiplicari expediet. Dat. XIIII. Kal. Octob. Naisso, Acc. VIII. Id. Nouemb. Constantino A. IIII. & Licinio IIII. coss.

II. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Olybrium P.V.

Ne quis ex centonariorum corpore subtrahere se possit ad curiam, pœna eidem corpori proposita, nisi ilico de eius abscessu querelam deposuerit. Dat.

Dat.v.Kalend.Febr.Triu.Valentiniano NB.P.& Victore coss.

De studiis liberalibus vrbis Romæ & Constantinop. Tit. VIIII.

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Olybrium P.V.

QVicumque ad vrbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad magistrum census prouincialium Iudicum, à quibus copia est danda veniundi, eiusmodi litteras proferant, vt oppida hominum, & natales, & merita expressa teneantur. Deinde vt in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis operam nauare proponãt. Tertiò vt hospitia eorum sollicitè censualium norit officium, quo ei rei i-pertiãt curam quam se adseruerint expetisse. Idem inmineant cẽsuales, vt singuli eorum tales se in conuentibus præbeant, quales esse debent qui turpem inhonestámque famam & consociationes, (quas proximas putamus esse criminibus) æstiment fugiendas. néve spectacula frequentiùs adeant, aut adpetant vulgò intempestiua cõuiuia. Quinetiam tribuimus potestatem, vt si quis de his non ita in vrbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat publicè verberibus adfectus, statímque nauigio superpositus abiciatur vrbe, domúmque redeat. His sanè, qui sedulò operam professionibus nauãt, vsque ad vicesimum ætatis suæ annum Romę liceat commorari. Post id verò tempus, qui neglexerit sponte remeari, sollicitudine pręfecturæ etiam impuriùs ad patriam reuertatur. Verùm ne hæc perfunctoriè fortasse curẽtur, præcelsa sinceritas tua officium censuale commoneat, vt per singulos mẽses, qui, vel vnde veniant, quíve sint, pro ratione temporis ad Africam, vel ad ceteras prouincias remittendi breuibus conprehendat. His dumtaxat exceptis qui corporatorum sunt oneribus adiuncti. Similes autem breues etiam ad scrinia mansuetudinis nostræ annis singulis dirigantur: quò meritis singulorum institutionibúsque conpertis vtrum quandoque nobis sint necessarij, iudicemus. Dat. IIII. Id. Mart. Triu. Valentiniano & Valente III. AA. coss.

II. Idem AAA. Clearcho P.V.

Antiquarios ad bibliothecæ codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quattuor Græcos & tres Latinos scribendi peritos legi iubemus, quibus de caducis popularibus & ipsi etenim vidẽtur è populo, conpetentes inpertiãtur annonæ ad eiusdẽ bibliothecę custodiã cõdicionalibus & requirendis & protinus adponendis. Dat. VIII. Id. Maij, Mod & Arinth. coss.

III. Impp. Theod. & Valentinianus Cæs.

Vniuersos qui vsurpantes sibi nomina magistrorum in publicis magistrationibus cellulisque collectos vndecumque discipulos circũferre consueuerunt, ab ostẽtatione vulgari pręcipimus amoueri: Ita vt si qui eorũ post emissos diuinæ sanctionis adfatus, quæ prohibemus adque damnamus iterũ fortè temptauerit, non solùm eius quam meretur infamiæ notam subeat, verùm etiam pellẽdum se ex ipsa, vbi versatur inlicitè vrbe, cognoscat. Illos verò qui intra plurimorum domus eadẽ exercere priuatim studia consueuerunt, si ipsis tantummodo discipulis vacare maluerint, quos intra parietes domesticos docent, nulla huiusmodi interminatione prohibemus. Sin autem ex eorum

numero fuerint qui videntur intra capitolij auditorium constituti, hi omnibus modis priuatarum ædium studia sibi interdicta esse cognoscāt: sciturì, quòd si aduersum cælestia statuta facientes fuerint depręhensi, nihil penitus ex illis priuilegiis consequentur, quæ his qui in capitolio tantùm docere pręcepti sunt, meritò deferuntur. Habeat igitur auditorium specialiter nostrum in his primùm, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, oratores quidem tres numero, decem verò grammaticos: in his etiam, qui facundia græcitatis pollere noscuntur, quinque numero sint sophistæ, & grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantùm adolescentiam gloriosam optamus institui, profundiores quoque scientiæ adque doctrinæ memoratis magistris sociamus auctores. Vnum igitur adiungi ceteris volumus, qui philosophiæ arcana rimetur: duos quoque, qui iuris ac legum formulas pandāt. Ita vt vnicuiquę loca specialiter deputata adsignari faciat tua sublimitas: ne discipuli sibi inuicem possint obstrepere, vel magistri: néve linguarū confusio permixta, vel vocum aures quorundam, aut mentes à studio litterarum auertat. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Theod. v. XI. & Valente COSS.

De habitu, quo vti oportet intra vrbem. Tit. X.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Pancratium P.V.

SIne exceptione temporis matutini dumtaxat intra mœnia constitutus nullus senatorum habitum sibi vindicet militarem: sed chlamydis terrore deposito quieta coloborum ac penularum induat vestimenta. Cùm autem vel conuentus ordinis candidati cœperit agitari, vel negotium eius sub publica Iudicis sessione cognosci, togatū eundem interesse mandamus. Officiales quoque per quos statuta complentur, ac necessaria peragūtur, vti quidem penulis iubemus, verum interiorem vestem admodum cingulis obseruare. ita tamen, vt discoloribus quoque palliis pectore contegentes condicionis suæ necessitatem ex huiusmodi agnitione testentur. Seruos sanè omnium (quorum tamen dominos sollicitudine constat militiæ non teneri) aut byrris vti permittimus, aut cucullis. Si quis de senatoribus statuta neglexerit, proprij auctoritate honoris exutus ingrediendi senatum iam non habeat potestatem. Officiales verò, sed & serui qui pudoris non possunt dispendium sustinere, exilij pœnam subire iubeantur. Officio censuali viginti librarum auri non inmeritò dispendij subiugādo, si culpam vsurpationis huiusce, aut dissimulatione subpresserit, aut accepta pretij mercede subtraherit. Dat. prid. Id. Ian. Constantinop. Antonio & Syagrio COSS.

II. Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Populum.

Vsum tzangarum adque bracharum intra vrbem venerabilem nemini liceat vsurpare. Si quis autem cōtra hanc sanctionem venire temptauerit, sententia viris inlustris PF. spoliatum eum omnibus facultatibus tradi in perpetuum exilium præcipimus, &c. Dat. PP. Romanæ in Foro diui Traiani, Cæsario & Attico COSS.

III. Idem AA. Flauiano P.V.

Intra vrbem Romam nemo vel ragis, vel tzancis vtatur. Quòd si quisquam post præceptum nostræ clemētiæ in hac cōtumacia perdurauerit, prout condicio

dicio fiuerit, cohercitus sacra vrbe pelletur, &c. Dat. VIII. Id. Iun. Brixiæ, Theodoro v.c. coss.

IIII. Impp. Honor. & Theod. AA. Probiano P.V.

Maiores crines, indumenta pellium etiam in seruis intra vrbem sacratissimam præcipimus inhiberi. Nec quisquam post hac INPUNÈ hunc habitum poterit vsurpare. Si quis autem neglexerit nostræ sanctionis vigorem, ingenuus legis laqueos non euitet, seruus operi publico vindicabitur. Quod innotescere non solùm intra vrbem petimus, verùm etiam in vicinis regionibus non licere sancimus. Dat. prid. Id. Dec. Rau. D.N. Theod. A. VII. & Palladio coss.

Quibus militantibus ad vrbem non liceat accedere. Tit. XI.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Populum. Post alia.

AGentes in rebus, adque palatinos alióſque milites inferioris militiæ (exceptis his quibus negotium aliquod, aut munus fuerit iniunctum) omni penitus arceri vrbis venerabilis iubemus accessu: ita vt si quis nostri edicti auctoritatem violare temptauerit, deportatione plectatur, &c. Dat. & PP. Romæ, VII. Id. April. Cæsario & Attico coss.

De honoratorum vehiculis. Tit. XII.

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Nebridio P.V.

OMnes honorati, seu ciuilium, seu militarium dignitatũ, vehiculis dignitatis suæ, id est, carrucis biiugis intra vrbem sacratissimi nominis semper vtantur. Dat. III. Kalend. Feb. Constantinop. Honor. NB. P. & Euodio coss.

De iure Italico vrbis Constantinopol. Tit. XIII.

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Clearchum P.V. Constantinopolitanæ.

ITalici iuris auxilium arbitra æquitate renouamus. Concessi igitur gratia beneficij publicis actibus intimetur, & incisa tabulis debita sollemnitate permaneat. Dat. prid. Non. Aug. Hieropoli, Valentiniano & Valente AA. coss.

De campo Martio vrbis Romæ. Tit. XIIII.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Populum. Post alia.

EOs qui in campo Martio casas seu tuguria conlocare temptauerint, sentẽtia viri inlustris PF. spoliatos omnibus facultatibus tradi in perpetuũ exilio præcipimus, &c. Dat. & PP. Romæ in foro diui Traiani, Cæsario & Attico coss.

De canone frumentario vrbis Romæ. *Tit.* XV.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P.V.

NE pessimus panis populi Romani vsibus ministretur, sola ducentena milia modiorum frumenti integri adque intemerati iuxta priscum morem mensores & caudicarij leuioribus pretiis pistoribus venundare cogantur. Dat. VI. Id. Iul. Naisso, Diuo Iouiano, & Varroniano COSS.

II. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Iulianum PF. Ann.

Nautici aput curatorum vel magistratuum acta fateantur incorruptas se species suscepisse, eorúmque aput quos deponitur ista testatio, præsens aspectus probet, nihil in his esse vitij. Quod eo tempore, quo ad sacræ vrbis portum peruenit præfectura, iugiter obseruare præceptum est. Dat. XVIII. Kal. Iul. Remis, Gratiano A. I. & Dagalaifo COSS.

III. Impp. Arcad. & Honorius AA. ad Senatum.

Certum habetis patres conscribti, quantum curarum inpendimus pro vestris ac populi commodis. Ideóque hac lege sancimus, vt si quid frumenti vel olei vrbicarij canonis remissione indultum est, speciali beneficio cōtra publicum commodum elicita non valeant. Vrbani etiam vsus frumenta si quando vel fortuna, vel ratio in Africa coëgerit residere litoribus, adtingere nullus audeat, aut mutatis directoriis quoquam præter sacram vrbem præscribti vllius innouatione transmittere, & cetera. Dat. XVII. Kalend. Maij, Med. Cæsario & Attico COSS.

IIII. Idem AA. Theodoro PF. P.

Inproborum petitiones, qui inpudentiùs ausi sunt postulare pensiones, aquæ molarum, quæ vrbi venerabili annonas abundantiùs præstitissent, quinque librarum auri multa infligat: nisi ab hac petendi inportunitate discedant. Illos etiam qui potestati præfecturæ annonariæ præsunt, & apparitores qui hisdem ministeriis obsecundant, par multa retineat, si cuiusquam inprobissimi hominis consenserint, vel paruerint voluntati. Simili autem pœna teneātur, qui aliquid ex his horreis cellulísve quæ intra vrbem Romam adque in portu constitutæ pistorio iure retinentur, sibimet tāquam possessione priuata ausi fuerint vindicare. Dat. prid. Id. April. Med. Honor. A. IIII. & Eutychiano COSS.

V. Idem AA. Messalæ PF. P.

Neminem patimur in mutando canone vrbis Romæ nostræ clementiæ beneficium postulare. Ideóque euidenti præceptione consulentes, nō solùm ea rescribta quæ quoquomodo potuerint impetrari, suscipi nō sinimus, verùm etiam illa vacuari quæ præteritum quoque tempus elicuit. Ac ne vllus subreptioni patescat aditus, eos qui posthac commutari sibi canonē in fraudem venerandæ vrbis poposcerint, ad duplum retinendos esse decernimus, vt vetus dispositio suum robor obtineat. Dat. Prid. Non. Septemb. Altino, Theodoro V.C. CONS.

VI. Idem AA. Messalæ PF. P.

Ne deinde facinora inpunita coalescant, euidenti pręceptione decernimus, vt à

vt à Vicario ceterísque Iudicibus quos ex vrbicario canone quidquam vsurpasse cōstiterit,in quadruplum præsumpta poscantur: ita vt duplum Iudices, duplum eorum officia cogantur inferre. Deinceps autem nisi ab huiusmodi scelere temperetur,Iudices deportationis pœna retinendos, primates officiorum capitali supplicio subiugādos perpeti auctoritate sancimus,&c. Dat. IIII. Kal. Octob. Altino & Theodoro V.C. CONS.

De frumento vrbis Constantinopolitanæ. *Tit. XVI.*

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Monaxio P.V.

QVingentas auri libras partim à tui culminis indagine, partim amplissimi senatus grata inlatione collectas ad prohibēdam famem ita huic titulo consecramus, vt quidquid super frumentaria comparatione titulus emptionis inuenerit in tribunalibus præfecturæ vrbanæ subgestorum testificatione pandatur: vt summa collecta & incremēta quæ venundato tritico accesserint, patrum insinuetur examini, omni de eo, quæ contra hunc titulum temptabitur, vsurpatione cessante: vt nec tuæ sedis auctoritate,nec cuiquam liceat cuiuscumque, vel honestæ occasionis obtentu hæc perpensa vllo pacto conuellere: ne non modo tot sententiarum violare munimina videatur, sed & familiari dispendio quatiatur: & id quod ex hac auri quantitate decerpserit, geminatum arcæ frumentariæ inferat. Si quis autem priuatim ad vsus proprios intra vrbem amplissimam frumentum comparare voluerit, habeat licentiam coemendi. Dat. VI. Kalend. Maij, Constantinop. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

II. Idem AA. Vrso P.V.

Nulli ne diuinæ quidem domui nostræ frumentum de horreis publicis pro annona penitus præbeatur, sed integer canon mancipibus consignetur, annona in pane cocto domibus exhibenda. Ita enim debet canon ab inclytæ memoriæ Constantino præstitutus, necnon à diuo pietatis meæ auo auctus expendi: quoniam crescit inopia,si frumento,quod pro annona tribuitur,ad vsus alios deputata cognoscantur. Cogentur enim sibi de publico emere quæ aliis vendere potuissent. Dat. X. Kal. Aug. Constp. Theodoro A. VII. & Palladio COSS.

III. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Leontio P.V.

Sescentarum vndecim auri librarum quantitas ad coemptionem frumentariam sit perpetuò dedicata. Nec liceat cuiquam postea administratione vrbicariæ potestatis percepta, aliquid ex memorata summa minuere, vel ad quoscumque alios vsus conuertere: sed sub gestorum testificatione certum fiat,& quòd mancipibus mutui nomine datum est, & quòd ab hisdem sit (excepta omni concussione) soluendum. Eum autem qui hanc formam ausus fuerit inquietare, quantitatem in qua suam calliditatem exercuerit, in duplum redhibere iubemus: & quidquid ex prædicta ratione adcreuerit, ad cumulum memoratæ auri quantitatis & frumētarij tituli fomitem redundare, legísque huius tenorem æneis tabulis incidi. Dat. V. Kal. Decemb. Cōstantinop. Ariobindo & Aspare COSS.

De annonis ciuicis & pane gradili. Tit. XVII.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. Iouio P.V.

QVia conperimus nonnullos venditis ædibus panes earum penes se retinere: nulli liceat, vt ædes sequantur annonæ. Sanè si qui ex huiusmodi titulo caduci sint panes, fisci viribus vindicētur. Dat. VI. Kal. April. Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

II. Idem AA. ad Mamertinum PF. P.

Panis gradilis in alium gradum translatio inhibetur. Et cognoscat officium PF. Annonæ seuerissima sibi inminere supplicia, si vlterius translationem per gradus permiserit commutari. Dat. V. Id. Decemb. Naisso, Diuo Iouiano & Varroniano COSS.

III. Idem. AA. ad Maximum PF. Annonæ.

Vniuersi panem gradilem de gradibus adipiscantur. Neque cuiquam hæc aut deferatur gratia, aut inponatur iniuria, vt de pistrino accipiat. Omni igitur studio hoc curabit officium sinceritatis tuæ, vt quæcumque illa sunt quæ diurna pistores alimentis popularibus præbēt, omnia ea gradibus distribuāt, non ex officinarum conductoribus promant. PP. die Non. April. Valentiniano & Valente AA. COSS.

IIII Idem AA. ad Mamertinum PF. P.

Ne quid super gradili pane fraudis oriretur, iussimus omne illud quod populo penditur, palam in gradibus non clam à pistoribus ministrari. PP. prid. Non. April. Valentiniano & Valente AA. COSS.

V. Idem AA. ad Populum.

Ciues Romanos qui in viginti panibus sordidis, qui nunc dicuntur Ardiniensis, quinquaginta vncias comparabat, triginta & sex vncias in bucellis sex mundis sine pretio consequatur: ita vt ius in his nullus habeat officialis, nullus seruus, nemo qui ædificiorum percipiat panem. Quorum si quis se aliqua ratione fortasse inmerserit, adquisito pane priuabitur, proprium nihilominus perditurus: aut dabit pro condicione supplicium, eo qui commissam detulit fraudem, & emptoris panes & venditoris habituro. Popularibus enim quibus non est aliunde solatium, quibus idem panis hodiéque distrahitur, & eorum successoribus clementia nostra deputabit, in quo nunc emitur loco propriis gradibus erogandum. Quibus titulus figendus est æneus, in quem & panis modus & percipientis nomen debebit incidi. Et si ad tantum alicuius temeritas eruperit, vt aut per se, aut per aliquem suorum sibi quolibet modo ius panis istius adque æreæ tabulæ suum voluerit nomen inserere, supradictis condicionibus subiacebit. PP. Romæ, Kal. Aug. Valentin. NB. P. & Victore COSS.

VI. Idem AA. ad Maximum PF. Ann.

Si quis vmquam actor, procurator, seruúsve Senatoris vsurpatum gradilem gratificante, aut vendente scriba, vel etiam consentiente perceperit, subiciatur eculei quęstioni. Ac si eundem patuerit temeritate propria, adque ignorante domino de perceptione panis inlicitè transegisse, ipse sub vinculis pistrino quod fraudabat, inseruiat. Si verò Senatoris culpa id fuisse constiterit, domus eius fisci viribus adgregetur. Ex aliis quoque si quis rei familiaris facultatibus

præditus

prædictus designatum crimen admiserit, cum his quæ habet, pistrini exercitio subiugetur. Si quis etiā pauperrimus rerum erit, cogetur exhibere operariam seruitutem. In scribas verò quos constiterit nefas vetitum perpetrasse, vindex legum gladius exeratur. Dat. XIIII. Kal. April. Triu. Valentiniano & Valente coss.

VII. Idem AAA. Clearcho P.V.

Vendendi de reliquo popularibus annonam consuetudinem derogamus: vt huiusmodi celebrata venditio omni careat firmitate. Verùm si quis vrbe abeundum esse crediderit, panes ceteráque quæ percipit, in horreorum conditis reseruentur, poscentibus iuxta legem eiusdem ordinis hominibus deferenda: quin lege proposita etiam quæ fuerint fortasse distractæ, ad originem propriam iúsque reuocamus. Siquidem iustum est, vt in perpetuum suum quisque detineat, & per succedaneas vices proprius ordo teneat, vt palatinus palatini, miles verò militaris, popularem annonam popularis exposcat: nec alterum alterius sibi expetens diuersorum ordinum valeat miscere rationem. Dat. VIII. Kalend. Maij, Modesto & Arintheo coss.

VIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Restituto P.V.

Si quis ex schola defecerit, mortémque obierit, non ab alio corpore vacantes flagitētur annonæ, sed ipsis scholis cessuræ diuidendæque perdurent. Dat. Prid. Id. Iul. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. AA. coss.

VIIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Proculo P.V. Constantinop.

Annonas ciuicas in vrbe Constantinopolitana scholæ scutariorum, & scutariorum clibanariorum diui Constantini adseruntur liberalitatem meruisse. Quarum ex magna parte inminutio facta perhibetur: quod alij eas putarunt tamquam proprias distrahendas, alij per successionum gradus hereditarium ius venire. Sublimis igitur eminentia tua omnes eas quas quoquomodo alienatas fuisse reppererit, his scholis quibus donatæ ac deputatæ sunt (amota omni reluctatione) restituet. Habere enim debent earum perpetuitatem, quarum meruere compendium. Dat. VII. Kal. Aug. Romæ, Timasio & Promoto coss.

X. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Proculo P.V.

Annonas ciuicas non tam titulis dignitatum, quàm singulorum viritim meritis adtributas diui Constantini liberalitate sat claruit. Ideóque nihil ex his scholarum nomine vindicetur, sed pro vniuscuiusque merito quæ sunt concessa seruentur: vt quicunque perceptarum annonarum emolumenta vel in heredes proprios iure sanguinis transfuderunt, vel in extraneos distractionis titulo transcribserunt, maneat quod gestum est, vel hereditatis merito, vel venditionis arbitrio. Dat. VII. Kal. Iul. Constp. Arcad. A. II. & Rufino coss.

XI. Idem AAA. Aureliano P.V.

Annonas ciuicas ad hoc militaribus viris beneficiū diuale distribuit, vt qui emolumenta perciperent, ædificādi studio magnitudinem vrbis augerent: ac proinde ne frustra deputatis commodis perfruantur, quorum ope incremēta

mœnium non iuuantur, id super his annonis, quę scholis erogari solēt, seruādum est, vt hij tantum qui domus habent, deputata suo nomini commoda consequantur: aliæ retractatæ, adque in suspenso habitæ nostræ munificētiæ reseruentur: his tantummodo etiam, si liberalitas sacra extiterit, deputandæ, qui ex numero militarium virorū annonas pro extructis domibus beneficio nostræ adnotationis acceperint: vt & parata sui munera habeat largitas, & superfluis necessitas non grauetur. Dat. VI. Kal. Maij, Constp. DN. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XII. Idem AAA. Aureliano P.V.

Si quæ speciatim annonæ domus in hac vrbe habentibus diuæ memoriæ Constantini vel Constantij largitates concessæ sunt, adque in heredes proprios iure successionis, vel in extraneos venditionis titulo transierunt, erogatione solita ministrētur, & si quæ scholarum nomine defenduntur. Inlustris igitur magnificentia tua & hanc super his formam custodire debebit. Si quæ vero ad arbitrium Proculi datæ nobis nescientibus erogantur, & retrahere eas ilico, & reuocare debebit. Dat. XII. Kal. Decemb. Constp. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Africano P.V.

Eos quos in hac vrbe domos non habere cognoueris, annonis nouis quolibet titulo acceptis priuari tua magnitudo præcipiet: nec vllis emolumentis ciuicis adiuuare. Neque enim fas est, vt qui vrbis adfectum domus indicio mōstrare neglexerint, eius commodis perfruantur. Sin verò quisquam est, qui se ædes spōdeat habiturum, nisi intra sex menses instruxerit, nequaquam publicarum annonarum modum potiatur. PP. III. Kal. Aug. Cōstp. Arc. IIII. & Hon. III. AA. COSS.

XIIII. Idem AA. Clearcho P.V.

Inclytæ recordationis pater clementiæ nostræ post solitum canonem, qui vrbi Augustissimi nominis præbetur, certum Annonarum modum de nouo canone addendum esse cōstituit. Et quia nonnullos absque liberalitate nostra ex ea quantitate annonas consequi compertum est, magnificētia tua nulli ex eo modo annonam faciat ministrari, qui vel liberalitate nostra perceperit, vel super his quæ ab inlustri sede magnitudinis tuæ ei sunt deputatæ, triumphalis dexteræ nostræ confirmationem est consecutus. Dat. XI. Kal. April. Constp. Arc. V. & Hon. V. AA. COSS.

XV. Idem AA. Monachio P.V.

Dispositione magnificentiæ tuæ olei mensuram firmam manere præcipimus, vt decem & octo per singulos sextarios scripulis ad certorum ordinum commodum commoderata dispositione tua retentis ac distributis sextarius olei ad viginti vnam semis vnciam redigatur. Quam mensuram certum designatis suggestione corporibus solatium constitutam nullius posthac fraude credimus adtemptandam. Dat. XV. Kal. Mart. Basso & Philippo COSS.

De

De mendicantibus non inualidis. *Tit.* XVIII.

1. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Seuerum P.V.

CVnctis adfatim quos in publicum quæstum incepta mendicitas vocauit, inspectis exploretur in singulis, & integritas corporum & robur annorum, adque ea inertibus & absque vlla debilitate miserandis necessitas inferatur, vt eorum quidem quos tenet condicio seruilis, proditor studiosus & diligens dominium consequatur. Eorum verò quos natalium sola libertas prosequatur, colonatu perpetuo fulciatur quisquis huiusmodi lenitudinem prodiderit, ac probauerit, salua dominis actione, in eos, qui vel latebram fortè fugitiuis, vel mendicitatis subeundæ consilium præstiterunt. Dat. XII. Kal. Iul. Pataui, Antonio & Syagrio coss.

De pretio panis ostiensis. *Tit.* XVIIII.

1. Impp. Arcad. & Honor. AA. Theodoro PF. P.

PAnem ostiensem adque fiscalem vno nummo distrahi volumus. Sancimus autem, vt nullus per sacrum rescribtum audeat pretium ampliare. Qui si obtulerit supplicationem, duarum librarum auri multa ferietur. Dat. Prid. Id. April. Med. Honorio A. IIII. & Eutychiano coss.

De pretio piscis. *Tit.* XX.

1. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

QVi ministerij nostri causa exhibendi piscis cura vel sollicitudine tenentur, plus à se exigi, quàm quod emere potuerint, protestantur. Si quidem in tricenis libris sibi solidus ministretur, & multo disparem quantitatem vix ægréque valeant comparare. Ideoque per vicena pondo piscis primæ scilicet qualitatis memoratis solidus ministretur. Spatangium sanè in primæ qualitatis piscem imputari præcipimus, quod decem librarum pôdus sua magnitudine minimè excedere videtur. Dat. XVII. Kal. Maij, Lucio V. C. CONS.

De nautis tiberinis. *Tit.* XXI.

1. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P. V.

QVi nauem Tiberinam habere fuerit ostensus, onus reipublicæ necessarium agnoscat. Quęcumque igitur nauigia in alueo Tiberis inueniuntur; competentibus & solitis obsequiis mancipentur, ita vt nullius dignitas, aut priuilegium ab hoc officio vindicetur. Dat. VIII. Id. Octob. Altino, diuo Iouiano & Varroniano coss.

De saccariis portus Romæ. *Tit.* XXII.

1. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P. V.

OMnia quæcunque aduexerint priuati ad portũ vrbis æternę, per ipsos saccarios, vel eos qui se huic corpori permiscere desiderãt, magnificentia tua iubeat comportari: & pro temporũ varietate mercedes cõsiderata iusta ęstimatione taxari: ita vt si claruerit aliquem priuatũ per suos aduenticias species comportare, quinta pars eius spe-

ciei fisco lucratiua vindicetur. Dat. VI. Id. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano coss.

De patronis horreorum Portuensium. *Tit.* XXIII.

1. Impp. Arcad. & Honor. AA. Messalæ PF. P.

PAtronos horreorum Portuensium singulis tantum annis præesse decernimus, omni subreptione cessante: ne vnquã vetaris erogationis ratiocinium nobis commeantibus inferatur: nec vltra tempus cõstitutum quispiam sibi administrationem horreorum Portuensium fraudulenter vsurpet, nisi prioris anni ratiocinio antè deducto, in alium annũ quasi fidelis iam & idoneus subrogetur. Dat. VI. Kal. April. Altino, Stilichone & Aureliano coss.

De mensis oleariis. *Tit.* XXIIII.

1. Imp. Constantinus A. ad Cerealem PF. Annonæ.

MEnsæ oleariæ quæ ita caducę fuerint, vt nullius possit adhęrere dominio, vicenis follibus per officium distrahantur. Sed si quis mensam oleariam prędictis follibus emptam cariore pretio vẽdiderit, ferreis vinculis constrictus ad Illyricum transmittatur, pœnam congruam luiturus. Si quis autem mensam oleariam in dominio suo retinens viuendi cursum impleuerit, eandem mensam ad successores proprios cum reliquis suis rebus hereditario poterit iure transmittere. Dat. Kal. Mart. Nicomedię. Acc. VIII. Id. April. Romę, Ianuarino & Iusto coss.

De frumento Carthaginiensi. *Tit.* XXV.

1. Imp. Constantinus A. ad Catulinum Proc. Africæ.

SI quis corpora æneo frumento obnoxia detraxerit, ab omni interpellatione liber sit: quamuis alia corpora possederit, siue coemerit libera ab ænei frumenti inquietudine. Comparatores enim rerum obnoxiarum teneri oportet pro modo eius rei, quam adepti sunt, etiam si extrà liberalitate rem fuerint consecuti. Sed quia plerique ex magistratibus ænei frumenti pensitatione obnoxij, vel ipsi sibi dum administrant, alios subrogarunt, vel redempti pro aliis alios creauerunt, rescissis subrogationibus ad eiusdem ænei frumenti pensitationem teneantur. Illos enim solos ex subrogatis perseuerare oportet, quos constiterit idoneos esse facultatibus, & minus idoneorum loco non à redemptis magistratibus subrogatos. Dat. prid. Id. Dec. Sirmi, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. coss.

De frumento Alexandrino. *Tit.* XXVI.

1. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

IN æstimatione frumenti quod ad ciuitatem Alexandrinã conuehitur, quidquid de crithologia & zygostasij munere, & pro naucleriorũ tuenda substãtia eminẽtia tua disposuit, roboramus. Adque vt curialibus prędæ auferatur occasio, iubemus eos ad huiusmodi sollicitudinem adfectandã nunquam accedere, sed designata officia tuis

tuis prouisionibus examinata sollicitudinem prædictam implere. Dat. v. Kal. Feb. Constantinop. Honorio VIII. & Theodosio V. AA. COSS.

II. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Isidoro PF. P.

Diurnos centum & decem modios alimoniis Alexandrinæ ciuitatis addi decernimus: vt nemo priuetur eo quod nunc vsque percepit, & perissochoregiæ nomen penitus amputetur, & tesseræ designentur, & nostræ pietatis nomine censeantur. Dat. prid. Non. Iun. Constp. Isidoro & Senatore COSS.

De Alexandrinæ plebis primatibus. *Tit. XXVII.*

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Gennadio PF. Augustali.

ARchigerontes & diœcetæ ergasiotanorum numero deligantur. quod officium tuum sollicitis obseruet excubiis. Dat. Non. Febr. Constantinop. PP. Alexandriæ, Arcad. IIII. & Honorio III. AA. COSS.

II. Impp. DD. NN. Theod. & Valentinianus AA. Isidoro PF. P.

Corporatos ciuitatis Alexandrinæ repurgandi fluminis onere liberamus, & pro tenore & dispositione tua quadringentos solidos ex dinummio vectigali memoratæ ciuitatis præcommodari decernimus: ita vt ex titulo nauium omnibus modis repensetur. Dat. prid. Non. Iun. Constantinop. Isidoro & Senatore COSS.

CODICIS THEODOSIANI LIBER DECIMVSQVINTVS.

De operibus publicis. *Tit. I.*

I. Imp. Constantinus A. ad Flauianum Proc. Afric.

NEMO propriis ornamentis esse priuandas existimet ciuitates. Fas siquidem non est acceptum à veteribus decus perdere ciuitatem, veluti ad vrbis alterius mœnia transferendum. Dat. IIII. Non. Feb. Med. Acc. VIII. Id. Iul. Constantino A. & Cæs. COSS.

II. Idem A. Menandro.

Propter neglegentiam Iudicum qui imperialia præcepta differunt, ad diuersas prouincias diuersos mittimus, qui ad scientiam nostram referant, quæ vel diligētia promota viderint, vel desidia corrupta culpauerint. Monēdi autem Iudices sunt, qui instaurare publica opera debent, vt de effectis eis potiùs, quàm inchoatis ad no-

ſtram ſcientiam referant: niſi fortè iuſta ratione petendum ſit aliquos (ſi fortè defuerint) inpenſarum titulos prouideri. De rebus autem præcipuis maximiſque non de quibuſcumque viliſſimis noſtrum debent interpellare conſilium. Dat. III. Id. April. Sirmio, Criſpo II. & Conſtantino II. vv. CC. coss.

III. Idem A. Secundo PF. P.

Prouinciarum Iudices commoneri præcipimus, vt nihil ſe noui operis ordinari antè debere cognoſcant, quàm ea conpleuerint, quæ à deceſſoribus inchoata ſunt: exceptis dumtaxat templorum ædificationibus. Dat. III. Kal. Iul. Conſtantino A. VII. & Conſtantio Cæſ. coss.

IIII. Idem A. Haue Felix K. NB.

Omnes intra centum pedes vicinitus, quantum ad horrea pertinet, arceantur. Ac ſi quid conſtructum fuerit, diruatur: quoniam experimentis nuperrimis palàm factum eſt, ædificiorum quæ horreis adhærebant, incendiis fiſcales copias laboraſſe. Quòd ſi quis ædificandi amore publica damna neglexerit, nō ſolùm quod conſtruxit, ſed omnes res eius, & quidquid in ſuo iure habuit, fiſco adiudicari præcipimus. Dat. XI. Kal. Aug. Sirmio, Conſtantino A. IIII. & Conſtantio Cæſ. coss.

V. Impp. Conſtantius & Conſtans AA. Haue Catuline K. NB.

Plurimi inmunitates operum publicorum conceſſione Iudicum adepti ſunt. Itaque omnes iubemus inquiri, vt eorum nomina adque etiam priuatas indulgentias lenitudo noſtra cognoſcat, & infra iam nunc tamen iuſſimus, vt aduerſus fas elicitas inmunitates per detrimenta ſi conperiſſent, & in lucro habere deſiſtant, in poſterum aditus ſimilia cupientibus obſtruatur. Dat. VI. Kal. Aug. Sirmio, Vrſo & Polemio coss.

VI. Idem AA. ad Marcellinum Com. Orientis.

Quæ operibus publicis inpenſa cōſtiterit, accepto ferri oportere cognoſcas. Dat. V. Non. Octob. Conſt. Limenio & Catulino coss.

VII. Idem AA. ad Senatum.

Quoniam diuerſi Iudices nonnulla opera, in quibuſdam æſtimant vrbibus extruenda, ad huiuſmodi neceſſitatem Senatorum ſubſtãtia non vocetur. Eos quoque Senatores quibus per diuerſas prouincias fuerit ſollicitudo cōmiſſa, fretos ſanctione noſtra huiuſcemodi temptamẽtis decet cōſtanter obſiſtere: ne ſenatoriæ facultates harum rerum contemplatione vexentur. Dat. V. Non. Maij, Tauro & Florentio coss.

VIII. Idem AA. Ecdicio PF. Ægypti.

Oportuit prætoria Iudicum, & domos iudiciarias publico iuri adque vſui vindicari. Sed quia ſalubris noſtra diſpoſitio dilata eſt, nunc ſaltem tradatur effectui, &c. PP. IIII. Non. Decemb. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta. coss.

VIIII. Idem AA. Ecdicio PF. Ægypti. Poſt alia.

Comperimus ſuper ergaſteria publica, quæ ad ius pertinent ciuitatis, pleroſque ſibi domos extruxiſſe. Pręcipimus ergo eas inconcuſſo iure quæ ædificauerunt, poſſidere. PP. IIII. Non. Decemb. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta coss.

INTER

INTERPRETATIO. *Si quis in ciuitate consistēs in locis publicis sibi domos forte construxerit, eas sine inquietudine aliqua possideat.*

x. Idem AA. ad Rufinum.

Quicumque cuiuslibet ordinis, dignitatis aliquod opus publicum quoquo genere obscura interpretatione meruerit, fructu talis beneficij sine aliqua dubitatione priuetur. Non solùm enim reuocamus quod factum est, verum etiā in futurum cauemus, ne qua fraude temptetur. Dat. VII. Id. Decemb. Aquil. Mamertino & Neuitta COSS.

xi. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P.V.

Intra vrbem Romam æternam nullus Iudicum nouū opus informet, quotiens serenitatis nostræ arbitria cessabunt, ea tamen instaurādi quæ iam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, vniuersis licentiam damus. Dat. VIII. Kal. Iun. Philippis, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

xii. Idem AA. ad Symmachum. PF.V.

Horrea fiscalia apud vrbem Romam, necnon etiam portus in vsus translata priuatos cognouimus. Hæc ad pristinum inferioribus horreorum frumenta condantur, quæ natura loci & humore vitiantur. Annonas quoque horreis antiquitus deputatas hos rethibere conpelles, qui eas in damna publica ausi sunt occupare, quarum substantiam entechæ populi Romani proficere pręcipies. Sanè quos inueniens fabricarum destructionis auctores, adreparationem necessariò tenebis. Dat. VI. Id. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

xiii. Idem AA. Tautomedi Duci Daciæ Ripensis.

In limite grauitati tuæ commisso præter eas turres quas refici oportet, si forte indigeant refectione turres, administrationis tempore quotannis locis oportunis extrue. Quod si huius præcepti auctoritatem neglexeris, finita administratione reuocatus in limitem ex propriis facultatibus eam fabricam, quam administrationis tempore adiumentis militum & inpensis debueras fabricare, extruere cogeris. Dat. XIII. Kal. Iul. Med. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

xiiii. Idem AA. ad Mamertinum PF.P.

Præsumptionem Iudicum vlteriùs prohibemus, qui in euersionem abditorum oppidorum Petropolis, vel splendidissimas ciuitates ornare se fingunt, transferendorum signorum, vel marmorum, vel columnarum materias requirentes. Quod post legem nostram sine pœna admittere non licebit, præsertim cum neque nouam constitui fabricam iusserimus, ante quam vetera reformentur. Et si adeo aliquid fuerit inchoandum, ab aliis ciuitatibus conueniat temperari. Dat. Kalend Ianuar. Med. Valentiniano & Valente COSS.

xv. Idem AA. ad Dracontium.

Lex sancientibus nobis rogata est, quæ Iudices omnes & Rectores prouinciarum edicto suo adque auctoritate cohibet aliquid noui operis adripere priùs, quàm ea quæ victa senio fatiscerent, repararent. quæ nunc etiam credidimus repetenda. Dat. XIIII. Kal. Mart. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XVI. Idem AA. ad Mamertinum PF.P.

Censura tua ac Iudicibus licentiam penitus amputabit, ne aliquid nouellum adgrediátur opus, veterum inlustrium fabricarum reparatione neglecta. In eo sanè larga ac benigna his licentia tribuetur, vt ornamenta vrbium, ac decora marmorum, quæ in aliquo senium temporis sentiût, ad speciem pristinam & vsum congruæ vtilitatis instaurêt. Ceterùm nihil auspicari quemquam noui operis patieris, exceptis stabulorum fabricis, quę ex vsu publico (si ita res tulerit) non prohibemus institui. Dat. Id. Mart. Senigalia, Valentiniano & Valente AA. COSS.

XVII. Idem AA. ad Valentinianum Cons. Piceni.

Si quid sinceritas tua his vrbibus quibus præest, putauerit deferendum, instaurare antiquum opus rectiùs poterit, quàm nouum inchoare. Sanè si quid reparationi alicuius operis postulandum erit, non in pecunia, sed in ipsis speciebus postulare te par est. Si loca aliqua indigêt nouis stabulis aut horreis, videris exædificare, etiam si emolumêta publica aduerteris postulare. Dat. prid. Non. Octob. Valentiniano & Valente COSS.

XVIII. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PF.P.

Rectores prouinciarum quodcumque opus inchoandum esse necessario viderint in aliqua ciuitate, id arripere non dubitent. Si ciuitatis eius respublica tantum in tertia pensionis parte non habeat, quantùm cœptæ fabricæ poscat inpendium, ex aliarum ciuitatum reipublicæ canone præsumant, tertiæ videlicet portionis. PP. VII. Kal. Feb. Sirmio, Gratiano A. III. & Equitio COSS.

XVIIII. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Senatum. Post alia.

Nemo præfectorum vrbis, aliorúmve Iudicum quos potestas in excelso locat, opus aliquod nouum in vrbe Roma inclyta moliatur, sed excolendis veteribus intendat animum. Nouum quoque opus qui volet in vrbe moliri, sua pecunia, suis operibus absoluat, non contractis veteribus emolumentis, non effossis nobilium operum substructionibus, non rediuiuis de publico saxis, non marmorum frustis spoliatarum ædium reformatione conuulsis. Lecta in Senatu, Valente V. & Valentiniano AA. COSS.

XX. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Iuliano PF. Ægypti.

Iudex qui ad prouinciam fuerit destinatus, duas partes, vel incuria, vel vetustate conlabsas ad statum pristinum nitoris adducat, adque tertiam constrat *nouitatis: si tamen famæ & propriis cupit laudibus prouidere. Dat. XVI. Kal. April. Thessal. Gratiano A. V. & Theod. A. I. COSS.

XXI. Idem AAA. Eutropio PF.P.

Singuli quique Iudicum primo omnium in tuendis veteribus ædificiis publicis impendant propriæ sollicitudinis curā: tum adgrediantur noua, adque studio cautæ celeritatis quidquid à superiore repperint inchoatum, quasi à se cœptum nouerint explicādum. Dat. XVI. Kal. Septemb. Hadrianop. Gratiano A. V. & Theod. A. I. COSS.

XXII. Idem AAA. Haue Procule K. NB.

Prescribtio temporis iuri publico non debet obsistere: sed ne rescribta quidem. Adque ideo diruenda sunt omnia quæ per diuersas vrbes vel in foro, vel in quocumque publico loco ciuitatis extructa noscũtur. Dat. III. Id. Iun. Constp. Merobaude II. & Saturnino coss.

XXIII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Ad portus & aquæductus instaurationem, omnes certatim facta operarũ cõlatione, instare debent. Neque aliquis ab huiuscemodi cõsortio dignitatis priuilegiis excusari. Dat. XV. Kalend. Februar. Constantinop. Richomere, & Clearcho coss.

XXIIII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Omnes quibus vel cura mandata fuerit operum publicorum, vel pecunia ad extructionem solito more decreta, vsque ad annos quindecim ab opere perfecto cum suis heredibus teneantur obnoxij: ita vt si quid vitij in ædificatione infra præstitutum tempus prouenerit, de eorum patrimonio (exceptis tamen his casibus, qui sunt fortuiti) reformetur. Dat. III. Non. Feb. Cõstantinop. Arcadio A. I. & Bautone coss.

XXV. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcadius AAA. Proculo P. V. Constantinop.

Turpe est publici splendoris ornatum priuatarum ædium adiectione corrumpi, & ea quæ conspicuę vrbis decori vel nostri temporis, vel prioris seculi ætate creuerunt, auiditate cogendæ pecuniæ sociari. Vnde sublimis eminentia tua quidquid talis astutiæ depręhenderit fraude violatum, id si publicis nitoribus faciem aspectus deterioris inducit, siue illud voluntaria præsumptione temeratum est, siue expressam coactis adnotationibus occasionem fraudis obtinuit, iubebit amoueri. Tuo enim arbitrio relinquimus à quibus temperandum, quæúe diruenda diiudices. Dat. XVI. Kalend. August. Rom. Timasio & Promoto coss.

XXVI. Idem AAA. Polemio PF. P. Illyrici & Italiæ.

Quotiens clariores vrbis per singulas quasque prouincias expensis propriis & vectigalibus maiorem pecuniam absoluendi cuiuslibet operis necessitate deposcunt, id ex minorum viribus vindicetur, ita vt non antè poscatur, quàm omnis summa, quæ hisdem ex suis compendiis quæri solet, instaurandis ædibus adsumatur. Consequens verò erit, vt in notitiam serenitatis nostræ, quotiens habita fuerit hæc vectigalium vsurpatio, deriuetur, quãtum fuerit aliunde præsumptum, per quos expensum, quatenus consummatum. Dat. XVII. Kal. Feb. Med. Valentiniano A. IIII. & Neotherio coss.

XXVII. Idem AAA. Albino P. V. Rom.

Augustę in partibus ciuitatis magis antiqua reddi conuenit, quàm inchoari superuacua. Nosse itaque par est officium magnitudinis tuæ, & ceteros, à quibus sumptus huiusmodi operibus de ærario prębebuntur, accepto omnino non ferri, si quis per vsurpationem opus pręter conscientiam nostram intra æternam vrbem voluerit publica conlatione construere. Ideóque summã omnem quę illi contra interdictum forte prębebitur, pecunia sua, & propriis facultatibus pendet sequestrata condemnatione librarum auri decem quæ plectet sacrilegam contemnentis audaciam. Dat. prid. Non. April. Med. Va-

lentiniano A. IIII. & Neotherio coss.

XXVIII. Idem AAA. Polemio PF. P. Illyrici & Italiæ.

Si quis nouum opus in qualibet ciuitate sustollere audaciùs quàm consulti ùs molietur, de proprio se cõlaturum sumptus, & perfecturum, quod cœperit noscat. Nihil quippe dispensatoribus ex hoc vsu feremus accepto, & contra officium adque ipsum Iudicem auri pondo dena constringent: vt saltem metu, quod facere sponte debuerant reficiendis vetustioribus inpendãt laborẽ. Dat. prid. Non. April. Med. Valentin. A. III. & Neotherio V. C. coss.

XXVIIII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Aureliano P. V.

Ne quis Iudicum noua ædificia moliatur, cum opera nonnulla, aut cœpta penderent, aut neglecta nutarent. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio coss.

XXX. Idem AAA. Aureliano P. V.

Si quando concessa à nobis licentia fuerit extruendi, id sublimis magnificentia tua sciat esse seruandum, vt nulla domus inchoandæ publicæ fabricæ gratia diruatur: nisi vsque ad quinquaginta libras argenti pretij æstimatione taxabitur. De ædificiis verò maioris meriti ad nostram scientiam referetur, vt vbi amplior poscitur quantitas, imperialis extet auctoritas. Dat. III. Kalend. Mart. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio coss.

XXXI. Idem AAA. Rufino PF. P.

Si qui Iudices perfecto operi suum potiùs nomen, quàm nostræ perennitatis scribserint, maiestatis teneantur obnoxij. Illud etiam repetita sanctione decernimus, vt nemini Iudicum liceat nouis molitionibus industriæ captare famam. Quòd si quis in administratione positus sine iussu nostro ædificij alicuius iacere fundamenta temptauerit, is proprio sumptu etiam priuatus perficere cogetur, quod ei non licuerat inchoare: nec prouincia permittetur abscedere priùs quàm ad perfectũ manu cœptum perduxerit: & si quid de quibuslibet publicis titulis in ea ipsa fabrica præcepto eius impensum fuerit, reformarit. Dat. III. Non. Iul. Constp. Arcadio III. & Honor. II. AA. coss.

XXXII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Eusebio Consular. Siciliæ.

Ne splendidissimæ vrbes vel oppida vetustate labantur, de reditibus fundorum iuris reipublicæ tertiam partem reparationi publicorum mœnium & thermarum subustioni deputamus. Dat. XI. Kalend. Iul. Med. Olybrio & Probino coss.

INTERPRETATIO. *Quotiens ædificia vetustate consumpta necesse fuerit reparari, ad ipsam reparationem tertiam partem de proprio fiscus impendat.*

XXXIII. Idem AA. Haue Vincenti K. NB.

Pręcipua nobis cura est, ne aut prouinciales nostri superindictionibus prægrauentur, aut opera publica pereant vetustate conlabsa. Singuli igitur ordines ciuitatum ad reparationem mœnium publicorum nihil sibi amplius nouerint præsumendum, præter tertiã portionem eius canonis, qui vt locis fundisque reipublicę quotannis conferri solet: sicut diui parentis nostri Valentiniani senioris deputauit auctoritas. Dat. III. Non. Iul. Med. Olybrio & Probino conss.

XXXIIII. Idem AA. Cæsario PF. P.

Omnes prouinciarum Rectores litteris moneantur, vt sciant ordines adque incolas

incolas vrbium singularum muros, vel nouos debere facere, vel firmiùs veteres renouare: scilicet hoc pacto inpendiis ordinandis, vt adscribtio currat pro viribus singulorum. Deinde scribantur pro æstimatione futuri operis territoria ciuium, ne plus poscatur aliquid, quàm necessitas imperauerit, néve minùs: ne instans inpediatur effectus. Oportet namque per singula iuga certa quæque distribui, vt par cunctis prębendorum sumptuum necessitas inponatur. Dat. VIIII. Kal. April. Arcad. IIII. & Hono. III. AA. COSS.

XXXV. Idem AA. Cæsario PF. P.

Quidquid de palatiis aut prętoriis Iudicum, aut horreis, aut stabulis & receptaculis animalium publicorum ruina labsum fuerit, id Rectorum facultatibus reparari pręcipimus, qui à primo consulatu diui genitoris nostri, vsque præsens tempus gesserunt iudiciariam potestatem. PP. Regio, Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

XXXVI. Idem AA. Asterio Com. Orientis.

Quoniam vias, pontes, per quos itinera celebrantur, adque aquæductus, muros quinetiam iuuari prouisis sumptibus oportere signasti, cunctam materiam, quæ ordinata dicitur, ex demolitione templorum memoratis necessitatibus deputari censemus, quo ad perfectionem cuncta perueniant. Dat. Kalend. Nouemb. Cæsario & Attico COSS.

XXXVII. Idem AA. Theodoro PF. P.

Nemo Iudicũ in id temeritatis erumpat, vt inconsulta pietate nostra, noui aliquid operis existimet inchoandum, vel ex diuersis operibus æramen, aut marmora, vel quamlibet speciem, quæ fuisse in vsu vel ornatu probabitur ciuitatis, eripere vel aliò transferre sine iussu tuæ sublimitatis audeat. Etenim si quis contrà fecerit, tribus libris auri multabitur. Similis etiam condemnatio ordines ciuitatum manebit, nisi ornamentum genitalis patriæ decreti huius auctoritate defenderint. Horreorum autem, vel stabulorum fabricas arbitratu proprio prouinciarum Iudices studio laudandæ deuotionis adripiant. Dat. Kal. Ian. Med. Honor. A. IIII. & Eutychiano COSS.

XXXVIII. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Excellens eminentia tua cuncta priuata ędificia, quæ coniuncta horreis publicis esse cognouerit, dirui ac demoliri præcipiet: ita vt ex quattuor lateribus priuatorum consortio separata sint: ac libero spatio recernantur, vt à principio fuerant fabricata. Dat. V. Non. Iul. Constantinop. Honor. A. III. & Eutychiano COSS.

XXXVIIII. Idem AA. Seuero P. V.

Ædificia, quæ vulgi more parapetasia nuncupantur, vel si qua aliqua opera publicis mœnibus, vel priuatis sociata cohærent, vt ex his incendium, vel insidias vicinitas reformidet, aut angustētur spatia platearum, vel minuatur porticibus latitudo, dirui ac prosterni præcipimus. Dat. V. Id. Octobr. Constantinop. Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

XL. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Si aliquando operum publicorum petitores emergant, non nisi diruta penitus, quæ distructa, & quæ parum sint vsui ciuitatum, petitoribus adsignentur. Dat. Id. Decembr. Honorio A. IIII. & Eutychiano COSS.

XLI. Idem AA. Hadriano PF. P.

Omnia ædificia publica siue iuris templorum intra muros posita, vel etiam muris cohærētia, quæ tamen nullis censibus patuerit obligata, curiales & collegiati (submotis conpetitoribus) teneant adque custodiant, suarum non inmemores fortunarum ita vt eos nullus penitus inquietet, qui aliquem locum publicum, aut per sacram adnotationem meruerit, aut in areis vacātibus, quæ nullum vsum ciuitatibus ornatúmque præberent, insinuata auctoritate rescribti propriis sumptibus ædificauerit. Si qua verò super huiusmodi locis fuerit orta dubitatio, non aliquid municipes siue collegiatos volumus spōte præsumere: sed à rectore prouinciæ ortam dirimi quæstionem, vel sublimem consuli præfecturam, si iudicandi exegerit difficultas. Palatina sanè officia ab his locis abstinere oportet, nec præbendæ instructionis gratia cuique subripiendi aditum reserari. Cùm si quando à quopiam vacans locus, aut area postulatur, consultiùs ad ordinarios Iudices nostri mittantur affatus: vt si neque vsui, neque ornatui ciuitatis adcommodum videtur esse quod poscitur, periculo ordinis & prouincialis officij, absque vllius gratiæ conludio, conpetitori sub gestorum testificatione tradantur, pensiones autem quæ deinceps sublatę à conpetitoribus fuerint, rationabiliter inpositas reparationi iubemus proficere ciuitatis: videlicet pensionibus præteriti temporis, quæ iam sollemniter sacro priuatóque debentur ærario. Dat. IIII. Non. Iul. Med. Vincentio & Frauitta COSS.

XLII. Idem AA. Eutychiano P. F. P.

* Eudoxiopolitanæ ciuitatis ciues pro oblatano suam patriā ergasteria condonamus. Ne quis igitur ergasteria memorata à nostra serenitate deinceps petere moliatur, eáque ratione ciuium (quorum censum cupimus ampliari) iura perturbet. Dat. prid. Id. Iul. Constp. Honor. A. VI. & Aristineto COSS.

XLIII. Idem AA. Hadriano PF. P.

Petentibus loca publica ea condicione adnuimus, ne quid vsui vel ornatibus, aut commodis ciuitatum auferatur. Et quamquam nullum opinemur existere, qui contra commoda, vel ornatum propriæ ciuitatis competitorum obreptionibus cohiberet, adtamen huiuscemodi rescribta non nisi ad excellentiam tuam referri præcipimus: scientibus Iudicibus, quòd si quis deinceps subrepticia voluerit, allegare rescribta, non nisi reprehensione existimationis suæ, & pœna officiorum suorum his aditum præbebunt. Si in tradendis locis publicis, si qui fortè nostra liberalitate fuerint concessi, excellentiæ tuæ non expectetur auctoritas. Dat. VIII. Kalend. Octob. Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS.

XLIIII. Idem AA. Æmiliano P. V.

Si quādo vsus exegerit, vel porticus, vel quaslibet ædes ętatis senio, seu fortuitis concussas casibus, reparari, liceat etiam inconsulta clemētia nostra cum reuerentia sui imaginem deponere vel nostram vel retrò principum, reportatámque post refecta ædificia loco proprio denuo conlocare. Dat. V. Kal. Iul. Constp. Arcad. A. VI. & Probo COSS.

XLV. Idem AA. Æmiliano P. V.

Omnibus tabulatis, tam his quæ intercolumnis adfixa sunt, quàm his quæ superiores porticus diuidunt, ad formam pristinam ciuitatis habitus reuocetur.

tur. Ascensibus etiam his, qui ad superiores porticus ducunt, tam in latiorem modum patentibus, quàm pro ligneis scalis lapideis gradibus fabricandis. Ita enim & pericula incẽdij aberunt, & si qui casus aduersi tulerint, facilè amoris angustiis, homines inter incendia discursus, ac liberandi sui facultatem inuenient. Dat. XI. Kal. Nouemb. Constp. Arcad. A. VI. & Probo COSS.

XLVI. Idem AA. Æmiliano P.V.

Ædificia priuatorum publicis ædibus adhęrentia, siue superposita destrui tollíque pręcipimus. Et in posterum id apertè sancimus, vt si qui ædificandi iuxta publicas ædes animos dederit, quindecim pedum spatio interiecto inter publica ac priuata ædificia, ita sibi nouerit fabricandum, vt tali interuallo & publicæ ædes à periculo vindicẽtur, & priuatus ædificator, velut perperam fabricati loci destructionis quandoque futuræ non timeat detrimentum. Dat. XI. Kalend. Decemb. Const. Arcad. A. VI. & Probo COSS.

XLVII. Impp. Honor. & Theod. AA. Monaxio P.V.

Quicumque locus in palatio huius vrbis priuatis ædificiis incommodè occupatus est, is quamprimùm subruptis omnibus, quæ in eo sunt ædificiis, palatio reformetur. Quod priuatorum non est parietibus cohartandum. Nam imperio magna ab vniuersis secreta debentur: vt hi tantùm locum habeant habitandi, quos legitimus maiestatis nostræ vsus & reipublicæ disciplina delegit: in futurum etiam vniuersis ab huiusmodi vsurpatione prohibendis. Dat. VIIII. Kalend. Mart. Constp. Honor. VIII. & Theod. III. AA. COSS.

XLVIII. Idem AA. Bonosiano P.V.

Nihil ex his quæ instaurationi ornatibúsque singulis deputauit antiquitas, nullius colore occasionis auferri volumus. Igitur futuro proximo consulatu vniuersa prædictæ vrbi debitorum vectigalium inlibata augmẽta perualeant. Dat. IIII. Kalend. Decemb. Rau. Post cons. Varanæ v.c.

XLVIIII. Idem AA. Herculio PF. Illyrici.

Constructioni murorum & comparationi transuectionis specierum vniuersi sine vllo priuilegio cohartentur: ita vt in his dumtaxat titulis vniuersi portione suæ possessionis & iugationis ad hęc mœnia cohartẽtur: quò ita demum à summis ad infirmos vsque sarcina decurrente ferendi oneris non leue solatium, sed in commune omnibus profuturum communi labore curetur quod in partibus dumtaxat Illyricianis nostram clementiam statuisse tua sublimitas recognoscat. Dat. v. Id. April. Cõstp. DD. NN. Hon. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

L. Idem AA. Isidoro P.V.

Opus cœptum extruatur: & porticus thermas Honorianas pręcurrat acię columnarum: cuius decus tantum est vt priuata iustè negligeretur paulisper vtilitas. Sed ne census sui quisquam intercepta lucra deploret, sed è contrario cum pulchritudine ciuitatis etiam fortunas suas auctas esse lætetur: pro loco quod quisque possederat, superędificandi licentiam habeat. Nam in locum priuati ædificij, quod in vsum publicum translatum est, occupationem basilicæ iubemus vetustæ succedere: vt contractus quidam, & permutatio facta videatur, cùm dominus, qui suum dederat ciuitati, pro ea habiturus sit ex publico, remota omni formidine quod incõcusso robore & ipse habere, & quibus velit tradere, habebit liberam facultatem. Dat. IIII. Kalend. Nouemb.

Conſtantinop. Honorio VIIII. Theod. V. AA. COSS.

LI. Idem AA. Anthemio PF. P.

Turres noui muri qui ad munitionem ſplendidiſſimæ vrbis extructus eſt completo opere, pręcipimus eorum vſui deputari, per quorum terras idem murus ſtudio ac prouiſione tuæ magnitudinis ex noſtræ ſerenitatis arbitrio celebratur: Eadem lege in perpetuum & condicione ſeruanda, vt annis ſingulis hi, vel ad quorum iura terrulæ demigrauerint, proprio ſumptu earum inſtaurationem ſibimet intellegant procurandam, earúmque vſu publico beneficio potientes, curam reparationis ac ſollicitudinem ad ſe non ambigant pertinere. Ita enim & ſplendor operis & ciuitatis munitio cum priuatorum vſu & vtilitate ſeruabitur. Dat. prid. Non. April. Lucio V.C. CONS.

LII. Idem AA. Seuerino P.V.

Quia plurimæ domus cum officinis ſuis in porticibus Zeuxippi eſſe memorantur, reditus memoratorum locorum pro quãtitate, quæ placuit ad præbenda luminaria, & ædificia, ac tecta reparãdæ gratia vrbis huius lauacro ſine aliqua iubemus excuſatione conferri. Dat. V. Id. Ian. Victore CONS.

LIII. Idem AA. & Valentinianus Cæſ. Conſtantio P.V.

Exſedras quæ ſeptentrionali videntur adhęrere porticui, in quibus tantum amplitudinis & decoris eſſe monſtratur, vt publicis commodis poſſint capacitatis ac pulchritudinis ſuæ admiratione ſufficere, ſupradictorum conceſſibus deputabit. Eas verò quæ tam Orientali, quã Occidentali lateri copulantur, quas nulla à platea aditus adque egreſſus patamen ipſiſque humiliores aliquanto adque anguſtiores putantur, vicinarum ſpatia cellularum ex vtriuſque lateris portione oportet adiungi: ne quid aut miniſtris eorumdem locorum deſit, aut populis. Sanè ſi qui memoratas cellulas probabuntur vel imperatoria largitate, vel quacumque alia donatione aut emptione legitima poſſidere, eos magnificentia tua conpetens pro hiſdem de publico pretium iubebit accipere. Dat. Kalend. Mart. Conſtantinop. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæſ. COSS.

De aqua ductu. *Tit. II.*

I. Impp. Conſtantius A. ad Maximilianum Conſ.

Quarum poſſeſſores per quorũ fines formarũ meatus trãſeunt, ab extraordinariis oneribus volumus eſſe inmunes, vt eorum opera aquarum ductus ſordibus obpleti mundẽtur, nec ad aliud ſuperindictæ rei onus hiſdem poſſeſſoribus adtinendis, ne circa res alias occupati repurgium formarum facere non occurrant. Quod ſi neglexerint, amiſſione poſſeſſionum multabuntur. Nam fiſcus eius prædium obtinebit, cuius neglegentia perniciem formæ congeſſerit. Pręterea ſcire eos oportet, per quorum prædia ductus commeat, vt dextra leuáque de ipſis formis quindecim pedibus intermiſſis arbores habeant: obſeruante tuo officio, vt ſi quo tempore pullulauerint excidantur, nec earum radices fabricam formæ corrumpant. Dat. XV. Kal. Iun. Gallicano & Symmacho COSS.

II. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. Fortunaciano Com. R.P.

Aquęductus qui Dafnenſi palatio vſum aquę pręſtat, quorundam auiditate

te tenuatur adpotis maioribus fistulis, quàm ex imperiali largitate meruerũt: Consensu igitur omnium in tribus locis conceptacula reparentur, & singulorum nomina modúsque seruãdus tabulis adscribatur: & si vltra licitum aliquem vsurpare constiterit, per singulos obolos libræ vnius auri dispendiis ingrauetur. Et si sacri tenore rescribti aliquis certum modum aquæ meruisse noscetur, non prius eidem accipiendi potestas aliquatenus tribuatur, nisi adito Rectore ex ipso conceptaculo quantitatem, quam meruit, possit adipisci. Dat. III Kal. Nou. Antiochiæ, Valentiniano NB. P. & Victore COSS.

III. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Clearcho P.V.

Summas quidem domus si lauacris lautioribus pręsententur, binas non amplius aquæ vncias: aut si hoc amplius exegerit ratio dignitatis, supra ternas neutique possidere: mediocres verò & inferioris meriti domus singulis & semis contentas esse decernimus. Si tamen huiuscemodi balneas easdem habere claruerit, ceteros verò qui mansionem spàtio angustiore sustentantur, ad mediæ vnciæ vsum tantum gaudere præcipimus: neque obreptionem cuiquam patere: ita vt quod tibi paret officium, sex librarum auri multa feriatur, nisi prodiderit vsurpantes: & is qui fefellit, careat impetrato. Dat. X. Kal. Iul. Constp. Antonio & Syagrio COSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Pancratio P.V.

Si quis decetero vetiti furoris audacia florentissimę vrbis commoda voluerit mutilare, aquam ad suum fundum ex aquæductu publico deriuando, sciat eundem fundum fiscalis tituli proscribtione signatum priuatis rebus nostris adgregandum. Dat. VIII. * Cõstp. Timasio & Promoto COSS.

V. Idem AAA. Albino P.V. Rom.

Eos qui aquæ copiam vel olim vel nunc per nostra indulta meruerunt, eius vsum aut ex castellis, aut ex ipsis formis iubemus elicere, neque earum fistularum (quas matrices vocant) cursum ac soliditatem adtemptare. Dat. V. Kal. Sept. Rom. Timasio & Promoto COSS.

VI. Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Africanum P.V.

Quicumque ex aquæ ductu magis quàm ex castellis aquæ vsum putauerit deriuandum, etiam id quod prius iure beneficij fuerat consecutus, amittat. In eum verò pro condicione personæ cõueniet seuerissimo supplicio vindicari, qui aduersus statuta huius oraculi auidæ cupiditatis noluerit frena cohibere, vt priuatis indulti meatus mensura famuletur. PP. IIII. Kal. Iun. Constp. Olybrio & Probino COSS.

VII. Idem AA. Asterio Cons. Orient. Post alia.

Vsum aquæ veterem longóque dominio constitutum singulis quibusque manere censemus, nec vlla nouatione turbari: ita tamen vt quãtitate singuli, quam vetere licentia percipiunt, more vsque in pręsentem diem perdurante percipiant: mansura pœna in eos qui ad inrigationes agrorum, vel hortorum delicias, furtiuis aquarum meatibus abutuntur. Dat. Kalend. Nou. Cæsario & Attico CONSS.

Ista lex tam euidens est vt expositione non indigeat.

VIII. Idem AA. Messalæ PF. P.

Ex forma cui nomen Augusta est, quæ in Campania sumptu publico reparata est, nihil priuatim singulorum vsurpatio pręsumat, neque cuiquam post-

hac diriuandæ aquæ copia tribuatur. Si quis autem meatum aquæ ausus fuerit auertere, quinque libras auri ærario nostro inferre cogatur. Quidquid etiã ob eam fraudem ex rescribto fuerit elicitum, vel qualibet arte temptatum, irritum habeatur. Dat. v. Kalend. Ian. Med. Theodoro v.c. CONS.

VIII. Idem AA. ad Flauianum P.V.

Ne quis Claudiam, interruptis formæ lateribus adque perfossis, sibi fraude elicita existimet vindicandam. Si quis contrà fecerit, earum protinus ædium & locorum amissione multetur. Officium præterea cuius ad sollicitudinem operis huius custodia pertinebit, hac pœna constringimus: vt tot librarum auri inlatione multetur, quot vncias Claudiæ nostra cohibentia eius vsurpatas fuisse constiterit. Dat. VI. Id. Nou. Med. Stilichone & Aureliano COSS.

De itinere muniendo. *Tit. III.*

I. Imp. Constantinus A. ad Proculum Procons. Afric.

EMphyteuticarij possessores qui mansuetudinis nostrę beneficio ad extraordinaria minimè deuocentur, sicut ceteri prouinciales obsequium suum muniendis itineribus inpendant. Nulla enim ratione debent ab hoc, quod in cõmune omnibus profuturum est, esse seiuncti PP. Non. Maij, Karthagine, Constantino A. V. & Licinio Cæs. COSS.

II. Imp. Iulianus A. ad Auitianum Vic. Afric. Post alia.

In muniendis viis iustissimum æquitatis cursum reliquit auctoritas. Singuli enim loca debent quæque sortiri, vt sibi consulant, vel neglegentia, vel labore. Igitur eos loca iuxta morem priscum delegata curare oportebit, &c. Dat. VII. Kalend. Nou. Iuliano A. IIII. & Salustio COSS.

III. Imppp. Valentin. Theod. & Arcad. AAA. ad Eusignium PF. P.

A viarum munitione nullus habeatur inmunis: & eorum prędiorum actores, qui fortè iniuncto onere priuilegiorum contemplatione parere minimè voluerint, nostræ domui vindicentur. Dat. IIII. Kal. Mart. Valentiniano A. III. & Eutrop. COSS.

IIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Messalæ PF. P.

Dudum quidem fuerat constitutum, vt inlustrium patrimonia dignitatum ab instauratione itinerum haberentur excepta. Verùm propter inmensas vastitates viarum, certatim studia cunctorum ad reparationem publici aggeris conducibili deuotione volumus festinare, nulla ad instructum munitionis huiusce dignitate, aut priuatorum priuilegiorum in qualibet studiosiùs adpetita. Etiam istud adiungimus, vt domos etiam clementiæ nostræ, quas vetusta, & innumera ab huius oneris curatione priuilegia vindicabant, par condicio & sollicitudo constringat. Ita tamen vt in ceteris quæ inlustribus vel patrimonio nostro præcedentibus edictis beneficia fuerant adtributa intemerata permaneant. Dat. III. Kalend. Maij, Med. Theodoro v.c. CONS.

V. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

Antiquatis omnibus vel personalibus rescribtis, vel per adnotationes elicitis, per Bithyniam ceteràsque prouincias, possessores & reparationi publici aggeris & ceteris eiusmodi muneribus pro iugorum numero vel capitũ quæ possidere noscuntur, adstringi cogantur. Dat. VII. Kal. Nou. Constp. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

VI. Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

Absit vt nos instructionem viæ publicæ, & pontium, stratarúmque operam titulis magnorum principum dedicatam inter sordida munera numeremus. Igitur ad instructiones reparationésque itinerum pontiúmque nullum genus hominum, nulliúsque dignitatis ac venerationis meritis cessare oportet. Domos etiam diuinas ac venerandas Ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus. Quam legem cunctarum prouinciarum Iudicibus intimari conueniet, vt nouerint quæ viis publicis antiquitas tribuenda decreuit, sine vllius vel reuerentiæ vel dignitatis exceptione pręstanda. Dat. XV. Kal. Mart. Constp. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

De imaginibus imperialibus. *Tit. IIII.*

I. Imp. Theod. A. & Valentinianus Cæs. Ætio PF. P.

SI quando nostræ statuæ vel imagines eriguntur, seu diebus (vt adsolet) festis, siue communibus, adsit Iudex sine adorationis ambitioso fastigio: vt ornamentum diei, vel loco & nostræ recordationi sui probet accessisse præsentiam. Ludis quoque simulacra proposita tantùm in animis concurrentum mentísque secretis nostrum numen & laudes vigere demonstrēt, excedēs cultura hominum dignitatum superno numine reseruetur. Dat. III. Non. Maij, Theod. A. XI. & Valentin. Cæs. COSS.

De spectaculis. *Tit. V.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum PF. P.

MAgistratus & sacerdotiorum editiones quæ aut in ciuitatibus, aut certè in his debent exigi quas delegit antiquitas, non in potestate Iudicum sint, qui plerumque dum popularem plausum alienis spoliationibus aucupantur, ea quæ in cōpetenti loco sollers diligentia præparauit, ad alteram vrbem transferri præcipiunt: sed in eorum arbitrio maneant, quorum expensis ac sumptibus procurādæ sunt. Dat. VII. Kalend. Maij, Triu. Modesto & Arintheo COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Rufino PF. P.

Nullus omnino Iudicum, aut theatralibus ludis, aut circensium certaminibus, aut ferarum cursibus vacet, nisi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel imperij sumus sceptra sortiti: hísque vt ante meridiem tantùm sollemnitati pareant: post epulas verò ad spectaculum redire desistant, in quo tamen omnes siue Iudices, siue priuati, nihil penitus auri prēmio dandum esse cognoscēt: quòd solis licet consulibus, quibus erogandi moderationem vitæ meritis permisimus. Illud etiam prēmonemus, ne quis in legem nostram, quam dudum tulimus, committat. nullus solis die populo spectaculum præbeat, nec diuinam venerationem confecta sollemnitate cōfundat. Dat. XIII. Kal. Iun. Heracliæ, Honor. NB. P. & Euod. V. C. COSS.

III. Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P.

Nemo Iudicum ex quacumque ciuitate in aliud oppidum vel ex prouinciæ solo equos curules, aurigas ciues temptet traducere: ne dū popularibus plausibus intemeratè seruiunt, & publicarum rerum statum fatigent, & festiuita-

tem inpediant in cunctis oppidis celebrandam. Ita vt si quis hanc violauerit iussionem, pœna teneatur ea, quæ legum violatores persequitur. Dat. VIII. Id. Aug. Constp. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

IIII. Imp. Theod. A. Isidoro PF. P. Illyrici.

Delforum curiæ facultates nouis damnis frequenter adtritas relatio tui culminis intimauit. Ideóque præceptis ad vniuersas Illyrici ciuitates Iudicésque transmissis, notum omnibus faciat, nullum penitus spectacula oportere solemnia vrbis æternæ populis exhibere: sed vnumquemque ciuium intra propriam ciuitatem debere solitæ deuotionis officia (prout patrimonij sui vires patiuntur) implere, grauissimæ pœnæ interminatione proposita non solùm contra eos, qui huiusmodi functiones crediderint exigẽdas, sed etiam contra ordinarios vbique Rectores. Dat. X. Kal. Mal. Constantinop. Victore V. C. CONS.

V. Idem A. & Valentinianus Cæs. Asclepiodoto PF. P.

Dominico qui septimanæ totius primus est dies & natale, adque Epiphaniorum Christi, Paschæ etiam & quinquagesimæ diebus, quamdiu cœlestis lumen lauacri imitantia nouam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur, quo tempore & commemoratio Apostolicæ Passionis totius Christianitatis magistræ à cunctis iure celebratur, omni theatrorum adque circensium voluptate per vniuersas vrbes earundem populis denegata, totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. Si qui etiam nunc vel Iudæi impietatis amentia, vel stolidæ paganitatis errore adque insania detinentur, aliud esse supplicationum nouerint tempus, aliud voluptatum. Ac ne quis existimet in honorem numinis nostri veluti maiore quadam imperialis officij necessitate compelli, & nisi diuina religione contempta spectaculis operam præstat, subeundam forsitan sibi nostræ serenitatis offensam, si minus circa nos deuotionis ostenderit, quàm solebat, nemo ambigat. Quod tunc maximè mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, cùm virtutibus Dei omnipotentis ac meritis vniuersis obsequium orbis impenditur. Dat. Kalend. Feb. Constantinop. Theod. XI & Valentiniano Cæs. CUSS.

De Maiuma. *Tit. VI.*

I. Impp. Arcad. & Honorius AA. Cæsario PF. P.

CLementiæ nostræ placuit, vt maiumæ prouincialibus lætitia redderetur: ita tamen vt seruetur honestas & verecundia castis moribus perseueret. Dat. VII. Kal. Mal, Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

II. Idem AA. Aureliano PF. P. Post alia.

Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia generetur. Illud verò quod sibi nomen procax licentia vindicabit, maiumam fœdum adque indecorum spectaculum denegamus. Dat. VI. Non. Octob. Constantinop. Theod. V. C. CONS.

De

De Scænicis. *Tit. VII.*

I. Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus, AAA. ad Viuentium P.V.

SCænici & scęnicæ qui in vltimo vitæ necessitate cogente interitus inminentis ad Dei summi sacramenta properarunt, si fortassis euaserint, nulla posthac in theatralis spectaculi conuentione reuocentur. Ante omnia tamen diligenti obseruari ac tueri sanctione iubemus, vt verè & in extremo periculo constituti, id pro salute poscentes (si tamen antistites probant) beneficij consequantur. Quod vt fideliter fiat, statim eorum ad Iudices, si in præsenti sunt, vel curatores vrbium singularum desideriũ perferatur: Quod vt inspectoribus missis sedula exploratione quæratur, an indulgeri his necessitas poscat extrema suffragia. Dat. III. Id. Febr. Triu. Gratiano A. II. & Probo COSS.

II. Idem AAA. ad Iulianum Proc. Afric.

Ex scænicis natas, si ita se gesserint, vt probabiles habeãtur, tua sinceritas ab inquietantium fraude direptionibúsque submoueat. Eas enim ad scænam de scænicis natas æquum est reuocari, quas vulgarem vitam conuersatione & moribus exercere & exercuisse constabit. Dat. VIII. Id. Septemb. Magontiaci, Gratiano A. II. & Probo COSS.

III. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Hesperium Proc. Afric.

Non inuidemus sed potiùs cohortamur amplectenda felicis populi studia, gymnici vt agonis spectacula reformentur. Verumtamen cùm primates viri populi studiis ac voluptatibus grati esse cupiant, promptiùs permittimus, vt integra sit voluptas quæ volentium celebretur inpensis. Dat. VI. Id. Mart. Triu. Valente V. & Valentiniano AA. COSS.

IIII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Paulinum P.V.

Mulieres quæ ex viliori sorte progenitæ spectaculorum debentur obsequiis, si scęnica officia declinarint, ludicris ministeriis deputentur, quas necdum tamen consideratio sacratissimæ religionis & Christianæ legis reuerentia suæ fidei mancipauit. Eas enim quas melior viuendi vsus vinculo naturalis condicionis euoluit, retrahi vetamus. Illas etiam feminas liberas à contubernio scęnici pręiudicij durare præcipimus, quæ mansuetudinis nostræ beneficio expertes muneris turpioris esse meruerunt. Dat. VIII. Kalend. MaI. Med. Gratiano V. & Theod. II. AA. COSS.

V. Idem AAA. ad Paulinum P.V.

Quisquis thymelicam ex vrbe venerabili inmemor honestatis abduxerit, eandémque in longinqua transtulerit, seu etiam intra domum propriam, ita vt voluptatibus publicis non seruiat, retentarit: quinque librarum auri inlatione multetur. Dat. V. Kal. MaI. Med. Gratiano V. & Theod. I. AA. COSS.

VI. Idem AAA. ad Valerianum P.V.

Equos quos ad sollemne certamen vel mansuetudinis nostræ largitio subministrat, vel diuersorum ex amplissimo ordine magistratuum, hactenus ad copiam prouidendos serenitas nostra decreuit: vt quidquid illud est, quod

palmarum numero gloriosum & celebratis vtrimque victoriis nobile congregatur, spectaculis potiùs vrbanę plebis inseruiat, quàm prędę adque compendio deputetur. Quisquis igitur ex eo quod vel serenitas nostra, vel ordinarij consules, vel pretores in huiuscemodi tribuunt voluptates, quamlibet commodis compendióque priuato deriuandam duxerit esse iacturam, vnius auri librę condemnatione multatus, largitionibus nostris cogatur esse munificus. Dat. VIII. Kal. MaI, Triu. Eucherio & Syagrio COSS.

VII. Idem AAA. ad Valerianum P. V.

Eos qui agitandi munus exercent, inlust. auctoritas tua nullis præter circense certamen, adfici nouerit pertinere suppliciis. Dat. VIII. Id. MaI, Eucherio & Syagrio COSS.

VIII. Idem AAA. ad Valerianum. P. V.

Scænæ mulier, si vacationem religionis nomine postularit, obtētu quidem petitionis veniæ non desit, verum si pòst turpibus volutata complexibus, & religionem, quam expetierit, prodidisse, & gerere, quod officio desierat, animo tamen scęnica detegetur, detracta in pulpitū, sine spe absolutionis vllius ibi eousque permaneat, donec anus ridicula senectute deformis. Nec tūc quidem absolutione potiatur, cùm aliud quàm casta esse non possit. Dat. VIII. Id. MaI, Aquila, Syagrio & Eucherio COSS.

VIIII. Idem AAA. Herasio Proc. Afric.

Quęcumque ex huiusmodi fęce progenitæ scęnica officia declinare, ludicris ministeriis deputentur: quas necdum tamen sanctissimæ religioni & in perenne seruandæ christianæ legis secretorum reuerentia suæ fidei vindicarit. Illas etiam feminas liberatas contubernio scęnico pręiudicij durare pręcipimus, quæ mãsuetudinis nostræ beneficio expertes muneris turpioris esse meruerunt. PP. Karthagine, V. Kal. Septemb. Eucherio & Syagrio COSS.

X. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Fidicinam nulli liceat vel emere, vel docere, vel vendere, vel conuiuiis aut spectaculis adhibere. Nec cuiquam, aut delectationis desiderio erudita feminea musicæ artis studio liceat habere mancipia. Dat. VIII. Kalend. Iul. Constantinop. Arcadio A. I. & Bautone COSS.

XI. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PF. P.

Nulla mima gemmis, nulla sigillatis, sericis, aut textis vtatur auratis. His quoque vestibus nouerint abstinēdum quas Gręco nomine à Latino crustas vocant: in quibus alio admixtus colori puri robur muricis inardescit. Vti sanè hisdem sculatis & variis coloribus sericis auróque sine gemmis, collo, bracchiis, cingulo, non vetamus. Dat. XI. Kalend. Octob. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio COSS.

XII. Idem AAA. Rufino PF. P.

Si qua in publicis porticibus, vel in his ciuitatum locis, in quibus nostræ solent imagines consecrari, pictura pantomimũ veste humili & rugosis sinibus agitatorē, aut vilem offerat histrionem, ilico reuellatur. Neque vnquã posthac liceat in loco honesto inhonestas adnotare personas. In aditu verò circi, vel in theatri prosceniis, vt conlocentur non vetamus. his illud adicimus, vt mimæ, & quæ ludibrio corporis sui quęstũ faciunt, publicè habitu earũ virginum, quæ deo dicatæ sunt, non vtãtur, & vt nulla femina, nec puer thymelici

consortio

consortio inbuantur, si christianæ religionis esse cognoscitur. Dat. III. Kal. Iul. Heracl. Arcad. A. III. & Honorio A. II. COSS.

XIII. Impp. Honorius & Theodosius AA. Diogeniano v.c. Tribuno Volupt.

Mimas diuersis adnotationibus liberatas ad proprium officium summa instãtia reuocari decernimus: vt voluptatibus populi, ac festis diebus solitus ornatus deesse non possit. Dat. VI. Id. Febr. Rum. Constantio v.c. Cæs. Acc. à Tribuno Volupt. x. Kal. Feb. Karthagine, Post cons. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

De Lenonibus. *Tit.* VIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Seuerum P.V.

SI quis feminas quæ se dedicasse venerationi Christianæ legis sanctissimæ dinoscuntur, ludibriis quibusdam subicere voluerit, ac lupanaribus venditas faciat vile ministerium prostituti pudoris explere, nemo alter easdem coëmendi habeat facultatem: nisi aut hij qui ecclesiastici esse noscuntur, aut Christiani homines demonstrantur, conpetenti pretio persoluto. Dat. IIII. Non. Iul. Hierap. Placido & Romulo COSS.

II. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Florentio PF.P.

Lenones patres & dominos qui suis filiis vel ancillis peccandi necessitatem inponunt, nec iure frui dominij, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet hanc indignatione subduci, nec potestatis iurę frui valeat, ne quid eis ita possit adquiri: sed ancillis filiabúsque, si velint, conductísve pro paupertate personis, quas sors damnauit humilior, Episcoporum liceat, Iudicum etiam defensorúmque implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absolui: ita vt si insistendum eis lenones esse crediderint, vel peccandi ingerant necessitatem inuitis, non amittant solum eam, quam habuerant potestatem, sed proscribti pœna mancipentur exilij, metallis addicendi publicis, quæ minor pœna est, quàm si præcepto lenonis cogatur quispiam coitionis sordes ferre, quas nolit. Dat. XI. Kal. MaI, Felice & Tauro COSS.

De expensis ludorum. *Tit.* VIIII.

I. Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. ad Senatum.

NVlli priuatorum liceat holosericam vestem sub qualibet editione largiri. Illud etiam constitutione solidamus, vt (exceptis cõsulibus ordinariis) nulli prorsus alteri auream sportulam dyptica ex ebore dandi facultas sit. Cùm publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, alia materia dypticis: nec maiorem argenteum nummum fas sit expendere, quàm qui formari solet, cùm argenti libra vna in argenteos sexaginta diuiditur, minorem dare volentibus non solùm liberum, sed etiam honestũ esse permittimus. Dat. VIII. Kal. Aug. Heracliç, Richomere & Clearcho COSS.

II. Impp. Honorius & Theod. AA. Anthemio P.V.

Cunctos Iudices admonemus, vt ludorum quidem, quibus moris est, inter-

sint festiuitati, & oblectamentis fauorem eliciant populorum. Verum expensarum non excedant duorum solidorum librata inpendia: nec inconsulta plausorum insania curialium vires, fortunas ciuium principalium, domus possessorum opes reipublicæ robur euellant: exceptis alytarchis, syriarchis, agonothethis, itémque asiarchis, & ceteris quorum nomen votiua festiuitatis solemnitas dedicabit. Dat. v. Kal. Mart. Constantinop. Honor. VIII. & Theod. III. COSS.

De equis curulibus. Tit. X.

I. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium P. V.

PAlmatis adque hermogenis equos quos in curulis certaminis forte, vel contentionis incertum, vel annorum series, vel diuersa ratio debiles fecit, ex horreis fiscalibus alimoniam præberi decreuimus. Equos verò Hispani sanguinis vendendi solitam factionariis copiam non negamus. Illud quoque sinceritas tua præcipiat obseruari, ne Græcorum equorum nomina, qui hinc missi fuerint, commutentur. Dat. Kal. Ian. Gratiano A. II. & Probo COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Valerianum P. V.

Equos voluptatibus profuturos nequaquam Campanorum populus adsequatur, quàm si duo milia modiorum fabæ per singulas factiones stabulorũ in vrbe venerabili necessaria antiqua & sollemni præbitioni contulerint. Dat. x. Kal. Maij, Aquil. Syagrio & Eucherio COSS.

De venatione ferarum. Tit. XI.

I. Impp. Honor. & Theod. AA. Mauriano Com. Domestic. & vices agen. Mag. mil.

OCcidendorum leonum cunctis facimus potestatem, neque aliquando sinimus quemquam calumniam formidare, cùm & salus nostrorum prouincialium voluptatis nostræ necessario præponatur, & hæc ipsa propria voluptatis intercludi minime videatur: quandoquidem occidendi feras, non venandi venundandíque licentiam dederimus. Occidendi igitur memorata feras & ducibus & officiis eorum conuentis cunctis licentia tribuatur. Dat. XIII. Kal. Iun. Constantio & Constante VV. CC. COSS.

II. Idem AA. Monaxio PF. P.

Præsidalis officij Eufratensis deploratione conperimus eos qui transductioni ferarum à Duciano officio deputantur, pro septem vel octo diebus cõtra legationum formam tres, vel quattuor menses in Hieropolitanam vrbem residentes, post expensas tanti temporis etiam caueas exigere, quas nulla præberi consuetudo permittit. Ideóque præcipimus bestias quæ ad comitatum ab omnibus limitum Ducibus transmittuntur, non plusquàm septem diebus intra singulas ciuitates retineri: scientibus Ducibus & eorum officiis, si quid

quid contra hæc commissum fuerit, quinas se libras auri fisci viribus inlaturos. Dat. v. Kal. Octob. Constantinop. DN. Honor. A. XI. & Constantio II. V. C. COSS.

De Gladiatoribus. *Tit. XII.*

I. Imp. Constantinus A. Maximo PF. P.

CRuenta spectacula in otio ciuili & domestica quiete nō placent. Quapropter qui omnino gladiatores esse prohibemus eos qui fortè delictorum causa hanc condicionem adque sententiam mereri consueuerant, metallo magis facies inseruire, vt sine sanguine suorum scelerum pœnas agnoscant. PP. Beryto, Kal. Octob. Paulino & Iuliano COSS.

II. Impp. Constantius A. & Iulianus Cæs. ad Orfitum P. V.

Vniuersi qui in vrbe Roma gladiatorium munus impendunt, prohibitum esse cognoscant, sollicitandi auctorandos milites, vel eos qui palatina sunt præditi dignitate, sex auri librarum multa imminente, si quis contra temptauerit. Sponte etiam ad munerarium adeuntes per officium sublimitatis tuæ ad magistros equitum ac peditum, aut eos qui gubernant officia palatina oneratos ferreis vinculis mitti conueniet: vt huius legis statuto palatij dignitas à gladiatorio detestādo nomine vindicetur. Dat. XVI. Kal. Nouemb. Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

III. Impp. Arcadius & Honorius AA. ad Populum.

Post alia.

Si quos è gladiatorio ludo ad seruitia senatoria transisse constabit, eos in extremas solitudines amandari decernimus. Dat. & PP. Romæ, Cæsario & Attico COSS.

De vsu sellarum. *Tit. XIII.*

I. Impp. Arcadius & Honorius AA. Claudio P. V.

EXceptis plebeis scænicis, & qui spectaculo suo præbuit populo materiam voluptatis, & tabernariis, ceteris omnibus vsum sellarum & sedendi ac conueniendi in publicum tribuimus facultatem. Dat. VIII. Kal. Ian. Constantinop. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

De infirmandis his quæ sub tyrannis, aut barbaris gesta sunt. *Tit. XIIII.*

I. Imp. Constantius A. ad Constantium PF. P.

REmotis Licini tyranni Constitutionibus & legibus, omnes sciant veteris iuris & statutorum nostrorum obseruari debere sanctionem. PP. XVII. Kal. Iun. Crispo III. & Constantino III. Cæs. COSS.

II. Idem A. ad Vniuersos Prouinciales.

Tyranni & Iudicum eius gestis infirmatis, nemo per calūniam, vel id quod ipse sponte fecit euertere, nec quod legitime gestum est. * Dat. prid. Id. Feb. Paulino & Iuliano COSS.

III. Idem A. Antiocho PF. Vigil.

Quæ tyrannus contra ius rescripsit, non valere præcipimus: legitimis eius

rescribtis minimè impugnandis. Dat. VIII. Id. Iul. Rom. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

IIII. Idem A. ad Senatum.

Super his qui ex senatoribus ad nauicularium munus à tyranno deiecti sunt, ac restitui suis natalibus deprecantur, placuit vestræ sanctitati iudicium examénque mandare: vt vos eligatis qui splendori vestro patrimonij viribus, & honestate viuendi, & natalium dignitate respondent. Incongruum est enim tantæ dignitatis arbitrium alteri potiùs, quàm vestris suffragiis sententiisque committere. Eorum autem quos vt dignos elegeritis nomina PF. Vrbis nobis insinuet, vt vestrum iudicium conprobemus. Dat. Id. Iul. Constátino A. VII. & Constantio Cæs. COSS.

V. Imp. Constantius A. & Constans Cæs. ad Vniuersos Prouinciales & Populum.

Quæ tyrannus, vel eius Iudices contra ius statuerunt, infirmari iubemus, reddita possessione expulsis: vt qui vult ab initio agat. Emancipationes autem & manumissiones, & pacta sub eo facta, & transactiones valere oportet. Dat. III. Non. Nouemb. Med. Constantio A. V. & Constante COSS.

VI. Imppp. Valentinianus, Theod & Arcadius AAA. Trifolio PF. P.

Nullus sibi honorem audeat vindicare quem tyrannica concessit audacia: sed ad pristinum statum damnata præsumptio reuocetur. Dat. X. Kal. Octob. Aquil. Theod. A. II. & Cynegio COSS.

VII. Idem AAA. Trifolio PF. P.

Omne iudicium quod vafra mente conceptum iniuria non iura reddendo Maximus infandissimus tyrannorum credidit promulgádum, damnabimus. Nullus igitur sibi lege eius, nullus iudicio blandiatur. Dat. VI. Id. Octob. Med. Theod. A. II. & Cynegio COSS.

VIII. Idem AAA. Constantiano PF. P. Galliarum.

Omnes qui tyranni vsurpatione prouecti cuiuslibet acceperunt nomen inlicitum dignitatis, codicillos adque epistulas, & promere iubemus, & reddere. Iuris quoque dictionem adque sententias, quas promere nequiuerunt, qui Iudicum nomen habere non poterunt, ex omnibus publicorum monumentorum scriniis iubemus auferri: vt abolita auctoritate gestorum, nullus his iudicatis conetur inniti, quæ & tempore, & auctore delentur. Exceptis his tantum negotiis, adque in sui integra firmitate mansuris, quæ conuentionibus pactisque finita sunt, si dolo metúve caruerunt. His quoque pariter exceptis quæ donatio transtulit, mancipatio liberauit, contulit manumissio, præmia meritæ seruitutis. Quia in his omnibus voluisse sat iuris est. Dat. XVIIII. Kal. Feb. Med. Timasio & Promoto VV. CC. COSS.

VIIII. Impp. Arcadius & Honor. AA. Andromacho P. V.

Valeat omnis mancipatio tyrannicis facta temporibus, valeat à dominis concessa libertas, valeat celebrata & actis quibuslibet inserta donatio, valeat deficientium omne iudicium, valeat vniuersa venditio, valeant sententiæ Iudicum priuatorum. Conuelli enim iudicium non oportet, quas partium elegit adsensus, & conpromissi pœna constituit. Valeant conceptæ sollemniter pactiones, valeant scribturæ, quibus aut fides rerum, aut ratio probatur, aut debita:

debita: valeant apud quemlibet habitæ spontaneæ professiones: valeat deposita super instituenda lite testatio, valeat impetratio iuris communium liberorum, valeat procuratio scæuis mandata temporibus, datus Tutor, vel Curator optineat firmitatem, valeat in sponsam perfecta largitio, doli ac vis & metus inchoata actio in tempus legitimum perseueret, bonorum amissa possessio, & adfectus adeundæ hereditatis obtineat, & interdicti beneficium non amittat. Valeat in integrum restitutionis petitum auxilium, valeat vindicatio, identidem desiderata tribuatur, locatio & conductio inuiolabilem obtineant firmitatem, interdicti beneficia tempora infausta non mutilent, postulata inofficiosi actio & inmodicarum donationum rescissio petita seruetur, beneficia transacta non titubent, sacramento terminata permaneant, pignoris adque fiduciæ obligatio perseueret, stent denique omnia quæ in placitum sunt deducta priuatum, nisi aut circumscribtio subueniet, aut vis, aut terror ostenditur. Funestorum tantum Consulum nomina iubemus aboleri: ita vt his reuerentia in lectione recitantium tribuatur, qui tunc in Oriente annuos magistratus victuris perpetuò sunt fascibus auspicati. Tempus verò ipsum ac si non fuerit, æstimetur. Siquidem tunc temporis omissa aliqua præscribtio taciturnitatis etiam de illis quæ confirmauimus, non possit obponi. Dat. xi. Kal. Mai, Med. Olybrio & Probino coss.

x. Idem AAA. Eulogio Com. R. P.

Qui tyranni Maximi secuti iussionem fundos perpetui iuris non ab ordinariis Iudicibus, sed à Rationalibus acceperunt, eorum amissione plectantur, adque ad rem priuatam denuo reuertantur. Dat. vi. Kal. Mai. Med. Olybrio & Probino coss.

xi. Idem AA. Andromacho P. V.

Fas est sequi nos paternæ dispositionis arbitrium, adque ideo vniuersos cuiuslibet ordinis viros, de quibus lex nostra reticuerat, ad veniam volumus pertinere, & beneficia inopinantibus vltro deferimus: sancientes hac lege, ne is qui tyranni tempore militauit, vel etiam qualibet administratione donatus est, aut honoraria dignitate perfunctus, vel quicumque in aliquo honore diuersis locis aut exactionibus præfuerũt, notam infamiæ sustineãt, aut deformi vocabulo polluantur. Quibus eas tantùm dignitates valere decernimus, quas ante tyrannicum tempus habuerũt. Dat. xv. Kal. Iun. Mediol. Olybrio & Probino coss.

xii. Idem AA. Eusebio PF. P.

His quos tyrannici temporis labes specie dignitatis infecerat, inustæ maculæ omnem abolemus infamiam. Cunctis igitur statum priorem sine cuiusquam loci, aut ordinis exceptione tribuimus, vt vtantur omnes iure communi, teneant statum veteris dignitatis: ita vt nihil sibi ex his, quos adepti fuerant, honoribus blandiantur. Dat. xv. Kal. Iul. Med. Olybrio & Probino coss.

xiii. Impp. Honorius & Theodosius AA. Hadriano PF. P.

Heracliani vocabulum, nec priuatim, nec publicè vlla memoria teneat. ideóque submouenda esse censemus, quæcunque sub eo gesta esse dicuntur. Libertates quoque (quoniam certum est scelere eius sollemnitatem consulatus esse pollutam) in melius reuocamus: sciatque dominorum voluntas ite-

randum esse quod illo auctore aduertit stare non posse. Semel tamen mutatæ condicionis beneficium inplendum esse præcipimus, & ita repeti manumissionum consuetudines nunc iubemus, vt nullus sub hac occasione incipiat nolle quod voluit. Dat. III. Non. Aug. Rum. Post Cons. Hon. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

XIIII. Idem AA. Constantio Com. & Patricio.

Sub clade barbaricæ depopulationis, si qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum indignè inuidioséque commissa sunt, ad inuidiam placatarum rerum callidis litigatorum obiectionibus non vocētur. Habeant omnium criminum inpunitatem, qui euadendi forsitan nō habuerant facultatem: nisi eos eadem crimina iuuissent. Non enim crimen dicitur, quod mortis adegit inpulsus, ex quo animaduertere cunctos litigatores congruum est, si quid deprædationis agnouerint, se recepturos: si tamen in eorū, quos pulsauerint facultatibus abūdare, aut residere id potuerint conprobare. Dat. Kal. Mart. Rau. DN. Theod. A. VII. & Palladio V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Quicumque hostium terrore compulsus, dum mortem timet excipere, ad deprædandum se cum hostibus fortasse coniunxerit, non propter hoc vocetur ad crimen, quod pro conseruanda vita fecit inuitus. Sanè si quid apud eum de præda resederit, & residuum inuenitur, quod euidenter agnoscitur, hoc solum reddere domino sine calumnia compellatur.*

Quorum vsus interdictus est. Tit. XV.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Buleforum Cons. Campaniæ.

NVlli prorsus, nobis insciis adque inconsultis, quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur. Dat. III. Non. Octob. Altino, diuo Iouiano & Varroniano COSS.

CODICIS THEODOSIANI LIBER DECIMVS SEXTVS.

De fide catholica. Tit. I.

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum P. V.

In vetustis exēplaribus hic titulus secūdus est huius libri.

QVISQVIS Iudex, seu apparitor ad custodiam templorum homines Christianæ religionis adposuerit, sciat non saluti suæ, non fortunis esse parcendum. Dat. XV. Kal. Dec. Med. Valentiniano & Valente AA. COSS.

II. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Edictum ad Populum vrbis Constantinop.

Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum apostolum

lum tradidisse Romanis, religio vsque nunc ab ipso insinuata declarat, quámque pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum apostolicæ sanctitatis, vt secundum apostolicam disciplinam euangelicámque doctrinam patris & filij & spiritussancti vnam deitatem sub parili maiestate, & sub pia Trinitate credamus. hanc legem sequentes Christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti. Reliquos verò dementes væsanósque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, nec conciliabula eorum Ecclesiarum nomē accipere, diuina primùm vindicta, post etiam motus nostri quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus vltione plectendos. Dat. III. Kal. Mart. Thessal. Gratiano v. & Theodosio I. AA. COSS.

III. Idem AAA. ad Auxonium Proc. Asiæ.

Episcopis tradi omnes Ecclesias mox iubemus qui vnius maiestatis adque virtutis patrem & filium & spiritum sanctum confitentur, eiusdem gloriæ, claritatis vnius, nihil dissonum profana diuisione facientes: sed Trinitatis ordinem, personarum adsertionem, & diuinitatis vnitatem, quos constabit communione Nectarl Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Timothei, necnon intra Ægyptum Alexandrinæ vrbis Episcopo esse sociatos: quos etiam in Oriētis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi, in Asia necnon Proconsulari adque Asiana diœcesi, Amphilocio Episcopo Iconiēsi, & Optimo Episcopo Antiocheno in Pontica diœcesi Helladio Episcopo Cæsariensi, & Otreio Meliteno, & Gregorio Episcopo Nysseno, Terennio Episcopo Scythiæ, Marmario Episcopo Marcianop. communicare constiterit, hos ad optinēdas catholicas Ecclesias ex communione & consortio probabilium sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem qui ab eorum quos commemoratio specialis expressit fidei communione dissentiunt, vt manifestos hæreticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum pontificium facultatémque permitti, vt veræ ac Nicenæ fidei sacerdotia casta permaneant: nec post euidentem præcepti nostri formam malignæ locus detur astutię. Dat. III. Kal. Aug. Heracl. Eucherio & Syagrio COSS.

IIII. Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius AAA. ad Eusignium PP. P.

Damus copiam colligendi his, qui secundum ea sentiunt quæ temporibus diuæ memoriæ ConstantI, sacerdotibus conuocatis ex omni orbe Romano, expositâque fide ab his ipsis qui dissentire noscuntur, Ariminensi concilio Constantinop. etiam confirmata in æternum mansura decreta sunt: conueniendi etiam quibus iussimus patescat arbitrium: scituris his qui sibi tantum existimant colligendi copiam contributam, quòd si turbulentum quippiam contra nostræ tranquillitatis præceptum faciendum esse temptauerint, vt seditionis auctores pacísque turbatæ Ecclesiæ, etiam maiestatis capite ac sanguine sint supplicia luituri: manente nihilominus eos supplicio, qui contra hanc dispositionem nostram obreptiuè, aut clanculò supplicare temptauerint. Dat. x. Kal. Feb. Med. Honorio NB. P. & Euodio COSS.

I. Imp. Constantinus A.

In vetustis exemplaribus hic titulus primus est huius libri.

HÆreticorum factione comperimus Ecclesiæ catholicæ clericos ita vexari, vt nominationibus seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi priuilegia prægrauentur. Ideóque placet, si quem tua grauitas inueneriit ita vexatum, eidem alium subrogari, & deinceps à supradictæ religionis hominibus huiusmodi iniurias prohiberi. Dat. prid. Kal. Nou. Constantino A. III. & Licinio III. Cæs. coss.

II. Idem A. Octauio Corrector. Lucaniæ & Brittiorum.

Qui diuino cultui ministeria religionis inpendût, id est, hi qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur: ne sacrilego liuore quorundam à diuinis obsequiis auocentur. Dat. XII. Kal. Nou. Constantino A. V. & Licinio Cæs. coss.

INTERPRETATIO. *Lex hæc speciali ordinatione præcipit, vt de clericis non Exactores, non Adlectos facere quicunque sacrilega ordinatione præsumat, quos liberos ab omni munere, id est, ab omni officio, omníque seruitio iubet Ecclesiæ deseruire.*

III. Idem A. ad Bassum PF. P.

Cùm Constitutio emissa præcipiat, nullum deinceps decurionem, vel ex decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus adque obeûdis publicis muneribus oportunum ad clericorum nomẽ obsequiúmque cõfugere: sed eos decęterò in defunctorũ dumtaxat clericorum loca subrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus ciuilibus teneãtur obstricti: cognouimus illos etiam inquietari, qui ante legis promulgationẽ clericorũ se cõsortio sociauerint. Ideóque pręcipimus his ab omni molestia liberatis illos qui post legem latam obsequia publica declinantes ad clericorum numerum confugerunt procul ab eo corpore segregatos curię ordinibúsque restitui & ciuilibus obsequiis inseruire. PP. XV. Kal. Aug. Constantino A. VI. & Constantio Cæsare coss.

IIII. Idem A. ad Populum.

Habeat vnusquisque licentiam sanctissimo catholicæ venerabilíque concilio decedens, bonorum quod optauit relinquere. Non sint cassa iudicia. Nihil est quod magis hominibus debetur, quàm vt supremæ voluntatis postquam aliud iam velle non possunt, liber sit stilus, & licens, quòd iterum non redit arbitrium. PP. V. Non. Iul. Rom. Crispo II. & Constantino II. Cæs. coss.

V. Idem A. ad Helpidium.

Quoniam conperimus quosdam Ecclesiasticos & ceteros catholicæ sectæ seruientes, à diuersarum religionum hominibus ad lustrorum sacrificia celebranda conpelli. Hac sanctione sancimus, si quis ad ritum alienæ superstitionis cogendos esse crediderit, eos qui sanctissimæ legi seruiunt, si condicio patiatur, publicè fustibus verberetur. si verò honoris ratio talem ab eo repellat iniuriam, condemnationem sustineat damni grauissimi, quod rebus publicis vindicabitur. Dat. VIII. Kalend. Iun. Sirmi, Seuero & Rufino coss.

VI. Idem

VI. Idem A. ad Ablauium PF. P.

Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus sub specie clericorum à muneribus publicis vacatio deferatur, nec temerè & citra modum populi clericis connectantur, sed cùm defunctus fuerit clericus, ad vicem defuncti alius † allegetur, cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillimè queat tolerare: ita vt si inter ciuitatem & clericos super alicuius nomine dubitetur, si eum æquitas ad publica trahat obsequia, & progenie municeps, vel patrimonio idoneus dinoscetur, exemptus clericis ciuitati tradatur. Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum diuitiis sustētari. PP. Kal. Iun. Constantino A. VII. & Constante Cæs. COSS.

† alias, eligatur.

VII. Idem A. Valentino Cons. Numidiæ.

Lectores diuinorum apicum & hypodiaconi ceteríque clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad curiam deuocati sunt, absoluantur: & deceterò ad similitudinem orientis minimè ad curias deuocentur: sed immunitate plenissima potiantur. Dat. Non. Feb. Serdicæ, Gallicano & Symmacho COSS.

VIII. Imp. Constantius A. Clericis salutem dicit.

Iuxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, & vos, & mancipia vestra nullus nouis collationibus obligauit, sed vacatione gaudebitis. Præterea neque hospites suscipietis: & si qui de vobis alimoniæ causa negotiationē exercere volunt, immunitate potientur. Dat. VI. Kal. Septemb. Placido & Romulo COSS.

VIIII. Idem A. Seueriano Proc. Asiæ.

Curialibus muneribus, adque omni inquietudine ciuilium functionum exsortes cunctos clericos esse oportet: filios tamen eorum, si curiis obnoxij non tenentur, in Ecclesia perseuerare. Dat. III. Id. April. Limenio & Catullino COSS.

X. Impp. Constantius & Constans AA. vniuersis Episcopis per diuersas prouincias.

Vt Ecclesiarum cœtus concursu populorum ingentium frequentetur, clericis ac iuuenibus præbeatur immunitas, reppellatúrque ab his exactio munerum sordidorum, negotiatorum dispendiis minimè obligentur: cùm certum sit quæstus, quos ex tabernaculis adque ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos. Ab hominibus etiam eorum qui mercimoniis student, cuncta dispendia esse sancimus. Parangariarum quoque parili modo cesset exactio. Quod & coniugibus & liberis eorum & ministeriis, maioribus pariter ac feminis indulgemus, quos à censibus etiam iubemus perseuerare immunes. Dat. VII. Kal. Iun. Constantinop. Constantio VI. & Constante AA. COSS.

XI. Idem AA. ad Longinianum PF. Ægypti.

Iampridem sanximus, vt catholicæ legis antistites & clerici qui in totum nihil possident, ac patrimonio inutiles sunt, ad munera curialia minimè deuocē-

tur. Verùm conperimus pro nulla vtilitate publica perfectione eos inquietari. Ideóque præcipimus & filios eorum, quicumque minus idonei, & intra legitimam ætatem esse repperiuntur, nullam molestiam sustinere. Dat. IIII. Kal. Mart. Constantio A. VII. & Constante A. COSS.

XII. Idem AA. Seuero suo Salutem.

Mansuetudinis nostræ lege prohibemus in iudiciis Episcopos accusari, ne dum adfutura ipsorum beneficio inpunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querellarum, quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos conuenit explorari: vt oportuna adque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur. Data epistula VIIII. Kal. Octob. Acc. Non. Octob. Arbitione & Lolliano COSS.

INTERPRETATIO. *Specialiter prohibetur, ne quis audeat apud Iudices publicos Episcopum accusare, sed in Episcoporum audientiam perferre non differat, quicquid sibi pro qualitate negotij putat posse competere, vt in Episcoporum aliorum iudicio quæ asserit contra Episcopum debeant definiri.*

XIII. Idem A. & Iulianus Cæs. ad Leontium.

Ecclesiæ vrbis Romæ clericis concessa priuilegia firmiter præcipimus custodiri. Dat. IIII. Kal. Nou. Med. Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

XIIII. Idem A. & Iulianus Cæs. Felici Episcopo.

Omnis à clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur inprobitas, nulláque conuentio sit circa eos munerum sordidorum. Et cum negotiatores ad aliquam præstationem conpetentem vocantur, ab his vniuersis istiusmodi strepitus conquiescet. Si quid enim, vel parsimonia, vel prouisione, vel mercatura honestati tamen conscia congesserint, in vsum pauperum adque egentium ministrari oportet: aut id, quod ex eorundem ergasteriis, vel tabernis conquiri potuerit, & colligi, collectum id religionis æstiment lucrum: verum etiam ab hominibus eorumdem, qui operam in mercimoniis habent diui principis, id est, nostri statuta genitoris multimoda obseruatione cauerunt, vt idem clerici priuilegiis compluribus redundarent, itaque extraordinariorum à prædictis necessitas adque omnis molestia conquiescat. Ad parangariarum quoque præstationem non vocentur, nec eorundem facultates adque substantiæ omnibus clericis huiusmodi prærogatiua succurrat, vt coniugia clericorum, ac liberi quoque & ministeria, id est, mares pariter ac feminæ, eorúmque etiam filij inmunes semper à censibus & separati ab huiusmodi muneribus perseuerent. Dat. VIIII. Id. Dec. Med. Lecta V. Kal. Ian. aput acta Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs. II. COSS.

XV. Idem A. & Cæs. ad Taurum PF. P.

In Ariminense synodo super ecclesiarum & clericorum priuilegiis tractatu habito, vsque eo dispositio progressa est, vt iuga quæ videntur ad ecclesiã pertinere, à publica functione cessarẽt inquietudine desistẽte. quod nostra videtur dudum sanctio reppulisse. Clerici verò, vel hi quos copiatas recens vsus instituit nuncupari, ita à sordidis muneribus debẽt inmunes adque à colatione præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitúmque conquirent.

conquirent. Reliqui autem quorum nomina negotiatorum matricula conprehendit, eo tempore quo conlatio celebrata est, negotiatorum munia & pensitationes agnoscant: quippe postmodum clericorum se cœtibns adgregarunt. De his sanè clericis qui prædia possident, sublimis auctoritas tua non solùm eos aliena iuga nequaquam statuet excusare, sed etiam his quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgueri. Vniuersos namque clericos possessores dumtaxat prouinciales pensitationes fiscalium recognoscere iubemus: maximè cum in comitatu tranquillitatis nostræ alij Episcopi, qui de Italiæ partibus venerunt, & illi quoque, qui ex Hispania adque Africa commearunt, probauerint id maximè iustè conuenire, vt præterea iuga & professionem quæ ad Ecclesiam pertinet ad vniuersa munia sustinenda translationésque faciendas omnes clerici debeant adtineri. Dat. Prid. Kal. Iul. Med. Constantio A. x. & Iul. III. Cæs. COSS.

XVI. Idem AA. ad Antiochenses.

In qualibet ciuitate, in quolibet oppido, vico, castello, municipio quicumque voto Christianæ legis merito eximiæ singularísque virtutes omnibus intimauerit, securitate perpetua potiatur. Gaudere enim & gloriari ex fide semper volumus: scientes magis religionibus, quàm officiis & labore corporis, vel sudore nostram rempublicam cõtineri. Dat. XVI. Kal. Mart. Antiochiæ, Tauro & Florentio COSS.

XVII. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Byzacenos.

Plebeios diuites ab Ecclesia suscipi penitus arcemus. Dat. IIII. Id. Septemb. Aquil. diuo Iouiano & Varroniano COSS.

XVIII. Idem AA. ad Claudium Proc. Afric.

Quam vltimo tempore diui Constantis sententiam fuisse claruerit, valeat: nec ea in adsimulatione aliqua conualescant, quæ tunc decreta vel facta sunt, cum paganorum animi contra sanctissimam legem quibusdam sunt deprauationibus excitati. Dat. XIIII. Kal. Mart. Triu. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XVIIII. Idem AA. Modesto PF. P.

Quicunque ex curialium natus genere ad clericatum venerit, & præiudicium sanguinis cœperit postulari, certi temporis definitione defendatur: vt si in consortio clericatus decennium quietis impleuerit, cum patrimonio suo in perpetuum habeatur inmunis. Si verò intra finitos annos fuerit à curia reuocatus, cum substantia sua functionibus subiaceat ciuitatis: obseruando hoc, vt hi quos decennium vindicat, petitione superflua minimè fatigentur. Dat. XVI. Kal. Nou. Hierap. Valentiniano & Valente AA. COSS.

XX. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Damasum Episc. vrbis Rom.

Ecclesiastici aut ex ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant, sed publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos ad fines earum vel propinqui putauerint deferendos. Censemus etiam, vt memorati nihil de eius mulieris, cui se priuatim sub prætextu religionis adiunxerint, liberalitate quacunque, vel extremo iudicio possint adipisci, & omne in tantum inefficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, vt nec per subiectam personam valeant aliquid,

vel donatione, vel testamento percipere. Quinetiam si fortè post admonitionem legis nostræ aliquid hisdem ex feminæ, vel donatione, vel extremo iudicio putauerint relinquendum, id fiscus vsurpet. Ceterùm si earum qui voluntate percipiunt, ad quarum successionem, vel bona iure ciuili, vel edicti beneficiis adiuuātur, capiant vt propinqui. Lecta in Ecclesiis Rom. IIII. Kal. Aug. Valentiniano & Valente III. AA. COSS.

XXI. Idem AAA. ad Ampelium PF. P.

Hij qui ecclesiæ iuge obsequium deputarunt, curiis habeantur inmunes: si tamen eos ante ortum imperij nostri ad cultum se legis nostræ contulisse cōstiterit, ceteri reuocentur qui se post id tempus ecclesiasticis congregarunt. Dat. XVI. Kal. Iun. Gratiano A. II. & Probo COSS.

XXII. Idem AAA. ad Paulinum Pręsidem Epyri nouæ.

Forma præcedentis consulti etiam circa Episcoporum virginúmque personas, & circa alias, quarum statuto præcedenti facta complexio est, valeat ac porrigatur. Dat. Kalend. Decemb. Treu. Modesto & Arintheo COSS.

XXIII. Impp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA.
Artemio, Euridico, Appio, Gerasimo, &
ceteris Episcopis.

Qui mos est causarum ciuilium, idem in negotiis ecclesiasticis obtinendi sunt, vt si qua sunt ex quibusdam dissensionibus leuibúsque delictis ad religionis obseruātiam pertinentia, locis suis & à suæ diœceseos synodis audiantur: exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariísque Iudicibus, aut inlustribus potestatibus audientia constituit. Dat. XVI. Kal. Iun. Treu. Valente V. & Valentiniano AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Quoties ex qualibet re ad religionem pertinente inter clericos fuerit nata contentio, id specialiter obseruetur vt conuocatis ab Episcopo diœcesanis presbyteris quæ in contentionem venerint iudicio terminentur. Sane si quid opponitur criminale, ad notitiam Iudicis in ciuitate qua agitur deducatur, vt ipsius sententia vindicetur quod probatur criminaliter fuisse commissum.*

XXIIII. Idem AAA. ad Catafronium.

Presbyteros, diaconos, subdiaconos, adque exorcistas, & lectores, ostiarios etiam, & omnes perinde qui primi sunt, personalium munerum expertes esse præcipimus. Dat. III. Non. Mart. Gratiano A. III. & Merobaude COSS.

XXV. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA.

Qui diuinę legis sanctitatem, aut nesciendo confundunt, aut neglegendo violant & offendunt, sacrilegium committunt. Dat. III. Kalen. Mart. Thessal. Gratiano A. V. & Theod. A. I. COSS.

XXVI. Idem AAA. ad Tuscianum Com. Orientis.

Vniuersos quos constiterit custodes ecclesiarum esse, vel sanctorum locorum ac religiosis obsequiis deseruire, nullius adtemptationis molestiam sustinere decernimus. Quis enim eos capite censos patiatur esse deuinctos, quos necessario intellegit supra memorato obsequio mancipatos. Dat. Prid. Kalend. April. Constantinop. Eucherio & Syagrio COSS.

XXVII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P.

Nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiua domi proles sit, secundum preceptum Apostoli ad diaconissarum consortium transferatur. Tum filiis suis curatore (si id ætas poscit) petito, bona sua idoneis sedula religione gerenda committat: ipsa tantùm prediorum suorum reditus consequatur, de quibus seruandi, abalienandi, donandi, distrahendi, relinquendi, vel quoad superest, vel cùm in fata concedit, & libera ei volũtas est, integra sit potestas. Nihil de monilibus & supellectili, nihil de auro, argẽto, ceterísque claræ domus insignibus sub religionis defensione consumat: sed vniuersa integra in liberos proximos, vel in quoscunque alios arbitrij sui existimatione transscribat, ac si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem scribat heredes. Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum circa personas specialiter CON prehensas fuerit à moriente cõfectum. Immo si quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommisso aliquid clericis in fraudem venerabilis sanctionis callida arte, aut probrosa cuiuspiam conhibentia deferatur, extorres sint, ab omnibus, quibus inhiauerãt bonis. Et si quid fortè per epistulam, codicillum, donationem, testamentum quolibet denique detegitur genere cõscribtum erga eos quos hac sanctione submouimus, id nec in iudiciũ deuocetur, sed vel ex intestato is qui sibi competere intellegit, statuti huius definitione succedat, si quis se agnoscit filium, si quis probat propinquum, si quis denique, vel casu, vel iudicio pro solido pro portione heres legatarius, fideicommissarius apertis deprehenditur codicillis, fruatur fortunæ munere, conscientiæ suæ fructu. Et submotis his adque deiectis in hereditariis corporibus potestate vtatur heredis. Feminæ, quæ crinem suum contra diuinas humanásque leges instinctu persuasæ professionis absciderint, ab Ecclesiæ foribus arceantur. Non illis fas sit sacrata adire mysteria, neque vllis supplicationibus mereantur venerãda omnibus altaria frequẽtare. adeo quidem, vt Episcopus tonso capite feminam si introire permiserit, deiectus loco etiam ipse cum huiusmodi contuberniis arceatur: ac non modo, si fieri suaserit, verumetiam si hoc ab aliquibus exigi, factum denique esse quacumque ratione compererit, nihil sibi intelligat opitulari. Hoc absque dubio emendandis pro lege erit, emendatis pro consuetudine, vt illi habeant testimonium, isti incipiant timere iudicium. Dat. XI. Kal. Iul. Med. Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

XXVIII. Idem AAA. Tatiano PF. P.

Legem quæ diaconissis vel viduis nuper est promulgata, ne quis videlicet clericus, néve sub Ecclesiæ nomine mancipia, supellectilem, predam velut infirmi sexus dispoliator inuaderet, & remotis adfinibus ac propinquis, ipse sub prætextu catholicæ disciplinæ se ageret viuentis heredem, eatenus animaduertat esse reuocatam, vt de omnium chartis, si iam nota est, auferatur: neque quisquam, aut litigator ea sibi vtẽdum, aut Iudex nouerit exequendum. Dat. X. Kalend. Sept. Veronæ, Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

XXVIIII. Impp. Arcad. & Honor. AA. Hierio Vic. Afric.

Quæcumque à parentibus nostris diuersis sunt statuta temporibus, manere inuiolata adque incorrupta circa sacrosanctas Ecclesias precipimus. Nihil igi-

tur à priuilegiis immutetur: omnibúsque, qui Ecclesiis seruiunt, tuitio deferatur: Quia temporibus nostris addi potius reuerentiæ cupimus, quam ex his, quæ olim pręstita sunt immutari. Dat.x.Kal.April.Med.Olybrio & Probino CONS.

XXX. Idem AA. Theodoro PF.P. Post alia.

Non nouum aliquid præsenti sanctione præcipimus, quàm illa quæ olim videntur indulta firmamus. Priuilegia igitur quæ olim reuerentia religionis obtinuit, mutilari sub pœnæ etiã interminatione prohibemus: ita vt hi quoque qui Ecclesiæ obtemperant, his quibus Ecclesia, beneficiis perfruantur. Dat.prid.Kal.Feb.Med.Cæsario & Attico COSS.

XXXI. Idem .AA. Theodoro PF.P.

Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit, vt in Ecclesias catholicas inruens sacerdotibus & ministris, vel ipso cultui locóque aliquid inportet iniuriæ, quod geritur litteris ordinum magistratuum, & curatorum & notariis apparitorum, quos stationarios appellãt, deferatur in notitiam potestatum: ita vt vocabula eorum, qui agnosci potuerint, declarentur. Et si per multitudinem commissum dicetur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorũ confessione sociorum nomina publicentur. Adque ita prouincię Moderator sacerdotum & catholicæ Ecclesiæ ministrorum loci quoque ipsius, & diuini cultus iniuriã capitali in conuictos, siue confessos reos sententia nouerit vindicãdum: nec expectet, vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. Sítque cunctis non solùm liberum, sed & laudabile factas atroces sacerdotibus, aut ministris iniurias, veluti publicum crimen, persequi ac de talibus reis vltionem mereri. Quòd si multitudo violẽta ciuilis apparitionis exsecutione, & adminiculo ordinũ possessorúmve non potuerit pręsentari, quòd se armis, aut locorũ difficultate tueatur, Iudices Africani armatæ apparitionis pręsidium, datis ad virũ spectabilẽ Com.Afric.literis, pręlato legis istius tenore deposcant: vt rei taliũ criminum non euadant. Dat.VII.Kal.Maij, Med.Honorio III.& Eutychiano COSS.

XXXII. Idem AA. Cæsario PF.P.

Si quos fortè Episcopi deesse sibi clericos arbitrãtur, ex monachorum numero rectius ordinabũt, non obnoxios publicis priuatísque rationibus cùm inuidia teneant, sed habeant iam probatos. Dat.VII.Kal.Aug.Hon.A.IIII. & Eutychiano COSS.

XXXIII. Idem AA. Eutychiano PF.P.

Ecclesiis quæ in possessionibus (vt adsolet) diuersorum, vicis etiam, vel quibuslibet locis sunt constitutæ, clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo, vbi ecclesiam esse constiterit, eatenus ordinentur, vt propriæ capitationis onus ac sarcinam recognoscãt: ita vt pro magnitudine, vel celebritate vniuscuiusque vici ecclesiis certus iudicio Episcopi clericorum numerus ordinetur. Dat.III.Kal.Aug.Nizo, Honor.A.IIII.& Eutychiano COSS.

XXXIIII. Idem AA. Sapidiano Vic.Afric.

Si Ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiusquã fuerint, vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri (sicut etiam priùs constitutũ est) condemnatione plectatur. Si quid igitur cõtra Ecclesias, vel clericos per obreptionẽ, vel ab hæreticis, vel ab huiuscemodi hominibus fuerit

fuerit contra leges impetratum, huius sanctionis auctoritate damnetur. Dat. VII. Kal. Iul. Brixiæ Theodoro v.c.cons.

XXXV. Idem AA. Hadriano PF.P.

Quicumque residentibus sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus, & nomine, si aliquid vel contra custodiam, vel cōtra quietem publicam moliri fuerit depræhēsus, rursúsque sacerdotiū petere à quo videtur expulsus, procul ab ea vrbe quam infecit, secundum legem diuæ memoriæ Gratiani centum milibus vitam agat: Sit ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus: sitque huiusmodi personis tenore huius legis inlicitum sacra nostra adire secreta, & impetrare rescribta: omnibus abiectis per culpam sacerdotio personis, quæ impetrata sunt, infecta permaneant: scituris his, quorum defensione nituntur, absque sui reprehensione non futurum, si hoc eis pollicentur suffragium, qui diuinum non videntur meruisse iudicium. Dat. prid. Non. Feb. Rau. Stilichone, & Aureliano coss.

XXXVI. Idem AA. Pompeiano Proc. Afric.

Quicumque Catholicæ religionis clerici intra eum modum vnde victus, emendi vendendíque vsum lege præfinitum exercent, ab auraria pēsione habeantur inmunes. Ab his quoque quos à publici laboris actu & gradus clericatus, &(quod non minus est) sanctior vita defendit, pręcipimus temperari. Nec enim vllum eorum qui excepti legibus probabūtur, subiacere patiamur iniuriæ, &c. Dat. prid. Id. Iul. Med. Post Cons. Stilichonis & Aureliani vv.cc.

XXXVII. Idem AA. Studio P.V.

Quoniam personæ ad inquisitionem perpetrati incendij, vt tui culminis suggestio patefecit, nequeunt inueniri, clericos carceris custodia relaxamus: ita vt nauibus impositi ad lares proprios reuertantur. nec proscribtionis periculo domus careant, quas Episcopos vel clericos peregrinos post publicationem edictorum & nostræ serenitatis adfatus probabitur suscepisse: pari forma seruanda, si qua domus ciues clericos noua ac tumultuosa conuenticula extra Ecclesiam celebrantes susceperint. Ad obseruandos siquidem seditionis aditus id nostro sedit arbitrio, vt omnes Episcopi & clerici peregrini ab hac sacratissima vrbe pellantur. Dat. IIII. Kalend. Septemb. Constantinop. Honorio VI. & Aristineto coss.

XXXVIII. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Porfyrio Proc. Afric. Post alia.

Priuilegia quæ Ecclesiis & clericis legum decreuit auctoritas, hac quoque pręceptione, sancta & inuiolata permanere decernimus. Adque hoc ipsis pręcipuum ac singulare deferimus, vt quæcumque de nobis ad Ecclesiam tantùm pertinentia, specialiter fuerint impetrata, non per † coronatos, sed ab aduocatis eorum arbitratu, & Iudicibus innotescant, & sortiantur effectum. Sacerdotes verò prouinciæ erunt soliciti, ne sub hac scilicet priuilegij excusatione etiam contra eorum vtilitatem aliquid his inferatur incommodum. Dat. XVII. Kal. Rom. Honor. VII. & Theod. II. AA. coss.

† fort. honoratos

XXXVIIII. Idem AA. Theodoro PF.P.

Quemcunque clericum indignum officio suo Episcopus iudicauerit & ab Ecclesiæ ministerio segregauerit, aut si qui professum sacræ religionis sponte dereliquerit, continuò sibi eum curia vindicet: vt liber illi vltra ad Ecclesiam

recursus esse non possit: & pro hominum qualitate & quantitate patrimonij, vel ordini suo, vel collegio ciuitatis adiungatur, modò vt quibuscunque apti erunt publicis necessitatibus obligentur: ita vt conludio quoque locus non sit. Per singulos igitur binæ libræ auri inferendæ ærario nostro à decem primis curialibus exigantur, si aliquibus inlicitam conhibentiam & conludia fœda præstiterint, hominibúsque inprobissimis ab omnibus officiis militiæ aditus obstruatur. Dat. Kal. Decemb. Basso & Philippo coss.

INTERPRETATIO. *Quencũque Clericum Episcopus suus malæ vitæ esse probauerit, & eum de gradu suo pro morum prauitate deiecerit : vel si ipse clericus sua voluntate professionem reliquerit clericatus, continuo à Iudice Curialibus adiungatur : vt si ita & natalibus & facultatibus est idoneus, eum inter ipsos Curiales officium suum implere compellat. Si autem infirma persona est, inter collegiatos eum obseruare, vel ad quod aptus fuerit, in publico seruire lex ista constituit, ita vt huiusmodi personæ à Curialibus quolibet conludio nullatenus excusentur. Quod si factum fuerit, pro singulis personis Curiales binas libras auri fisco à se nouerint inferendas.*

XL. Impp. Honor. & Theod. AA. Melitio PF. P.

Placet rationabilis consilij tenore perpenso, destricta moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus Ecclesiæ vrbium singularum habeantur immunes. Prima quippe illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prędia vsibus cęlestium secretorum dicata sordidorum munerum fasce vexentur: nulla iugatione, quæ talium priuilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat iniuria: nihil extraordinarium ab hac superindicticiúmve flagitetur: nulla pontium instauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur: non aurum ceteráque talia poscantur. Postremò nihil præter canonicam inlationem, quod aduenticiæ necessitatis sarcinan repétina depoposcerit eius functionibus adscribatur. Si quis contrauenerit post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuæ deportationis vratur. Dat. VIII. Kalend. Iun. Rau. Honor. VIIII. & Theodosio V. AA. COSS.

XLI. Idem AA. Melitio PF. P.

Clericos non nisi aput Episcopos accusari conuenit. Igitur si Episcopus, vel presbyter, diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister aput Episcopum (siquidem alibi non oportet) à qualibet persona fuerint accusati, siue ille sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, nouerit docẽda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intellegat se iacturæ famæ propriæ subiacere: vt damno pudoris existimationis dispẽdio discat sibi alienæ verecundiæ inpune insidiari saltim decæterò non licere. Nam sicut Episcopos, presbyteros, diaconos, ceterósque si his obiecta conprobari potuerint, maculatos ab Ecclesia venerabili æquum est remoueri, vt cõtempti post hæc, & miseræ humilitatis inclinati despectu iniuriarum non habeant actionem, ita similis videri debet iustitiæ, quòd appetitæ innocentiæ moderatam deferri iussimus vltionem. Ideóque huiusmodi dumtaxat causas Episcopi sub testificatione multorum actis audire debebunt. Dat. Id. Decemb. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

XLII. Idem AA. Monaxio PF. P.

Quia inter cetera Alexandrinæ legationis inutilia, hoc etiam decretis scribtum est, vt reuerentissimus Episcopus de Alexandrina ciuitate † aliquos non exire (quod quidem terrore eorum, qui † parabalani nuncupantur, legationi insertum est) * placet nostræ clementiæ, vt nihil commune clerici cum publicis actibus, vel ad curiam pertinentibus habeant. Præterea eos qui parabalani vocantur, non priùs quàm quingentos esse præcipimus: ita vt non diuites & qui hunc locum redimant, sed pauperes à corporatis pro rata Alexandrini populi præbeantur: eorum nominibus viro spectabili PF. Augustali videlicet intimatis, & per eum ad vestram magnitudinem referentes: quibus neque ad quodlibet publicum spectaculum, neque ad curiæ locum, neque ad iudicium accedendi licentiam permittimus: nisi fortè singuli ob causas proprias & necessitates iudicem adierint, aliquem lite pulsantes, vel ab alio ipsi pulsati, vel in communi totius corporis causa syndico ordinato: sub ea definitione, vt si quis eorũ hæc violauerit, & breuibus parabalani eximatur, & competenti supplicio subiugetur: nec vmquam ad eandem sollicitudinem reuertatur. Loco autem mortuorum viro spectabili PF. Augustali subrogandi dedimus potestatem: sub ea condicione, quæ superiùs designatur. Dat. III. Kalend. Octob. Constp. Theod. A. VI. & Palladio COSS.

† *forte aliquatenus non exirẽ*
† *parabalani*

XLIII. Idem AA. Monaxio PF. P.

Parabalani qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur, quingentos esse antè præcipimus. Sed quia hos minus sufficere in præsenti cognouimus, pro quingentis sexcentos constitui præcipimus: ita vt pro arbitrio viri reuerentissimi antistitis Alexandrinæ vrbis de his qui antè fuerãt, & qui pro consuetudine curãdi gerunt experientiam sescenti parabalani ad huiusmodi sollicitudinem eligãtur: exceptis videlicet honoratis & curialibus. Si qui autẽ ex his naturali sorte fuerit absumptus, alter in eius locum pro voluntate eiusdem sacerdotis, exceptis honoratis, & curialibus, subrogetur: ita vt hi sescenti viri reuerentissimi sacerdotis præceptis, ac dispositionibus obsecundent, & sub eius cura consistant: reliquis quæ dudum latæ legis forma complectitur, super hisdem parabalanis vel de spectaculis, vel de iudiciis ceterisque (sicut iam statutum est) custodiendis. Dat. III. Non. Feb. Constp. Honor. XII. & Theod. VIII. AA. CONS.

XLIIII. Idem AA. Palladio PF. P.

Eum qui probabilem sęculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicumque igitur cuiusçumque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscãt: hac eis tantùm facultate concessa, vt matres filias adque germanas intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil scæui criminis æstimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui castitatis hortatur adfectio, quæ ante sacerdotium maritorũ legitimum meruere coniugium. Neque enim clericis incompetẽter adiunctæ sunt, quæ dignos sacerdotio viros sui conuersatione fecerunt. Dat. VIII. Id. Maij, Rau. DN. Theod. A. VIIII. & Constantio VC. CONSS.

INTERPRETATIO. *Quicunque clericatus officio vtuntur, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur, matrum, † sororum, vel filiarum sibi solatia*

† *al. suarũ*

intra domum suam nouerint tantum esse concessa: quia nihil turpe in talibus personis fieri vel cogitari lex naturæ permittit. Illæ vero mulieres sunt in solatio retinendæ, quæ in coniugio fuerint ante officium clericatus.

XLV. Idem AA. Philippo PF. P. Illyrici.

Omni innouatione cessante vetustatem & canones pristinos Ecclesiasticos qui nunc vsque tenuerunt, per omnes Illyrici prouincias seruari præcipimus. Tum si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reuerentissimi sacrosanctæ legis Antistitis vrbis Constãtinopolitanę, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuẽtui sacerdotali sanctóque iudicio reseruari. Dat. prid. Id. Iul. Eustathio & Agricola COSS.

XLVI. Impp. Theod. A. & Valentinianus Cæs. Georgio Proc. Afric. Post alia.

Priuilegia præteritarum legum Ecclesiæ, siue clericis delata seruentur, &c. Dat. prid. Non. Iul. Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS.

XLVII. Idem A. & Cæs. Basso. Com. R. P.

Priuilegia Ecclesiarum omnium quæ sæculo nostro tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus, scilicet vt quidquid à diuis Principibus constitutum est, vel quæ singuli quique Antistites pro causis Ecclesiasticis inpetrarant, sub pœna sacrilegij iugi solidata æternitate seruentur. Clericos etiam quos indiscretim ad sæculares Iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reseruamus. Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio, &c. Dat. VIII. Id. Octob. Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. COSS.

De monachis. *Tit. III.*

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P.

QVicumque sub professione monachi repperiuntur, deserta loca & vastas solitudines sequi, adque habitare iubeantur. Dat. III. Non. Septembr. Veronæ, Valentiniano A. IIII. & Neotherio COSS.

II. Idem AAA. Tatiano PF. P.

Monachos quibus interdictæ fuerant ciuitates, dum iudiciariis aguntur iniuriis, in pristinum statum submota hac lege esse præcipimus. Antiquata siquidem nostræ clementiæ iussione, liberos in oppidis largimur eis ingressus. Dat. XV. Kal. Maij, Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino COSS.

De his qui super religione contendunt. *Tit. IIII.*

I. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Eusignio PF. P.

HIs qui sibi tantummodo existimant colligendi copiam contributam, si turbulentum quippiam contra nostræ tranquillitatis præceptum faciendum esse temptauerint, vt seditionis auctores pacisque turbatæ Ecclesiæ maiestatis, capite ac sanguine sint supplicia luituri. Dat. X. Kal. Feb. Const. Honor. NB. P. & Euodio COSS.

II. Idem AAA. Tatiano PF. P.

Nulli egressu ad publicũ, vel disceptandi de religione, vel tractãdi, vel consilij aliquid deferendi patescat occasio. Et si quis posthac ausu graui adque damnabili contra huiusmodi legem veniendum esse crediderit, vel insistere

motu

motu pestiferæ perseuerationis audebit, competenti pœna & digno supplicio coherceatur. Dat.xvi.Kal.Iul.Stobis,Theod.A.II.& Cynegio coss.

III. Idem AAA. Potamio PF. Augustali.

Deportatione dignus est qui nec generali lege admonitus, nec competẽti sententia emendatus, & fidem Catholicam turbat, & populum. Dat.xv.Kal. Aug.Constantinop.Arcad.A.II.& Rufino coss.

IIII. Imppp.Arcad.Honor.& Theod.AAA.Anthemio Magist.Officior.

Cuncta officia moneantur tumultuosis se conuenticulis abstinere, & qui sacrilego animo auctoritatem nostri numinis ausi fuerint expugnare, priuati cingulo bonorum proscribtione multentur. Dat.IIII.Kal.Feb.Constp.Honor.A.VI.& Aristeneto conss.

V. Idem AAA. Studio P.V.

Si quis seruos in hac sacratissima vrbe possideat, eos à tumultuosis conuenticulis faciat temperare: sciens se pro singulis seruis qui interesse conuentibus interdictis fuerint comprehensi, trium librarum auri dispendio feriendum: seruis videlicet puniendis. Quam formam in nummulariis, ceterísque huius almæ vrbis corporibus volumus sub pœna grauiore seruari, vt vnumquodque corpus pro his qui de suo numero cõuentus celebrare inlicitos detegentur, ad quinquaginta pondo auri solutionem multæ nomine adstringatur. Dat.III.Id.Sept.Constp.Honorio A.VI.& Aristeneto coss.

VI. Idem AAA. Eutychiano PF.P.

Rectores prouinciarum moneantur, vt conuẽtus eorum arceantur inliciti, qui orthodoxarum religione subfulti, spretis sacrosanctis Ecclesiis alio conuenire conantur: his qui ab Arsacij, Theofili, Porfyri reuerẽtissimorum sacræ legis Antistitum communione dissentiunt ab Ecclesia, procùldubio repellendis. Dat.XIIII.Kal.Dec.CP.Honorio A.VI.& Aristeneto coss.

De hæreticis. *Tit. V.*

I. Imp. Constantinus A.ad Dracilianum.

PRiuilegia quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis obseruatoribus prodesse oportet. Hæreticos autem atque scismaticos non tantum ab his priuilegiis alienos esse volumus, sed etiam diuersis muneribus constringi & subici. PP. Kal. Sept. Generasto, Constantino A.VII.& Constantio coss.

II. Idem A.ad Bassum.

Nouatianos non comperimus prędamnatos, vt iis quæ petiuerunt crederemus minime largienda. Itaque Ecclesiæ suæ domos & loca sepulcris apta sine inquietudine eos firmiter possidere pręcipimus, ea scilicet quæ ex diuturno tempore vel ex empto habuerunt, vel qualibet quęsiuerũt ratione, prouidendum erit ne quid sibi vsurpare conentur ex his quæ ante discidium ad Ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse manifestum est. Dat.VIIII.Kalend. Octob.Spoleti, Constantino A.VII.& Constantio coss.

III. Impp. Valentinianus & Valens AA.ad Ampelium PF.P.

Vbicunque Manichęorum conuentus vel turba huiusmodi reperitur doctoribus graui censione multatis, domus & habitacula, in quibus profana in-

stitutione docetur, fisci viribus indubitanter adsciscantur. Dat. VI. Non. Mart. Treu. Modesto & Arintheo coss.

IIII. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Hesperium PF. P.

Olim pro religione Catholicæ sanctitatis vt cœtus hæreticæ vsurpationis conquiescerent, iussimus, siue in oppidis siue in agris extra Ecclesias, quas nostra pax obtinet, conuentus agerentur, publicari loca omnia, in quibus falso religionis obtentu altaria locarentur. quod siue dissimulatione Iudicum seu profanorum improbitate contigerit, eadem erit ex vtroque pernities. Dat. X. Kalend. Maij, Treu. Valente & Valentiniano AA. COSS.

V. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Hesperium PF. P.

Omnes vetitæ legibus & diuinis & imperialibus hæreses perpetuo cōquiescant. quisquis opinionem plectilibus Dei profanus inminuit, sibi tantummodo nocitura sentiat, aliis obfutura non pandat. quisquis redempta venerabili lauacro corpora reparata morte tabificat, id auferēdo quod geminat, sibi solus talia nouerit, alios nefaria institutione non perdat. omnésque peruersæ istius superstitionis magistri pariter & ministri, seu illi sacerdotali assūptione Episcoporum nomen infamant, seu quod proximum est presbyterorum vocabulo religionē mentiuntur, seu etiam se diaconos, cùm nec Christiani quidem habeantur, appellant, hi conciliabulis damnatæ dudum opinionis abstineant. denique antiquato rescribto, quod apud Sirmiū nuper emersit, ea tantum super Catholica obseruatione permaneant, quæ perennis recordationis pater noster & nos ipsi victura in æternū æque numerosa iussione mandauimus. Dat. III. Non. Aug. Med. Accep. XIII. Kal. Sept. Ausonio & Olybrio coss.

VI. Idem AAA. Eutropio PF. P.

Nullus hæreticis mysteriorum locus, nulla ad exercendi animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes etiam si quid speciali quolibet rescribto per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum est, non valere. arceantur cunctorum hæreticorum ab inlicitis congregationibus turbæ: vnius & summi Dei nomen vbique celebretur. Nicenæ fidei dudum à maioribus traditæ & diuinæ religionis testimonio atque adsertione firmatæ obseruantia semper mansura teneatur. Fotinianæ labis contaminatio, Arriani sacrilegij venenum, Eunomiæ perfidiæ crimen, & nefanda monstruosis nominibus auctorum prodigia sectarum ab ipso etiam aboleantur auditu. Is autem Nicenæ adsertor fidei, & Catholicæ religionis verus cultor accipiendus est qui omnipotentē Deum & Christum filium Dei vnum nomine confitetur, Deum de Deo, lumen de lumine, qui spiritū sanctum, qui id quod ex summo rerū parēte speramus, accipimus, negando non violat, apud quem intemeratæ fidei sensu viget incorruptæ Trinitatis indiuisa substātia, quæ Græci adsertione verbi † οὐσία recte credentibus dicitur. Hæc profecto nobis magis probata, hæc venerāda sunt. Qui verò hisdē nō inseruiūt, desināt adfectatis dolis alienū veræ religionis nomen adsumere, & suis apertis criminibus denotentur, ab omnium summoti Ecclesiarum limine penitus arceantur, cū omnes hęreticos inlicitas agere intra oppida cōgregationes vetem⁹, ac si quid eruptio factiosa tēptauerit, ab ipsis etiā vrbiū mœnibus exterminato furore

† ὁμουσία

furore

furore propelli iubeamus, vt cunctis orthodoxis Episcopis qui Nicænam fidem tenent Catholicæ Ecclesiæ toto orbe reddantur. Dat. III. Id. Ian. CP. Eucherio & Syagrio COSS.

VII. Iidem AAA. Eutropio PF. P.

Si qui Manichęus Manichęáve ex die latæ dudum legis ac primitus à nostris parentibus, in quamlibet personam condito testamento vel cuiuslibet titulo liberalitatis atque specie donationis transmisit proprias facultates, vel quisquam ex his aditæ per quamlibet successionis formam conlatione ditatus est, quoniam hisdem sub perpetua iustæ infamię nota testandi ac viuendi iure Romano omnẽ protinus eripimus facultatem, neque eos aut relinquendæ aut capiendæ alicuius hereditatis habere sinimus potestatem, totum fisci nostri viribus imminentis indagatione societur, siue id marito, siue propinquo aut cuilibet benemerito, siue etiam filiis, quos tamen vitæ eius & criminis facinora sociata coniungant, siue etiam per interpositam quamlibet personam profuturam eidem qui è tali hominum genere & grege reperitur inlicita liberalitate prouenerit, caduci titulo vindicetur. Nec in posterum tantum huius emissæ per nostram mansuetudinem legis forma præualeat, sed in præteritum etiam quidquid talium personarum aut proprietas reliquit aut successio habuit, vsurpatio fiscalis commodi persequatur. nam licet ordo cœlestium statutorum sequuturis post obseruantiam sacratæ Constitutionis indicat, neque actis obesse consueuerit: tamen quoniam & quid consuetudo obstinationis pertinax natura mereatur in hac tantum quam specialiter vigere volumus sanctione iustæ sensu instigationis agnoscimus, eos qui etiam post legem primitus datam nequaquam ab inlicitis & profanis coitionibus refrenari diuina saltim monitione potuerint, tanquam in ipsius depictæ legis iniuriam veluti sacrilegij reos tenemus, seueritatem præsentium statutorum non tantum ad constituendę sed ad vlciscendæ legis sanximus exemplum, ita vt nec defensio temporis prosit. His tantum filiis paternorum vel maternorum bonorum successio deferatur, qui licet ex Manichæis orti, sensu tamen & affectu propriæ salutis admoniti ab eiusdem vitæ professionísque collegiis pura semet dediti religione demouerint tali immunes à crimine. Illud etiã huic adicimus sanctioni, ne in conuenticulis oppidorum, ne in vrbibus claris consueta feralium mysteriorum sepulchra constituant, à conspectu celebri ciuitate penitus coerceantur, nec se sub simulatione fallaciæ eorum scilicet nominum quibus plerique vt cognouimus probatę fidei & propositi castioris dici ac signari volent maligna fraude defendant, cùm præsertim nonnulli ex his Encratitas, Apotactitas, Hydroparastatas vel Saccoforos nominari se velint, & varietate nominum diuersorum velut religiosæ professionis officia mentiantur. eos enim omnes conuenit non professione defendi nominum, sed notabiles atque execrandos haberi scelere sectarum. Dat. VIII. Id. Maij, CP. Eucherio & Syagrio COSS.

VIII. Iidem AAA. ad Clicherium Com. Orientis.

Nullum Eunomianorum atque Arrianorum vel ex dogmate Ethi in ciuitatibus vel agris fabricandarũ Ecclesiarum copiam habere pręcipimus. quod si temerè ab aliquo id præsumptũ sit, domus eadem vbi hæc constructa fuerint quæ cõstrui prohibẽtur, fundus etiam vel priuata possessio protinus fisci

nostri viribus vindicetur, atque omnia loca fiscalia statim fiant, quæ sacrilegi huius dogmatis vel sedem receperint vel ministros. Dat. XIIII. Kal. Aug. CP. Eucherio & Syagrio COSS.

IX. Idem AAA. Floro PF. P.

Quisquis Manichęorum vitæ solitariæ falsitate cœtum bonorum fugit ac secretas vrbes eligit pessimorum, ita vt profanator atque corruptor Catholicæ quam cuncti suspicimus disciplinę, legi subiugetur, vt intestabilis viuat, nihil viuus impendat inlicitis, nihil moriens relinquat indignis, omnia suis non moribus, sed naturę restituat, aut proximis si deerit legitima successio melius regenda dimittat, aut fisci dominio deficiente agnatione sine fraude molitionis intelligat obligata. hęc de solitariis. Ceterũ quos Encratitas prodigiali appellatione cognominãt cũ Saccoforis siue Hydroparastatis refutatos iudicio, proditos crimine, vel in mediocri vestigio facinoris huius inuentos, summo supplicio & inexpiabili pœna iubemus affligi, manente ea condicione de bonis quam omni huic officinæ imposuimus à latæ dudum legis exordio. Sublimitas itaque tua det inquisitores, aperiat forum, indices denuntiatorésque sine inuidia delationis accipiat, nemo pręscribtione communi exordiũ accusationis huius infringat, nemo tales occultos cogat latentésques cõuẽtus, agris vetitũ sit, prohibitũ mœnibus sede publica priuatáque damnatũ. ac summa exploratione rimetur vt quicunque in vnũ Paschę diem non obsequenti religione conuenerint, tales indubitanter quales hac lege damnauimus habeantur. Dat. prid. Kal. Apr. CP. Antonio & Syagrio COSS.

X. Iidem AAA. Constantiniano Vic. diœceseos Ponticæ.

Tascodrocitæ à sedibus quidem suis minime propellantur, ad nullam tamen Ecclesiam hęreticę superstitionis turba conueniat, aut si fortè conuenerit à conuenticulis suis sine aliqua mora propulsetur. Dat. XII. Kal. Iul. Constantinop. Merobaude II. & Saturnino COSS.

XI. Idem AAA. Posthumiano PF. P.

Omnes omnino quoscunque diuersarum hęresum error exagitat, id est Eunomiani, Arriani, Macedoniani, Pneumatomachi, Manichęi, Encratitę, Apotactitę, Saccofori, Hydroparastatę nullis circulis coëant, nullam colligãt multitudinem, nullum ad se populum trahãt, nec ad imaginem Ecclesiarum parietes priuatos ostẽdant, nihil vel publice vel priuatim quod catholicę sanctitati officere possit exerceant, ac si qui extiterit qui tam euidenter vetita transcendat, permissa omnibus facultate quos rectę obseruãtię cultus & pulchritudo delectat, communi omnium bonorum cõspiratione pellatur. Dat. VIII. Kalend. Aug. CP. Merobaude II. & Saturnino COSS.

XII. Idem AAA. Posthumiano PF. P.

Vitiorum institutio Deo atque hominibus exosa, Eunomiana scilicet, Arriana, Macedoniana, Apollinariana, ceterarúmque sectarum, quas veræ religionis venerabili cultu Catholicæ obseruantiæ fides sincera condemnat, neque publicis neque priuatis aditionibus intra vrbium atque agrorũ ac villarum loca aut colligẽdarum congregationũ aut constituendarũ Ecclesiarum copiam præsumat, nec celebritatem perfidiæ suæ vel solemnitatẽ diræ communionis exerceat, neque vllas creãdorum sacerdotum vsurpet atque habeat ordinationes: eædem quoque domus seu in vrbibus seu in agris, in quibus

passim

passim turbæ professorum ac ministrorum talium colligētur, fisci nostri dominio iurique subdātur. ita vt hi qui vel doctrinam vel mysteria conuentionum talium exercere consueuerunt, perquisiti ab omnibus vrbibus ac locis propositæ legis vigore constricti expellantur à cœtibus, & ad proprias vnde oriundi sunt terras redire iubeantur, ne quis eorum aut commeandi ad quælibet alia loca aut euagandi ad vrbes habeat potestatem. Quod si negligentius ea quę serenitas nostra constituit impleantur, officia prouincialium Iudicum, & principales vrbium, in quibus coitio vetitæ congregationis reperta monstrabitur, sententiæ damnationique subdantur. Dat. III. Non. Sept. CP. Merobaude II. & Saturnino COSS.

XIII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Eunomiani, Macedoniani, Arriani necnō Apollinariani inter sacræ religionis officia pro suis erroribus famosa sunt nomina. Omnes itaque qui harum professionum vel pontificium sibi vel ministerium vindicarunt, qui se fugati nominis adserūt sacerdotes, quique in criminosa religione ministrorum sibi nomen imponunt, qui docere se dicunt quod aut † nescire aut discere sit dedecorosum, omnibus huius vrbis latebris indagine curiosiore perspectis sine vlla gratiæ interuētione pellantur, in aliis locis viuant ac penitus à bonorum congressibus separentur. Dat. XII. Kal. Feb. CP. Richomere & Clearcho COSS.

† *scire*

XIIII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Apollinarios ceterósque diuersarum hęresum sectatores ab omnibus locis iubemus inhiberi, à mœnibus vrbium, à congressu honestorum, à communione sanctorum, instituendorum clericorum non habeant potestatem, colligendarum congregationum, vel in publicis vel in priuatis Ecclesiis careant facultate, nulla iis Episcoporum faciendorum prębeatur auctoritas, ipsi quoque Episcopi nomine destituti appellationem huius dignitatis amittant, adeāt loca quæ hos potissimum quasi vallo quodammodo ab humana communione secludant. his etiam illud nectimus, vt supra memoratis omnibus adeundi atque interpellandi serenitatem nostram aditus denegetur. Dat. VI. Id. Mart. Thessal. Theodosio A. II. & Cynegio COSS.

XV. Idem AAA. Trifolio PF. P.

Omnes diuersarum perfidarúmque sectarum, quos in Deum miseræ vesania conspirationis exercet, nullum vsquam sinantur habere conuētum, non inire tractatus, non cœtus agere secretos, non nefariæ præuaricationis altaria manus impiæ officiis impudenter adtollere, & mysteriorum simulationem ad iniuriam veræ religionis aptare: quod vt congruum sortiatur effectum, in specula sublimitas tua fidissimos quosque constituat, qui & cohibere hos possint & deprehensos offerre iudiciis, seuerissimum secūdum pręteritas sanctiones & Deo suppliciū daturos & legibus. Dat. XVIII. Kalend. Iul. Stobis, DN. Theod. A. II. & Cynegio V. C. COSS.

XVI. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Nonnullos Arrianorum nostrarū talem proferre iussionem conperimus, vt his liceat vsurpare, quæ suis videātur vtilitatibus conuenire. Qua sublata sciāt nullam huiusmodi iussionem è nostro sacrario profluxisse. Quidquid itaque fuerit ab his pro eorum commoditate prolatum, vt falsi reus teneatur, qui deinceps ea circūtulerit. Dat. VI. Id. Aug. Const. Theod. A. II. & Cynegio COSS.

XVII. Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcad. AAA. Tatiano PF.P.

† Hispadones

Eunomiani † ſpadones, nec faciendi, nec adipiſcendi habeant licentiam teſtamenti. Quod circa omnes, quos viuos lex inuenerit, volumus cuſtodiri, nec quemquam pręteritæ cuiuſpiam voluntatis priuilegio defenſari, cum ſeu facta prius teſtamenta, ſeu infecta doceãtur, poſt hanc noſtri oraculi ſanctionem non habeant poſſidendi licentiam, non petendi, non etiam relinquendi hæredem nomine principali, non fideicommiſſario, non legatario, non tacito fideicommiſſo, vel quamcũque in huiuſcemodi negotiis nuncupationem iuris ordo conſtituit: ſed omnia quæ talium eſſe, vel futura eſſe conſtiterit, vt caduca fiſci noſtri viribus vindicentur: nihil ad ſummum habeant commune cum reliquis. Dat. III. Non. Mai, Med. Timaſio & Promoto coss.

XVIII. Idem AAA. Albino P.V.

Quicumque ſub nomine Manichæorum mundum ſollicitant, ex omni quidem orbe terrarum, ſed quammaximè de hac vrbe pellantur ſub interminatione iudicij. Voluntates autem eorundem, quinimo ipſæ etiam facultates populo publicatæ nec vim teſtamentorum teneant, nec derelinqui per eos, aut hiſdem fas ſit, nihil ad ſummum his ſit commune cum mundo. Dat. XV. Kalend. Iul. Rom. Timaſio & Promoto coss.

XIX. Idem AAA. Tatiano PF.P.

Hij qui ſcęui dogmatis retinent principatum, hoc eſt, Epiſcopi, preſbyteri, diaconi, adque lectores, & qui clericatus velamine religioni maculam conantur infligere, ſub cuiuſlibet hęreſis ſiue erroris nomine conſtituti, ex funeſtis conciliabulis, ſeu intra vrbem, ſeu in ſuburbanis eſſe videantur, omnimodo propellantur. Dat. VI. Kal. Decemb. Med. Timaſio & Promoto coss.

XX. Exemplum ſacrarum litterarum.

Hæreticorum polluta contagia pelli vrbibus vicinis, proturbari, ac nullis penitus iubemus patere conuentibus, ne quoquam ſacrilega cohors talium hominum colligatur. Nulla eorum peruerſitati, vel publica conuenticula, vel latiora erroribus ſecreta tribuantur. Dat. XIIII. Kal. Iun. Rom. Tatiano & Symmacho VV. CC. coss.

XXI. Idem AAA. Tatiano PF.P.

In hæreticis erroribus, quoſcunque conſtiterit vel ordinaſſe clericos, vel ſuſcepiſſe officium clericorum, denis libris auri viritim multandos eſſe cenſemus: locum ſanè, in quo vetita temptantur, ſi conhibentia domini patuerit, fiſci noſtri viribus, adgregari. Quòd ſi id poſſeſſorem, (quippe clanculum geſtum) ignoraſſe conſtiterit, conductorem eius fundi, ſi ingenuus eſt, decem auri libras fiſco noſtro inferre præcipimus ſi ſeruili fæce deſcendens paupertate ſui pœnam damni ac vilitate contemnit, cæſus fuſtibus deportatione dãnabitur: Tum illud ſpecialiter præcauemus, vt ſi villa dominica fuerit, ſeu cuiuſlibet publici iuris, & conductor, & procurator licentiam dederit colligendi, denis libris auri propoſita condemnatione multentur. Verum ſi quos talibus repertos obſecundare myſteriis, ac ſibi vſurpare nomina clericorum iam nunc proditum fuerit, denas libras auri exigi ſingulos & inferre pręcipimus. Dat. XVII. Kal. Iul. Conſtantinop. Arc. III. & Rufino CONSS.

XXII. Idem AAA. Victorio Proc. Aſiæ.

Hæretici neque Epiſcopi faciendi poteſtatem, neque Epiſcoporum confirmationes

firmationes licitas habeant. Dat.xvii. Kal.Maij, Constantinop. Arcad.iii. & Honor.ii.AA.coss.

xxiii. Idem AAA.Rufino PF.P.

Eunomianis,ne caperent aliquid, vel relinquerent testamento, legem dudum credidimus promulgandam: quam quidem nunc consilio pleniore reuocamus. Viuant iure communi,scribant pariter ac scribantur heredes. Dat. xv.Kal.Iul.Hadrianop.Arcad. iii.& Hon.ii.AA. coss.

xxiiii. Idem AAA. Rufino PF.P.

Hęreticorum dementia,nec vlterius conetur perpetrare,quæ reppererit,nec inlicita habere concilia:nusquam profana præcepta, vel docere,vel discere:ne antistites eorundem audeat fidem insinuare, quam non habent, & ministros creare, quod non sunt.Nec per conhibentiam iudicantum,omniúmque,quibus per Cōstitutiones paternas super hoc cura mandata est,eiusmodi audacia neglegatur, & crescat. Dat. vii.Id. Iul. Constantinop. Arcad.iii.& Honorio ii. AA. coss.

xxv. Idem AAA. Rufino PF.P.

Omnes pœnas,cuncta supplicia, quæ sanctionibus diuæ recordationis genitoris nostri aduersus hæreticorum sunt pertinaces spiritus constituta, nostro etiam decreto reparantes decernimus,quidquid etiam his est contra meritum delinquētum spes correctionis speciali quadem sanctione concessum, id irritum esse. Eunomianorum verò perfidam mentem, & nequissimam sectam speciali commemoratione damnamus, statuimúsque omnia,quæ contra illorum væsaniam decreta sunt, inlibata custodiri. Illud addentes, ne quis memoratæ sectæ militandi, aut testandi, vel ex testamento sumendi habeat facultatem: vt sit iam omnibus commune damnum, quibus etiam communis est religionis furor: cessante videlicet, si quid à patre nostro quibusdam fuerat super testandi iure beneficio speciali concessum. Dat. iii. Id. Mart. CP. Olybrio & Probino coss.

xxvi. Idem AAA. Rufino PF.P.

Ne quis hæreticorum quos iam leges innumeræ diui genitoris nostri continent, audeat cœtus inlicitos congregare,profanáque mente omnipotētis dei contaminare mysterium,nec publicè,nec priuatim,nec in secreto,nec palam. Nemo audeat Episcopi sibi nomē adsciscere,vel ecclesiasticum ordinem, eorúmque sanctissima nomina pollutis mentibus vsurpare. Dat.iiii.Kal.April. Constp.Olybrio & Probino coss.

xxvii. Idem AAA. Cæsario PF.P.

Conficiendorum testamētorum dari Eunomianis pręcipimus potestatem, & concedi id quod diui genitoris nostri data nuper præceptio continebat. Dat.viii.Kal.Iul.Constp.Olybrio & Probino coss.

xxviii. Idem AAA.Aureliano Proc.Asiæ.

Hæreticorum vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus debent subcumbere,qui vel leui argumēto à iudicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare.Ideóque experientia tua Euresium hæreticū nec in numero sanctissimorum antistitū habendum esse cognoscat.Dat.iii.Non. Septemb.Constp.Olybrio & Probino coss.

XXVIIII. Idem AAA. Marcello Mag. officiorum.

Sublimitatem tuam inuestigare præcipimus, an aliqui hæreticorum, vel in scriniis, vel inter agentes in rebus, vel inter palatinos cum legum nostrarum iniuria audeant militare, quibus exemplo diui patris nostri omnibus & à nobis negata est militandi facultas. Quoscumque autem deprehenderis culpæ huius adfines cum ipsis, quibus & in legum nostrarum, & in religionum excidium conhibentiam præstiterunt, non solum militia eximi, verùm etiam extra mœnia vrbis iubebis arceri. Dat. VIII. Kal. Dec. Constp. Olybrio & Probino COSS.

XXX. Impp. Arcad. & Honor. AA. Clearcho P.V.

Cuncti hæretici proculdubio nouerint omnia sibi loca huius vrbis adimenda esse, siue sub ecclesiarum nomine teneantur, siue quæ diaconica appellantur, vel etiam decanica, siue in priuatis domibus, vel locis priuatis fisco nostro adcorporandis. Præterea omnes clerici hæreticorum ex sacratissima vrbe pellantur, neque his finibus liceat conuenire. Ad hoc interdicatur his omnibus ad litaniam faciẽdam intra ciuitatem noctu, vel interdie profanis coire conuentibus statuta videlicet condemnatione centum librarum auri contra officium sublimitatis tuæ, si quid huiusmodi fieri vel in publico, vel in priuatis ædibus concedatur. Dat. V. Non. Mart. Constp. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

XXXI. Idem AA. Cæsario PF.P.

Doctores auctorésque Eunomianorum facinoris inuestigati, clericíque maximè, quorum furor tantùm suasit errorem, ex ciuitatibus pellantur extorres. Dat. XI. Kal. Maij, Constp. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

XXXII. Idem AA. Cæsario PF.P.

Ne Eunomianorum tanta dementia perseueret, sublimis magnificentia tua omni studio auctores doctorésque Eunomianorum inuestigare festinet, clericíque eorum maximè quorum furor tantum suasit errorem, de ciuitatibus pellantur extorres, & humanis cœtibus segregentur. Dat. X. Kal. Maij, Cõstp. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

XXXIII. Idem AA. Entychiano PF.P.

Doctores Apollinariorum tota maturitate præcipimus ex ædibus haræ nobis abscedere ciuitatis: ita vt si obumbrati latebris abire neglexerint, occultos cœtus (vt ęstimant) habituri, ea loca, vel domus, quibus prędictos congregauerint, fisci ratione nectantur. Dat. Kal. April. Constp. Cęsario & Attico COSS.

XXXIIII. Idem AA. Eutychiano PF.P.

Eunomianę superstitionis clerici, seu Montanistę consortio vel conuersatione ciuitatum vniuersarum adque vrbium expellantur. Qui si fortè in rure degentes, aut populum congregare, aut aliquos probabuntur inire conuentus, perpetuò deportentur, procuratore possessionis vltima animaduersione punito, domino possessione priuando, in qua his consciis, ac tacentibus infausti damnatíque conuentus probabuntur agitati. Si verò in qualibet post publicatam sollemniter iussionem vrbe deprehensi, aut aliquam celebrandę superstitionis gratia ingressi domum probabuntur, & ipsi ademptis bonis vltima animaduersione plectantur, & domus, in qua ea forte qua dictum est ingressi,

ingressi, nec statim à domino dominâue domus expulsi, ac proditi fuerint, fisco sine dilatione societur. Codices sanè eorum, scelerum omnium doctrinam ac materiam continentes summa sagacitate mox quæri, ac prodi exerta auctoritate mandamus, sub aspectibus eorum iudicantum incẽdio mox cremandos. Ex quibus si qui fortè aliquid qualibet occasione, vel fraude occultasse, nec prodidisse conuincitur, sciat se velut noxiorum codicum, & maleficij crimine conscribtorem retentatorum, capite esse plectendum. Dat. IIII. Non. Mart. Constp. Honor. A. IIII. & Eutychiano COSS.

XXXV. Idem AA. Dominatori Vic. Afric.

Noxios Manichęos, execrabiléſque eorum conuentus dudum iusta animaduersione damnatos, etiam speciali præceptione cohiberi decernimus. Quapropter quæsiti adducantur in publicum, ac detestati criminosi congrua & seuerissima emendatione resecentur. In eos etiam auctoritatis aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda prouisione defendent. Dat. XVI. Kal. Iun. Med. Theod. V.C. CONS.

XXXVI. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Eunomianis pœnas adimendæ testamenti factionis, peregrinorúmque mutandæ condicionis remittimus. Patimur eos & donandi è suis facultatibus, vt velint, & dono rursus ab aliis accipiendi habere liberam potestatem. Conciliis verò abstineant, cœtus inlicitos derelinquant, & sciant sibi interdictas esse collectiones, aut pœnas paratas: ita vt fundi procurator, vel domus vrbanæ villicus, in quibus profana mysteria fuerint celebrata, vltimo supplicio feriantur: ipsáque possessio, & domus fisco vindicetur, si sciente domino & non prohibente, nostræ iussioni fuerit obnisum. Præterea ministri sceleris, quos falso nomine suo antistites vocant, si in collectione aliqua fuerint conprehensi, deportentur: omnibus bonis ablatis. Dat. Prid. Non. Iul. Constp. Theodoro V.C. CONS.

XXXVII. Idem AA. Hadriano PF. P.

Rescribtum quod Donatistæ à Iuliano tunc principe inpetrasse dicuntur, proposito programmate celeberrimis in locis volumus anteferri: & gesta quibus est huiuscemodi allegatio inserta, subnecti: quo omnibus innotescat, & catholicæ confidentiæ stabilita constantia & Donatistarum desperatio † fucata perfidia. Dat. V. Kalend. Mart. Rau. Stilichone & Aureliano COSS.

† fugata

XXXVIII. Idem AA. & Theod. A. Edictum.

Nemo Manichęum, nemo Donatistam, qui præcipuè (vt conperimus) furere non desistunt, in memoriam reuocet, vna sit catholica veneratio, vna salus sit, Trinitatis par sibi cõgruens sanctitas expetatur. Quod si quis audeat interdictis sese inlicitísque miscere, & præteritorum innumerabilium constitutorum, & legis nuper à mansuetudine nostra prolatæ laqueos non euadat: & si turbæ fortè conuenerint, seditionis concitatos aculeos acrioris conmotionis non dubitet exerendos. Dat. Prid. Id. Feb. Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS.

XXXVIIII. Idem AAA. Diodimo suo Sal.

Donatistæ superstitionis hæreticos, quocumque loci vel fatentes, vel conuictos, legis tenore seruato, pœnam debitam absque dilatione per-

soluere decernimus. Dat. VI. Id. Decemb. Rau. Stilichone II. & Anthemio coss.

XL. Idem AAA. Senatori PF. P.

Quid de Donatistis sentiremus, nuper ostendimus. Præcipuè tamen Manichæos, vel Frygas, siue Priscilianistas meritissima seueritate persequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum ceteris. Ac primùm quidem volumus esse publicum crimen, quia quod in religione diuina committitur, in omnium fertur iniuriam. Quos bonorum etiam publicatione persequimur: quæ tamen cedere iubemus proximis quibusque personis, ita vt ascendentium, vel descendentium, vel venientium ex latere cognatorum vsque ad secundum gradum, velut in successionibus ordo seruetur. Quibus ita demum ad capiendas facultates esse ius patimur, si non & ipsi pari conscientia polluuntur. Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitatis, & successionis quolibet titulo venientes. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi cuique conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquisitio tendit. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non inmerito & hic debet subire iudicium. Ergo & suprema illius scriptura inrita sit, siue testamento, siue codicillo, siue epistula, siue quolibet genere reliquerit voluntatis, qui aut Manichæus, aut Fryga, aut Priscilianista fuisse conuincitur: hoc quoque casu eadem illa circa gradus superius conprehensos condicione seruata. Alioquin nec filios existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. Delicti enim veniam pœnitentibus damus. Seruos etiam extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum reuelantes ad Ecclesiam catholicam seruitio fideliore transierint, perferri huiusmodi hominum cœtus domino, & si non communione criminis inplicato, sciente tamen, nec prohibente contraxit, patrimonio nostro societur. Ac si dominus ignorabit, actor, vel procurator possessionis cohercitus plumbo, perpetuo metallorum operi deputetur: Conductor, si idoneus est, deportabitur: Rector prouinciæ, si hæc crimina dissimulatione vel gratia, delata distulerit, aut conuicta neglexerit, sciat se multa viginti librarum auri feriendum. Defensores quoque & principales vrbium singularum, necnon & officia prouincialia decem librarum auri pœna constringet, nisi in his, quæ à Iudicibus super hoc præcepta fuerint, exsequendis, & sagacissimam curam & sollertissimam operam commodarint. Dat. VIII. Kal. Mart. Rom. Honorio VII. & Theodosio II. AA. CONSS.

XLI. Idem AAA. Porfyrio Proc. Afric.

* Licet crimina soleat pœna purgare, nos tamen prauas hominum voluntates admonitione pænitentiæ volumus emendare. Quicunque igitur hæreticorum siue Donatistæ sint, siue Manichæi, vel cuiuscunque alterius prauæ opinionis ac sectæ, profanis ritibus adgregati, catholicam fidem & meritum, quæ omnes homines cupimus obseruare, simplici confessione susceperint, licet adeò inueteratum malum longa ac diuturna meditatione nutriuerint, vt etiam legibus antè latis videantur obnoxij, tamen hos statim, vt fuerint deum simplici religione confessi, ab omni noxa absoluendos esse censemus: vt ad omnem reatum, seu antè contractus est, seu postea (quod nolumus) contrahitur,

hitur, etiam si maximè reos pœna videatur vrguere, sufficiat ad abolitionem, errorem proprio damnauisse iudicio, & Dei omnipotentis nomen inter ipsa quoque pericula requisitum fuisse complexum: quia nusquā debet in miseriis inuocatum religionis deesse subsidium. Vt igitur priores, quas statuimus leges, in excidium sacrilegarum mentium omni executionis vrgueri iubemus effectu: ita hos, qui simplicis fide religionis licet sera, confessionem maluerint, censemus datis legibus non teneri. Quæ ideo sanximus, quò vniuersi cognoscant, nec profanis hominum studiis deesse vindictam, & ad rectum redūdare cultum, legum quoque adesse suffragium. Dat. XVII. Kal. Dec. Rom. Honorio VII. & Theod. II. AA. COSS.

XLII. Impp. Honor. & Theod. AA. Olympio Mag. Officior. & Valenti Com. domesticor.

Eos qui catholicæ sectæ sunt inimici, intra palatium militare prohibemus. Nullus nobis sit aliqua ratione cōiunctus, qui à nobis fide & religione discordat. Dat. XVIII. Kal. Dec. Rau. Basso & Philippo COSS.

XLIII. Idem AA. Curtio PF. P.

Omnia quæ in Donatistas (qui & Montenses vocantur) Manichęos, siue Priscilianistas, vel in gentiles à nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solùm manere decernimus, verùm in executionem plenissimam effectúmque deduci: ita vt ædificia quoque vel horum, vel Cælicolarum etiam quæ nescio cuius dogmatis noui conuentus habent, ecclesiis vindicentur. Pœna verò lege proposita veluti conuictos tenere debebit eos, qui Donatistas se confessi fuerint, vel catholicorum communionem refugerint scæuæ religionis obtentu, quamuis Christianos esse se simulent, &c. Dat. XVII. Kal. Dec. Rom. Basso & Philippo COSS.

XLIIII. Idem AA. Habe Donate K. NB.

Donatistarum hæreticorum, Iudæorum noua adque inusitata detexit audacia quòd catholicæ fidei velint sacramenta turbare. Quæ pestis adque contagionis latiùs emanet ac profluat. In eos igitur qui aliquid quod sit catholicæ sectæ contrarium aduersúmque temptauerint, supplicium iustæ animaduersionis expromi præcipimus. Dat. VIII. Kal. Decemb. Rau. Basso & Philippo COSS.

XLV. Idem AA. Theodoro PF. P. II.

Defensorum curialium, omniúmque officiorum specula custodiat ne quis intra aliquam ciuitatem, vel vlla territorij parte secreta, qui ab Ecclesię catholicæ sacerdote dissidit, inlicitæ cohitionis habeat facultatem. Ipsa etiam loca iuri publico sociari seclusa omni excusatione censemus, & proscribtos eos in exilium detrudi, qui audent disputare ea & adserere, quæ institutio diuina condemnat. Dat. V. Kal. Decem. Rau. Basso & Philippo COSS.

XLVI. Idem AA. Theodoro PF. P. II. Post alia.

Ne Donatistæ, vel ceterorum vanitas hæreticorum, aliorúmque error quibus catholicæ communionis cultus non potest persuaderi, Iudæi adque gentiles (quos vulgò paganos appellant) arbitrentur legum ante aduersum se datarum constituta tepuisse, nouerint Iudices vniuersi præceptis eorum fideli deuotione parendum, & inter præcipua quidquid aduersus eos decreuimus, non ambigant exsequendum. Quòd si quisquam Iudicum loco conhibentiæ

exsecutionem præsentis legis omiserit, nouerit amissa dignitate grauiorem motum se nostræ clementiæ subiturum. Officium quoque suum, quod saluti propriæ contempta suggestione defuerit, punitis tribus primatibus, condemnatione viginti librarum auri plectendum. Ordines quoque viri si in propriis ciuitatibus, vel territoriis commissum tale aliquid siluerint, in gratiam noxiorum deportationis pœnam & propriarum amissionem facultatum se nouerint subituros. Dat. XVII. Kal. Feb. Rau. Honor. VII. & Theod. III. AA. COSS.

XLVII. Idem AA. Iouio PF. P.

Si quis contra ea quæ multipliciter pro salute communi, hoc est, pro vtilitatibus catholicæ sacrosanctæ Ecclesię aduersus hęreticos & diuersi dogmatis sectatores constituta sunt, etiam cum adnotationis nostræ beneficio venire temptauerit, careat impetratis, &c. Dat. VI. Kal. Iul. Rau. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

XLVIII. Idem AA. Anthemio PF. P.

Montanistas & Priscilianistas & alia huiuscemodi genera nefariæ superstitionis per multiplicata scita diualia diuersa vltionum supplicia contemnentes, ad sacramenta quidem militiæ, quæ nostris obsecundat imperiis, nequaquam admitti censemus. Si quos verò ex his curialis origo, vel ordinum nexus, aut cohortalinæ militiæ inligat obsequiis & functionibus, his adstringi præcipimus: ne sub colore damnatæ religionis eliciant vacationis cupitæ sibi suffragia. Nec enim placet ex lege, quæ in Occidentalibus partibus promulgata prædictas cærimonias ita insecuta est, vt ab omni contractu eos & propemodum Romana conuersatione submouerit, cohortalis militiæ, vel curiarum eos necessitatibus liberari. Dat. VIII. Kal. Mart. Constp. Varane V. C. CONS.

XLVIIII. Idem AA. Anthemio PF. P.

Manentibus his quæ in Eunomianos lex diui patris clementiæ nostræ iamdudum constituit, nihil deinceps inuicem sibi vel donare, vel ipsos donatione consequi, nihil item relinquere, nec capere testamento decernimus. Careant emolumentis, quæ ex donationibus, vel morientium voluntate alternis solebant inlecebris fraude & circumuentione percipere; vt in totum vtriusque iuris communione priuentur, tantúmque eis ab intestato succedant quos ad succedendi ius proditus veteribus legibus ordo præscribsit: ita vt si nullus ex his superstes fuerit qui iure ab intestato ad hereditatem vocantur, tunc bona in hac superstitione defuncti ad fiscum nostrum pertineant. Donationes etiam prædicto more prohibitæ sacrarij nostri incrementis accedát: ita tamen vt nulli ex his quicquam à nostra munificentia deposcere liceat, neminíque percipere, etsi quid fortè voluerimus vltro largiri: sed in iure fisci maneant semper: nisi ea publicæ vtilitatis ratio vēditioni subiecerit. Dat. Kal. Mart. Varane V. C. CONS.

L. Idem AA. ad Strategium Com. R. P. de eadem re, addito.

Ita vt officium rerum priuatarum apertè cognoscat ad proprium periculum redundare, si quid vmquam ex prædictis bonis dissimulatione sua cuiquam passum fuerit tradi: cum nullo modo nulláque ratione huius legis

gis auctoritatem circumueniri oporteat. Dat. Kal. Mart. Rau. Varane v. C. CONS.

LI. Idem AA. Heracliano Com. Afric.

Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos hereticæ superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici plectendos se pœna & proscribtionis & sanguinis, si vltra conuenire per publicum execranda sceleris sui temeritate temptauerint. Dat. VIII. Kal. Sept. Varane v. C. CONS.

LII. Idem AA. Seleuco PF. P.

Cassatis quæ pragmatici, vel adnotatione manus nostræ potuerint impetrari, & manentibus his quæ etiam dudum super hoc definita sunt, & veterum principum sanctione seruata, nisi ex die prolatæ legis omnes Donatistæ tam sacerdotes, quàm clerici laicique catholicis ea, qua sacrilegè desciuere, reddiderint, tunc inlust. singillatim pœnæ nomine fisco nostro auri pondo quinquaginta cogantur inferre, spectabiles auri pondo quadraginta, senatores auri pondo triginta, clarissimi auri pondo viginti, sacerdotales auri pondo triginta, principales auri pondo viginti, decuriones auri pondo quinque, negotiatores auri pondo quinque, plebei auri pondo quinque, circumceliones argenti pondo decem. Qui nisi à conductoribus, sub quibus CONmanent, vel procuratoribus executori exigendi fuerint præsentati, ipsi teneantur ad pœnam: ita vt ne domus nostræ homines ab huiuscemodi censura habeantur INmunes. Vxores quoque eorum maritalis segregatim multa constringat. Eos enim, quos nequaquam inlata damna correxerint, facultatum omnium publicatio subsequetur. Seruos etiam dominorum admonitio, vel colonos verberum crebrior ictus à praua religione reuocabit: ni malunt ipsi ad prædicta dispendia (etiam si sunt catholici) retineri. Clerici verò ministrique eorum ac perniciosissimi Sacerdotales ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in exilium viritim ad singulas quasque regiones sub idonea prosecutione mittantur: Ecclesiis eorum, vel conuenticulis prædiisque, si qua in eorum Ecclesias hæreticorum largitas praua contulit, proprietati potestatique catholicæ (sicut iam dudum statuimus) vindicatis. Dat. III. Kal. Febr. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

LIII. Idem AA. Felici PF. P.

Iouianum sacrilegos agere conuentus extra muros vrbis sacratissimæ Episcoporum querela deplorat. Quare supra memoratū corripi præcipimus, & contusum plumbo cum ceteris suis participibus, & ministris exilio cohercert. Ipsum autem machinatorem in insulam Boam festina celeritate deduci: ceteris, prout libuerit, (dummodo superstitiosa cōiuratio exilij ipsius discretione soluatur) solitarij & longo spatio inter se positis insulis in perpetuum deportatis. Si qui autem pertinaci INprobitate, vetita & damnata repetiuerit, sciat se austeriorem sententiam subiturum. Dat. prid. Non. Mart. Med. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

LIIII. Idem AA. Iuliano Proc. Afric.

Donatistas adque hæreticos, quos patientia clementiæ nostræ nunc vsque seruauit, CONpetenti constituimus auctoritate percelli: quatenus euidēti præceptione se agnoscant & intestabiles, & nullam potestatē alicuius ineūdi ha-

domus accipiat; etiam si per interpositam alterius sectæ personam, vel titulum venditionis imaginariæ fraus quædam legi fuerit excogitata. Tantùm hi, qui ab intestato venturi sunt ex legibus, in eorum hereditate succedant: adque his locus pateat successionis, ad quos iurá sanguinis legitimas intestatorum deferunt hereditates. Conuenticula etiam eorum in domos si qua fuerint, vel possessiones, pro norma generalium sanctionum ærario nostro absque dubio socienturſibi hoc inputante domino, qui interdictos cœtus sciés passus est sub tecto proprio, vel in prædio rustico exerceri. Illo incunctanter exsequédo, vt vbi vbi repperti fuerint Eunomianorũ clerici, qui auctores iterati baptismatis exstiterunt, conprçhensi in perpetuum sub pœna deportationis ad exilium deducantur. Etiam illo addendo, vt nemo Eunomianus, vel militet, vel prouinciam sub administratione cuiuslibet officij suscipiat gubernandam, &c. Dat. VIII. Id. Nou. CP. DD. NN. Honorio x. & Theod. VI. AA. COSS.

LIX. Idem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.

Manichæi & Fryges (quos Pepyzitas, siue Priscilianistas, vel alio latentiore vocabulo appellant) Arriani itidem, Macedonianíque & Eunomiani, Nouatiani ac Sabbatiani, ceteríque hæretici sciant vniuersa sibi hac quoque constitutione denegari, quæ illis generalium sanctionum interdixit auctoritas:: puniendis, qui contra generalium Constitutionum interdicta venire temptauerint. Dat. v. Id. April. Constantp. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

LX. Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

De hæreticis omnibus (quorum & errorem execramur, & nomen) hoc est, de Eunomianis, Arrianis, Macedonianis, ceterísque omnibus, quorũ sectas piissimæ sanctioni tædet inserere, quibus cunctis diuersa nomina, sed vna perfidia, illa præcipimus debere seruari, quæ diui auus, & pater nostræ clementiæ constituerunt: scituris vniuersis, quòd si in eodem furore permanserint, interminatæ pœnæ erunt obnoxij, &c. Dat. VI. Id. Iul. Constp. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

LXI. Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

Omnis dubiæ interpretationis ambages hac sententia resoluentes publicari præcipimus, quòd lex, quæ super Eunomianis militare prohibitis ceterísque execrabilium religionum & professionum ritibus promulgata cognoscitur, nihil ad eos qui cohortalini sunt, pertinet. His enim sunt apparitionibus obligati, in quibus emensis militiæ stipendiis veterani primipili munus sustinere coguntur. Dat. VI. Id. Aug. Eudoxiop. Asclepiodoto & Mariniano CONSS.

LXII. Impp. Theod. A. & Valentinianus Cęs. ad Faustum P. V.

Manichæos, hæreticos, schismaticos, omnémque sectam catholicis inimicam ab ipso aspectu vrbis Romæ exterminari prçcipimus: vt nec prçsentię criminosorum contagione fœdentur. Circa hos autem maximè vrgenda commotio est, qui prauis suasionibus à venerabilis Papæ sese communione suspendunt, quorum schismate plebs etiam reliqua vitiatur. his cõuentione præmissa viginti dierum cõdonauimus inducias, intra quos nisi ad communionis redierint vnitatem, expulsi vsque ad centesimum lapidé solitudine,

tudine, quam eligunt, macerentur. Dat. XVI. Kal. Aug. Aquil. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. coss.

LXIII. Idem A. & Cæs. Georgio Proc. Afric.

Omnes hæreses, omnésque perfidias, omnia schismata superstitionésque gentilium, omnes catholicæ legis inimicos insectamur errores. Si quos verò hæc quoque clementiæ nostræ statuta pœna comitetur, & nouerint sacrilegę superstitionis auctores participes conscios proscribtione plectendos: vt ab errore perfidiæ, si ratione retrahi nequeunt, saltim terrore reuocentur: & vniuerso supplicationum aditu in perpetuum denegato criminibus debita seueritate plectantur, &c. Dat. Prid. Non. Aug. Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. coss.

LXIIII. Idem A. & Cæs. Basso Com. R. P. Post alia.

Manichæos, hæreticos, siue schismaticos, omnémque sectam catholicis inimicam ab ipso aspectu vrbium diuersarum exterminari præcipimus: vt nec præsentiæ criminosorum contagione fœdentur. Omnes igitur personas erroris infausti iubemus excludi, nisi his emendatio matura subuenerit, &c. Dat. VIII. Id. Aug. Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. coss.

LXV. Impp. Theod & Valentinianus AA. Florentio PF. P.

Hæreticorum ita est reprimenda insania, vt ante omnia quas ab orthodoxis abreptas tenent vbicumque Ecclesias, statim catholicæ Ecclesiæ tradendas esse non ambigant: quia ferri non potest, vt qui nec proprias habere debuerant, ab orthodoxis possessas, aut conditas, suáque temeritate inuasas vltra detineant: Dein vt si alios sibi adiungant clericos, vel vt ipsi æstimāt sacerdotes, decē librarum auri multa per singulos ab eo qui fecerit, & qui fieri passus sit, vel si paupertatem prætendant, de communi clericorum eiusdem superstitionis corpore, vel etiam donariis ipsis extorta nostro inferatur ærario. Post hæc quoniam non omnes eadem austeritate plectendi sunt, Arrianis quidem, Macedonianis & Apollinarianis, quorum hoc est facinus, quòd nocenti meditatione decepti credunt de veritatis fonte mendacia, intra nullam ciuitatem Ecclesiam habere liceat. Nouatianis autem & Sabbatianis omnis innouationis adimatur licentia, si quam fortè temptauerint. Eunomiani verò, Valentiniani, Montanistæ, seu Priscilianistæ, Fryges, Marcianistæ, Borboriani, Messaliani, Euchitæ, siue Enthysiastæ, Donatistæ, Audiani, Hydroparastatæ, Ascodrogitæ, Fotiniani, Pauliani, Marcelliani, &, qui ad imam vsque scelerum nequitiam peruenerunt, Manichæi, nusquam in Romano solo conueniendi, orandíque habeant facultatem: Manichæis etiam de ciuitatibus expellendis: quoniam nihil his omnibus relinquēdi loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria: nulla his penitus præter cohortalinam in prouinciis, & castrensem, indulgenda militia: nullo donationis faciendę inuicē, nullo testamenti, aut voluntatis vltimę penitus iure cōcesso, cunctísque legibus, quę contra hos ceterósque, qui nostræ fidei refragātur, olim latę sunt, diuersísque promulgatæ temporibus, semper viridi obseruātia valituris, siue de donationibus in hæreticorum factis Ecclesias, siue ex vltima voluntate rebus qualitercumque relictis, siue de priuatis ædificiis, in quæ domino permittēte, vel conhibente conuenerint, venerandæ nobis catholicæ vindicādis Ecclesiæ,

XXVIIII. Idem AAA. Marcello Mag. officiorum.

Sublimitatem tuam inuestigare præcipimus, an aliqui hæreticorum, vel in scriniis, vel inter agentes in rebus, vel inter palatinos cum legum nostrarum iniuria audeant militare, quibus exemplo diui patris nostri omnibus & à nobis negata est militandi facultas. Quoscumque autem deprehenderis culpæ huius adfines cum ipsis, quibus & in legum nostrarum, & in religionum excidium conhibentiam præstiterunt, non solum militia eximi, verùm etiam extra mœnia vrbis iubebis arceri. Dat. VIII. Kal. Dec. Constp. Olybrio & Probino COSS.

XXX. Impp. Arcad. & Honor. AA. Clearcho P.V.

Cuncti hæretici proculdubio nouerint omnia sibi loca huius vrbis adimenda esse, siue sub ecclesiarum nomine teneantur, siue quæ diaconica appellantur, vel etiam decanica, siue in priuatis domibus, vel locis priuatis fisco nostro adcorporandis. Præterea omnes clerici hæreticorum ex sacratissima vrbe pellantur, neque his finibus liceat conuenire. Ad hoc interdicatur his omnibus ad litaniam faciẽdam intra ciuitatem noctu, vel interdie profanis coire conuentibus statuta videlicet condemnatione centum librarum auri contra officium sublimitatis tuæ, si quid huiusmodi fieri vel in publico, vel in priuatis ædibus concedatur. Dat. V. Non. Mart. Constp. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

XXXI. Idem AA. Cæsario PF.P.

Doctores auctorésque Eunomianorum facinoris inuestigati, clericíque maximè, quorum furor tantùm suasit errorem, ex ciuitatibus pellantur extorres. Dat. XI. Kal. Maij, Constp. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

XXXII. Idem AA. Cæsario PF.P.

Ne Eunomianorum tanta dementia perseueret, sublimis magnificentia tua omni studio auctores doctorésque Eunomianorum inuestigare festinet, clericíque eorum maximè quorum furor tantum suasit errorem, de ciuitatibus pellantur extorres, & humanis cœtibus segregentur. Dat. X. Kal. Maij, Cõstp. Arcad. IIII. & Honor. III. AA. COSS.

XXXIII. Idem AA. Entychiano PF.P.

Doctores Apollinariorum tota maturitate præcipimus ex ædibus haræ nobis abscedere ciuitatis: ita vt si obumbrati latebris abire neglexerint, occultos cœtus (vt ęstimant) habituri, ea loca, vel domus, quibus prędictos congregauerint, fisci ratione nectantur. Dat. Kal. April. Constp. Cęsario & Attico COSS.

XXXIIII. Idem AA. Eutychiano PF.P.

Eunomianę superstitionis clerici, seu Montanistę consortio vel conuersatione ciuitatum vniuersarum adque vrbium expellantur. Qui si fortè in rure degentes, aut populum congregare, aut aliquos probabuntur inire conuentus, perpetuò deportentur, procuratore possessionis vltima animaduersione punito, domino possessione priuando, in qua his consciis, ac tacentibus infausti damnatíque conuentus probabuntur agitati. Si verò in qualibet post publicatam sollemniter iussionem vrbe deprehensi, aut aliquam celebrandę superstitionis gratia ingressi domum probabuntur, & ipsi ademptis bonis vltima animaduersione plectantur, & domus, in qua ea sorte qua dictum est ingressi,

ingressi, nec statim à domino dominàue domus expulsi, ac proditi fuerint, fisco sine dilatione societur. Codices sanè eorum, scelerum omnium doctrinam ac materiam continentes summa sagacitate mox quæri, ac prodi exerta auctoritate mandamus, sub aspectibus eorum iudicantum incēdio mox cremandos. Ex quibus si qui fortè aliquid qualibet occasione, vel fraude occultasse, nec prodidisse conuincitur, sciat se velut noxiorum codicum, & maleficij crimine conscribtorem retentatorum, capite esse plectendum. Dat. IIII. Non. Mart. Constp. Honor. A. IIII. & Eutychiano COSS.

XXXV. Idem AA. Dominatori Vic. Afric.

Noxios Manicheos, execrabilésque eorum conuentus dudum iusta animaduersione damnatos, etiam speciali præceptione cohiberi decernimus. Quapropter quæsiti adducantur in publicum, ac detestati criminosi congrua & seuerissima emendatione resecentur. In eos etiam auctoritatis aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda prouisione defendent. Dat. XVI. Kal. Iun. Med. Theod. V. C. CONS.

XXXVI. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Eunomianis pœnas adimendæ testamenti factionis, peregrinorúmque mutandæ condicionis remittimus. Patimur eos & donandi è suis facultatibus, vt velint, & dono rursus ab aliis accipiendi habere liberam potestatem. Conciliis verò abstineant, cœtus inlicitos derelinquant, & sciant sibi interdictas esse collectiones, aut pœnas paratas: ita vt fundi procurator, vel domus vrbanæ villicus, in quibus profana mysteria fuerint celebrata, vltimo supplicio feriantur: ipsáque possessio, & domus fisco vindicetur, si sciente domino & non prohibente, nostræ iussioni fuerit obnisum. Præterea ministri sceleris, quos falso nomine suo antistites vocant, si in collectione aliqua fuerint conprehensi, deportentur: omnibus bonis ablatis. Dat. Prid. Non. Iul. Constp. Theodoro V. C. CONS.

XXXVII. Idem AA. Hadriano PF. P.

Rescribtum quod Donatistæ à Iuliano tunc principe inpetrasse dicuntur, proposito programmate celeberrimis in locis volumus anteferri: & gesta quibus est huiuscemodi allegatio inserta, subnecti: quo omnibus innotescat, & catholicæ confidentiæ stabilita constantia & Donatistarum desperatio † fucata perfidia. Dat. V. Kalend. Mart. Rau. Stilichone & Aureliano COSS. † fugata

XXXVIII. Idem AA. & Theod. A. Edictum.

Nemo Manicheum, nemo Donatistam, qui præcipuè (vt conperimus) furere non desistunt, in memoriam reuocet, vna sit catholica veneratio, vna salus sit, Trinitatis par sibi cōgruens sanctitas expetatur. Quod si quis audeat interdictis sese inlicitísque miscere, & præteritorum innumerabilium constitutorum, & legis nuper à mansuetudine nostra prolatæ laqueos non euadat: & si turbæ fortè conuenerint, seditionis concitatos aculeos acrioris conmotionis non dubitet exerendos. Dat. Prid. Id. Feb. Rau. Stilichone II. & Anthemio COSS.

XXXVIIII. Idem AAA. Diodimo suo Sal.

Donatistæ superstitionis hæreticos, quocumque loci vel fatentes, vel conuictos, legis tenore seruato, pœnam debitam absque dilatione per-

ſoluere decernimus. Dat. VI. Id. Decemb. Rau. Stilichone II. & Anthemio coss.

XL. Idem AAA. Senatori PF. P.

Quid de Donatiſtis ſentiremus, nuper oſtendimus. Præcipuè tamen Manichæos, vel Frygas, ſiue Priſcilianiſtas meritiſſima ſeueritate perſequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus ſit commune cum ceteris. Ac primùm quidem volumus eſſe publicum crimen, quia quod in religione diuina committitur, in omnium fertur iniuriam. Quos bonorum etiam publicatione perſequimur: quæ tamen cedere iubemus proximis quibuſque perſonis, ita vt aſcendentium, vel deſcendentium, vel venientium ex latere cognatorum vſque ad ſecundum gradum, velut in ſucceſſionibus ordo ſeruetur. Quibus ita demum ad capiendas facultates eſſe ius patimur, ſi non & ipſi pari conſcientia polluuntur. Ipſos quoque volumus amoueri ab omni liberalitatis, & ſucceſſionis quolibet titulo venientes. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non poſtremò contrahendi cuique conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquiſitio tendit. Nam ſi in criminibus maieſtatis licet memoriam accuſare defuncti, non inmerito & hic debet ſubire iudicium. Ergo & ſuprema illius ſcriptura irrita ſit, ſiue teſtamento, ſiue codicillo, ſiue epiſtula, ſiue quolibet genere reliquerit voluntatis, qui aut Manichæus, aut Fryga, aut Priſcilianiſta fuiſſe conuincitur: hoc quoque caſu eadem illa circa gradus ſuperius conprehenſos condicione ſeruata. Alioquin nec filios exiſtere, aut adire permittimus, niſi à paterna prauitate diſceſſerint. Delicti enim veniam pænitentibus damus. Seruos etiam extra noxam eſſe volumus, ſi dominum ſacrilegum reuelantes ad Eccleſiam catholicam ſeruitio fideliore tranſierint, perferri huiuſmodi hominum cœtus domino, & ſi non communione criminis inplicato, ſciente tamen, nec prohibente contraxit, patrimonio noſtro ſocietur. Ac ſi dominus ignorabit, actor, vel procurator poſſeſſionis cohercitus plumbo, perpetuo metallorum operi deputetur: Conductor, ſi idoneus eſt, deportabitur: Rector prouinciæ, ſi hæc crimina diſſimulatione vel gratia, delata diſtulerit, aut conuicta neglexerit, ſciat ſe multa viginti librarum auri feriendum. Defenſores quoque & principales vrbium ſingularum, necnon & officia prouincialia decem librarum auri pœna conſtringet, niſi in his, quæ à Iudicibus ſuper hoc præcepta fuerint, exſequendis, & ſagaciſſimam curam & ſollertiſſimam operam commodarint. Dat. VIII. Kal. Mart. Rom. Honorio VII. & Theodoſio II. AA. conss.

XLI. Idem AAA. Porfyrio Proc. Afric.

* Licet crimina ſoleat pœna purgare, nos tamen prauas hominum voluntates admonitione pænitentiæ volumus emendare. Quicunque igitur hæreticorum ſiue Donatiſtæ ſint, ſiue Manichæi, vel cuiuſcunque alterius prauæ opinionis ac ſectæ, profanis ritibus adgregati, catholicam fidem & meritum, quæ omnes homines cupimus obſeruare, ſimplici confeſſione ſuſceperint, licet adeò inueteratum malum longa ac diuturna meditatione nutriuerint, vt etiam legibus antè latis videantur obnoxij, tamen hos ſtatim, vt fuerint deum ſimplici religione confeſſi, ab omni noxa abſoluendos eſſe cenſemus: vt ad omnem reatum, ſeu antè contractus eſt, ſeu poſtea (quod nolumus) contrahitur,

hitur, etiam si maximè reos pœna videatur vrguere, sufficiat ad abolitionem, errorem proprio damnauisse iudicio, & Dei omnipotentis nomen inter ipsa quoque pericula requisitum fuisse complexum: quia nusquã debet in miseriis inuocatum religionis deesse subsidium. Vt igitur priores, quas statuimus leges, in excidium sacrilegarum mentium omni executionis vrgueri iubemus effectu: ita hos, qui simplicis fide religionis licet sera, confessionem maluerint, censemus datis legibus non teneri. Quæ ideo sanximus, quò vniuersi cognoscant, nec profanis hominum studiis deesse vindictam, & ad rectum redũdare cultum, legum quoque adesse suffragium. Dat. XVII. Kal. Dec. Rom. Honorio VII. & Theod. II. AA. COSS.

XLII. Impp. Honor. & Theod. AA. Olympio Mag. Officior. & Valenti Com. domesticor.

Eos qui catholicæ sectæ sunt inimici, intra palatium militare prohibemus. Nullus nobis sit aliqua ratione cõiunctus, qui à nobis fide & religione discordat. Dat. XVIII. Kal. Dec. Rau. Basso & Philippo COSS.

XLIII. Idem AA. Curtio PF. P.

Omnia quæ in Donatistas (qui & Montenses vocantur) Manichęos, siue Priscilianistas, vel in gentiles à nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solùm manere decernimus, verùm in executionem plenissimam effectúmque deduci: ita vt ædificia quoque vel horum, vel Cælicolarum etiam quæ nescio cuius dogmatis noui conuentus habent, ecclesiis vindicentur. Pœna verò lege proposita veluti conuictos tenere debebit eos, qui Donatistas se confessi fuerint, vel catholicorum communionem refugerint scæuæ religionis obtentu, quamuis Christianos esse se simulent, &c. Dat. XVII. Kal. Dec. Rom. Basso & Philippo COSS.

XLIIII. Idem AA. Habe Donate K. NB.

Donatistarum hæreticorum, Iudæorum noua adque inusitata detexit audacia quòd catholicæ fidei velint sacramenta turbare. Quæ pestis adque contagionis latiùs emanet ac profluat. In eos igitur qui aliquid quod sit catholicæ sectæ contrarium aduersúmque temptauerint, supplicium iustæ animaduersionis expromi præcipimus. Dat. VIII. Kal. Decemb. Rau. Basso & Philippo COSS.

XLV. Idem AA. Theodoro PF. P. II.

Defensorum curialium, omniúmque officiorum specula custodiat ne quis intra aliquam ciuitatem, vel vlla territorij parte secreta, qui ab Ecclesię catholicæ sacerdote dissidit, inlicitæ cohitionis habeat facultatem. Ipsa etiam loca iuri publico sociari seclusa omni excusatione censemus, & proscribtos eos in exilium detrudi, qui audent disputare ea & adserere, quæ institutio diuina condemnat. Dat. V. Kal. Decem. Rau. Basso & Philippo COSS.

XLVI. Idem AA. Theodoro PF. P. II. Post alia.

Ne Donatistæ, vel ceterorum vanitas hæreticorum, aliorúmque error quibus catholicæ communionis cultus non potest persuaderi, Iudæi adque gentiles (quos vulgò paganos appellant) arbitrentur legum ante aduersum se datarum constituta tepuisse, nouerint Iudices vniuersi præceptis eorum fideli deuotione parendum, & inter præcipua quidquid aduersus eos decreuimus, non ambigant exsequendum. Quòd si quisquam Iudicum loco conhibentiæ

exſecutionem præſentis legis omiſerit, nouerit amiſſa dignitate grauiorem motum ſe noſtræ clementiæ ſubiturum. Officium quoque ſuum, quod ſaluti propriæ contempta ſuggeſtione defuerit, punitis tribus primatibus, condemnatione viginti librarum auri plectendum. Ordines quoque viri ſi in propriis ciuitatibus, vel territoriis commiſſum tale aliquid ſiluerint, in gratiam noxiorum deportationis pœnam & propriarum amiſſionem facultatum ſe nouerint ſubituros. Dat. XVII. Kal. Feb. Rau. Honor. VII. & Theod. III. AA. COSS.

XLVII. Idem AA. Iouio PF. P.

Si quis contra ea quæ multipliciter pro ſalute communi, hoc eſt, pro vtilitatibus catholicæ ſacroſanctæ Eccleſię aduerſus hęreticos, & diuerſi dogmatis ſectatores conſtituta ſunt, etiam cum adnotationis noſtræ beneficio venire temptauerit, careat impetratis, &c. Dat. VI. Kal. Iul. Rau. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

XLVIII. Idem AA. Anthemio PF. P.

Montaniſtas & Priſcilianiſtas & alia huiuſcemodi genera nefariæ ſuperſtitionis per multiplicata ſcita diualia diuerſa vltionum ſupplicia contemnentes, ad ſacramenta quidem militiæ, quæ noſtris obſecundat imperiis, nequaquam admitti cenſemus. Si quos verò ex his curialis origo, vel ordinum nexus, aut cohortalinæ militiæ inligat obſequiis & functionibus, his adſtringi præcipimus: ne ſub colore damnatæ religionis eliciant vacationis cupitæ ſibi ſuffragia. Nec enim placet ex lege, quæ in Occidentalibus partibus promulgata prædictas cærimonias ita inſecuta eſt, vt ab omni contractu eos & propemodum Romana conuerſatione ſubmouerit, cohortalis militiæ, vel curiarum eos neceſſitatibus liberari. Dat. VIIII. Kal. Mart. Conſtp. Varane V. C. CONS.

XLVIIII. Idem AA. Anthemio PF. P.

Manentibus his quæ in Eunomianos lex diui patris clementiæ noſtræ iamdudum conſtituit, nihil deinceps inuicem ſibi vel donare, vel ipſos donatione conſequi, nihil item relinquere, nec capere teſtamento decernimus. Careant emolumentis, quæ ex donationibus, vel morientium voluntate alternis ſolebant inlecebris fraude & circumuentione percipere; vt in totum vtriuſque iuris communione priuentur, tantúmque eis ab inteſtato ſuccedant quos ad ſuccedendi ius proditus veteribus legibus ordo præſcribſit: ita vt ſi nullus ex his ſuperſtes fuerit qui iure ab inteſtato ad hereditatem vocantur, tunc bona in hac ſuperſtitione defuncti ad fiſcum noſtrum pertineant. Donationes etiam prædicto more prohibitæ ſacrarij noſtri incrementis accedãt: ita tamen vt nulli ex his quicquam à noſtra munificentia depoſcere liceat, neminíque percipere, etſi quid fortè voluerimus vltro largiri: ſed in iure fiſci maneant ſemper: niſi ea publicæ vtilitatis ratio vẽditioni ſubiecerit. Dat. Kal. Mart. Varane V. C. CONS.

L. Idem AA. ad Strategium Com. R. P. de eadem re, addito.

Ita vt officium rerum priuatarum apertè cognoſcat ad proprium periculum redundare, ſi quid vnquam ex prædictis bonis diſſimulatione ſua cuiquam paſſum fuerit tradi: cum nullo modo nulláque ratione huius legis

gis auctoritatem circumueniri oporteat. Dat. Kal. Mart. Rau. Varane v. c. cons.

LI. Idem AA. Heracliano Com. Afric.

Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos hęreticæ superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici plectendos se pœna & proscribtionis & sanguinis, si vltra conuenire per publicum execranda sceleris sui temeritate temptauerint. Dat. VIII. Kal. Sept. Varane v. c. cons.

LII. Idem AA. Seleuco pf. p.

Cassatis quæ pragmatici, vel adnotatione manus nostræ potuerint impetrari, & manentibus his quæ etiam dudum super hoc definita sunt, & veterum principum sanctione seruata, nisi ex die prolatæ legis omnes Donatistæ tam sacerdotes, quàm clerici laicique catholicis ea, qua sacrilegè desciuere, reddiderint, tunc inlust. singillatim pœnæ nomine fisco nostro auri pondo quinquaginta cogantur inferre, spectabiles auri pondo quadraginta, senatores auri pondo triginta, clarissimi auri pondo viginti, sacerdotales auri pondo triginta, principales auri pondo viginti, decuriones auri pondo quinque, negotiatores auri pondo quinque, plebei auri pondo quinque, circumceliones argenti pondo decem. Qui nisi à conductoribus, sub quibus conmanent, vel procuratoribus executori exigendi fuerint præsentati, ipsi teneantur ad pœnam: ita vt ne domus nostræ homines ab huiuscemodi censura habeantur inmunes. Vxores quoque eorum maritalis segregatim multa constringat. Eos enim, quos nequaquam inlata damna correxerint, facultatum omnium publicatio subsequetur. Seruos etiam dominorum admonitio, vel colonos verberum crebrior ictus à praua religione reuocabit: ni malunt ipsi ad prædicta dispendia (etiam si sunt catholici) retineri. Clerici verò ministrique eorum ac perniciosissimi Sacerdotales ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in exilium viritim ad singulas quasque regiones sub idonea prosecutione mittantur: Ecclesiis eorum, vel conuenticulis prædiisque, si qua in eorum Ecclesias hæreticorum largitas praua contulit, proprietati potestatíque catholicæ (sicut iam dudum statuimus) vindicatis. Dat. III. Kal. Febr. Rau. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. coss.

LIII. Idem AA. Felici pf. p.

Iouianum sacrilegos agere conuentus extra muros vrbis sacratissimæ Episcoporum querela deplorat. Quare supra memoratũ corripi præcipimus, & contusum plumbo cum ceteris suis participibus, & ministris exilio coherceri. Ipsum autem machinatorem in insulam Boam festina celeritate deduci: ceteris, prout libuerit, (dummodo superstitiosa cõiuratio exilij ipsius discretione soluatur) solitarij & longo spatio inter se positis insulis in perpetuum deportatis. Si qui autem pertinaci inprobitate, vetita & damnata repetiuerit, sciat se austeriorem sententiam subiturum. Dat. prid. Non. Mart. Med. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. coss.

LIIII. Idem AA. Iuliano Proc. Afric.

Donatistas adque hæreticos, quos patientia clementiæ nostræ nunc vsque seruauit, conpetenti constituimus auctoritate percelli: quatenus euidẽti præceptione se agnoscant & intestabiles, & nullam potestatẽ alicuius incũdi ha-

bere, sed perpetua iniustos infamia à cœtibus honestis, & à conuentu publico segregandos. Ea verò loca in quibus dira superstitio nunc vsque seruata est catholicæ venerabili Ecclesiæ socientur: ita vt Episcopi, presbyteri, omnésque antistites eorum, & ministri spoliati omnibus facultatibus ad singulas † quasque insulas adque prouincias exulandi gratia dirigantur. Quisquis autem hos fugientes propositam vltionem occultandi causa susceperit, sciat & patrimonium suum fisci nostri conpendiis adgregandum, & se pœnam quæ his proposita est, subiturum. Damna quoque patrimonij, pœnásque pecuniarias euidenter inponimus viris, mulieribus, personis singulis, & dignitatibus, pro qualitate sui quæ debeant inrogari. Igitur Proconsulari, aut Vicariano, vel Comitiuæ primi ordinis quisque fuerit honore succinctus, nisi ad obseruantiam catholicam, mentem propositúmque conuerterit, ducentas argenti libras cogetur exsoluere fisci nostri vtilitatibus adgregendas. Ac ne id solum putetur ad resecandam intentionem posse sufficere, quotiescumque ad communionem talem accessisse fuerit confutatus, totiens multam exigatur: & si quinquies eundem constiterit nec damnis ab errore reuocari, tūc ad nostram clementiam referatur, vt de solida eius substantia ac de statu acerbiùs iudicemus. Huiusmodi autem condicionibus etiam honoratos reliquos obligamus: scilicet, vt Senator, qui nullo munitus extrinsecus priuilegio dignitatis, inuentus in grege Donatistarum, centum libras soluat argenti: Sacerdotales eandem summam cogantur exsoluere: Decemprimi curiales quinquaginta libras argenti addicantur: reliqui decuriones decem soluant libras argenti, quicumque in hæresi maluerint permanere. Conductores autem domus nostræ, si hæc in prædiis venerabilis substantiæ vti permiserint, tantam pensionem pœnæ nomine cogantur inferre, quantum in conductione pensitare consuerunt. Eadem quoque emphyteuticarios auctoritas sacræ definitionis adstringet. Conductores verò priuatorum, si permiserint in hisdem prædiis conuenticula haberi, vel eorum patientia sacrum mysterium fuerit inquinatum, referetur per Iudices ad scientiam dominorum, quorum intererit, si pœnam volunt sacræ iussionis euadere, aut certantes corrigere, aut perseuerantes commutare: ac tales prædiis suis præbere Rectores qui diuina præcepta custodiant. Quod si procurare neglexerint, hi quoque in pensiones, quas accipere consuerunt, prolatæ præceptionis auctoritate multentur, vt quod ad conpendia eorum peruenire poterat sacro iungatur ærario. Officiales autem diuersorum Iudicum, si in hoc errore fuerint depræhensi, ad triginta librarum argenti inlationem pœnæ nomine teneantur: ita vt si quinquies condemnati abstinere noluerint, coherciti verberibus exilio mancipentur. Seruos verò & colonos cohercitio ab huiusmodi ausibus seuerissima vindicabit. Ac si coloni verberibus coacti in proposito perdurauerint, tunc tertia pecul ij sui parte multentur, adque omnia, quæ ex huiusmodi generibus hominum locísque colligi poterunt, ad largitiones sacras ilico dirigantur. Dat. x. Kal. Iul. Rau. Constantio & Constante coss.

† *quisque*

LV. Idem AA. Iuliano Proc. Afric.

Notione & sollicitudine Marcellini spectabilis memoriæ viri contra Donatistas gesta sunt ea, quæ translata in publica monumenta habere volumus

perpetim

perpetim firmitatem. Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. Dat. III. Kal. Septemb. Rom. Constantio & Constante COSS.

LVI. Idem. AA. Heracliano Com. Afric.

Sciant cuncti, qui ad ritus suos hæresis superstitionibus obrepserant sacrosanctæ legis inimici, plectendos se pœna & proscribtionis & sanguinis, si vltra conuenire per publicum exercendi sceleris sui temeritate temptauerint: ne qua vera diuináque reuerentia contagione temeretur. Dat. VIII. Kal. Septēb. Honorio x. & Theod. VI. AA. COSS.

LVII. Idem AA. Aureliano PF. P. II.

Montanistæ conueniendi, vel celebrandi cœtus ademptam sibi, & creandi clericos omnem intellegant facultatem: ita vt si conuentus inlicitos celebrauerint, clerici eorum, & Episcopi, siue presbyteri siue diaconi, qui nefaria conuenticula ineunda temptauerint, vel creare clericos ausi fuerint, vel etiam creari adquieuerint, stilum deportationis excipiant. Hi verò qui ad celebrandos interdictos conuentus eos susceperint, ea ipsa re, in qua hoc fieri concesserint, & execrabilia mysteria celebrare, proculdubio intellegant spoliandos, siue domus ea fuerit, siue possessio, siue procuratores ignorantibus dominis eos susceperint, in exilium se vehementer cohercitos non ambigant ablegandos. si qua etiam propria eorum nunc extant ædificia, quæ non Ecclesiæ, sed antra debent feralia nominari, venerabilibus Ecclesiis orthodoxæ sectæ cum donariis addicentur. Quod quidem ita fieri oportebit, vt abstineatur priuatorum rebus: ne sub obtentu rerum ad Ecclesias Montanistarum pertinentium, aduersus priuatos spoliatio, ac direptio perpetretur. Dat. Prid. Kal. Nouemb. Constantinop. Honorio x. & Theod. VI. AA. COSS.

LVIII. Idem AA. Aureliano PF. P. II.

Domus Eunomianorum propriæ clericorum quæ apud inclytam vrbem habentur, fisci viribus addicantur, in quas nefarios conuentus habitos, vel iteratum baptisma claruerit, quod in modum semel nati hominis, semel à Deo conceditur. Quod facinus ne etiam à ceteris hæreticis perpetretur, commonemus. similem expectaturis pœnam etiam aliis clericis hæreticis, si diuinum baptisma nefariè crediderint iterandum: ne eo quoque extra pœnam relegationis futuro, qui sponte adque vltro passus fuerit ad secundum se baptisma & geminata semel indultæ fidei mysteria, imbui temere vel perperam deuocari: pari pœna deportationis absque alicuius intercessione in Eunomianos clericos processura, si conuentus exercere vel in hac inclyta vrbe, vel in prouinciis, ciuitatibus, ac territoriis; vel creare ausi fuerint clericos pestiferi dogmatis vel creari. Confirmatis itaque prioribus legibus, quæ promulgatæ sunt, tam circa inhibendos conuentus Eunomianorum, quàm etiam circa interdictas nouissimas voluntates, aut liberalitates illud addimus, vt si qui de Eunomianis speciali beneficio meruerant, vt eis testamenti factio indulgeretur, vel donandi, vel accipiendi ex largitate licentia tribuatur, priuentur hoc beneficio, & pares ceteris sint quibus pares sunt in dogmatis prauitate. Nulli penitus testari liceat Eunomiano in Eunomianum, nulli eiusdem peruersitatis ex testamento quicquam percipere Eunomiani, nemo donet, nec Eunomianus ab Eunomiano liberalitatem prædij vel

domus accipiat; etiam si per interpositam alterius sectæ personam, vel titulum venditionis imaginariæ fraus quædam legi fuerit excogitata. Tantùm hi, qui ab intestato venturi sunt ex legibus, in eorum hereditate succedant: adque his locus pateat successionis, ad quos iura sanguinis legitimas intestatorum deferunt hereditates. Conuenticula etiam eorum in domos si qua fuerint, vel possessiones, pro norma generalium sanctionum ærario nostro absque dubio socienturssibi hoc INputante domino, qui interdictos cœtus sciēs passus est sub tecto proprio, vel in prædio rustico exerceri. Illo incunctanter exsequēdo, vt vbi vbi repperti fuerint Eunomianorū clerici, qui auctores iterati baptismatis exstiterunt, CONprçhensi in perpetuum sub pœna deportationis ad exilium deducantur. Etiam illo addendo, vt nemo Eunomianus, vel militet, vel prouinciam sub administratione cuiuslibet officij suscipiat gubernandam, &c. Dat. VIII. Id. Nou. CP. DD. NN. Honorio X. & Theod. VI. AA. COSS.

LIX. Idem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.

Manichæi & Fryges (quos Pepyzitas, siue Priscilianistas, vel alio latentiore vocabulo appellant) Arriani itidem, Macedonianíque & Eunomiani, Nouatiani ac Sabbatiani, ceteríque hæretici sciant vniuersa sibi hac quoque constitutione denegari, quæ illis generalium sanctionum interdixit auctoritas:: puniendis, qui contra generalium Constitutionum interdicta venire temptauerint. Dat. V. Id. April. Constantp. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

LX. Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

De hæreticis omnibus (quorum & errorem execramur, & nomen) hoc est, de Eunomianis, Arrianis, Macedonianis, cetefísque omnibus, quorū sectas piissimæ sanctioni tædet inserere, quibus cunctis diuersa nomina, sed vna perfidia, illa præcipimus debere seruari, quæ diui auus, & pater nostræ clementiæ constituerunt: sciturís vniuersis, quòd si in eodem furore permanserint, interminatæ pœnæ erunt obnoxij, &c. Dat. VI. Id. Iul. Constp. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

LXI. Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

Omnis dubiæ interpretationis ambages hac sententia resoluentes publicari præcipimus, quòd lex, quæ super Eunomianis militare prohibitis ceterísque execrabilium religionum & professionum ritibus promulgata cognoscitur, nihil ad eos qui cohortalini sunt, pertinet. His enim sunt apparitionibus obligati, in quibus emensis militiæ stipendiis veterani primipili munus sustinere coguntur. Dat. VI. Id. Aug. Eudoxiop. Asclepiodoto & Mariniano CONSS.

LXII. Impp. Theod. A. & Valentinianus Cęs. ad Faustum P. V.

Manichæos, hæreticos, schismaticos, omnémque sectam catholicis inimicam ab ipso aspectu vrbis Romæ exterminari pręcipimus: vt nec pręsentię criminosorum contagione fœdentur. Circa hos autem maximè vrgenda commotio est, qui prauis suasionibus à venerabilis Papæ sese communione suspendunt, quorum schismate plebs etiam reliqua vitiatur. his cōuentione præmissa viginti dierum cōdonauimus inducias, intra quos nisi ad communionis redierint vnitatem, expulsi vsque ad centesimum lapidē solitudine,

tudine,quam eligunt,macerentur. Dat.XVI.Kal.Aug.Aquil. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæſ. coss.

LXIII. Idem A.& Cæſ.Georgio Proc. Afric.

Omnes hæreſes,omnéſque perfidias, omnia ſchiſmata ſuperſtitionéſque gentilium,omnes catholicæ legis inimicos inſectamur errores. Si quos verò hæc quoque clementiæ noſtræ ſtatuta pœna comitetur,& nouerint ſacrilegę ſuperſtitionis auctores participes conſcios proſcribtione plectendos:vt ab errore perfidiæ,ſi ratione retrahi nequeunt,ſaltim terrore reuocentur:& vniuerſo ſupplicationum aditu in perpetuum denegato criminibus debita ſeueritate plectantur, &c.Dat.Prid.Non.Aug.Aquil.DN.Theod.A.XI.& Valentiniano Cæſ. coss.

LXIIII. Idem A. & Cæſ. Baſſo Com.R.P.Poſt alia.

Manichæos,hæreticos, ſiue ſchiſmaticos, omnémque ſectam catholicis inimicam ab ipſo aſpectu vrbium diuerſarum exterminari præcipimus: vt nec præſentiæ criminoſorum contagione fœdentur. Omnes igitur perſonas erroris infauſti iubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubuenerit, &c. Dat. VIII. Id. Aug. Aquil. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæſ. coss.

LXV. Impp.Theod.& Valentinianus AA. Florentio PF.P.

Hæreticorum ita eſt reprimenda inſania, vt ante omnia quas ab orthodoxis abreptas tenent vbicumque Eccleſias, ſtatim catholicæ Eccleſiæ tradendas eſſe non ambigant: quia ferri non poteſt, vt qui nec proprias habere debuerant,ab orthodoxis poſſeſſas, aut conditas, ſuáque temeritate inuaſas vltra detineant:Dein vt ſi alios ſibi adiungant clericos,vel vt ipſi æſtimãt ſacerdotes, decẽ librarum auri multa per ſingulos ab eo qui fecerit,& qui fieri paſſus ſit, vel ſi paupertatem prætendant, de communi clericorum eiuſdem ſuperſtitionis corpore, vel etiam donariis ipſis extorta noſtro inferatur ærario. Poſt hæc quoniam non omnes eadem auſteritate plectendi ſunt, Arrianis quidem, Macedonianis & Apollinarianis, quorum hoc eſt facinus,quòd nocenti meditatione decepti credunt de veritatis fonte mendacia, intra nullam ciuitatem Eccleſiam habere liceat. Nouatianis autem & Sabbatianis omnis innouationis adimatur licentia, ſi quam fortè temptauerint. Eunomiani verò, Valentiniani, Montaniſtæ,ſeu Priſcilianiſtæ, Fryges, Marcianiſtæ,Borboriani, Meſſaliani, Euchitæ, ſiue Enthyſiaſtæ,Donatiſtæ,Audiani, Hydroparaſtatæ,Aſcodrogitæ, Fotiniani, Pauliani, Marcelliani, &, qui ad imam vſque ſcelerum nequitiam peruenerunt, Manichæi, nuſquam in Romano ſolo conueniendi, orandíque habeant facultatem: Manichæis etiam de ciuitatibus expellendis: quoniam nihil his omnibus relinquẽdi loci eſt, in quo ipſis etiam elementis fiat iniuria: nulla his penitus prætèr cohortalinam in prouinciis, & caſtrenſem, indulgenda militia: nullo donationis faciendę inuicẽ, nullo teſtamenti,aut voluntatis vltimę penitus iure cõceſſo, cunctíſque legibus,quę contra hos ceteróſque,qui noſtræ fidei refragãtur,olim latę ſunt, diuerſíſque promulgatæ temporibus,ſemper viridi obſeruãtia valituris,ſiue de donationibus in hæreticorum factis Eccleſias, ſiue ex vltima voluntate rebus qualitercumque relictis,ſiue de priuatis ædificiis,in quæ domino permittẽte, vel conhibente conuenerint,venerandæ nobis catholicæ vindicãdis Eccleſiæ,

siue de procuratore, qui hoc nesciente domino fecerit, decem librarum auri multam, vel exilium, si sit ingenuus subituro: metallum verò post verbera si seruilis condicionis sit. ita vt nec in publico conuenire loco, nec ædificare sibi Ecclesias, nec ad circunscribtionem legum quicquam meditari valeant, omni ciuili & militari, curiarum etiam, & defensorum, & Iudicum sub viginti librarum auri interminatione prohibendi auxilio: illis etiam in sua omnibus manentibus firmitate, quæ de militia, & donandi iure, ac testamenti factione, vel negandi penitus, vel in certas vix concessa personas, pœnísque variis de diuersis sunt hæreticis promulgatæ: ita vt nec speciale quidem beneficium aduersus leges valeat impetratum. Nulli hæreticorum danda licentia vel ingenuos, vel seruos proprios, qui orthodoxorum sunt initiati mysteriis, ad suum rursus baptisma deducendi: Nec verò illos, quos emerint, vel qualitercumque habuerint, nec dum suæ superstitioni coniunctos, prohibendi catholicæ sequi religionem Ecclesiæ. quod qui fecerit, vel cùm sit ingenuus, in se fieri passus sit, vel factum non detulerit, exilio ac decem librarum auri multa damnabitur, testamenti & donationis faciendæ vtrique deneganda licentia. Quæ omnia ita custodiri decernimus, vt nulli Iudicum liceat delatum ad se crimen minori, aut nulli cohercitioni mandare, nisi ipse id pati velit, quod aliis dissimulando concesserit. Dat. III. Kal. Iun. Constp. Felice & Tauro coss.

LXVI. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Leontio PF. P.

Damnato portentuosæ superstitionis auctore Nestorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus, ne Christianorum appellatione abutantur: sed quemadmodum Arriani lege diuæ memoriæ Constantini ob similitudinem impietatis Porfyriani à Porfyrio nuncupantur, sic vbique participes nefariæ sectæ Nestorij Simoniani vocentur: vt cuius scelus sunt in deserendo deo imitati, eius vocabulum iure videantur esse sortiti. Nec verò impios libros nefandi sacrilegij Nestorij aduersus venerabilem orthodoxorum sectam decretáque sanctissimi cœtus antistitum Ephesi habiti scribtos habere, aut legere, aut describere quisquam audeat. Quos diligenti studio requiri, ac publicè comburi decernimus: ita vt nemo in religionis disputatione aliquam supradicto nomine faciat mentionem, aut quibusdam eorum habendi cōcilij gratia in ædibus aut villa aut suburbano suo aut alio quolibet loco conuenticulum clam aut aperte præbeat, quos omni conuentus celebrandi licentia priuari statuimus, scientibus vniuersis violatorem huius legis publicatione bonorum esse coercendum. Dat. III. Non. Aug. CP. DN. Theod. A. XV. & qui fuerit nuntiatus.

Ne sanctum baptisma iteretur. *Tit. VI.*

I. Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Iulianum Proc. Afric.

ANtistitem qui sanctitatem baptismi inlicita vsurpatione geminauerit, & contra instituta omnium eam gratiam iterando cōtaminauerit, sacerdotio indignum esse cēsemus. Dat. X. Kal. Mart. Treu. Valentiniano & Valente IIII. AA. coss.

II. Imppp.

II. Imppp. Valens, Gratianus & Valentinianus AAA. ad Flauianum Vic. Africæ.

Eorum condemnamus errorem qui Apostolorum præcepta calcantes. Christiani nominis sacramẽta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant lauacri nomine polluentes. Eos igitur auctoritas tua erroribus miseris iubebit adsistere, Ecclesiis quas contra fidem retinent restitutis Catholicæ. Eorum quippe institutiones sequendę sunt qui Apostolicam fidem sine intermutatione baptismatis probauerunt. nihil enim aliud præcipi volumus, quàm quod Euangeliorum & Apostolorum fides & traditio incorrupta seruauit, sicut & lege diuali parentum nostrorum Constantini, Constantii, Valentiniani decreta sunt. Sed plerique expulsi de Ecclesiis occulto tamen furore grassantur, loca magnarum domorum seu fundorum inlicite frequentantes, quos fiscalis publicatio comprehendet, si piaculari doctrinæ secreta præbuerint, nihil vt àb eo tenore sanctio nostra diminuat, qui dato dudum ad Nitentium præcepto fuerat constitutus. Quod si errorem suum diligũt, suis malis domesticóque secreto, soli tamen foueant viros impiæ disciplinæ. Dat. XVI. Kal. Nouemb. CP. Gratiano A. IIII. & Merobaude COSS.

III. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Edictum.

Rebaptizantium non patimur deuios errores, &c. Dat. prid. Id. Febr. Rau. Stilicone II. & Anthemio COSS.

IIII. Iidem AAA. Adriano PF. P.

Aduersarios Catholicæ fidei extirpare huius decreti auctoritate prospeximus, ideóque intercidẽdam specialiter eam sectam noua Constitutione censuimus quæ hæresis vocaretur appellationes schismatis pręferebat. Intantum enim sceleris progressi dicuntur ij quos Donatistas vocant, vt baptisma sacrosanctum mysteriis recalcatis temeritate noxia iterent, & homines semel vt traditum est munere diuinitatis ablutos cõtagione profanæ repetitionis infecerint. ita contigit vt hęresis ex schismate nasceretur. Inde male credulas mentes ad spem secundæ indulgentiæ blandus error inuitat. Facile est enim persuadere peccantibus veniam prius pręstitam denuo posse pręstari, quæ si concedi iterum eodem modo potest, non intelligimus cur tertio denegetur. Hi vero & seruos vel homines iuri proprio subditos iterati baptismatis polluunt sacrilegio. quare hac lege sancimus, vt quisquis post hæc fuerit rebaptizasse detectus, Iudici qui prouincię pręsidet offeratur, vt facultatum omnium publicatione multatus inopiæ pœnam qua in perpetuum adficiatur expendat: ita vt filiis eorum si à paternæ societatis prauitate dissentiunt, ea quę fuerint paterna non pereant, vt si ipsos forsitan sęuitas paternę deprauitatis in iudicantis ac reuerentię ad Catholicam religionem malunt, adipiscendorum his bonorum copia non negetur. ea pręterea loca seu prædia quæ feralibus sacrilegiis deinceps constiterit prębuisse secretum, fisci viribus applicentur, si tamen dominus aut domina aut pręsens forte fuisse, aut cõsensum pręstitisse probetur, quos quidem † iuxta etiam præsentiam notauit infamia. Si verò his nesciis per conductorem procuratorémve eorum in domo agitatum huiusmodi facinus comprobatur, præiudicio à prædiorum publicatione suspenso impliciti sceleris auctores coërciti plumbo exilium in quo omni vitæ suæ tempore afficiantur accipient. ac ne forsitan sit liberum conscientiam piacu-

† insta

cularis perpetrati intra domesticos parietes silentio celare secreto, his qui forsitan ad rebaptizandum cogentur refugiendi ad Ecclesiam Catholicam sit facultas, vt eius præsidio aduersus huius criminis & societatis auctores attributæ libertatis præsidio defendantur, liceátque his sub hac conditione fidem tueri quam extorquere ab inuitis domini temptauerint, nec adsertores dogmatis Catholici ea qua ceteros qui in potestate sunt positi oportet ad facinus lege constringi, & maxime conuenit omnes homines sine vllo discrimine condicionis aut status infusæ cœlitus sanctitatis esse custodes. Sciant ij vero qui à supradictis iterare baptisma non timuerint, aut qui consentiendo hoc facinus propria huius societatis permixtione damnauerint, non solum testandi sibi, verum adipiscendi aliquid sub specie donationis vel agitandorum contractuum in perpetuum copiam denegatam, nisi prauæ mentis errorem reuerendo aduersus fidem cõsilio emendatio correxerit. Illos quoque par nihilominus pœna constringit qui memoratorum interdictis cœtibus seu ministeriis præbuerint cõhibentiam, ita vt Moderatores prouinciarum si in contemptum sanctionis huiusmodi consensum putauerint commodandum, sciant se viginti lib. auri multandos, Officia etiam sua simili condemnatione subiuganda, Principales vel Defensores ciuitatum, nisi id quod præcipimus fuerint exsecuti, vel his præsentibus Ecclesiæ Catholicæ vis fuerit inlata, eadem multa se nouerint adtinendos. Dat. pri. Id. Febr. Rau. Stilicone II & Anthemio coss.

V. Iidem AA. Adriano PF. P.

Ne diuinam gratiam sub repetito baptismate pollutam Donatistarum secreta violarent & fallendi occasionem seueritate huius pręceptionis abolemus, statuentes vt cetera huiusmodi homines pœna sequatur, legísque censuram experiantur vltricem, qui in Catholicam religionem peruerso dogmate cõmisissent. Iubemus igitur, vt si qui posthac fuerit rebaptizare detectus, Iudici qui prouinciæ pręsidet offeratur, vt facultatum omnium publicatione multatus inopiæ pœnam expendat, &c. Dat. prid. Id. Febr. Rauennæ, Stilicone & Anthemio coss.

VI. Impp. Honorius & Theod. AA. ad Antemium PF. P.

Nullus rebaptizandis scelus adripiat, nec eos qui orthodoxorum ritu fuerint initiati cœno profanatarum religionum hæreticorúmque sordibus polluere moliatur. quod licet fidam metu seuerissimæ interminationis à nullo penitus ex quo interdictum est fuisse commissum, tamen vt prauæ mẽtis homines ab inlicitis temperent vel coacti, volumus renouari, vt si quis rebaptizasse ex quo lex lata est quempiam de mysteriis Catholicæ sectæ fuerit detectus vnà cum eo qui piaculare crimen commisit, si tamen criminis per ætatem capax sit cui persuasum sit, statuti prioris supplicio percellatur. Illud etiã quod à retro principibus dissimulatum & in iniuriam sacræ legis ab exsecrãdis hominibus agitatur, & ab iis potissimum qui Nouatianorum collegio desertores ac refugæ, auctores se quam potiores memoratę sectæ haberi contendunt, quibus ex crimine nomen est, cum se Protopaschitas appellari desiderent, inultum esse non patimur: sed si alio die Nouatiani quam quo orthodoxorum Antistites prędicandum ac memorabilem in sęculis diem Paschæ duxerint celebrandum, auctores illius conuentionis deportatio pariter ac pro-

ac proscriptio subsequatur: cõtra quos acrior etiam pœna fuerat promulganda: si quidem hoc delictum etiam hęreticorum vesaniã superet, qui alio tempore quam quo orthodoxi Paschæ festiuitatem obseruantes alium pene Dei filiũ non quem colimus venerantur. Dat. XII. Kal. April. CP. Lucio V.C. COSS.

VII. Iidem AA. Anthemio PF.P.

Nefarios Eunomianorum cœtus ac funesta conuenticula penitus arceri iubemus. Eos qui Episcoporum seu clericorum vel ministrorum nomine vsurpato huiuscemodi cœtibus præsunt, quorúmve in domibus seu in agris conuenticula Eunomianorum celebrantur inlicita, si non ab hoc facinore ignoratione defendantur, cùm in hoc fuerint scelere deprehensi, stilum proscriptionis incurrere & bonorum amissione coërceri. Eos vero qui fide vt dictum est imbutos immani furore rebaptizare deteguntur, cum his qui rebaptizantur si hac sint ætate cui crimen possit opponi, &c. Dat. IIII. Kalend. April. Lucio V.C. CONS.

De Apostatis. *Tit. VII.*

I. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. ad Eutropium PF.P.

HIs qui ex Christianis pagani facti sunt, eripiatur facultas iúsque testandi. Omne defuncti si quod est testamentum submota condicione rescindatur. Dat. VI. Non. Mai, CP. Syagrio & Eucherio COSS.

II. Iidem AAA. Posthumiano PF.P.

Christianis ac fidelibus qui ad paganos ritus cultúsque migrarunt, omnem in quamcunque personam testamenti condendi interdicimus potestatem, vt sint absque iure Romano. His vero qui Christiani & Catechumeni tãtum venerabili religione neglecta ad aras & templa transierint, si filios vel fratres germanos habebunt, hoc est suam aut legitimam successionem, testandi arbitratu proprio in quaslibet alias parsonas ius adimatur; pari & circa eorum personas in capiendo custodienda forma, & præter suas & legitimas quæ iisdem ex parentum vel germanorum fratrum bonis peruenire potuerint successiones, iudicio etiam, si ita res ferant, conditæ voluntatis, nulla omnino in capiendis hereditatibus testamenti iura sibi vindicẽt, & indubitate ab omni testamentorum debeant non solum condendorum, sed etiam sub adipiscendæ pontificio hereditatis vsurpandorum potestate excludi. Dat. XIII. Kalend. Iun. CP. Merobaude & Saturnino COSS.

III. Iidem AAA. ad Hypatium PF.P.

Christianorum ad aras & templa migrantium negata testandi licentia vindicamus admissum. Eorum quoque flagitia puniantur qui Christianæ religionis & nominis dignitate neglecta Iudaicis semet polluêre contagiis. Eos vero qui Manichęorum nefanda secreta & scelerosos aliquando sectari maluere secessus, ea iugiter atque perpetuò pœna comitetur, quam vel diualis arbitrij genitor Valentinianus adscripsit, vel nostra nihilominus sæpius decreta iusserunt. Auctores vero persuasionis huius qui lubricas mentes in proprium deflexerant consortium, eadem quæ reos erroris huiuscemodi pœna comitetur, quinetiam grauiora plerumque pro motibus Iudicum & qualitate com-

missi extraordinē promi in nefarios sceleris huius artifices supplicia cēsemus sed ne vel mortuos perpetua vexet criminationis iniuria, vel hereditariæ quęstiones tēporū varietate longorū prorsus emortuæ in rediuiuos semper exagitentur conflictus, huiuscemodi quæstionibus metam temporis adscribimus, vt si qui defunctum violatæ atque desertę Christianę religionis accusat, cúmque in sacrilegia templorum vel in ritus Iudaicos vel ad Manichæorum dedecus transisse contendit, eáque gratia testari minime potuisse confirmat, intra quinquennium iuge quod inofficiosis actionibus constitutum est proprias exerat actiones, futuríque iudicij huiuscemodi sortitur exordium, vt eodem in luce durante, cuius pręuaricatio criminanda est, flagitij huius & sceleris particeps fuisse doceatur, publica sub testificatione testatus probet indicium, neque quam superno nomini tacitus pręstitit perfidiam sceleribus adquiescens, præuaricatione deinceps tanquam ignarus accuset. Dat. XII. Kal. Iun. Pataui, Merobaude II. & Saturnino COSS.

IIII. Imppp. Valentin. Theod. & Arcad. AAA. Flauiano PF. P.

Hi qui sanctam fidem prodiderint & sanctum baptisma profanauerint, à consortio omnium segregati sint, à testimoniis alieni, testamenti, vt ante iam sanximus, non habeant factionem, nulli in hereditate succedant, à nemine scribantur heredes: quos etiam pręcepissemus procul abici ac longius amandari, nisi pœnæ visum fuisset esse maioris, versari inter homines & hominum carere suffragiis. Sed nec vnquam in statum pristinum reuertētur: Non flagitium morum obliterabitur pœnitentia, neque vmbra aliqua exquisitæ defensionis aut muniminis obducetur, quoniam quidē eos qui fidem quam Deo dicauerant polluerunt & prodentes diuinum mysterium in profana migrarunt, tueri, ea quæ sunt commētitia & concinnata non possunt. lapsis etenim & errantibus subuenitur: perditis vero, hoc est sanctum baptisma profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ quæ solet aliis criminibus prodesse, succurritur. Dat. V. Id. MaI, Concordiæ, Tatiano & Symmacho COSS.

V. Iidem AAA. Flauiano PF. P.

Si quis splendor conlatus est in eos vel ingenitus dignitatis, qui fide deuij & mente cæcati, sacrosanctæ religionis cultu & reuerentia desciuissent ac se sacrificiis mancipassent, perdant, vt de loco suo statúque deiecti perpetua vrantur infamia, ac ne in extrema quidem vulgi ignobilis parte numerentur. quid enim his cum hominibus potest esse cōmune, qui infandis & feralibus mentibus gratiam communionis exosi ab hominibus recesserūt? Dat. V. Id. MaI, Concordiæ, Tatiano & Symmacho COSS.

VI. Impp. Arcadius & Honorius AA. Cæsario PF. P.

Eos qui cum essent Christiani idolorum se superstitione impia maculauerint, hęc pœna persequitur, vt testandi in alienos non habeant facultatem, sed certa his generis sui propago succedat, id est pater ac mater, frater ac soror, filius ac filia, nepos ac neptis, nec vlterius sibi progrediendi quisquam vindicet potestatem. Dat. X. Kal. Apr. CP. Arcadio IIII. & Honorio III. AA. COSS.

VII. Impp. Theod. & Valentin. AA. Basso PF. P. Post alia.

Apostatarum sacrilegum nomen singulorum vox continuæ accusationis incesset, & nullis finita temporibus huiuscemodi criminis arceatur indago, quibus quamuis præterita interdicta sufficiant, tamen etiam illud iteramus,

ne

ne quam postquam fide deuiauerint testandi aut donãdi quippiam habeant facultatem, sed nec venditionis specie facere legi fraudem sinãtur, totúmque ab intestato Christianitatem sectantibus propinquis potissimum deferatur. intantum autem contra huiusmodi sacrilegia perpetuari volumus actionem, vt vniuersis ab intestato venientibus etiam post mortem peccãtis absolutam vocem insimulationi congruæ non negemus, nec illud patiemur obstare, si nihil in contestationem profano dicatur viuente perductum. Sed ne huius interpretatio criminis latius incerto vagetur errore, eos pręsentibus insectamur oraculis, qui nomẽ Christianitatis induti sacrificia fecerint, quorũ etiam post mortem comprobata perfidia hac ratione plectenda est, vt donationibus testamentísque rescissis, ij quibus hoc defert legitima successio, huiusmodi personarum hereditate potiantur. Dat. VII. Id. April. Rauen. Theodosiò XII. & Valentinianus II. AA. COSS.

De Iudæis cælicolis & Samaritanis. *Tit. VIII.*

I. Imp. Constantinus A. ad Euagrium.

IVdæis & maioribus eorum & Patriarchis volumus intimari, quod si qui post hanc legem aliquem qui eorum feralem fugerit sectam & ad Dei cultum respexerit, saxis aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognouimus, ausus fuerit adtemptare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Si quis verò ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se adplicauerit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit. Dat. XV. Kalend. Non. Murgillo, Constantino A. IIII. & Licinio IIII. COSS.

II. Idem A. ad Ablauium PF. P.

Qui deuotione tota synagogis Iudæorum, Patriarchis vel presbyteris se dederunt, & in memorata secta degentes legi ipsi pręsident, INmunes ab omnibus tam personalibus, quàm ciuilibus muneribus perseuerent: ita vt illi, qui iam forsitan decuriones sunt, nequaquam ad prosecutiones aliquas destinentur: cùm oporteat istiusmodi homines à locis in quibus sunt, nulla CONpelli ratione discedere. Hij autem, qui minimè curiales sunt, perpetua decurionatus immunitate potiantur. Dat. III. Kalend. Decembr. Constp. Gallicano & Symmacho COSS.

III. Idem A. decurionibus Agrippiniensium

Cunctis ordinibus generali lege cõcedimus, Iudęos vocare ad curiam. Verùm vt aliquid ipsis ad solatium pristinę obseruationis relinquatur, binos vel ternos priuilegio perpetimur nullis nominationibus occupari. Dat. III. Id. Decemb. Crispo II. & Constantino II. CC. COSS.

IIII. Idem A. Hiereis, Archisynagogis & Patribus Synagogarum, & ceteris, qui in eodem loco deseruiunt.

Hiereos & archisynagogos, & patres synagogarum, & ceteros qui synagogis deseruiunt, ab omni corporali munere liberos esse præcipimus. Dat. Kalend. Decemb. Constp. Basso & Ablauio COSS.

V. Idem A. ad Felicem PF. P. Post alia.

Eum qui ex Iudæo Christianus factus est, inquietare Iudæos non liceat, vel aliqua pulsare iniuria: pro qualitate commissi istiusmodi cõtumelia punien-

da,&c. Dat.XI.Kalend.Nou.Constantinop.PP.VIII.Id.Mai.Nepotiano & Facundo COSS.

VI. Imp. Constantius A.ad Euagrium, Post alia.

Quod ad mulieres pertinet, quas Iudæi in turpitudinis suæ duxere consortium, in gynecio nostro antè versatas, placet easdem restitui in gynecio, idque in reliquum obseruari; ne Christianas mulieres suis iungant flagitiis: vel, si hoc fecerint, capitali periculo subiugentur. Dat.Id.Aug.Constantio A.II. CONS.

VII. Idem A.& Iulianus Cæs.ad Talassium PF.P.

Si quis lege venerabili constituta ex Christiano Iudæus effectus sacrilegis cœtibus adgregetur, cùm accusatio fuerit comprobata, facultates eius dominio fisci iussimus vindicari. Dat.V.Non.Iul.Mediol.Constantio A. VIIII. & Iuliano Cæs.II.COSS.

VIII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Tatiano PF.P.

Iudæorum querelæ quosdam auctoritate Iudicum recipi in sectam suam reclamantibus legis suæ primatibus adseuerant, quos ipsi iudicio ac volũtate proiiciunt: quam omnino submoueri iubemus iniuriam, nec eorum in ea superstitione sedulus cœtus, aut per vim Iudicum, aut rescripti subreptione inuitis primatibus suis, quos virorum clarissimorum & inlustrium Patriarcharum arbitrio manifestum est habere sua de religione sentẽtiam, opem reconciliationis mereantur indebitæ. Dat.XV.Kalend.Mai, Cõstantinop. Arcadio A.II.& Rufino COSS.

VIIII. Iidem AAA. Addeo Com. & Magistro vtriusque militiæ per Orientem.

Iudæorum sectam nulla lege prohibitam satis constat. Vnde grauiter commouemur interdictos quibusdam locis eorum fuisse cõuentus. Sublimis igitur magnitudo tua hac iussione suscepta nimietatem eorum, qui sub Christianæ religionis nomine inlicita quæque præsumunt, & destruere synagogas adque expoliare conãtur, congrua seueritate cohibebit. Dat.III.Kalend.Decembr.Constp.Theod.A.III.& Abundantio COSS.

X. Impp. Arcad.& Honor. AA. ad Iudæos.

Nemo exterus religionis Iudęorum Iudęis pretia statuet, cùm venalia proponentur. Iustum est enim sua cuique committere. Itaque Rectores prouinciæ vobis nullum discussorem, aut moderatorem esse concedent. Quòd si qui sumere sibi curam præter vos procerésque vestros audeat, tum velut aliena adpetentem supplicio coherceri festinent. Dat.IIII.Kal.Mart. Constantinop. Arcad.IIII.& Honorio III.AA.COSS.

XI. Iidem AA. ad Claudium Com. Orientis.

Si quis audeat inlustrium Patriarcharum contumeliosam per publicum facere mentionem, vltionis sententia subiugetur. Dat.VIII.Kal.Mai, Constantinop.Arcad.IIII.& Honorio III.AA.COSS.

XII. Idem AA. Anatolio PF.P.Illyrici.

Excellens auctoritas tua Rectores conueniri pręcipiat, vt percepta notatione cognoscant oportere à Iudæis inruentum contumelias propulsari, eorúmque synagogas in quiete solita permanere. Dat.XV.Kal.Iul.Constantinop. Cæsario & Attico COSS.

XIII. Idem AA. Cæsario PF. P.

Iudęi sint obstricti cęrimoniis suis, nos interea in cõseruãdis eorũ priuilegiis veteres imitemur, quorũ sanctionibus definitũ est, vt priuilegia his qui inlustriũ Patriarcharum ditioni subiecti sunt, Archisynagogis, Patriarchísque ac presbyteris, ceterísque qui in eius religionis sacramẽto versantur, nutu nostri numinis perseuerẽt ea quæ venerãdæ Christianæ legis primis clericis sanctimonia deferũtur. Id enim & diui principes Cõstãtinus & Constãtius, Valentinianus & Valẽs diuino arbitrio decreuerant. Sint igitur etiã à curialibus muneribus alieni, pareántque legibus suis. Dat. Kal. Iul. Cæsario & Attico COSS.

XIIII. Idem AA. Messalæ PF. P.

Superstitionis indignæ est, vt Archisynagogi, siue presbyteri Iudæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum adque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis synagogis exactã summam adque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quidquid considerata temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur ærarium. Decęterò autem nihil prædicto decernimus esse mittendum. Nouerint igitur populi Iudæorum remouisse nos deportationis huiusmodi functionẽ. Quòd si qui ab illo depopulatore Iudęorũ ad hoc officiũ exactionis fuerint directi, Iudicibus offerantur. ita vt tamquam in legum nostrarum violatores sententia proferatur. Dat. III. Id. April. Med. Theodoro V.C. CONS.

XV. Idem AA. Eutychiano PF. P.

Cuncta priuilegia quæ viris spectabilibus Patriarchis, vel his quos ipsi ceteris pręposuerunt, diuæ memorię pater noster atque retrò principes detulerũt, suum robur tenere censemus. Dat. III. Non. Feb. Constantinop. Honorio A. VI. & Aristeneto COSS.

XVI. Idem AA. Romuliano PF. P.

Iudæos & Samaritanos qui sibi Agẽtũ in rebus priuilegio blãdiuntur, omni militia priuãdos esse cẽsemus. Dat. X. Kal. Mai, Rom. Hon. A. VI. & Arist. coss.

XXVII. Idem AA. Hadriano PF. P.

Dudum iusseramus, vt ea, quæ Patriarchis à Iudæis istarum partium ex consuetudine præbebantur, minimè præberentur. Verùm nunc amota prima iussione secundum veterum principum statuta priuilegia cunctos scire volumus, Iudæis mittendi copiam à nostra clementia esse concessam. Dat. VIII. Kalend. Aug. Rom. Honor. A. VI. & Aristeneto COSS.

XVIII. Impp. Honorius & Theod. AA. Anthemio PF. P.

Iudæos quodam festiuitatis suæ sollemni Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & sanctæ crucis adsimulatam speciem in cõtemptu Christianæ fidei sacrilega mente exurere prouinciarum Rectores prohibeãt: ne locis suis fidei nostræ signum inmisceant, sed ritus suos infra cõtemptum Christianæ legis retineant: amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab inlicitis tẽperauerint. Dat. IIII. Kal. Iun. Constãtinop. Basso & Philippo COSS.

XVIIII. Idem AA. Iouio PF. P.

Cælicolarum nomen inauditum quodammodo nouum crimen superstitionis vindicauit. Hij nisi infra anni terminos ad Dei cultum venerationémque Christianam conuersi fuerint, his legibus, quibus pręcepimus hęreticos adstringi, se quoque nouerint adtinendos. Ceterum est enim quidquid à fide

Christianorum discrepat, legi Christianæ esse contrarium: quam quidam adhuc vitæ suæ etiam & iuris inmemores adtrectare ita audent, vt de Christianis quosdam cogant vtrumque Iudæorum nomen induere. Et quamuis qui hæc admiserint, priscorum principum legibus iure damnati sint, non tamen pœnitet sępius admonere, ne mysteriis Christianis inbuti, peruersitatem Iudaicam, & alienam Romano imperio post Christianitatem cogantur arripere: ac si quisquam id crediderit esse temptandum, auctores facti cum consciis ad pœnā præteritis legibus cautam præcipimus constringi. Quippe cum grauius morte sit & inmitius cæde, si quis ex Christiana fide incredulitate Iudaica polluatur. Et idcirco iubemus, ne Ecclesiis quisquam nocens, vel cuiusquam abducere fideli ac deuota Deo pręceptione sancimus: sub hac videlicet definitione, vt si quisquam contra hanc legem venire temptauerit, sciat se ad maiestatis crimen esse retinendum. Dat. Kalend. April. Rau. Honorio VIII. & Theod. III. AA. COSS.

XX. Idem AA. Ioanni PF. P.

Quæ Iudæorum frequentari conuenticulis constat, quæque synagogarum vocabulis nūcupantur, nullus audeat violare, vel occupata detinere: cùm sine intentione religionis & cultus, omnes quieto iure sua debeant retinere. At cùm verò Iudęorum memorato populo sacratum diem sabbati vetus mos & consuetudo seruauit, id quoque inhibendum esse censemus, ne sub obtentu negotij publici, vel priuati memoratæ deseruationis hominē adstringat vlla conuentio: cùm reliquum omne tempus satis publicis legibus sufficere videatur: sitque sæculi moderatione dignissimum, ne delata priuilegia violentur: quamuis retrò principum generalibus constitutis satis de hac parte statutū esse videatur. Dat. VII. Kal. Aug. Rau. Honor. VIIII. & Theo. V. AA. COSS.

XXI. Idem AA. Philippo PF. P. per Illyricum.

Nullus tamquam Iudæus, cùm sit innocēs obteratur, nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscunque perficiat. Non passim eorum synagogæ, vel habitacula concrementur, vel perperam sine vlla ratione lædātur: cùm alioquin etiam si sit aliquis sceleribus implicatus, idcirco tamen iudiciorum vigor, iurisque publici tutela videtur in medio constituta: ne quisquam sibi ipse permittere valeat vltionem. Sed vt hoc Iudæorum personis volumus esse prouisum, ita illud quoque monendum esse censemus, ne Iudæi forsitan insolescāt, elatique sui securitate quicquā pręceps in Christianę reuerentiā cultionis admittāt. Dat. VIII. Id. Aug. Cōstp. Honor. VIIII. & Theod. V. AA. COSS.

XXII. Iidem AA. Aureliano PF. P. II.

Quoniam Gamalielus existimauit se posse inpune delinquere, quod magis est erectus fastigio dignitatū, inlustris auctoritas tua sciat nostrā serenitatem ad virum inlust. Mag. Officiorum direxisse præcepta, vt ab eo codicilli demātur honorarię præfecturæ: ita vt in eo sit honore, in quo ante præfecturā fuerat cōstitutus, ac deinceps nullas condi faciat synagogas. Et si quæ sint in solitudine, si sine seditione possint deponi, perficiat, & vt in Christianos nullam habeat copiam iudicandi. Et si qua inter eos ac Iudęos sit cōtentio, à Rectoribus prouinciæ dirimatur. Si Christianū, vel cuiuslibet sectæ hominē ingenuū seruūmve, Iudaica nota fœdare temptauerit vel ipse, vel quisquā Iudæorum, legū seueritati subdatur. Mancipia quoque Christianę sanctitatis, si qua apud se re-

se retinet, secundum Constantinianam legem Ecclesiæ mancipentur. Dat. XIII. Kalend. Constp. Honor. x. & Theod. AA. coss.

XXIII. Idem AA. Annati Didascalo & Maioribus Iudæorum.

Et veteribus, & nostris sanctionibus constitutum est, cùm propter euitationem criminum, & pro diuersis necessitatibus Iudaicæ religionis homines obligatos Ecclesiæ se consortio sociare voluisse didicerimus, non id deuotione fidei, sed obreptione simulandum fieri. vnde prouinciarum Iudices, in quibus talia commissa perhibentur, ita nostris famulatum statutis deferendum esse cognoscant, vt hos, quos neque constantia religiosę confessionis in hoc eodem cultu inhęrere perspexerint, neque venerabilis baptismatis fide, & mysteriis inbutos esse, ad legem propriam (quia magis Christianitati consulitur) liceat remeare. Dat. VIII. Kal. Oct. Rau. Theod. A. VII. & Palladio coss.

XXIIII. Idem AA. Palladio PF. P.

In Iudaica superstitione viuentibus adtemptandæ decetero militiæ aditus obstruatur. Quicumque igitur vel inter agentes in rebus, vel inter palatinos militiæ sacramenta sortiti sunt, percurrendæ eius & legitimis stipendiis terminandæ remittimus facultatem, ignoscentes facto potiùs, quàm fauentes. In posterum verò non liceat quod in pręsenti paucis volumus relaxari. Illos autem, qui gentis huius peruersitate deuincti armatam probantur adpetisse militiam, absolui cingulo sine ambiguitate decernimus, nullo veterum meritorum patrocinante suffragio. Sanè Iudæis liberalibus studiis institutis exercendæ aduocationis non intercludimus libertatem, & vti eos curialium munerum honore permittimus, quem pręrogatiua natalium, & splendore familiæ sortiuntur. Quibus cùm debeant ista sufficere, interdictam militiam pro nota non debent æstimare. Dat. VI. Id. Mart. Rau. Honor. XII. & Theod. VIII. AA. coss.

XXV. Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

Placet in posterũ nullas omnino synagogas Iudęorũ, vel auferri passim, vel flãmis exuri. Et si quæ sunt post legẽ recẽti molimine, vel ereptæ synagogæ, vel Ecclesiis vindicatæ, aut certè venerãdis mysteris cõsecratæ, pro his, loca eis in quibus possint extruere ad mensurã videlicet sublatarũ pręberi. Sed & donaria, si qua sũt sublata, eisdẽ, si necdũ sacris mysteriis sunt dedicata, reddãtur. Sin redhibitionẽ cõsecratio venerãda nõ sinit, pro his eiusdẽ quãtitatis pretiũ tribuatur. synagogæ decæterò nullę protinus extruantur, veteres in sua forma permaneant. Dat. XV. Kal. Mart. Constp. Asclepiodoto & Mariniano coss.

XXVI. Idem AA. Asclepiodoto PF. P.

Nota sunt adque omnibus diuulgata nostra maiorúmque decreta, quibus abominãdorum paganorum, Iudæorum etiam adque hęreticorum spiritum audaciámque compressimus: libenter tamen repetẽdæ legis occasionem amplexi, Iudęos scire volumus, quòd ad eorũ miserabiles preces nihil aliud sanximus, quam vt hi, qui pleraque inconsultè sub prętextu venerandæ Christianitatis admittunt, ab eorum lęsione persecutionéque temperent: vtque nunc ac deinceps synagogas eorum nullus occupet, nullus incendat. Tamen ipsi Iudæi, & bonorum proscribtione, & perpetuo exilio damnabuntur, si nostræ fidei hominem circumcidisse eos, vel circuncidendum mandasse constiterit, &c. Dat. V. Id. April. Const. Asclepiodoto & Mariniano coss.

XXVII. Idem AA. Asclepiodoto PF.P.

Quæ nuper de Iudæis & synagogis eorum statuimus firma permaneāt: scilicet vt nec nouas vmquam synagogas permittantur extruere, nec auferendas sibi veteres pertimescant. Cetera verò vetita in posterum sciant esse seruāda: quemadmodum nuper constitutionis latæ forma declarat, &c. Dat. VI. Id. Iun. Constp. Asclepiodoto, & Mariniano COSS.

XXVIII. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Basso PF.P.

Si Iudæi vel Samaritæ filius filiáve, seu vnus aut plures, ad Christianæ religionis lucem de tenebris propriæ superstitionis consilio meliore migrauerit, non liceat eorum parentibus, patri vel matri, auo vel auiæ exheredare, vel in testamento silentio pręterire, vel minus aliquid eis relinquere, quàm poterant, si ab intestato vocarentur, adipisci. Quod si ita forsitan euenerit, iubemus eum ab intestato rescissa volūtate succedere: libertatibus, quæ in eodem testamento datæ fuerint, si intra legitimum numerum sunt, suam obtinentibus firmitatem. Si quid maximum crimen in matrem patrémve, auum vel auiam, tales filios vel nepotes commisisse apertè potuerit conprobari, manente in eos vltione legitima si accusatio interea iure processerit, parentes tamen sub tali elogio cui subpeditabunt probabilia & manifesta documenta, solam eis Falcidiam debitæ successionis relinquant: vt hoc saltim in honorem religionis electæ meruisse videantur: manente (vt diximus) criminum si probata fuerint vltione, &c. Dat. VI. Id. April. Rau. Theod. Valentiniano II. AA. COSS.

XXVIIII. Idem AA. Ioanni Com. S.L.

Iudæorum primates qui in vtriusque Palęstinæ synedriis nominantur, vel in aliis prouinciis degunt, quæcumque post excessum Patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsoluere. In futurum verò periculo eorumdem anniuersarius canon de synagogis omnibus palatinis compellentibus exigatur, ad eam formam, quam Patriarchæ quōdam coronarij auri nomine postulabant. Quæ tamen quanta sit, sollerti inquisitione discutias, & quod de Occidétalibus partibus Patriarchis conferri consueuerat, nostris largitionibus inferatur. Dat. III. Kal. Iun. Constp. Florentio & Dionysio COSS.

Ne Christianum mancipium Iudæus habeat. Tit. VIIII.

I. Imp. Constantinus A. ad Felicem PF.P.

SI quis Iudæorum Christianum mancipium, vel cuiuslibet alterius sectæ mercatus circumciderit, minimè in seruitute retineat circumcisum: sed libertatis priuilegiis, qui hoc sustinuerit potiatur, &c. Dat. XI. Kal. Nouemb. Constp. PP. VIII. Id. Maij, Karthag. Nepotiano, & Facundo COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis Iudæorū seruū Christianū, vel cuiuslibet alterius sectæ emerit, & circumciderit, à Iudæi ipsius potestate sublatus in libertate permaneat.*

Si aliquis Iudęorum mancipium sectæ alterius seu nationis crediderit conparandum, mancipium fisco protinus vindicetur. Si verò emptum circumciderit, non solùm mancipij damno multetur, verum etiam capitali sententia puniatur. Quòd si venerandæ fidei conscia mancipia Iudæus mercari non dubitet, omnia, quæ apud eum repperiuntur, protinus auferantur: nec interponatur

quicquam moræ, quin eorum hominum, qui Christiani sunt, possessione careant, &c. Dat. Id. Aug. Const p. Constantino A. II. CONS.

III. Impp. Honor. & Theod. AA. Annati Didascalo & Maioribus Iudæorum.

Absque calumnia pręcipimus Iudęis dominis habere seruos Christianos, hac dumtaxat condicione permissa, vt propriam religionem eos seruare permittant. Ideóque Iudices prouinciarum, fide publicationis inspecta, eorum insolentiam nouerint reprimendam qui tempestiuis precibus insimulandos esse duxerint: omnésque subreptiones fraudulenter elicitas, vel eliciendas, vacuandas esse censemus. Si quis contra fecerit, velut in sacrilegum vltio proferatur. Dat. VIII. Id. Nouemb. Rau. Honor. X. & Theod. VI. AA. COSS.

IIII. Idem AA. Monaxio PF. P.

Iudæus seruum Christianũ nec comparare debet, nec largitatis titulo consequi. Qui non hoc obseruauerit, dominio sibi petulanter adquisito careat, ipso seruo, si quod fuerit gestum sua sponte duxerit publicandum, pro præmio libertate donando. Verùm ceteros, quos rectę religionis participes constitutos in suo censu nefanda superstitio iam videtur esse sortita, vel deinceps hereditatis seu fideicommissi nomine fuerit cõsecuta, sub hac lege possideat, vt eos nec inuitos, nec volentes cęno proprię sectę confundat: ita vt si hæc forma fuerit violata, sceleris tanti auctores capitali pœna proscribtione comitante plectentur. Dat. IIII. Id. April. Constp. Honor. A. XI. & Constantio V.C. II. COSS.

Ista interpretatione non indiget.

V. Idem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.

Christiana mancipia Iudęorum nemo audeat comparare. Nefas enim æstimamus religiosissimos famulos impiissimorum emptorum inquinari dominio. Quòd si quis hoc fecerit, statutæ pœnæ absque omni erit dilatione obnoxius, &c. Dat. V. Id. April. Constp. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

De paganis sacrificiis & templis. Tit. X.

I. Imp. Constantinus A. ad Maximum.

SI quid de palatio nostro, aut ceteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit, retento more veteris obseruãtiæ, quid portendat ab haruspicibus requiratur, & diligentissimè scriptura collecta ad nostram scientiam referatur: ceteris etiam vsurpandæ huius consuetudinis licentia tribuenda, dummodo sacrificiis domesticis abstineant, quæ specialiter prohibita sunt. Eam autem denunciationem adque interpretationem, quæ de tactu amphiteatri scribta est, de qua ad Heraclianum Tribunũ & Mag. Officiorum scripseras, ad nos scias esse perlatum. Dat. XVI. Kal. Ian. Serdicæ Acc. VIII. Id. Mart. Crispo II. & Constãtino II. CC. COSS.

II. Imp. Constantius A. ad Madilianum agentem vicem PF. P.

Cesset superstitio, sacrificiorum aboleatur insania. Nam quicumque cõtra legem diui principis parentis nostri, & hanc nostrę mansuetudinis iussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta & pręsens sententia exeratur. Acc. Marcellino & Probino COSS.

III. Idem A. ad Catullinum P. V.

Quamquam omnis superstitio penitus eruenda sit, tamen volumus vt ędes

templorum, quæ extra muros sunt positæ, intactæ incorruptęque consistant. Nam cùm ex nonnullis vel ludorum, vel circensium, vel agonum origo fuerit exorta, non conuenit ea conuelli, ex quibus populo Romano præbeatur priscarum sollemnitas voluptatum. Dat. Kal. Nouemb. Constantio IIII. & Constante III. AA. COSS.

IIII. Iidem A. ad Taurum PF. P.

Placuit omnibus locis adque vrbibus vniuersis claudi protinus templa, & accessu vetitis, omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cũctos sacrificiis abstinere. Quòd si quis aliquid fortè huiusmodi perpetrauerit, gladio vltore sternatur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari, & similiter adfligi Rectores prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint. Dat. Kal. Dec. Constantio III. & Constante II. AA. CONSS.

V. Idem A. ad Cerealem P. V.

Aboleantur sacrificia nocturna Magnentio auctore permissa, & nefaria deinceps licentia repellatur, &c. Dat. VIIII. Kalend. Decemb. Constantio A. VI. & Constant. Cæs. COSS.

VI. Idem A. & Iulianus Cæs.

Pœna capitis subiugari pręcipimus eos, quos operam sacrificiis dare, vel colere simulacra constiterit. Dat. XI. Kal. Mart. Med. Constantio A. VIII. & Iuliano Cæs. COSS.

VII. Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Floro PF. P.

Si qui vetitis sacrificiis diurnis nocturnísque velut væsanus ac sacrilegus incertorum consultorum inmerserit, fanúmque sibi aut templum ad huiuscemodi sceleris excusationem adsumendum crediderit, vel putauerit adeundum, proscribtioni se nouerit subiugandum, cùm nos iusta institutione moneamus castis Deum precibus excolendum, non diris carminibus profanandum. Dat. XIII. Kal. Ian. Constp. Eucherio & Syagrio COSS.

VIII. Idem AAA. Palladio Duci Osdroenæ.

Ædem olim frequentiæ dedicatam, cœtui etiam, populo quoque communem, in qua simulacra feruntur posita, artis pretio quam diuinitate metienda iugiter patere publici consilij auctoritate decernimus. Neque huic rei obreptiuum officere sinimus oraculum: vt conuentu vrbis & frequenti cœtu videatur experiẽtia tua omni votorum celebritate seruata auctoritate † nostri ita patere templum permittat oraculis, ne illic prohibitorum vsus sacrificiorum huius † occasionis aditus permissus esse credatur. Dat. prid. Kalend. Decembr. Constp. Antonio & Syagrio COSS.

† ſę. nostra

† ſę. occasione.

VIIII. Idem AAA. Cynegio PF. P.

Ne quis mortalium ita faciendi sacrificij sumat audaciam, vt inspectione iecoris extorúmque pręsagio vanæ spem promissionis accipiat, vel (quod est deterius) futura sub execrabili cõsultatione cognoscat. Aceruioris etenim inminebit supplicij cruciatus eis, qui cõtra vetitum pręsentium vel futurorum explorare temptauerint veritatem. Dat. VIII. Kalend. Iun. Constp. Arcadio A. I. & Bautone V. C. COSS.

X. Idem AAA. ad Albinum PF. P.

Nemo se hostiis polluat, nemo insontem victimam cædat, nemo delubra adeat, templa perlustret, & † mortali opere formata simulacra suspiciat: ne diuinis

† mortali

uinis adque humanis sanctionibus reus fiat. Iudices quoque hanc formã cõtineant, vt si quis profano ritu deditus templum vspiam, vel in itinere, vel in vrbe adoraturus intrauerit, quindecim põdo auri ipse protinus inferre cogatur: necnon officium eius parem summã simili maturitate dissoluat, si non & obstiterit Iudici & confestim publica adtestatione retulerit: consulares senas, officia eorum simili modo, correctores, & præsides quaternas, apparitiones illorum similem normam æquali sorte dissoluant. Dat. III. Kal. Mart. Med. Tatiano & Symmacho COSS.

XI. Idem AAA. Euagrio PF. Aug. & Romano Com. Ægypt.

Nulli sacrificandi tribuatur potestas, nemo templa circumeat, nemo delubra suscipiat, interclusos sibi nostrę legis obstaculo profanos aditus recognoscant: adeo vt si qui vel de diis aliquid cõtra vetitum sacrísque molietur, nullis exuendum se indulgentiis recognoscant. Iudex quoque si quis tempore administrationis suæ fretus priuilegio potestatis polluta loca sacrilegus temerator intrauerit, quindecim auri pondo, officium verò eius nisi conlatis viribus obuiarit, parem summam ærario nostro inferre cogatur. Dat. XV. Kal. Iul. Aquil. Tatiano & Symmacho COSS.

XII. Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. ad Rufinum PF. P.

Nullus omnino ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in potestate positus, vel honore perfunctus, siue potens sorte nascendi, seu humilis genere, cõdicione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla vrbe sensu carentibus simulacris, vel insontem victimam cædat, vel secretiore piaculo larem ignem erogenium, penates nidore veneratus accendat lumina, inponat tura, serta suspendat. Quòd si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere, ad exemplum maiestatis reus licita cunctis accusatione delatus excipiat sententiam conpetentem, etiam si nihil contra salutem principum, aut de salute quæsierit. sufficit enim ad criminis molem naturæ ipsius leges velle rescindere, inlicita perscrutari, occulta recludere, interdicta temptare, finem quærere salutis alienæ, spem alieni interitus polliceri. Si quis verò mortali opere facta, & æuum passura simulacra imposito ture venerabitur, ac ridiculo exemplo metuens subitóque ipse vel redimita vittis arbore, vel erecta effossis ara cespitibus vanas imagines humiliore licet muneris præmio, tamen plena religionis iniuria honorare temptauerit, is vt pote violatæ religionis reus, ea domo seu possessione multabitur, in qua eum gentilicia constiterit superstitione famulatũ. Namque omnia loca, quæ turis constiterit vapore fumasse, (si tamen ea in iure fuisse turificantium probabuntur) fisco nostro adsocianda censemus. Sin verò in templis fanísve publicis aut in ædibus agrísve alienis tale quispiam sacrificandi genus exercere temptauerit, si ignorante domino vsurpata constiterit, XXV. lib. auri multæ nomine cogetur inferre, conniuentem vero huic sceleri par ac sacrificantem pœna retinebit. quod quidem ita per Iudices ac defensores & curiales singularum vrbium volumus custodiri, vt ilico per hos comperta in iudicium deferantur, per illos delata plectantur. Si quid autem ij tegendum gratia aut incuria prætermittendum esse crediderint, commotioni iudi-

ciariæ subiacebunt. illi vero moniti si vindictam dissimulatione distulerint, xxx. librarum auri dispendio multabuntur, officiis quoque eorum damno parili subiugandis. Dat. vi. Id. Nou. CP. Arcadio A. II. & Rufino COSS.

XIII. Impp. Arcadius & Honorius AA. Rufino PF. P.

Statuimus nullum ad fanum vel quodlibet templum habere quempiam licentiam accedendi vel abominanda sacrificia celebrandi quolibet loco vel tempore. Igitur vniuersi qui à catholicæ religionis dogmate deuiare contendunt, ea quæ nuper decreui properent custodire & quæ olim constituta sunt vel de hæreticis vel de paganis non audeant præterire, sciturі quidquid diui genitoris nostri legibus est in ipsos vel supplicij vel dispendij constitutum nunc acrius exsequendum. Sciant autem Moderatores prouinciarum & his apparitio obsecundans, primates etiam ciuitatum, defensores necnon & curiales, procuratores possessionum nostrarum, in quibus sine timore dispendij cœtus inlicitos hæreticos inire comperimus, eo quod fisco sociari non possunt, quippe ad eius dominium pertinentes, si quid aduersus scita nostra tentatum non fuerit vindicatum atque in vestigio ipso punitum, omnibus se detrimentis & suppliciis subiugandos, quæ scitis sunt veteribus constituta. speciatim vero hac lege in Moderatores austeriora sancimus & decernimus, namque his non custoditis omni industria atque cautela, non solum hanc multam, quæ in ipsos constituta est, exerceri, verum etiam quæ in eos præfinita est qui commissi videntur auctores, nec his tamen remissa quibus ob contumaciam suam iuste est inrogata, insuper capitali supplicio iudicamus officia coërcenda quæ statuta neglexerint. Dat. VII. Id. Aug. CP. Olybrio & Probino COSS.

XIIII. Iidem AA. Cæsario PF. P.

Priuilegia si qua concessa sunt antiquo iure sacerdotibus, ministris, præfectis, hierofantis agrorum, siue quolibet alio nomine nuncupantur, penitus aboleantur, nec gratulentur se priuilegio esse munitos, quorum professio per legem cognoscitur esse damnata. Dat. VI. Id. Dec. CP. Arcadio IIII. & Honorio III. COSS.

XV. Iidem AA. Mocrobio PP. Hispaniarum, & Procliano Vic. quinque prouinciarum.

Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta seruari. Ac ne sibi aliqua auctoritate blandiantur qui ea conantur euertere, si quod rescriptum, si qua lex forte prætenditur, erutæ huiusmodi chartæ ex eorum manibus ad nostram scientiam si inlicitis euectiones aut suo aut alieno nomine potuerint demonstrare, quas oblatas ad nos mitti decernimus. qui vero talib⁹ cursum prębuerint, binas auri libras inferre cogãtur. Dat. IIII. Kal. Feb. Rau. Theodoro V. C. CONS.

XVI. Iidem AA. Eutychiano PF. P.

Si qua in agris templa sunt, sine turba ac tumultu diruantur. His enim deiectis atque sublatis omnis superstitionis materia consumetur. Dat. III. Id. Iul. Damasco, Theodoro V. C. CONS.

XVII. Iidem AA. Apollodoro Proc. Afric.

VT profanos ritus iam salubri lege submouimus, ita festos conuentus ciuiũ

&

& communem omnium lætitiam non patimur submoueri. vnde absque vllo sacrificio atque vlla superstitione damnabili exhibere populo voluptates secundum veterem consuetudinem, inire etiam festa conuiuia si quando exigunt publica vota decernimus. Dat. XIII. Kal. Sept. Patauio, Theodoro v. c. CONS.

XVIII. Iidem AA. Apollodoro Proc. Afric.

Ædes inlicitis rebus vacuas nostrarum beneficio sanctionum ne quis conetur euertere. decernimus enim vt ædificiorum quidem sit integer status. Si quis vero sacrificio fuerit deprehensus, in eum legibus vindicetur, depositis sub officio idolis, disceptatione habita, quibus etiam nunc patuerit cultum vanæ superstitionis impendi. Dat. III. Kal. Sept. Pataui. Theodoro V. C. CONS.

XIX. Imppp. Arcad. Honorius & Theodos. AAA. Curtio PF. P. Post alia.

Templorum detrahãtur annonæ, & rem annonariam † iubente expensis deuotissimorum militum profuturæ. simulacra si qua etiam nunc in templis fanisque consistunt & quæ alicubi ritu vel acceperint vel accipiunt paganorum suis sedibus euallantur, cum hoc repetita sciamus sæpius sanctione decretum. ædificia ipsa templorum, quę in ciuitatibus vel oppidis vel extra oppida sunt, ad vsum publicũ vindicentur, aræ locis omnibus destruantur, omniáque templa in possessionibus nostris ad vsus adcommodos transferantur, domini destruere cogantur. non liceat omnino in honorem sacrilegi ritus funestioribus locis exercere cõuiuia vel quidquam sollemnitatis agitare. Episcopis quoque locorum hæc ipsa prohibẽdi Ecclesiasticę manus tribuimus facultatem, Iudices autem XX. librarum auri pœna constringimus, & pari forma officia eorum, si hæc eorum fuerint dissimulatione neglecta. Dat. XVII. Kal. Dec. Romæ Basso & Philippo COSS.

XX. Impp. Honorius & Theodosius AA. ....

Sacerdotales paganæ superstitionis competenti coercitioni subiacere præcipimus, nisi intra diem Kal. Nouembrium de Karthagine decedentes ad ciuitates redierint genitales, ita vt simili quoque censura per totam Africam sacerdotales obnoxij teneantur, nisi de metropolitanis vrbibus discesserint & remearint ad proprias ciuitates: omnia etiam loca quæ sacris error veterum deputauit secundum Diui Gratiani constituta nostræ rei iubemus sociari, ita vt ex eo tempore quo inhibitus est publicus sumptus superstitioni deterrimę exhiberi, fructus ab INCUBATORIBUS exigantur, cum eo iure vbicunque ad singulas quasque personas vel præcedentium principum largitas vel nostra maiestas voluit peruenire, id in eorum patrimoniis æterna firmitate perduret. quod non tam per Africam quàm per omnes regiones in nostro orbe positas custodiri decernimus. Ea autem quæ multiplicibus constitutis ad venerabilem ecclesiam voluimus pertinere, Christiana sibi merito religio vindicauit, ita vt omnis expensa illius temporis ad superstitionem pertinens quæ iure dãnata est, omniáque loca quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quoque nomina & professiones gentilitiæ tenuerunt epholis vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto compendia nostræ domus subleuare. Sane quæ quondam sacratę sacrificiis deceptionem hominum præstiterunt, ab vsi-

bus lauacrorum vel publicis affectibus separentur, ne inlecebram errantibus præstent. Chiliarchas insuper & centonarios vel qui sibi plebis distributionem vsurpare dicuntur, censuimus remouendos, ita vt capitalem sententiam non euadat si qui aut volens ad huiusmodi nomen accesserit, aut passus fuerit vel inuitum se huiusmodi præsumptioni atque inuidiæ deputari. Dat. III. Kal. Sept. Rau. Hon. X. & Theod. VI. AA. COSS.

XXI. Iidem AA. Aureliano PF. P. Post alia.

Qui profano pagani ritus errore seu crimine polluuntur, hoc est gentiles, nec ad militiam admittantur, nec administratoris vel Iudicis honore decorẽtur. Dat. VII. Id. Dec. DN. Theod. VII. & Palladio COSS

XXII. Iidem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.

Paganos qui supersunt, quanquam iam nullos esse credamus, promulgatarum legum iamdudum præscripta compescant, &c. Dat. V. Id. April. CP. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

XXIII. Iidem AA. Asclepiodoto P. FP. Post alia.

Paganos qui supersunt, si aliquando in exsecrandis dæmonum sacrificiis fuerint comprehensi, quamuis capitali pœna subdi debuerint, bonorum proscriptione & exilio coerceri. Dat. VI. Id. Iun. CP. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

XXIIII. Iidem AA. Asclepiodoto PF. P. Post alia.

Manichæos illósque quos Pepitas vocant, necnon & eos qui omnibus hæreticis hac vna sunt persuasione peiores, quod in venerabili die Paschæ ab omnibus dissentiunt, si in eadem amentia perseuerant, eadem pœna multamus, bonorum proscriptione atque exilio. Sed hoc Christianis qui vel vere sunt vel esse dicuntur specialiter demandamus, vt Iudæis ac paganis in quiete degentibus nihilque tẽtantibus turbulentum legibúsque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi. nam si contra securos fuerint violenti vel eorum bona diripuerint, non ea sola quæ abstulerint sed conuenti in triplum & quadruplum quæ rapuerint restituere compellantur. Rectores etiam prouinciarum, officia & prouinciales cognoscant se si fieri permiserint & eos qui fecerint puniendos. Dat. VI. Id. Iun. CP. Asclepiodoto & Mariniano COSS.

XXV. Impp. Theod. & Valentin. AA. Isidoro PF. P.

Omnibus sceleratæ mentis paganæ exsecrandis hostiarum immolationibus damnandísque sacrificiis ceterísque antiquorum sanctionum auctoritate prohibitis interdicimus, cunctaque eorum fana, templa, delubra si qua etiam nunc restant integra, præcepto magistratuum destrui, conlocationéque venerandæ Christianæ religionis signi expiari præcipimus: scientibus vniuersis si quem huic legi apud competentem Iudicem idoneis probationibus inlusisse constiterit, eum morte esse multandum. Dat. XVIIII. Kal. Decemb. CP. Theod. XII. & Valent. IIII. AA. COSS.

De-

De religione. *Tit.* XI.

I. Impp. Arcad. & Honor. AA. Apollodoro Proc. Afric.

QVotiens de religione agitur, Episcopos conuenit iudicare: ceteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad vsum publici iuris pertinent, legibus oportet audiri. Dat. XIII. Kal. Septemb. Patauii, Theodoro v.c. CONS.

Hæc lex interpretatione non indiget.

II. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Diotimio Proc. Africæ.

Edictum quod de vnitate per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diuersa proponi volumus, vt omnibus innotescat Dei omnipotētis vnam & veram fidem catholicam quam recta credulitas confitetur esse retinēdam. Dat. III. Non. Mart. Rau. Stilicone II. & Anthemio COSS.

III. Impp. Honor. & Theod. AA. Marcellino suo Sal.

Ea quæ circa catholicam fidem vel olim ordinauit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roborauit, nouella superstitione summota, integra & inuiolata custodire pręcipimus. Dat. IIII. Id. Octob. Rau. Varane v.c. CONS.

Ista lex interpretatione non indiget.

EXPLICIT LIBER XVI. CODICIS THEODOSIANI FELICITER.

De Episcopali iudicio.

I. Imp. Constantinus A. Ablauio PF.P.

REligionis est clementiam nostram sciscitari voluisse quid de sententiis Episcoporum vel ante moderatio nostra censuerit vel nunc seruari cupiamus Ablaui parens Karissime. Itaque quia à nobis instrui voluisti, olim prærogatæ legis ordinem salubri rursus imperio propagamus. Sanximus namque sicut edicti nostri forma declarat sententias Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis discretione inuiolatas semper incorruptásque seruari, scilicet vt pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum. Siue itaque inter minores siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatum, apud vos qui iudiciorum summam tenetis, & apud ceteros omnes Iudices ad executionem volumus peruenire. Quicunque itaque litem habens siue possessor siue petitor erit, inter initia litis vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis antistitis, ilico sine aliqua dubitatione etiamsi alia pars refragatur ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quę in iudicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, inuestigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ quæ vel prætorio iure vel ciuili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis iure firmentur, nec liceat vlterius retractari negotium quod Episcoporum sententia deciderit, testimonium etiam ab vno licet Episcopo

perhibitum omnes Iudices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum quod a sacrosancto homine conscientia mentis inlibatæ protulerit. hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, vt miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petitionibus vel à cupiditate præpropera maturo fine discedant. Quidquid itaque de sententiis Episcoporum clementia nostra censuerat, & iam hac sumus lege complexi, grauitatem tuam & ceteros pro vtilitate omnium latam in perpetuum obseruare conueniet. Dat. III. Non. Maij, Constantinopoli.

II. Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Adriano PF. P.

Vt veneratio sacerdotibus debetur innoxiis, ita & pœna moderata inquietis atque deiectis. quemadmodum enim Deo seruientes & diuini sacerdotij integritate lucentes, non solum vitam suam proprio præstant ornamento, sed etiam subiectæ plebis atque obedientis exemplo: ita ij quorum indigniora sunt sub integritatis professione peccata, si exclusi deprauatíque ab Episcopis comprobentur, qui resupinos spiritus aduersum definita retulerint, separati ab his vrbibus quas errore proprio tenuerunt & sibi debent esse parti & aliis constituta ablegatione terrori. plurimos enim bonos faciunt & veneratio optimorum sacerdotum & notabilis reprehensio pessimorum. Suggerentibus Episcopis didicimus quosdam sacerdotes Christianæ legis, quorum delicta cœtu Episcopali deprehensa fuerint, iterum sententia vindicata, in sinu earum vrbium, in quibus talia commissa sunt permanere, & quærere turbas populi conuocare, turbatores quietis existere, tumultus popularis auctores, innocentes se post iudicium dicere, plebem colligere, & velut adhuc Episcopos salutari, comitatum sacrum petere, mereri mendaciis oracula & furtiua rescripta. Sancimus itaque hac lege vt quicumque residentibus sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus & nomine, si aliquid vel contra sententiam vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursusque sacerdotium petere à quo videtur exclusus, procul ab ea vrbe quam indignus infecit secundum legem diuæ memoriæ Gratiani C. milibus vitam agat, sit ab eorum cœtibus separatus, a quorum est societate discretus, careat vrbe quam tenuit, segregetur quam mentitus vitæ præceptor infecit. Sitque huiusmodi personis tenore huius legis inlicitum sacra nostra adire secreta & impetrare rescripta omnibus abiectis per culpam sacerdotio personis quæ impetrata sunt, infecta permaneant. Scituris his quorum defensione nituntur absque sui reprehensione non futurum si hoc eis polliceátur suffragium qui diuinum non videntur meruisse rescriptum Hadriane Parens Karissime & amantissime. Hanc igitur legem sublimis magnificentia tua cunctas per diœceses sibi creditas publicabit edictis, vt id quod pro quiete repertum, pro iudicij Episcopalis confirmatione constitutum, pro reprimendis culpis inuentum est, ab omnibus excolatur, a sacerdotibus reseruetur. Dat. Prid. Non. Feb. Rauennæ, Stilicone II. & Anthemio COSS.

III. Imppp.

III. Imppp. Valentinianus Theodosius & Arcadius AAA. ad Optatum PF. Augustal.

Grauiter admodum mota est nostra clementia quædam ab his qui Episcoporum sibi nomina vindicant perpetrata, & contra leges non minus diuinas quàm humanas improba temeritate commissa, vexatos etiam nonnullos orthodoxorum clericos, quorum ætas huic iniuriæ à sacerdotio repugnabat, flagitatos itineribus quæstionariis deditos, atque hæc omnia per eos commissa qui ad tegumenta frontis sacerdotij nominis titulos præferebant. denique lectis in consistorio precibus quibus Episcopalis pietas aliquid postulans refragatur denegátque, idcirco continua lege sancimus nomen Episcoporum vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt ne ad iudicia siue ordinariorum siue extraordinariorum Iudicum pertrahatur. Habent illi Iudices suos, nec quisquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet quas decet Episcopali auctoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quæstio quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo iudice litigare, qui præsul est in suis partibus omnium sacerdotum, id est per Ægypti diœcesim, Optate Karissime ac iucundissime. Quare laudabilis auctoritas tua arbitrio temperato quidquid negotiorum aliunde incidet, terminabit, habituro pontificium sacræ disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam suo iudicio prætulere. Est enim vir cum omnium sacerdotum susceptatione venerãdus, tum etiam nostro iudicio approbatus.

Y

FINIS.

LEGVM NOVELLARVM DIVI THEODOSII A. LIBER I.

De Theodosiani Codicis auctoritate. Tit. I.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Florentio PF.P. Orientis.

SÆPE nostra clementia dubitauit, quæ causa faceret, vt tantis propositis præmiis, quibus artes & studia nutriuntur, tam pauci, raróque extiterint, qui pleno iuris ciuilis scientia ditarentur. Et in tanto lucubrationum tristi pallore, vix vnus aut alter receperit soliditatem perfectæ doctrinæ: Quod nequaquam vlterius sedula ambiguitate tractetur, si copia immensa librorum, si actionum diuersitas, difficultásque causarum animis nostris occurrat, si denique moles Constitutionum Diualium, quæ velut subcrassæ demersæ caliginis & obscuritatis vallo sui notitiam humanis ingeniis interclusit. Verum exegimus negotium temporis nostri, & discussis tenebris compendio breuitatis lumen legibus dedimus, electis viris nobilibus, exploratæ fidei, famosæ doctrinæ, quibus delegata causa ciuilis officij, purgata interpretatione retro Principum scita vulgauimus, ne Iurisperitorum vlterius seueritate mentita, dissimulata scientia, velut ab ipsis adytis expectarentur formidanda responsa: Cum liquido pateat, quo pondere donatio deferatur, qua actione petatur hereditas, quibus verbis stipulatio colligatur, vt certum vel incertum debitum sit exigendum. Quæ singula prudentium detecta vigiliis, in apertum, lucémque deducta sunt, splendore numinis nostri radiante. Nec paruum pretium sibi hoc suspicentur esse delatum, quibus diuina sensa pectoris nostri mandauimus. Etenim si recte mentis acie futura prospicimus, ad posteros vsque deuenient laboris nostri consortio. Quamobrem detersa nube voluminum, in quibus multorum nihil explicantium ætates attritæ sunt, compendiosam Diualium Constitutionum scientiam ex D. Constantini temporibus roboramus: Nulli post Kal. Ian. concessa licentia, ad forum & quotidianas aduocationes ius principale deferre, vel litis instrumenta componere, nisi ex his videlicet libris, qui in nostri nominis vocabulum transierunt, & sacris habentur in scriniis. Quanquam nulli retrò Principum æternitas sua detracta est, nullius latoris occidit nomen, imò lucis gratia mutati, claritudine consultorum Augusta nobiscum societate iungũtur. Manet igitur, manebítque perpetuò elimata gloria conditorum, nec in nostrum titulum demigrabit, nisi lux sola breuitatis. Et quamuis nostris auspiciis totius operis instauratio deberetur, attamen magis imperatorium, magísque credidimus gloriosũ, si fugata inuidia, perẽnitatis iure memoria remaneret auctorũ. Nobis ad fructũ bona conscientiæ abundéque sufficit, reuelatis legibus, inuenta maiorũ obscuritatis iniuria vindicasse. His adiicimus, nullam

Constitutionum

Constitutionum in posterum, velut latam in partibus Occidentis, alióve in loco ab inuictissimo Principe, filio nostræ clementiæ, perpetuo Augusto Valentiniano posse proferri, vel vim legis aliquam obtinere, nisi hoc idem diuina pragmatica nostris mentibus intimetur. Quod obseruare necesse est in his etiam, quæ per Orientem nobis auctoribus promulgantur: falsitatis nota damnandis, quæ ex tempore definito Theodosiano non referuntur in Codice: Exceptis his quæ habentur apud militum sancta Principia, vel de titulis publicis expensarum, aliarúmque rerum gratia, quæ in regestis diuersorum officiorum relata sunt. Longum est memorare, quid in huius consummationem negotij contulerit vigiliis suis Antiochus, cuncta sublimis ex Præfecto & Consule: Quid Maximinus, vir illustris Exquæstore nostri Palatij, eminens omni genere literarum: Quid Martyrius, vir illustris, Comes & Quæstor nostræ clementiæ, fidus interpres: Quid etiam Sperantius, Apollodorus, Theodorus viri spectabiles, Comites sacri nostri Consistorij: Quid Epigenius vir spectabilis, Comes & magister memoriæ: Quid Procopius vir spectabilis, Comes Exmagistro libellorum, iure omnibus veteribus comparandi? Quod restat Florenti Parẽs Karissime & amantissime. Ill. & magnifica auctoritas tua, cui amicum, cui familiare est placere Principibus, Edictis propositis in omnium populorum, in omnium prouinciarum notitiam scita maiestatis Augustæ nostrę faciat peruenire. Dat. xv. Kal. Martij, Cõstanrinopoli, Theodosio August. xv. & qui fuerit nuntiatus.

INTERPRETATIO. *Hæc lex dicit, vt Theodosiani Codicis auctoritas omni firmitate subsistat.*

De confirmatione legum nouellarum diui Theodosij A. *Tit.* II.

Domino Valentiniano inclyto, Victori, ac trimphatori semper Augusto filio, Theodosius PP. Augustus Pater.

POstquam in corpus vnius Codicis Diuorum retrò principum Constitutiones, nostrásque redegimus, aliam mox legem pietas nostra promulgauit, quę tam confecto Codici vires, auctoritatémque tribueret, nec aliter in iudicio quas contineret leges, nisi ex ipso proferrentur, valere præciperet. Quod si quid iuris ab altero nostrum postea conderetur, ita demum in alterius quoque principis regno vires proprias obtineret, quod generatim constitutum esset, si diuinis prosequentibus scribtis, ad alterum principem fuisset emissum. Quia igitur diuersis emergentibus causis, per hoc trãsacti temporis interuallum ferri leges alias emergentium rerum necessitas persuasit, quę nobis perpetua rerum publicarum occupatione districtis ad scientiam perferri tuæ maiestatis minime potuerunt, necessarium duximus, has nunc saltem vniuersas tuæ Serenitati, cum nostræ maiestatis subnotatione transmittere: quò subiectis, & prouinciis, & populis sollenniter innotescant, earúmque vis etiam in occiduis partibus incipiat obseruari. Ac lites, quas inchoatas quidem, necdum tamen finitas eo tempore quo publicantur inuenerint, secundum earum tenorem volumus terminari. Illas autem, quæ iam vel sententiis definitiuis, vel transactionibus decisæ sunt, minimè resuscitari.

Eas igitur Domine sacratiss. fili, Auguste venerabilis, cunctis ex more facias diuulgari, & inuicem mihi, & prouincialibus, & populis orientalibus cauenda, obseruandáque cum suæ manus adumbratione transmitti, quæcumque per id temporis spatium vestra Perennitas generaliter promulgauit. Dat. Kalend. Octob. Constp. Ardabure v.c. CONS. & qui fuerit nuntiatus.

INTERPRETATIO. *Hæc lex Nouellarum legum Constitutiones præcipit obseruari.*

De Iudæis, Samaritanis, hæreticis, & paganis. *Tit. III.*

1. Impp. Theod. & Valentin. AA. Florentio PF. P.

INter cæteras sollicitudines, quas amor publicus peruigili cogitatione nobis indixit, præcipuam imperatoriæ maiestatis curam esse perspicimus veræ religionis indaginem, cuius si cultum tenere potueris † iter prosperitatis humanis aperimus inceptis. Quod vsu longæ ætatis experti, piæ mentis arbitrio ad posteros vsque perennitatis iure fundare decreuimus ceremonias sanctitatis. Quis enim tam mente captus, tam nouæ feritatis immanitate damnatus est, vt cum videat cœlum diuinæ artis imperio, incredibili celeritate intra sua spatia metas temporum terminare: cum siderum motum, vitæ commoda moderantem, dotatam messibus terram, mare liquidum, & immensi operis vastitatem finibus naturæ conclusam, tanti secreti, tantæ fabricæ non quærat auctorem? quod sensibus excæcatos Iudæos, Samaritas, Paganos, & cetera hæreticorum genera portentorum audere cognoscimus? Quos si ad sanitatem mentis egregiæ lege medica reuocare conemur, seueritatis culpam ipsi præstabunt: qui duræ frontis obstinato piaculo locum veniæ non relinquunt. Quamobrem cum sententia veteri desperatis morbis nulla sit adhibenda curatio, tandem, ne ferales sectæ in vitam, immemores nostri seculi, velut indiscreta confessione licentius euagentur, hac victura in omne æuum lege sancimus: Neminem Iudęum, neminem Samaritam, neutra lege constante ad honores & dignitates accedere, nulli administrationem patere ciuilis obsequij, nec defensoris fungi saltim officio. Nefas quippe credimus, vt supernæ maiestati, & Romanis legibus inimici, vltores etiam nostrarum legum surreptiuæ iurisdictionis habeantur obtentu, & acquisitæ dignitatis auctoritate muniti, aduersum Christianos, & ipsos plerunque sacræ religionis Antistites, velut insultantes fidei nostræ, iudicandi vel pronuntiandi quod velint habeant potestatem. Illud etiam pari consideratione sancientes ne qua Synagoga in nouam fabricam surgat, fulciendi veteres permissa licentia, quas ruina præsentanea minitatur. His adiicimus, vt quicunque seruum seu ingenuum inuitum, vel suasione plectenda ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritúmve traduxerit, cum dispendio fortunarum capite puniendum. Vt quisque igitur vel infulas cœperit, acquisitis dignitatibus non potiatur, vel Synagogam extruxerit, compendio Ecclesiæ catholicæ se nouerit laborasse. Imò qui ad honores irrepserit, habeatur, vt ante, condicionis extremæ, etiamsi honorariam promeruerit dignitatem. Et qui Synagogæ fabricam cœpit, non studio reparandi, cum dãno quinquaginta librarum auri fraudetur ausibus suis. Cernat præterea bona sua

† potuerimus.

sua proscribta, pœnæ mox sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina. Et quoniam decet Imperatoriam maiestatem ea prouisione cuncta complecti, vt in nullo publica lædatur vtilitas, Curiales ciuitatum omnium, necnon cohortalinos onerosis quin etiam militiæ, seu diuersis officiis facultatum, & personalium munerum obligatos, suis ordinibus, cuiuscunque sectæ sunt inhærere censemus, ne videamur hominibus execrandis contumelioso ambitu immunitatis beneficium præstitisse, quos volumus huius Constitutionis auctoritate damnare. Hac exceptione seruata, vt apparitores memoratarum sectarum, in priuatis duntaxat negotiis, nullius Iudicis sententias exsequantur, nec carcerali præsint custodiæ, ne Christiani, vt fieri adsolet, nonnunquàm obstrusi custodum odiis alterum carcerem patiantur, incertum an iure videantur inclusi. Hinc perspicit nostra clementia, Paganorum quoque & gentilis immanitatis vigiliam nos debere sortiri, qui naturali væsania & licentia, pertinaci veræ religionis tramite dissidentes, nefarios sacrificiorum ritus & funestæ superstitionis errores occultis exercere quodammodo solicitudinibus dedignantur, nisi ad supernæ maiestatis iniuriam & temporis nostri contemptum eorum scelera professionis genere publicentur: quos non promulgatarum legum mille terrores, non denuntiati exilij pœna compescunt, vt si emendari non possint, mole saltem criminum & illuuie victimarum discerent abstinere. Sed prorsus ea furoris peccatur audacia, iis improborum conatibus patientia nostra pulsatur, vt si obliuisci cupiat, dissimulare non possit. Quanquam igitur amor religionis nunquam possit esse securus, quanquam Pagana dementia cunctorum suppliciorum acerbitates exposcat, lenitatis tamen memores nobis innatæ, trabali iussione decreuimus, vt quicunque pollutis contaminatísque mentibus in sacrificio quolibet in loco fuerit comprehensus, in fortunas eius, in sanguinem ira nostra consurgat. Oportet enim dare nos hanc victimam meliorem ara Christianitatis intacta seruata. An diutius perferimus mutari temporum vices, irata cœli temperie? quæ paganorum exacerbata perfidia nescit naturæ libramenta seruare. Vnde enim ver solitam gratiam abiurauit? Vnde æstas messe ieiuna laboriosum agricolam in spe destituit aristarum? Vnde hyemis intemperata ferocitas vbertatem terrarum penetrabili frigore sterilitatis læsione damnauit? nisi quod ad impietatis vindictam transit lege sua naturæ decretum. Quod ne posthac sustinere cogamur, pacifica vltione, vt diximus, pianda est superni numinis veneranda maiestas. Superest, vt quæ in Manichæos, Deo semper offensos, quæ in Eunomianos, hæreticæ fatuitatis auctores; quæ in Mõtanistas, Catafrigas, Fotinianos, Priscillianistas, Ascodrogos, Hydroparastatas, Borboritas, Ophitas, innumerabilibus Constitutionibus lata sunt, cessante desidia celeri executioni mandentur, Florenti Parens Karissime atque amãtissime. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua, cui cordi est cum diuinis, tum principalibus adhibere iussionibus famulatũ, quę insatiabili catholicæ religionis honore decreuimus, propositis excellẽtię suæ solenniter edictis, in omnium faciat peruenire notitiam. Prouinciarũ quoque Moderatoribus præcipiat intimari, vt & eorum pari sollicitudine cũctis ciuitatibus atque prouinciis quæ necessario san-

cimus innotescant. Dat. prid. Kal. Febr. Constantinop. Theod. A. XVII. CONS. & qui fuerit nuntiatus. Eodem exemplo viro illustri PF. P. Illyrici.

INTERPRETATIO. *Hæc lex specialiter iubet, vt nullus Iudæus, nullus Samaritanus ad nullum militiæ aut administrationis honorem possit accedere, neque defensoris officium vlla ratione suscipere, neque carceris esse custodem: ne forsitan sub specie cuiuslibet officij Christianos, vel etiam sacerdotes sub quacunque occasione iniuriis audeant fatigare, ne suprascripti, qui inimici legis nostræ sunt, legibus nostris aliquos aut condemnare aut adiudicare præsumant. Nullam denuo audeant construere Synagogam. Nam si fecerint, nouerint hanc fabricam Ecclesiæ catholicæ profuturam, & quinquaginta pondo auri auctores fabricæ esse multandos. Sed hoc sibi sciant esse concessum, vt ruinas Synagogarum suarum debeant reparare. Hoc etiam specialiter in hac lege comprehensum est, vt nullus Iudæus seruum, aut ingenuum Christianum audeat quacunque persuasione in suam legem transferre. Quod si fecerit, amissis facultatibus capite puniatur. De reliquo vero hæc lex damnat sectas, quæ nominatim hac lege continentur insertæ.*

Ne curialis prædium alterius conducat, aut fideiussor conductoris existat. *Tit. IIII.*

I. Impp. Theod. & Valent. A A. Florentio PF. P. Orientis & Exconsule.

NOn dubium est in legem committere eum qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas legibus insertas euitauit, qui se contra iuris sententias sola † prærogatiua verborum fraudulenter excusat. Curiales ne ad procurationem rerum alienarum accederent, cautum est prouidentissima sanctione, cuius in fraudem conducendi eos sibimet vsurpare licentiam sublimitatis tuæ suggestione comperimus. Quos licet pristinæ legis laqueis irretiri decernamus: conductionem nanque speciem esse procurationis certissimum est: attamen ne sub fraudis suæ velamine legis lateant contemptores, néue eis fucata suæ calliditatis excusatio relinquatur, hac perpetua lege valitura sancimus, conducendi quoque fundos alienos licentiam curialibus amputari, locatas res fisci viribus vindicari. Conductor itaque locatori, vel contra, locator conductori contra hanc legem nulla tenebitur actione. Nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quàm nouellas trahi generaliter imperamus, vt legislatori quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cetera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere. Hoc est, vt ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tãtum, nec specialiter dixerit inutile debere esse quod factum est. Sed & si quid fuerit subsecutũ ex eo, vel ob id quod interdicẽte factũ est lege, illud quoque cassum atque inutile esse præcipimus. Sed quò omnis fraudis semẽ per hanc legem curialibus radicitus amputetur, nec fidem suam pro cõductoribus fundorum interponere cõcedimus curiales: cur enim conductio prohibetur, si cõductionis periculum vel sollicitudo permittitur.

† alias, sana

permittitur. Secundum prędictam itaque regulam, quam vbique seruari factum lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem eiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, nec sacramẽtum admitti, nec actionem quolibet pacto aduersus eum fideiussorem competere locatori, Florẽti Parẽs † atque amantissime. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua prouidentissime constituta, edictis propositis ad omnes prouincias perferri pręcipiat. Dat. † XVII. Id. April. Constantinop. Theod. A. XV. CONS.

† Karissime

† VII.

INTERPRETATIO. *Nullus curialium in fiscali vel in priuato agro conductor accedat, nec pro aliquo cõductore fideiussor existat. Quod si quis curialem in agro suo susceperit conductorem, aut pro alio conductore fideiussorem acceperit curialem, actionem suam nouerit in omnibus vacuari. Nam & ager ipse, qui à possessore curiali conductus est, fisci viribus vindicetur. Curialis vero pro suprascriptis condicionibus, etiamsi cautionem emiserit, non teneatur.*

De tutoribus. *Tit. V.*

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P. Orientis & Exconsule.

CVm in omnibus rebus, tum vel maxime moderamẽ desideratur in legibus, per quas delinquentes pro qualitate criminum conuenit emendari. Nec enim vtile est, vel à Iudicibus obseruandum, quod modum emendationis excedit, si Constitutionem, quę matres pupillis, vel minoribus defensionem legitimam non petentes, vel relictarum rerum inuentarium non facientes, mori praecepit intestatas, vt pote amaram, ac matres immoderata poena plectẽtem, antiquari decernimus. Sed ne superflua vel inhumana resecantes, impunitatem delinquentibus promittere videamur, hac saluberrima lege pupillorum quoque vtilitatibus cẽsuimus prouidendum. Sciant itaque qui ad successionem vocantur pupilli mortui, si defuncto eius patre, tutorem ei secũdum leges non petierint intra annum, omnem eis siue ab intestato, siue iure substitutionis successionem eius si impubes moritur, denegandam. Idémque obseruari volumus, & si mater legitima liberorum tutela suscepta, ad secundas, contra sacramentum praestitutum, aspirauerit nuptias, antequam ei tutorem alium fecerit ordinari, eíque quod debeatur ex ratione tutelae gestae persoluerit. Quod si contra legis huius auctoritatem, antequam haec impleuerit, secundo se marito crediderit copulandam, mariti quoque eius pręteritae tutelę ratiociniis bona iure pignoris tenebuntur obnoxia, Florenti Parens Karissime atque amantissime. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua legem perpetuo valituram, edictis propositis, ab omnibus obseruari praecipiat. Dat. VII. Id. Iul. Constantinop. Theodosio A. XVI. & Festo V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Lex ista liberat matres à poena illa, quae fuerat in Theodosiani Codicis corpore constituta, vt si non prouidissent filiis tutores, vel rerum inuentarium non fecissent, faciẽdi de rebus suis testamenta, vel donandi cui voluissent, non haberent liberam potestatem, & insuper notarentur infamia. Sed haec Constitutio, vt matrem de praedicta poena liberat, ita minoribus in hac parte consulit, vt si mater tutelam filiorum gerendam legitime susceperit, & se iurisiurandi interpositione constrinxerit, si ad alias nuptias contra promissa transierit, & alium tutorem filiis deducta ratione non dederit, aut quae eam constiterit debere non ante persoluerit, contra legis huius ordi-*

nationem veniens, non solum eius bona si debitrix extiterit, filiis teneantur obnoxia, verum etiam secundi mariti qui obligatæ personæ coniunctus est, facultas, in eo quod debitum processerit, loco pignoris teneatur, donec omne debitum quod ratio tutelæ inuenerit, suppleatur. Nam etiam pupillis in ea parte lex ista præstat auxilium, vt patre defuncto, si filio impuberi, id est, infra annum XIIII. *hæ personæ quæ ei defuncto possunt legibus & iure succedere, si non aut agēdam tutelam ipsius susceperint, aut petierint tutorem, qui res eius, aut ipsum minorem debeat gubernare, ab eius successione habeantur extranei: illis sine dubio profutura successione, qui ad petendos tutores lege non teneantur adstricti, & defuncto cognationis gradu inueniuntur esse propinqui.*

Contra sententias Præfectorum P. iniustas post successionem intra biennium supplicandum. Tit. VI.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Talasio PF. P. Illyrici.

SVggestio sublimitatis tuæ & nobis non probatæ legis abrogādæ materiam ministrauit, & quæ sit in examinandis litigatorum allegationibus tua celsitudo monstrauit. Quid enim litigantibus in amplissimo tuæ sedis iudicio relinquitur, si post sententiam quam nefas est appellatione suspendi, nec nostræ Serenitatis imploretur auxilium. Ideo hac lege perpetuo valitura, litigantibus in amplissimo Prætorianæ Præfecturæ iudicio, si contra ius se læsos affirment, supplicandi licentiam ministramus, licet pro Curia vel alia qualibet publica vtilitate dicatur prolata sententia: Nec enim publice prodest singulis legum adminicula denegari, Talasi Parens Karissime atque amantissime. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua, Constitutione quæ aduersus sententiam pro Curia latam supplicare prohibuit, omni parte cassata, sciat preces intra biennium tantum nostro numini contra cognitionales sedis tuæ sententias offerēdas, post successionem videlicet iudicis numerandum. Huius legis ne quem latere possit vtilitas, edictis propositis eam ad omnium notitiam venire præcipiat. Dat. III. Id. August. Constantinop. Theod. A. XVI. & Festo V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Contra Iudicem, aduersus cuius potentiam non licuerit appellare, subiit hæc lex, vt cum priuatus effectus fuerit, intra biennium liceat cuicunque qui iniuste oppressus est, rerum dominis supplicare, vt illis iterum audientia deputetur. Quod si intra biennium post successionem illius non supplicauerint, quæ contra eos fuerant iudicata, seruentur, & perpetuam teneant firmitatem.*

De paternis seu maternis bonis. Tit. VII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.

OFficium est Imperatoriæ maiestatis, hiis etiam qui nondum nati sunt prouidere, & in parentū cōtractibus futuris quoque liberis fructum naturæ debitū præparare. Præteritæ constitutiones mulierem morte mariti matrimonio dissoluto, communibus liberis extantibus, donationem ante nuptias, résque alias certis modis ad eam deuolutas ex mariti persona, iisdē liberis quibusdā condicionibus seruari præceperant. Hęc Diuus nostrę Māsuetudinis auus humana mēte viros quoque, morte mulieris matrimonio dissoluto, extantibus liberis, circa dotem, résque alias certis modis ad eū ex persona mulieris deuolutas, iisdē condicionibus suaserat obseruare.

obseruare. Nos feliciter vinculo legis hęc à viris obseruanda censuimus. Nam generaliter quoquo casu Constitutiones ante legem hanc, mulierem liberis communibus, morte mariti matrimonio dissoluto, quæ de bonis mariti ad eam deuoluta sunt, seruare sanxerat. Iisdem casibus nos per huius legis auctoritatem maritum quoque, quæ de bonis mulieris ad eum deuoluta sunt morte mulieris matrimonio dissoluto, communibus liberis seruare censemus: nec interesse volumus, si alter pro marito donationem ante nuptias, vel pro muliere dotem crediderit offerendam. Hæc obseruari præcipimus, licet res ante nuptias donatæ, vt adsolet fieri, in dotem à muliere redigantur. Nam & si culpa mulieris repudio matrimonium fuerit dissolutum, maritus totam donationem, non partes, vt in altera dote, retinebit. Dominium autem rerum, quę liberis, vel huius legis, vel præteritarum Constitutionum auctoritate seruantur, ad liberos pertinere decernimus. Itaque defuncto eo, qui eas liberis reseruabat, extantes, ab omni possessore liberi vindicabunt, consumptas, ab heredibus eius exigent, qui eas seruare debuerant. Alienandi sanè, vel obligandi suo nomine eas res quæ liberis seruari pręceptæ sunt, eis qui reseruaturi sunt adempta licentia est. Negotia vero liberorum patri vtiliter administrare concedimus. Diuidendi quoque res inter eos ipsos liberos parentibus pro suo arbitrio, vel eligendi quem voluerint licentiam non negamus. In hiis autem casibus, in quibus res vt paternas mater liberis communibus seruare præcepta est, hoc est, vbi morte mariti matrimonio dissoluto, mulier ad alias nuptias venit: vel vbi vt maternas patrem liberis communibus seruare cēsuimus, hoc est, vbi morte mulieris matrimonio dissoluto, vir ad alias nuptias venit, si hereditatem eius parentis qui prior mortuus est, non adierint liberi, licebit eis, tamquam eius tantum res fuerint, eas sibimet vindicare. Scilicet si vel eius, qui posterior moritur, hereditatem crediderint adeundam: ne quod fauore liberorum indictum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum videatur inuentum. Illud etiam humanis sensibus huic legi credidimus inserendum, vt eo quoque casu quo lucratur vel mulier res quę ad eam à marito perueniunt, vel maritus eas quæ ex bonis mulieris ad eum transeunt, hoc est, vbi primum matrimonium alterius morte dissoluitur, nec superstes ad secundas nuptias venit, si res vel maritus, vel vxor, hoc est, qui superstes est, non consumpserit vel alienauerit: quod eis ad secundas nuptias non veniētibus, quasi rerum dominis concessum esse nō dubium est, si hereditatem eius qui posterior moritur liberi adire noluerint, vt eis liceat res à patre profectas vt paternas, à matre vt maternas accipere. Quod autem Scitis prioribus continetur, nec à filia quę in potestate est, donationem ante nuptias patri, nec à filio dotem acquiri, eo addito confirmamus, vt defunctis hiis adhuc in potestate patris si liberis extantibus moriantur, ad liberos eorum eadem res iure hereditatis, non ad patrem iure peculij transmittatur, ne per nepotes auo videlicet acquirendæ, Florenti Parens Karissime atque amantissime. Illustris itaque ac magnifica auctoritas tua legem saluberrimè promulgatam edictis propositis ad omnium notitiam faciat peruenire. Data VII. Id. Septembr. CP. Theod. A. XVII. & Festo V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex confirmat, vt sicut mulier post mortem mariti omnia, quæ ad eam de rebus mariti quolibet ordine peruenerunt, totum filiis profuturum*

debeat conseruare, hoc etiam & patres de rebus maternis simili obseruatione custodiant, excepto quod eis fuerit filiorum morte quæsitũ: ea ratione sicut lex Theodosiani in octauo libro declarat, si ad secunda vota venerint, aut forte non venerint: post quorum obitum si alienatæ, vel obligatæ quoquo pacto fuerint res quæ filiis iussæ sunt reseruari, vbicunque eas potuerint inuenire, ad suum dominium filios præcipit reuocare. Nam permisit vt mulier de sponsalitia donatione, quam à marito suscepit, si propriũ mulier nihil habeat, dotem exinde ipsi marito possit offerre. Causas vero filiorum patres agere vtiliter, cum summa strenuitate cõstituit, & vt diuidere æqualiter inter filios facultates maternas, aut per se, aut per quos elegerint habeant potestatem. Sanè de omnibus rebus vxoris quæ ad proprietatem mariti quolibet titulo vel nomine, seu donatione, seu testamẽto, seu morte filij peruenerint, etiamsi ad alias nuptias non transierit, si mortuo eo hereditatem eius filij adire noluerint, omnia quæ de maternis bonis maritus quocũque ordine habuit acquisita, filij sibi, sicut reliquas maternas facultates, apud quoscunque inuenerint vindicabunt. Simili ratione si & mater marito mortuo, etiamsi ad secũdas nuptias non venerit, si hereditatem eius filij adire noluerint, omnia quæ de paternis facultatibus mater eorum quoquo modo, vt superius dictum est, acquisiuit, filij post mortem matris, cuius hereditatem repudiauerint, ad integrum sibi vindicent & defendant: quia iustitiæ intuitu constat esse prospectum, vt quia nihil de illius parentis rebus, qui posterior moritur, habere dinoscitur, vel ea quæ ex prioris mortui parentis bonis esse constat, ad filios debeant integra pertinere. Reliquum vero huius legis in aliis legibus habetur expositum.

Ne decurio ad senatoriam dignitatem, vel aliquos honores aspiret. Tit. VIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Senatum Vrbis Constantinop.

SPlendidissimo cœtui vestro P.C. placere confidimus, si ciuitatum commodis consulatur. Vestrum est nempe velle ciuitates augeri. Vos Curiis peculiariter prospicere cõsuestis: siquidem vobis nostro iudicio resp. soleat gubernanda committi. Nam etsi otio frui vos quodam tempore patiamur, ne labore videamini fatigari continuo, non tamen ideo cura vos deserit optime regendæ reip. Quamobrem lege Curiis profutura vobis P. C. vel maxime gratulamur. Suggestione viri illustris atque magnifici Præfecti P. Orientis & Exconsule Florentij comperimus quosdam Curiales iniuriis se Præsidum subtrahere cupientes, ad senatoriæ dignitatis prærogatiuam confugere. Hoc Curias eneruare non dubium est: Curialibus quippe preturę munus impositum, patrias etiam functiones, ac suæ quenque munia ciuitatis, patrimoniis eorum eo modo consumptis, denegare compellit. Et quod motibus se Iudicum reuerentia subtrahunt dignitatis, publicis commoditatibus noxium esse perspicitis: Cessat enim debitorum compulsio, si debitorem desiderat executor. Lege itaque perpetuo valitura decernimus; Nullum posthac Curialem sibimet dignitatis senatoriæ infulas vsurpare: Nulli Curiali licentiam dari clarissimo se permiscendi consortio. Sed ne prouidentissime constituta quibusdam præteritis semiplena reliquisse noscamur, illis etiam Curialibus qui iam senatoriam adepti sunt dignitatem, præturæ munus remitti decernimus, qui nondum Prætores sunt nominati, vel quos nominatos nondum amplissimi vestri cœtus sententia Preturæ muneri mãcipauit obnoxios. Dat. prid. Id. Sept. Cõst p. Theo. A. XVII. & Fest. v.c. coss.

INTER-

INTERPRETATIO. *Hæc lex hoc præcepit vt nullus Curialis natus ad aliquos honores adspiret, nec dignitatem aliquam supplicando tentet adsumere, nisi tantum officia Curiæ debita se nouerit subiturum.*

De testamentis. Tit. VIIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.

ITa prodest gentes barbaras nostri nominis imperio mancipari, ita nostræ victoriæ videbuntur obedientibus fructuosæ, si pacis commoda legum regulis componantur. Ideo diuinis sensibus die noctúque res humani generis pertractantes, gratum duximus deficientium quoque voluntatibus subuenire, vt pro suo quisque testetur arbitrio: vt in potestate sua suam habeat voluntatem: vt inuitus nemo nec taceat, nec loquatur. Illud est quippe proprie testamentum, quod testantis meram obtinet voluntatem. Natura talis est hominum, vt quosdam diligãt, alios timeant. Quibusdam sint officiosæ gratiæ debitores, alios suspicentur. Quorundam fidem intelligant eligendam, aliis nihil credendum existiment: nec tamen audeant de singulis quæ sentiunt cõfiteri. Ideo veteres testamenta scripta testibus offerebant, oblatarúmque eis tabularum perhibere testimonium postulabant. Sed dum iuris antiqui cautelam paulatim mutat posteritatis imperita pręsumptio, & testes exigunt omnino quę testamẽto continentur agnoscere, cò res processit, vt dum sua quisque nonnunquam iudicia publicare formidat, dum testibus testamenti sua non audet secreta committere, ne suis facultatibus inhiãtes offendat, intestatus mori, quàm suę mentis arcana periculose patiatur exprimere. Hac itaque consultissima lege sancimus, licere per scripturam conficientibus testamentum, si nullum scire volent quæ in eo cõscripta sunt, signatam vel ligatam, vel tantũ clausam inuolutámve proferre scripturam, vel ipsius testatoris, vel cuiuslibet alterius manu conscriptam, cámque rogatis testibus septem numero ciuibus Romanis puberibus omnibus simul offerre signandam & subscribendam. Dum tamen testibus præsentibus testator suum esse testamẽtũ dixerit quod offertur, eíq; ipse corã testibus sua manu in reliqua parte testamenti subscripserit. Quo facto, & testibus vno eodémque die ac tẽpore subscribentibus & signantibus, valere testamentum: nec ideo infirmari, quòd testes nesciant quæ in eo scripta sunt testamẽto. Quod si literas testator ignoret, vel subscribere nequeat, octauo subscriptore pro eo adhibito eadem seruari decernimus. In omnibus autem testamentis quæ vel absentibus, vel pręsentibus testibus dictantur, superfluum est vno eodémque tempore exigere testatorem, & testes adhibere, & dictare suum arbitrium, & finire testamentum. Sed licet alio tempore dictarum scriptúmve proferatur testamẽtum, sufficiet vno eodémque die, nullo actu interueniente, testes omnes videlicet simul, nec diuersis temporibus subscribere, signaréve testamentum. Finem autem testamenti subscriptiones & signacula testium esse decernimus. Non subscriptum namque à testibus, atque signatum testamentum pro imperfecto haberi conuenit. Ex imperfecto autem testamento volũtatem teneri defuncti, nisi inter solos liberos habeatur, non volumus. Per nuncupationem quoque, hoc est sine scriptura testamenta non aliàs valere sancimus, nisi septem testes, vt supra dictum est, si-

mul vno eodémque tempore collecti, testatoris voluntatem, aut testamentum sine scriptura faciētis audierint, non vt suum, quòd adsolet fieri, narrantes arbitrium. Hoc est, vt manifeste testari se sub iisdem testibus sine scriptura eo ipso tempore dicat, non futurum suæ voluntatis promittat arbitrium. Si quis autem testamento iure perfecto, postea ad aliud venerit testamentum, non aliâs quod ante factum est infirmari decernimus, quàm id quod secundo facere testator instituit, iure fuerit consummatum: Nisi forte in priore testamento scriptis hiis qui ab intestato ad testatoris hereditatem successionémve venire non poterant, in secunda voluntate testator eos scribere instituit, qui ab intestato ad eius hereditatem vocantur. Eo enim casu, licet imperfecta videatur scriptura posterior, infirmato priore testamento secundam eius voluntatem non quasi testamentum, sed quasi voluntatem intestati valere censemus: in qua voluntate quinque testium iuratorum depositiones sufficient. Quo non facto, valebit primum testamentum, licet in eo scripti videantur extranei. Illud etiam huic legi perspicimus inserēdum, vt quoniam Græce iam testari concessum est, legata quoque ac directas libertates, tutores etiam Græcis verbis liceat in testamentis relinquere, vt ita vel legata relicta, vel libertates directæ, tutorésve dati videantur, ac si legitimis verbis ea testator dari, fieri, obseruaríque iussisset, Florenti Parens Karissime AA. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua consultissimam legem, edictis propositis, ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. prid. Id. Sept. Constantinop. Theod. A. XVII. & Festo v.c. coss.

INTERPRETATIO. *Hæc lex multa confirmat, quæ de testamentis in Theodosiani corporis auctoritate conscripta sunt. Sed hoc amplius habet, vt si aliquis iure prætorio condiderit testamentum, id est, quod septem testium subscriptionibus confirmatur, auctor testamenti, si literas scit, octauus ipse subscribat: Sin autem aut subscribere non potest, aut literas nescit, tunc octauum pro se adhibeat subscriptorem. Nam etsi subscriptores nesciant quæ in pagina testamenti continentur, testamentum ex hac re non habeatur infirmum. Testamento vero nihil detrahitur, si per plures dies dicatur fuisse dictatum, dummodo vna die sub præsentia testatoris simul omnes rogati à testatore subscribant, ac suis sigillis subscriptum muniant testamentum. Per nuncupationem quoque, hoc est sine scriptura qui suam publicare maluerit voluntatem, conuocatis simul vna hora septem testibus, primum pro qua re eos venire rogauerit, euidenter explanet, vt quia testamentum non fecit, illi apud gesta defuncti publicent, & allegent voluntatem. Si quis autem facto legitimo testamento aliud postea voluerit facere testamentum, non aliter quod prius factum est reddatur infirmum, nisi sequens testamentum omni firmitate fuerit conscriptum, & legitimo testium numero roboratum. Nam si imperfecta fuerit forsitan deficientis voluntas, secunda voluntas tunc valeat, si in primo testamento, quod fecerat, extraneos scripsit heredes, & postea in secunda voluntate illos instituit, vel ad successionem vocauit, qui etiamsi non testatus fuisset, poterant in hereditate defuncti ab intestato succedere, quæ tamen posterior voluntas defuncti licet non sit perfecta, sic in omnibus quæ scripta sunt valeat, vt quinque testes iurisiurandi religione confirment testatorem ad hoc eos conuocasse, vt remoto priore testamento, secundam in propinquis suis, quam perficere non valuit, conderet voluntatem, quæ in omnibus, vel circa omnes firma permaneant.*

De alluuionibus & paludibus & pascuis. Tit. X.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Cyro PF. P. & Consuli designato.

SVggestionibus tui Culminis semper magnum aliquid reip. conferendi materiæ ministrantur, semper nobis aliquid porrigitur emendandum. Quanta itaque Magnitudinis tuæ prouincialium cura est, per eas quoque non dubie declaratur. Alluuionum, quæ contingere solent in prædiis quæ ripis quorundam fluminum terminantur, ea natura est, vt semper incerta possessio, incertum sit eius dominium quod possessori per alluuionem accrescit: Nam quòd hodie possidemus, nonnunquam altero die vicini fundi dominio, in alteram fluminis ripam translatum acquiritur, nec tamẽ apud eum cui accrescit semper remanet acquisitum, sed plerunque redit ad priorem dominum cum augmento. Sæpe nec ad posteriorem manet, nec ad priorẽ redit, sed in harenā fluminis inundatione dissoluitur. Ideo suggestionẽ tui Culminis admittentes, non Ægyptiis solis, nec de Nili tātū alluuionibus loquimur: sed quod salubre est, orbi terrarū, atque omnibus prouinciis promulgamus. Et ea quæ per alluuionem possessoribus acquirūtur, neque ab ęrario vẽdi, neque à quolibet peti, nec separatim cẽseri vel functiones exigi, hac perpetuo lege valitura sancimus, ne vel alluuionū ignorare vitia vel rem noxiā possessoribus videamur indicere. Similiter nec ea quidem, quę paludibus antea vel pascuis videbātur ascripta, si sumptibus ac laboribus possessorū nunc ad frugum fertilitatem trāslata sint, vel vendi, vel peti, vel quasi fertilia separatim censeri, vel functiones exigi cōcedimus: ne doleāt diligentes operam suam agri dedisse culturę, nec diligentiā suam sibi damnosam intelligant. Huius legis temeratores quinquaginta librarum auri condemnatione coherceri decernimus. Inter quos habendum est officium quoque tuæ sedis excelsæ, si aliquid eiusmodi suggesserit disponendum, vel si preces instruxerit petitoris, Cyre Parens Karissime AA. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua suggestione tui Culminis, ac dispositione non admissa tantū, sed etiā collaudata, legẽ hanc edictis propositis ad omniū noticiā perferri præcipiat. Dat. XI. Kal. Oct. Constp. Valent. A. V. & Anatholio V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Hac lege censitum est, vt si fluuius alueum suum paulatim in aliam partem contulerit, terram illi acquirat, cuius finibus spatium terræ dignoscitur contulisse. Quam rem beneficio aquæ possessoribus acquisitam nullus velut fiscale audeat vindicare, cuius rei tributū nullus adiiciat. Si quis etiam paludes suo studio deriuauerit, & ad vsum fertilitatis adduxerit, similiter hoc is qui excoluit, sine censu perpetuo iure possideat, neque quisquam hoc audeat à nostra munificentia postulare.*

De † his qui spōte munus aliquod vel honorẽ largiuntur, & de naturalibus filiis in curiam dandis, heredibúsque scribendis, vel bona parentum accipiendis. Tit. XI.

† bonis decurionum, & naturalibus filiis eorum in curiā mittendis, heredibusque scribendis.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Apollonio PF. P.

NVlla professione virtutis, nulláque re alia potius homines Deo, quàm prona liberalitate iunguntur. Nam cum beneficiorum fontibus genus amplificetur humanum, diuinam beneuolentiam nobis credimus obligari, vnde spes tota vicissitudinis exspectetur. Quod si quis bene de se meritum lædat, ex amore omnium quem liberalitas

meruit, cõmuni necesse est odio condemnetur ingratus. Huius iniquissimæ rei acerbitate cõmotam Celsitudinem tuam, à nobis remediũ postulasse præsens suggestio declarauit. Multi enim sæpe nullã trahentes sorte maiorũ Decurionatus originem, sua sponte, liberalíque sententia, pietatis quoddam insigne duxerunt, magnificis patriã muneribus beneficiísque donare. Alij, cum extruẽdi publicis operis nulla eis necessitas immineret, diuersis eam ædificiorum ornatibus extulerũt. Id augẽdæ patriæ desiderium maximis laudibus ac prçconiis efferẽdum, alios curialibus oneribus, alios discussionũ laqueis implicauit. Et quod vltra omnem indignationẽ est; rationes liberalitatis suæ dare cogitur, qui luxuriæ non dedisset. Quod nisi prouida dispositione curetur, quotus quisque erit tam sui suæque vtilitatis ignarus, qui vel in operibus construendis largitatem exercere velit, cui discussor immineat, vel in conferendo aliquo munere gloriari, cum id quod munus fuerat, incipit esse iam debitum? Qui denique sic patriã suam diliget, vt cum frui liceat opibus otiosis, iactura patrimonij sui sollicitam redimat egestatem? Quapropter ipsis ciuitatibus potissimũ consulẽtes quibus suorũ ciuium beneuolẽtiam nolumus interclusam, huius æternæ legis saluberrima ratione decernimus, vt si quis sua sponte nullíque eiusmodi oneri subditus, in qualibet ciuitate per se alteriúsve personam quodcunque munus ediderit, vel honorẽ gesserit, nullum ex voluntaria largitate vel prçiudiciũ sui status incurrat, vel discussionis ratiociniis obligetur: Hoc enim pacto, cũ ex volũtate prçbeatur, quod si necessitas immineat, euitetur, nec gratos suæ circa patriã beneuolẽtiæ pœnitebit, nec excusatio relinquetur ingratis. Illi etiã parti sollicita nobis circa res humanas prouidentia suggerẽte, cõsulendum esse credidimus, quãtum fauoris splendorísque, legitimæ proli ex legum suffragatione prçstatur, tãtum naturali ac degeneri soboli derogatur. Nam cùm de successionibus paternarũ facultatũ quædã seueriora, quçdam humaniora circa eos iura prolata sint, nulla lex adeo eis pepercit, vt eiusmodi sorte cõceptos saltem in aliorũ loco poneret, quos naturæ coniunctione proximos inuenisset. Sed nos, à quibus solet in hominũ genus semper aliquid procedere quo iuuẽtur, vna eadémque saluberrima sanctione & horũ condicioni, & Curiarũ cõmoditati subueniẽdum esse perspeximus, vt cum & naturaliũ liberorũ vilitas splendidiorẽ fortunã, & Decurionũ nobilitas multitudinem desideret, auctiorem vtriusque generis vtilitatibus in commune perpensis, ab altero commodetur, quod alteri deficit: léxque vndique temperatissima collocetur, quæ & naturæ vitium dignitatis impartitione soletur, & ordinum dignitatẽ à corporũ exiguitate defendat. Hac igitur perpetuò duratura promulgatione decernimus, vt si cui & legitimorũ, & naturalium liberorum progenies suppetat, veterũ illibata Constitutionũ auctoritate seruatã, iustæ ac legitimæ sobolis iura nulla imminutione decrescant. Si quis vero parẽtibus amissis, naturalem dũtaxat fœcũditatem, non etiam legitimã sortiatur, seu liber ipse, seu Curiæ sit nexibus obligatus, & tradẽdi filios vel omnes, vel quos, quémve maluerit, eius ciuitatis Curiæ, vnde ipse oritur, & in solidũ heredes scribẽdi liberã ei concedimus facultatem. Parẽtibus verò superstitibus, si naturalis pater vitæ munus impleuerit, quartã partem bonorũ contemplatione gradus legitimi patri matríve, auo vel auiæ saluã intactámq; seruamus, vt si quis eorum vel præteritus, vel parũ quàm ei debebatur ex legibus fuerit consecutus,

consecutus, mouere de inofficioso testaméto querelam pro iuris ordine concedatur. Quos ex hac nostra dispositione nec lædi credimus, nec offendi. Nec enim aliquid ex eorum iure decoquitur, cùm nequeant ad quoscunque heredes sorte transmissa, quicquam amplius ex filiorum suorum nepotúmve facultatibus, præter memoratam defendere quátitatem. Nisi forte moleste ferendum sit, natura sibi cohærentes, licet iure seiunctæ sint, alienissimis anteferri, rerúmque esse participes, quos cósortes sanguinis confitentur. Quod si cui nó ex vrbe, sed vico, vel possessione qualibet oriundo naturales liberi contigerint, eósque velit sub definitione prædicta, & Curiæ splendore cohonestare, & hereditatis opibus adiuuare, eius ciuitatis adscribendi sunt ordini, sub qua vicus ille seu possessio censetur. Quòd si alterutram regnátium ciuitatem patriámque sortiatur, sit ei liberum susceptam ex inæquali cóiugio sobolem cuiuscunque ciuitatis Decurionibus immiscere, dummodo ciuitas quæ eligitur totius prouinciæ teneat principatum. Indignum est enim, vt qui sacratiss. vrbis vbere gloriatur, natales suos non inlustri ordine ciuitatis illuminet. Hæc, siue cum postrema definiat, siue cum donatione cuiuslibet quantitatis, habita ratione parentum in liberos, naturalis pater cóferat, quod de subeunda sorte curiali, seu testamento, seu actorum fide constituat, ita ratum esse, stabilitérque volumus obseruari, vt siue abstinédo hereditatibus, siue abdicádo donationes, naturales liberi curialem voluerint euitare fortuná, posteaquàm paternarum opum vel in solidum, vel ex parte reperti fuerint possessores, licet eas alienauerint, omni modo ad condicionem, in qua pater eos amplificatis opibus esse voluit, etiam inuiti cogantur accedere. Apolloni Parens Kariss. AA. Illustris & magnifica auctoritas tua quæ sanximus edictis propositis ad vniuersorum nostro imperio subiectorú notitiam commeare perficiat. Dat. XVI. Kal. Ian. Constantinop. Maximo II. & Paterno V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis habuerit legitimos filios & naturales, id lex ista constituit, vt id obseruetur quod est in Theodosiani corpore constitutum, hoc est, vt extátibus filiis legitimis octauam hereditatis naturalibus, vel eorum matribus, pater si voluerit, derelinquat. Si vero legitimos filios non habuerit, & naturales habuerit, & eos heredes facere fortasse voluerit, non aliter poterit, nisi vt primitus eos corpori Curiæ sub gestorum testificatione coniungat: & sic, si voluerit integras ad eos siue donationes, siue testamento heredes scribédo transferre poterit facultates. Quarta vero patri vel matri, auo, auiæ, quibus de inofficioso testamento actio suppetit, specialiter seruata. Hoc seu curialis, seu liber à Curia naturalibus filiis ita conferre legis istius ordinatione permittitur, ita vt in ea ciuitate, in qua, vel in cuius territorio habitat, naturales filios constituat curiales. Quod si, vt adsolet, in duabus prouinciis ei possessio vel habitatio fuerit, & voluerit eos in ciuitate sua facere curiales, hoc lex ista permittit, vt in qua prouincia elegerit, dummodo in Metropolitana ciuitate, instituendi naturales filios Curiales pater habeat potestatem.*

I. Idem AA. Apollonio PF.P.

Nulla penè res adeo pro vtilitate humani generis inuenitur, quæ non callidis hominum cósiliis ad fraudem malitiámque conuertitur. Nonnulli enim Curiales, quorum corpori semper volumus esse consultum, parum habét sua cómoda nostris beneficiis adiuuari, nisi eis ad aliorum abutantur incommodum. Sed nos, quibus ingenitú est prodesse cúctis, obesse nemini, sicut eorum

vtilitatibus prouidēdum esse censemus, ita fraudibus etiā ducimus obsistendum. Hic enim est expeditissimæ sanctionis effectus, qui dum aliis prospicit, aliorum iura non minuit. Meminimus quippe, nuper emissa lege diuali, portionem quartam de facultatibus curialium fati munus implentium, ex qualibet nouissima volūtate, vel ab intestato etiam ad quemcunque, præterquàm si ad filios deferantur, curiarum deputasse corporibus. Sed multi, tāquam corrumpendi totius patrimonij occasione captata vniuscuiusque rei sibi particulam vindicando, adeo totas dilacerant facultates, vt dum participibus relictarum opum nocere cupiāt, sua quoque iura præcipitent. Quorum nimiam licentiam prouida dispositione frenātes, ipsis quidem Curialibus occupandi sua auctoritate res mortui copiā denegamus. Optionem vero damus heredi, ad quē vel intestato vel ex postrema voluntate directis, vel fideicommissariis verbis decurrit hereditas, vtrū æstimationē quartæ partis Curiæ velit offerre, an omne patrimoniū quod relictum est, in partes quatuor pro sua voluntate diuidere, vt rebus totis in sortitū casūmque deductis, vel Curiæ quadrātis, vel heredi, ac fideicommissario per vniuersitatem dodrātis electio ex sortis condicione cōtingat. Ita scilicet & pręfati successores, & Curia, promiscui rerum dominij liberabuntur incommodo. Naturale quippe vitiū est negligi, quod communiter possidetur, vtque se nihil habere, qui nō totū habeat, arbitretur. Denique suam quoque partem corrumpi patitur, dum inuidit alienę. Sed vbi quarta pars bonorum mortui Curiæ debet offerri, immobiles quidem res quæ nec latere facile possunt, nec quicquā si diuulgentur officiūt, sub aspectu etiā Curialium æstimari, diuidíve concedimus. Mobiles autem res, vel se mouentes, vel instrumenta, vel si quid etiā in eiusmodi iure consistat, in medium proferri diuulgaríque non patimur: sed iuratis successoribus, cùm apud se diligenter æstimauerint, quæ, quātique sint pretij facultates, credi oportere decernimus. Quid enim tam durū, támque inhumanū est, quàm publicatione pompáque rerū familiariū, & paupertatis detegi vilitatem, & inuidiæ patēre diuitias? In exigendis vero debitis, si pretium quod pro quarta parte actionū Curiæ competit, successores pręstare noluerint, cautionibus iurata fide prolatis in medium, vnusquisque à debitoribus conueniētem sibi exigat portionem atque è diuerso æs alienū, si cui defunctus fuerat obligatus tam iidē successores, quàm Curia pro sua sorte restituere compellātur. Quod si sæpe dicti successores sacramentum sibi crediderint excusandum, tum vero ad similitudinem rerum immobilium diligētior Curialibus omnium rerū indago præbebitur: scilicet vt vniuersis mortui facultatibus in aperto propositis, vel æstimatio rerum vel diuisio, prout successores elegerint, sub pręsentia Curialium celebretur. In omnibus autem casibus, vbi quarta pars Curię competit, transactiones interpositas firmas illibatásque manere decernimus. Ad filiorū vero numerum, ad quos integras opes venire cēsuimus, filiū, nepotē, pronepotem, patrē, auū & proauū, ad virilis sexus originē pertinentes, etsi alieni sint Curia, iubemus adiungi, vt ad has quoque personas ex vltima voluntate, vel ab intestato delapsæ facultates nullius partis imminutione decrescant. Filiā, quinetiā neptem, proneptémve Principali eiusdem ciuitatis, vnde pater, auus vel proauus oritur nuptam, rerum vel ab intestato, vel ex dispositione voluntatis vltimæ quęsitarum, integrum nulláque parte minutum dominiū habere sancimus.

timus. Quòd si post parentum obitum inueniantur innuptæ, vel viduæ, impuberibus quidē post transactam pubertatem, in aliis vero quæ pubertatem adeptæ sunt, † vel etiam in viduis post mortem parentis triennium duntaxat volumus expectari, vt interim quarta portio suspensa, vel apud eam, si in matrimonio Curialis eiusdē ciuitatis fuerit collocata, perpetuo iure permaneat, vel si intra id temporis alienum eadem curia sortiatur maritum, penitúsve nupta non fuerit, memorata pars Curiæ cum triennij tam vrbanorum, quàm rusticorum prędiorum duntaxat fructibus addicatur. Ita tamen, vt & optionis condicio, in offerendis rebus quartæ partis siue eius pretio & sacramenti tam de quātitate, quàm de æstimatione rerum mobilium, déque actionibus inferendis excipiendísve, sicut in extraneis personis dictū est, ratio conseruetur: Ceteris videlicet, quæ super hac re prolata constitutio cōtinet, firmiter duraturis. Sed & si mater mortui vel auia, tempore, quo filius nepósve moritur, in coniugio Curialis inuenta fuerit, ne ipsas quidem patimur quartæ portionis subire iacturam. Extraneū quinetiam heredem, propinquitatis quidem iure discretū, Curiæ tamen eiusdem ciuitatis obnoxium supradictæ portionis dispendio liberamus. Femineo vero sexui non hac tantum prouisione, sed illa insuper iuris adiectione cōsulimus, Pręcipimus namque, vt ad similitudinem naturalium filiorum, quos Decurionatus, sorti paterna sententia dedicauit, filia quoque naturalis, in matrimonium Curialis ascita, si tamē nulla patri eius suppetat legitima soboles, id quod paternæ visum fuerit voluntati, & omnes res patrias donationis titulo consequatur, & heres scribatur ex integro: Ita tamen, vt parentū, quibus quarta pars † patrimonij relinquēda est, & locorum, vnde gener legitur principalis, ad formā nuper emissæ constitutionis ratio † consequetur. Quid enim interest, vtrū per filios, an per generos ciuitatū commoditatibus consulatur? Et vtrū nouos lex faciat Curiales, an foueat quos inuenit? Aliā quoque de negotio Curialis caliginē, suggestione tui Culminis moti, recēti interpretatione discutimus, & imprimis descriptionis onere filiquarū quatuor, quas lucratiuis iugationibus tātum non humanis, vel animalium censibus, neque mobilibus rebus iubemus indici, & si Curiales nō sint, maiores ac posteros liberamus. Vt si pater, auus vel proauus, filio, nepoti, pronepotíve, vel filiæ, nepti, proneptive, nec referet nuptę sint Curialib⁹ necne, postrema volūtate, vel inter viuos etiā donatione quicquā de suis opibus largiatur, memoratæ descriptionis cesset indictio. Eque diuerso, vt si posteri ad maiores prædicta sibi cōsanguinitate deuinctos, pręfatis titulis suas cōferant facultates, nullius accessione grauaminis huiusmodi liberalitas oneretur. Ita enim necessariis sibi coniunctísque personis sub liberalitatis appellatione debitū naturale persoluitur. Cuius auctoritatē iuris pariter valere sancimus, & si ab intestato succedāt pręfati sibi generis ordine sociati. Ex hiis enim successionibus maxime debiti potius solutio, quàm muneris oblatio cōprobatur, quę nō largiētibus etiam dominis ipsa propinquitatis serie deferūtur. Ceteri vero licet quadā inter se cognatione iungātur, nunquā tamen Curiale prędiū sine prędicto onere lucrabūtur, nisi forte is, cui lucro res cesserit, eiusdē ciuitatis ordini sit obstrictus, qui licet inter extraneos numeretur, vacuū tamē ea functione quod datū est cōsequetur. Nam cum personę cōdicio nō mutetur, ne rei quidem statum conuenit immutari. Lucratiuas vero res eas tantum vo-

† aliàs excesserunt

† matrimonij

† sę. cōseruetur

lumus appellari,& prædictæ descriptionis grauamen excipere, quæ hereditatis,legati,fideicommissi iure,mortis causa donatione,vel cuiuslibet postremę volũtatis arbitrio ad quempiam delabuntur: Inter viuos etiam donatio simplici liberalitate confecta lucratiuæ merebitur & nomen & sarcinam. Si vero vel socer futurus,filij,nepotis,vel pronepotis spõsæ affinitatis coëundę causa donauerit,vel parens etiam filiam,neptem,vel proneptem, Curiali, seu extraneo nubentem dotauerit,licet casus euenturus eius cui data est,vertatur ad lucrum,nec inter lucratiuas numerabitur, nec descriptionis oneri subiacebit. Nec enim iuris optimi est matrimonium, cum tot tantísque suis difficultatibus opprimatur,aduentitiis etiam cumulare ponderibus. Res vero, quæ memoratis causis lucratiuæ semel nomen exordiúmque sortita est, licet ab eo qui susceperit,ad alterum emptionis vel cuiuscunque contractus iure migrauerit, cum prædicto descriptionis grauamine proculdubio transferetur, vt vel sciens sibi imputet,qui accepit oneratam,vel si ignorauerit,quod interest consequatur. Contráque si cuiuslibet contractus exordio lucratiuæ nomen euaserit,& si postea lucri titulo in dominatum alicuius ceciderit, sarcinã memoratæ descriptionis effugiet: Nulla enim in huiusmodi causis confusionis intercedit occasio,si ad primordium tituli posterior quoque formetur euentus: Nisi forte res Decurionis,quæ ad eum cuiuslibet mercimonij iure peruenerit, ad alterum fuerit postrema eius voluntate ab intestato, vel inter viuos donatione translata. Tunc enim,quia semel in personam cecidit principalis, veterum titulorum nequaquam ratione perspecta, cõdicionem & onus merebitur lucratiuæ. Apolloni Parens Karissime AA. Illustris itaque & magnifica auctoritas tua, edictis ex more propositis, sanctionem nostræ Clementiæ, quam in perpetuum volumus obseruari, ad omnium notitiam peruenire constituat. Dat. VII. Id.Mart.Constantinopoli, Dioscoro, & Eudoxio VV. CC. COSS.

INTERPRETATIO. *Lege hac Curiales minime prohibentur testamẽtum facere, sed ita vt legitimis filiis si voluerint facultates suas integras sine imminutione aliqua derelinquãt. Ceterum si filij legitimi defuerint, quemlibet etiam extraneum à Curia scribere heredem permittantur, sed ita vt heres, qui condicionem Curiæ nullam debet, quartam hereditatis acceptæ, Curiæ sine aliqua imminutione mox refundat. Quod si is qui heres scriptus est, integram hereditatem habere voluerit, pro quara illa, quæ Curiæ deputatur, pretium quantum valuerit dare non differat. Agri, domus, vel quicquid latere non potest: communi æstimatione taxentur. De præsidio vero, aut quicquid latere potest, heres scriptus Curiæ præbeat sacramenta secundum fidem pretium soluturus. Quod si noluerint, prolatis omnibus tres partes heres, & quartam Curia vindicabit. De cautionibus vero, quæ Testatori Curiali debebãtur, simili ratione diuisis etiã quæ Testator Curialis debuisse conuincitur tres partes heres, & quartam Curia creditoribus sine dilatione dissoluat. Pactiones quæ inter heredem & Curiam de hereditatis diuisione factæ fuerint firmæ permaneant. Filij vero, nepotes & pronepotes, qui auis & proauis per virilem gradum successerint, seu scripti heredes sint, seu ab intestato succedant, siue Curiales sint, siue à Curia liberi, de hereditate sibi debita vel dimissa, quartam partem Curiæ nomine penitus non amittãt. Filia etiam Curialis, neptis, proneptis si Curiali ipsius ciuitatis in matrimonio iuncta fuerit, auo, proauo intestatis, in integra hereditate succedit. Et si testatus fuerit, & has personas relinquat heredes, quartam portionem Curiæ refundere*

fundere non coguntur. Quod si filia, neptis, aut proneptis à patre, auo, vel proauo, vel in minore ætate, vel viduæ relinquantur heredes, posteaquam ad annos pubertatis accesserint, triennio expectentur, vt si Curiali eius ciuitatis nupserint, integram hereditatem, sicut eis vel debita est, vel dimissa, sine aliqua imminutione possideant. Si vero ei nupserint qui Curiæ nihil debebat, quartam partem hereditatis à die mortis auctoris Curiæ cum fructibus sine aliqua dissimulatione restituant. Et si sine maritis voluerint perdurare, quartam similiter Curiæ cum fructibus reddant. Quod si rem relictam à parentibus tenere maluerint, sacramento præbito de quantitate hereditatis, quartam partem Curiæ in pretio mox refundant. Matri quoque vel auiæ, si tamen Curiales maritos habuerint, quartam portionem hereditatis defuncti filij vel nepotis, quæ eis acquisita est, lex ista à Curia non iubet auferri. Nam si quis Curialis quemlibet extraneum, & tamen Curialem scribat heredem, & ipse quartam, quia portio Curiæ ipsius est, non refundat, Curialis etiamsi legitimos filios non habuerit, & habuerit naturales, si voluerit eos Curiæ iungere, & heredes scribere, vel donatione in eos propriam conferre substantiam, faciendi habeat potestatem. Filia quoque naturalis, si Curiali nupta fuerit, licet ei proprias & donare & relinquere facultates, ea condicione, vt patrem matrémve, vel quibus actio de inofficioso testamento competit, nullatenus prætermittat. Sed eis legibus debitam vel donationis, vel mortis tempore, hoc est quartam portionem reseruet.

De patrimonialibus rei dominicæ & limitrophis fundis ad Orientem positis. *Tit. XII.*

1. Impp. Theodosius & Valentinianus A A. Marcellino Comiti † PF.

† s. 1.

PRope est vt beneficium accepisse credamus quotiens offertur nobis causa præstandi, & diem periisse proculdubio suspicemur quem nostri nominis munificentia non illustrat. Fruimur quippe conscientia largitatis, & benefaciendi prouincia, quæ cum Deo meritum hominis adplicitum inter imperatorias primásque virtutes obtinet principatum. Valuerit igitur in fundis patrimonialibus sitis per Asianam diœcesim, sitis per Ponticam, in diem præsentem & Consulatum XVI. nostræ clementiæ lex diuæ memoriæ Constantini, quæ ad ædes per Constantinopolitanam vrbem sacratissimam dominus exigebat. Sed nequaquam vlterius felicitas patitur ciuitatis, non suis meritis, verùm porro quæsitis compendiis æstimari: nequaquam vtriusque obsequiis elementi cótenta, suæ fortunæ desiderat incrementa subsidio prædiorum, quæ in cœlum vsque prouecta gloria nominis sui, in societatem admittere dedignatur aliena fata terrarum. Quare cùm diuinum consilium principis memorati, progressus temporis subiecerit, & legis proposito in augenda vrbe, pace superi numinis, sit satisfactum, reddet nostra maiestas gratam possessoribus nouitatem, vt † petitioni suæ ante formidinem, cui Romæ desunt penates, securus vomerem, securus falcem possessor exerceat, quod parauerit relicturus heredi. Pertinet hoc quoque profectò ad pretium ciuitatis, ad famam tanti splendoris, amantium ambitu frequentari, cessante legis imperio. Quapropter suggestione magnitudinis tuæ, victura in omne æuum lege sancimus, vt quisquis patrimoniales possidet fundos, seu prędia per

† *petitionis cessante formidine.*

diœceses memoratas, donationis, alióve titulo, firmiter in æternum veluti priuato & inconcusso iure possideat, etiam si domicilium in Constantinopolitana vrbe non habeat, ad heredum suorum, vel emptorum legitimorum, quinetiam retentatorum, si dominus quoque pacto abalienauerit, eius commodis migraturis, omni petitionis exclusa molestia, instructionis quinetiam officio cuius interest, molestia denegata. Quam si quis tractator temerario spiritu contra iussa diualia, quod non opinamur, offerre temptauerit, quinquaginta librarum auri, cum amissione militiæ, dispendio ferietur: Quatenus cuncti cognoscant firmius nos possessoribus præsenti lege donasse, quæ exceptionibus & ceteris formulis vacillabant. Marcelline frater amantissime. Inlustris igitur auctoritas tua, statuta nostræ clementiæ pro deuotione sincera, solemniter edictis propositis ad omnium noticiam faciat peruenire. Dat. VI. Id. Mai, Constantinopoli, Theodosio A. XVI. CONS.

II. Idem AA. Florentio PF. P.

Suggestionem tui culminis salutarem debita cum laude diuinus amplectitur nostræ serenitatis adsensus, per quam suggeritur prouidendum ne redituum præstatio minor videatur expensis, néve erogatio conlationis functionem excedat. Quod euenire monstratur patrimonialibus fundis ac limitrophis, nécnon etiam saltuensibus, pro libidine petitorum ad ius priuatum securitatémque translatis. Cui rei, ne vlterius adtemptetur, hac lege perpetuò valitura remedium credidimus offerendum, omnes eiusmodi post hanc legem petitionum materias inhibentes. Præcipimus itaque nulli iam in posterum licere patrimoniales, seu limitrophos vel saltuenses fundos, qui per tractum Orientis positi sunt, ad ius transferre priuatum, siue dempto, siue saluo canone, iuris immutatio postuletur: legis temeratores quinquaginta librarum auri pœna cohercentes, tam videlicet petitorem, quàm Officium quod petitionem concedit admitti, licet adnotatio nostra, licet diuina pragmatica contra vetitum proferatur. Florenti P. K. AA. Itaque magnifica auctoritas tua edictis propositis, quæ sanximus ad omnium notitiam perferri præcipiat. Data VI. Id. Iun. Constantinopoli, Theodosio A. XVII. & Festo COSS.

III. Idem AA. Cyro PF. P.

In omnibus quidem rebus publicam conuenit vtilitatem priuatis commodis anteponi, sed tum pręcipuè cùm saluti pariter prouincialium, ac imperij nostri felicitati consuletur: vnde singulorum quoque fortunis ac securitatibus prospici non habetur incertum. Quoniam igitur per consultissimam tuæ sublimitatis suggestionem comperimus Armeniæ tractum in ipso penè limitis aditu Persarum constitutum, pridem regalium fundorum copiis ac præsidiis munitum, in præsenti Persicis eruptionibus expositum fuisse, eo quod eosdem fundos & maximè Theodosiopolitanæ & Satalenæ ciuitati contiguos vel propinquantes, quorumdam petitio diuersis retro temporibus in propria iura, mutato pristino nomine, transtulerit, hac in perpetuum victura lege censuimus statuendum, vt vniuersi qui nostram in his munificētiā meruerunt, sub ea condicione possessiones habere donatas concedātur, si cūctar', & pastacas, & parauerdos, & species, necnō & coëmptiones secūdū pristinā cōsuetudinē dispositione tuæ magnificæ sedis iniūgēdas, & alia vniuersa fisci

fisci calculis solemniter sine mora dependant & agnoscant, aut resistente cura vtilitate communi publicæ possessioni cuncti prædia refundant, sub ea * scilicet obseruatione, cùm nulli deinceps eosdem fundos liceat insidiosis & derogantibus Reipublicæ precibus emereri, aut ad sua compendia, despectis Reipublicæ vtilitatibus, transferre: centum pondo auri pœnæ nomine, tam his qui preces offerre temptauerint, quàm scriniariis, vel aliis quorum interest, si supplicationes oblatæ, aut si fuerint instructæ, feriendis. Cyre P. K. AA. Sublimis igitur & magnifica auctoritas tua hanc saluberrimam legem edictis ex more propositis in omnium noticiam faciat peruenire. Data VI. Kal. Iul. Constantinopoli C *

De bonis fabricensium. *Tit.* XIII.

I. Impp. Theodosius & Valentinianus A A. Aureliano * Conf. PB.

Fabricensium corpus subuenit necessitas cura bellorum, quo immortalitatis genere Principum scita custodit, ne deficiente principio successus generes haberentur. hoc enim armat, hoc nostrum ornat exercitum. Hinc iure prouisum est artibus eos propriis inseruire, vt exhausti laboribus immoriantur cum subole professioni cui nati sunt. Denique quod ab vno committitur totius delinquitur periculo numeri, vt constricti nominationibus suis sociorum actibus quandam speculam gerant, & vnius damnum ad omnium transeat dispendium. Vniuersi itaque velut in corpore vniformi visus decoctionis, si ita res tulerit, respondere * coguntur, vt viri illustris atque magnifici Magistri officiorum suggestio nostræ clementiæ patefecit. Quæ cum ita sint, præsenti sanctione perpetuò valitura ergo si timore decernimus, vt quisquis fabricensium sine liberis, vel le- * gitimo herede decesserit non condito testamento, eius bona cuiuscunque summæ sint ad eos nutu nostræ mansuetudinis pertinere, qui velut creatores decedentium adtinentur, qui fisco pro intercepto respondere coguntur. Hoc enim pacto contigit, vt & Reipublicæ ratio salua permaneat, & fabricenses collegarum suorum solaciis perfruantur, qui damnis ac detrimentis tenentur obnoxij: omni in posterum ab eorum facultatibus, ab eorum patrimoniis petitione cessante. Aureliane P. K. A A. Inlustris igitur auctoritas tua post hanc legem, nullius petitionem admittat, vel instructionem fieri patiatur super bonis fabricensis defuncti. Quòd si vlla processit instructio, non sacra adnotatio, non diuina pragmatica habeat locum contra generalem nostri nominis sanctionem. Quinquaginta etenim auri librarum officium palatinum fisci viribus inferre cogetur, si postquam susceperit huiusmodi diuinum oraculum vel instructionem dare temptauerit. Dat. prid. Non. Nouemb. Constantinopoli ipso A. XVI. & Fausto V. C. COSS.

De amota militantibus fori præscriptione. *Tit.* XIIII.

I. Impp. Theodosius & Valentinianus Florentio PF. P.

Iuratur in militiæ sacramenta vt necessitates publicæ procurentur: sed suggestione culminis tui comperimus quosdam ideo tantùm sortiri militiam, vt alienorum prædiorum idonei possint fieri conductores. Quod nisi nominis nostri fuerit auctoritate correctum,

in contumeliam aulæ diuinæ proficiet, si hisdem priuilegiis muniantur qui in priuatis negotiis occupantur, quibus iure militiæ seruientes obsequiorum præmiis gloriantur. Quare præsenti lege sancimus omnes omnino domesticos Agentes in rebus,& quæcunque alia prætéditur militiæ dignitas sub Moderatoribus prouinciarum functionibus publicis respondere, nulla fori præscriptione valitura, si hac qui exiguntur debita publica vti temptauerint. immo & in aliis priuatis actionibus occupatos malumus respondere qui per prouincias † sociantur, vel conductorum vocabulis defenduntur, siue domorum diuinarum, siue virorum potentium, seu cuiuslibet condicionis sint conductores: nisi forte commeatum ad rem propriam componendam vnius anni inducias ostenderint accepisse. Florenti P.K.AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua, quæ prouisionum titulis & commodis publicis illustratur, nouerit præsenti lege nostram clementiam statuisse, omnes conductores, omnes qui per prouincias sociantur, vel suis vacant compendiis, sine beneficio (vt dictum est) commeatus, suis aduersariis agentibus respondere, ne sub prætextu militiæ priuatum seu publicum debitum deseratur: eadem forma seruata in his etiam qui in mercandum, & militandi diualia beneficia meruerunt. Scita sanè nostræ perennitatis edictis ex more propositis ad omnium notitiam tua magnificentia faciat peruenire. Dat. XIIII. Kal. Mai, Constantinopoli, Theodosio A. XVIII. CONS.

† negotiatur

II. Idem AA. Cyro PF.P.

Omnes odiosæ sunt fraudes, & hæ maximè quæ legibus fiunt, quæ contra commoditatem publicam exquiruntur. His itaque legum conuenit auctoritatem obponi. Fori præscriptiones noxia quidam interpretatione suis assertionibus aptare festinát, qui cinguli prærogatiua iudiciarias excludere posse cognitiones existimant, nescientes veteres quoque leges specialiter eiusmodi præscriptionibus,& contractus,& negotia gesta,& delicta subtrahere, nec pati aliquem qui quid in quolibet prouincia criminosè commiserit, vel qui alicubi contraxerit, vel qui in quodam loco negotia gesserit aliena, memorata se posse præscriptione defendere. Sed tua celsitudo per suggestionem edocuit quosdam eorum etiam qui ad Curiam vocantur, quíve cohortalibus deberi dicuntur officiis, vel qui debitis publicis obligantur, quíve superexactionum vel concussionum criminibus inuoluuntur, intantum audaciæ processisse, vt sub specie militiæ, excelsæ tuæ quoque sedis iudicio præscriberent. Ideo diuinis sensibus callida memoratorum resecantes incœpta, hac perpetua lege sancimus, excelsæ quidem tuę sedis neminem, sub specie fori præscriptionis, in quolibet negotio declinare posse sententias: sed ne prouincialibus quoque iudiciis posse fori præscriptionem opponere eos qui ad Curiam vocantur, vel cohortalibus deberi dicuntur officiis, vel eos qui debitis publicis obligantur, eósve qui superexactiones, vel concussiones perpetrasse firmantur, quíve criminosè quid arguuntur in prouincia commisisse, quíve cõtraxisse, vel alienum dicuntur gessisse negotium in ea prouincia in qua conueniuntur, hac salubertima lege decernimus: licet talis officij videatur apparitor, quod specialiter apud suos tantùm Iudices respondere de nostri nominis impetrauit clementia. Quod si quis contra tam saluberrimam legem pertinaciter voluerit, impetratis sibimet vel suo corpori scitis vti cœlestibus, sciat tam

tam tua sublimitas, quàm Moderatores prouinciarum aduersus eum tãquam in contumacem sententiam proferendam. Cyre P. K. AA. Inlustris itaque & magnifica auctoritas tua legem hanc edictis ex more propositis, ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XI. Kal. Octob. Constantinopoli, Valentiniano A. V. & Anatolio † A. COSS.

† V. C.

III. Idem AA. Cyro PF. P.

Nos quidem cum maiestate Consulum, qua res Romana paulatim & totus vrbana hisdem scimus etiam adquisita seruari. Quis dubitat suis commodis veteres Reipublicæ commoda præferentes, mundi finibus fines imposuisse Romanos? Sic nos in legibus maximè promulgandis non quid fortè quibusdam separatim, sed quid vniuersis in commune prodest, diuinis sensibus põderamus, sed nonnunquam ea quæ saluberrimè promulgantur, interpellatione quidam non recta deformare contendunt. Nuper † Turiis ciuitatibus, ipsis etiam prouinciis consulentes, cauimus lege perpetua, non debere passim cinguli prærogatiua, vel inlustrissimæ Præfecturæ, vel Rectorum prouinciarum declinari sententias. hanc etiam legem de nostris militibus quosdam comperimus dicere promulgatam. Ne itaque malè interpretandi scita nostra quibusdam detur occasio, sciat sublimitas tua de scholaribus nostris, Comitibus etiam ac Tribunis militaribus consuetudinem obseruari velle nos hactenus obseruatam: de ceteris verò militibus armatis, vel de Tribunis qui numeros agunt, prorsus legem nuper promulgatam non loqui certissimum est. Cyre P. K. AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua, legem perpetuò valituram edictis propositis, ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. IIII. Kal. Ian. Constantinopoli, Valentiniano & Anatolio COSS.

† Curiis ciuitatum.

IIII. Idem AA. Ariouindo Magistro militum.

Quæ de fori præscriptione nuper saluberrima lege decreuimus, ipsius legis definitionibus demonstratur. sed suggestione tuæ sublimitatis ammoniti, quosdam etiam de apparitionibus magisteriæ potestatis excipi postulante, ad eam quoque partem ordinandam diuina moderatione peruenimus. Itaque neque pulsantes ab aduersariis suis, vel in amplissimæ præfecturę iudicio, vel prouinciis, ad præscribendum sufficiat apparitorem se dicere magisteriæ potestatis, exceptis quos obsequiis Magistri militum deputatos, ad alia iudicia, inconsulto suo Iudice, trahi non liceat. Per singula officia virorum inlustrium Magistrorum militum, trecentos excipi lege pridem promulgata decreuimus, quos nec in prouincialibus, nec in Prætorianæ, vel Vrbicanæ Præfecturæ iudicio, sine permissu viri magnifici Magistri militum, litigare conueniet: ceteros omnes qui super prædictum sunt numerum, quasi nec militantes, & apud inlustrissimas præfecturas, & apud † Vecariis Rectores prouinciarum, de quolibet negotio pulsari, & conueniri, & respondere, sine cinguli præscriptione decernimus. Probari autem apparitores magisterię potestatis, neque Curiales, neque cohortales, neque censibus volumus adscriptos. Quò autem sit certum qui trecentorum numero continentur, in sententiis vel pręceptis quæ apparitoribus magisteriæ potestatis exsequenda mandantur, vel in commeatibus, si fortè quis eorum ad sua reuerti voluerit, commeatui virum magnificum Magistrum militum subnotare sancimus, de numero trecentorum eum esse cui præcepta vel sententiæ mandatæ sunt exsequendę, vel

† VV. CC.

cui ad sua per commeatum reuerti concessum est. Si quis igitur conuentus ex sententia tuæ excelsæ sedis, vel vrbicariæ Præfecturæ, vel moderatoris prouinciæ, apparitorem se magisteriæ potestatis dicat, nec Magistri militum talem subscriptionem protulerit, fori eiusmodi præscriptionem in eius personam cessare decernimus. Quod si qualem diximus Magistri militum subscriptionem protulerit, siquidem ille est cui neque à curia, neque à cohortali officio de statu moueatur controuersia, nec tributa, nec functiones debere firmatur, statim dimittendus est, vt pote fori alterius litigator. Quod si ab eo proferatur sæpedicta subscriptio qui à curia, vel officio cohortali de statu patitur cõtrouersiam, vel ab eo qui vt tributa, vel functiones debens in prouincia detinetur, de eius persona & ad virum magnificum Magistrum militum, cuius se apparitorem dicet, & inlustrissimam Præfecturam referri decernimus vt si intra quatuor menses non fuerit à Magistro militum causa Rectori prouinciæ delegata, tunc ex sententia culminis tui negotium vel in tuo iudicio, vel apud Rectorem prouinciæ peroretur. Quod si apud inlustrem atque magnificam sedem tuam postulatio contra talem fuerit deposita, ab ea quoque sede ad virum magnificum Magistrum militum iudicantem, causam ordine legum determinari censemus. Sed & eo casu quo apparitor magisteriæ potestatis de statu supradicto in prouincia patitur controuersiam, si sententia vel interlocutio Rectoris prouinciæ fuerit appellatione suspensa, similiter vtroque amplissimo Iudice cognoscente, causæ iubemus merita ponderari, licet Magister militum Rectori prouinciæ causam delegauerit perorandam. In cognitionibus cum autem futuris, omnes ex iure venientes assertiones partibus inlibatas * seruari sancimus. Ariouindc Par. K. AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua legem hãc edictis propositis ad omnium noticiam perferri præcipiat. Dat. Prid. Non. Mart. Constantinopoli, Cyro v.c. CONS.

Eodem exemplo Aspari viro inlustri Comiti, Exmagistro militum & Exconsuli bis ordinario.

De nauibus vltra duorum millium modiorum capacitatem non excusandis. *Tit. XV.*

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Florentio PF. P.

Semina ferendis legibus fragilitas humani generis subministrat: repetitio verò legum nostræ est humanitatis indicium. Siquidem cùm priorum aculei aduersus temeratores earum sufficerent corrigendos, ammoneri tamen per legis repetitionem delinquentes volumus, quam pœnam exigi delictorum. Ideo calcatam legem quæ de nauigiis non excusandis olim fuerat promulgata, suggestione tuæ sublimitatis edocti, humanis sensibus saluberrima repetere scita compellimur, ac iubemus nullam nauem vltra duorum millium modiorum capacitatem ante fœlicem embolam, vel publicarum specierum transuectionem, aut priuilegio dignitatis, aut religionis intuitu, aut prærogatiua personę, publicis vtilitatibus excusari posse subtractam: nec si cœleste contra proferatur oraculum, siue adnotatio, siue sit diuina pragmatica, prouidentissimæ legis regulas obpugnare debet. Quod etiam in omnibus causis cupimus obseruari, vt generaliter si quid

quid huiuſmodi contra ius, contráve vtilitatem publicam quolibet negotio proferatur, non valeat, cùm haud dubiè ſubreptionem arguat precatoris. Sed ne præſentis iuris videatur impunita contentio, quicquid in fraudem iſtius legis quolibet modo fuerit adtemptatum, in nauigij quod excuſatur publicatione corrigimus. Florenti P. K. AA. Inluſtris igitur & magnifica auctoritas tua, legem perpetuò valituram ad omnium notitiam propoſitis edictis perferri præcipiat. Dat. VII. Idus April. Conſtantinopoli, Theodoſio A. XVII. CONS.

De poſtulando & perpetuenda aduocatione. Tit. XVI.

I. Impp. Theodoſius & Valentinianus AA. Florentio PF. P. Orientis.

PRouidentiſſimè ſuggeſtis lege ſaluberrima ſubuenimus. Eneruaſſe curias vel prouinciarum officia effuſam ampliſſimæ præfecturæ iudicio poſtulandi cupiditatem inlecebris immunitatis accenſam tui culminis ſuggeſtione comperimus. Diſpoſitiones quoque ſublimitatis tuæ in hoc quoque ſecuti negotio, perpetuò lege valitura decernimus, Curiales qui poſt ſexaginta quatuor priores aduocatos contra licitum in ampliſſimo foro poſtulandi ſibimet vſurpauere licentiam per ſubſtitutum munia ſuæ ciuitatis agnoſcere, nullóque ſacrarum Conſtitutionum quæ de aduocatis latæ ſunt, beneficio frui, niſi ad fiſci noſtri peruenerint patronatum. Cum verò aduocationem fiſci ſuſceperint, omnibus aliis * perſeuerantur ſubſtituto curiam non fraudantis vlterius neque curiali, neque cohortali aduocatorum Præfecturæ conſortio ſociamus. Sed quò numerus, vt ſuggeritur, infinitus eorum qui poſt centum quoque & quinquaginta paſſim matriculis continentur, quadam valeat prouiſione deminui, nullum ad aduocationem fori culminis tui poſt hos qui iam matriculis continentur, iubemus accedere, niſi ad centum numerus aduocatorum peruenerit. Hunc etenim numerum, vtpote ſufficientem litibus ampliſſimæ præfecturæ, nec minui volumus, nec augeri concedimus. Sed ne dura illis qui ſupra numerum veniunt conſtitutum longi temporis expectatio videatur, liberam eis ad alia, ſi voluerint, fora migrandi tribuimus facultatem, nulla à minoribus iudiciis præſcriptione pellendis. Supereſt non ſolum fugiendi prouincias aduocatis neceſſitatem extinguere, ſed etiam amplectendi eas atque in vocationis earum officio perſeuerandi miniſtrare materiam: quod ita credimus euenturum ſi ipſis quoque aduocationis præmium ſecuritas proponatur, ſi factiones eorum non timeant contra quos clientibus ſuis fideliter adfuerunt, ſi officio ampliſſimarum poteſtatum ſuas non viderint ſubiacere fortunas. Quamobrem nihil aduocatis prouinciarum vel ſpectabilium Iudicũ quis exiſtimet iniungendum, nulla eis inſpectio, nulla ingeratur peræquatio, nulla operis extructio, nulla diſcuſſio, nullum ratiocinium imponatur, nihil denique aliud eis mandetur * illud præter arbitrium in ea duntaxat prouincia vbi aduocationis exerce-

tur officium: quinquaginta librarum auri pœna Officio feriendo quod legis istius regulas temerare temptauerit. Florenti V. K. A A. Inlustris itaque & magnifica auctoritas tua saluberrimam legem edictis propositis ad omnium notitiam peruenire præcipiat, quo præter aduocatos virorum inlustrium Præfectorum, quos ad finem aduocationis specialium priuilegiorum fructus proposita etiam palma dignitatis hortatur, sciant alij lege priore sublata postulandi sibi licentiam datam nullo tempore præscribendam. Dat. XIII. Kal. MaI, Constantinopoli, Conf. suprascribt.

De repudiis. *Tit.* XVII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.

CONsensu licita matrimonia posse contrahi, contracta non nisi misso repudio dissolui præcipimus. Solutionem enim matrimonij difficiliorem debere esse fauor imperat liberorũ. Sed in repudio culpáque diuortij perquirenda, durum est veterũ legum moderamen excedere. Ideóque Constitutionibus abrogatis quę nunc maritum, nunc mulierem matrimonio soluto præcipiunt pœnis grauissimis coherceri, hac Constitutione repudia, culpas, culparũ cohercitiones ad veteres leges responsáque prudentium reuocari censemus, Florenti Parens Karissime atque amátissime. Inlustris itaque & magnifica auctoritas tua quæ prouidentissime constituta sunt, edictis propositis publicare præcipiat. Dat. VI. Id. Iul. Constp. Theod. A. XVII. & Festo V. C. C O S S.

De lenonibus. *Tit.* XVIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Cyro & Alyppio PF. P. PM.

FIdem de exemplis præsentibus mereantur historiæ, & omni de ambiguitate liberetur antiquitas quæ nobis summos viros prætulisse Rempublicam facultatibus indicauit. Virum inlustrem Florentium præfecturæ Pretorianæ administratione subfultum cernamus, non iam cum maiorum laudibus, sed cum suis magnis in Rempublicam meritis præclari animi æmula virtute certantem, existimationem Reipublicæ non solum consilio suo ac prouidẽtia, sed etiam deuotione ac munificentia pudendæ turpitudinis labe atque ignominia liberasse. Nam cum lenonum calliditate damnabili circumuentam veterum videret incuriam, vt sub cuiusdam lustralis præstationis obtentu corrumpendi pudoris liceret exercere commercium, & iniuriam sui ipsam quodammodo ignaram cohibere Rempublicam, pio circa omnium verecundiam proposito mãsuetudinis nostræ more pudicitiæque suggessit ad iniuriã nostrorum temporum pertinere, si aut lenones in hac liceret vrbe versari, aut eorum turpissimo quęstu ærariũ videretur augeri. Ac licet nos illud aduerteret execrari etiam cessante vicaria oblatione vectigalis, tamen ne vllum ad ærarium incommodum perueniret propriam possessionẽ obtulit, ex cuius reditibus possit accedere quod prædictum pessimum genus consueuerat pensitare. Vnde prouidentiam & munificentiam eius libenter amplexi, hac mansura in æuum lege sancimus, vt si quis posthac mancipia tam aliena quàm propria aut ingenua corpora qualibet taxatione cõducta prostituere sacrilegij temeritate tẽptauerit, in libertatẽ prius miserrimis mãcipiis vindicatis, vel ingenuis personis cõductione impia liberatis, grauissimè verberat⁹ hui⁹ vrbis finib⁹ in qua vetitũ nefas crediderit exercendum

cendum, ad exemplum omnium emendationémque pellatur. Cyre P. K. AA. Inlustris igitur auctoritas tua, ea quæ tuendæ honestatis decreuimus gratia, veneratione debita iubeat custodiri, officio amplitudinis tuæ viginti librarum auri pœnam, si præcepta nostra neglexerit, luituro. Dat. VIII. Id. Decemb. Constantinopoli, Theodosio A. XVII. & Festo v.c. coss.

De inuasoribus. *Tit. XVIIII.*

I. Theod. & Valent. AA. Pierio PF. V.

SI Diualium sanctionum nulla peruasorem pœna percelleret, nostris proculdubio remediis esset temeritas persequenda, ne alieni iuris vsurpator præsumptionis suæ fructu impunè potiatur, cùm ea quæ disceptationis examinatione decursa posset recuperare legibus, poscenti festino cupiditatis ardore peruaserit. Mouet siquidem serenitatem nostram viri inlustris Auxiliaris tam iusta quàm vindicanda conquestio, cuius querelis & subiectorum series fidem tribuit, & magna assertio virtutis multis perennitati nostræ administrationibus comprobata, qui se domus suæ possessione intra vrbem venerabilem positæ nullius litis actione pulsatum per inlustrem virum Apollodorum patefecit esse depulsum, absentiæ videlicet suæ occasione captata, dum si qua precatio fuisset in causa non paruis temporibus Romæ in eadem domo consistens à memorato inlustri viro actione proposita potuerit conueniri: quando hoc quod in prædicto viro inlustri non perspicimus obseruatum, possessorum prætermissa conuentio est, quando dominij *sunt denunciata litigia, & de cognitò potius negotio expectata sententia: vt quæ patrimoniorum potest esse securitas si totiens insidietur inuasor, quotiens possessores esse contingit absentes? Verùm quia inlicitis ausibus videmus quæ sunt pro possessorum quiete salubriter constituta calcari, & frequenter pro multorum negotiis specialis querela commouit omnibus profutura decerni, meritò præcedentia inclitorum Principum Parentúmque nostrorum statuta renouamus. Idcirco mansura in æuum lege sancimus vt quisquis inconuento domino, non expectata vel aduersus præsentem vel in contumacem definitiua sententia, possessorem de prædio rustico vrbanóque depulerit, possessione protinus restituta, causæ totius, sicut dudum constitutum est, amissione multatus, æstimationem rei occupatæ mox cogatur inferre: hoc etiam coniuncto, vt si Iudex in huiusmodi negotiis hanc putauerit sanctionis nostræ dissimulandam ac non in exsecutionem mittendam esse sententiam quæ de inferenda æstimatione prolata est, iustitia statutam taxationem, cum fuerit, accepto successore, priuatus exsoluat. In præsenti verò causa viro inlustri Auxiliari domum restitui iubemus inuasam, omni, si qua viro inlustri Apollodoro competere potuerat, actione consumpta, qui quod legibus debuerat postulari, inconuento possessore peruasit: quem vlterius prosequi lites causásque non patimur earum rerum quas aliis posidentibus non debuit comparare, quique debet in acceptum referre quod ei æstimationem rei de qua agitur nostræ pietatis humanitate concedimus, quæ potuit multiplicium legum securitate deposci. Eas verò mulieres quas aut vendendo litigium, aut inuasioni participando * temeritatem constat negotium non habere, ne qua instaurandi litigij quæratur oc-

casio, omni actione priuamus: non præiudicantibus contractibus, si quos occupatores fortasse cum quibuscunque personis de eadem domo in præiudicium domini inire voluerunt, quoniam res peruasa in alium transferri iure non potuit. Restituturum quoque sancimus quæcunque de rebus eius illo expulsionis tempore à quocunque peruasa sunt. Neque enim ita remittimus vltionem, vt diripi aut occultari aliena patiamur. Pieri P. K. AA. Quare inlustris magnificentia tua in traditionem ædium peruasarum Marcianum Agentem in rebus, vel Officium suum iubebit parere decretis, nec vllam saluberrimis præceptionibus nostris tarditatem sub impedimento cuiuscunque personæ patiatur afferri. Vt verò ea quæ pro possessorum omnium quiete sancimus in omnium possint notitiam peruenire, hanc legem nostram amplitudo tua propositis vulgabit edictis. Dat. v. Id. Ian. Rau. Valentiniano A. & Anatolio v.c. COSS.

II. Idem AA. Auxentio PF.V.

Habet hoc insitũ sollicita æquitatis examinatio, habet secũdarũ cogitationum subtilior exactiórque cura, vt siquid in legibus ferendis post impetum primum deliberatio properata deliquerit, hoc consilio propensiore reuocetur. Permittit enim consuetudo ipsa rerum, adstipulantur innumera vetustatis exempla multas leges à suis latoribus adempta aut addita parte posse corrigi, multas tractatu maturiore penitus abrogari. Quod nunc de abolenda Constitutione decernimus, quam non ante multos menses ad preces inlustris viri Auxiliaris promulgaueramus moti ingesta nobis peruasionis inuidia. Sed quia obsecratio viri inlustris Apollodori nuper attentiores ad æstimandam iustitiam fecit, ob hoc tractatis omnibus & plena æstimatione discussis, propter illa præcipuè quæ negotij modum de quo tunc actum est, supergressa fuerant, & immeritò personas mulierum pariter inligauerãt, suprà memoratam legem præsentis edicti auctoritate remouemus. Auxenti Parens Karissime AA. Vnde inlustris magnificentia tua hanc qua præcepti superioris vacuatur incautior definitio, programmatis lectione euulgabit, vt agnosci ab omnibus possit, his quæ in illa displicent abolitis, id quod solum de vetustate repetitum probabile videtur, priscarum tantum legum definitione seruandum. Dat. VI. Kal. Feb. Rau. Post Consulatum Valentiniani A.

De reddito iure armorum. Tit. XX.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Populum.

QVotiens publica poscit vtilitas vniuersitatis solicitudinem ducimus aduocandam, vt omnibus profutura impleantur ab omnibus: nec molestum esse id prouincialibus nostris credimus quod pro ipsorum salute disponitur, vt resistendi prædonibus cura subeatur. Gensericus hostis Imperij nostri haud paruam classem de Karthaginensi portu nunciatus est eduxisse, cuius repentinus excursus & fortuita deprædatio cunctis est litoribus formidanda. Et quamuis clemẽtiæ nostræ solicitudo per diuersa loca pręsidia disponat, atque inuictissimi principis Theodosij patris nostri iam propinquet exercitus, & excellentissimum virum Patricium nostrum Aëtium cum magna manu adfore mox credamus, cúmque vir

vir inlustrissimus Magister militum Sigisundus tam militum atque fœderatorum tuitionem vrbibus ac litoribus non desinet ordinare, tamen quia sub æstiua nauigandi opportunitate satis incertum est ad quam oram terræ possint naues hostium peruenire, singulos vniuersósque nostros monemus edicto, vt Romani roboris confidentia ex animo quo debent propria defensare, cum suis aduersus hostes si vis exegerit, salua disciplina publica, seruatáque ingenuitatis modestia, quibus potuerint vtantur armis, nostrásque prouincias ac fortunas proprias fideli conspiratione & iuncto vmbone tueantur: hac videlicet spe laboris proposita, vt suum fore non ambigat quicquid hosti victor abstulerit. Et manu diuina, Proponatur amantissimo nostro populo Romano. & ad latus. Dat. VIII. Kal. Iul. Romæ, Valentiniano & Anatolio V.C. COSS.

Neque domum diuinam neque Ecclesiam aut aliquam personam quolibet publico munere excusandam. *Tit.* XXI.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Maximo II. PF.P.

CVm publicè priuatímque in omnibus rebus ac negotiis iustitiam conseruari oportet, tum præcipuè in his tenenda est, quæ vectigalium neruos substinent, quæ adtenuatis deuotorum viribus vti equitatum succurrunt. Quod plurimi respuunt qui domesticis tantùm compendiis obsequentes, bonum commune destituunt, quo vera ac solida vtilitas continetur, melius planè ad singulos perueniens cùm proficeret vniuersis, maximè exigente hac tributorum necessitate, sine quibus nihil in pace aut bello curari potest. Neque vltra valebit perpetuitas eorum manere, paucis atque defessis imposita sarcina quam potior detrectat, locupletior recusat, & validiore † rei cedente solus agnoscit infirmior. Hanc itaque iniquitatem corrigentes primo capite huius sanctionis decernimus, vt omnes quicunque ex iure domus Regiæ, vel pietate mea, vel à qualibet persona sacrarum necessitudinum mearum prædia adepti sunt, siue fructuaria largitate, seu donatione directa, seu commutationis vel emptionis ratione quæsita, parem cum ceteris possessoribus subeant functionem: in hac sorte numerandis his quoque qui retento sibi vsufructu proprietatem iuris sui venerabilium pignorum meorum, vel pietatis meæ domui contulerunt: quos omnes ea condicione tributa volumus agnoscere, vt nihil sibi ex aurariis vel superindictitiis titulis vindicent, quos ad similitudinem domus nostræ qualibet sacri præcepti impetrauerunt sanctione. Secundo gradu huius legis cauemus, vt quicunque census inlustrium dignitatum, siue Ecclesiasticus, vel in vrbe sanctissima, vel in quibuslibet prouinciis ad exemplum domus nostræ quocúque pręcepto diuersam sibi ab aliis ipsius census quem soluere videbatur, condicionem fecerat, priuilegij exceptione sustineant, nec in arcalibus tantùm titulis, sed & his quos sacri vel priuati ærarij partibus deputauit vetustas, ita demũ difficultati expensarum exactioníque inopũ diuinam moderationem secuti, gemina salutaris constituti remedia porrigamus. Nunc iam non dissimile superioribus, immo cuius vtilitas penè latius patet, hac

† recedente

edictali lege complectimur sine vlla honorum, personarum, priuilegiorum distinctione generaliter sancientes, vt itinerum reparatio aliaque munia huiusmodi certante studio, quo cùm facilius tum firmius impleatur. Hęc enim superioris ætatis Principes & Diuorum parentum nostrorum liberalitas inlustribus titulis redundantes opulentię seculi, minore aliorum possessorum pernicie conferebant. Quod quamuis & tunc iniustum, tamen inter initia leuius videbatur. Sub difficultate autem præsentis temporis non modo rei ipsius natura iniquum, sed impossibile paucis ac tenuioribus constat, qui multiplicato suæ alienóque functionis onere depressi procumbent penitus, nisi aliquando idoneorum societate respirent. An fortè contumeliosum putãdum est inuentum contra rationem nomẽ munerum sordidorum, quo instauratio militarium virorum, quo armorum fabricatio, quo murorum refectio, quo apparatus annonæ, quo reliqua opera per quæ ad splendorem distinctionis publicæ peruenitur, praua appellatione cẽsentur, sine quibus nullus maximarum rerum procedit euentus, quorum amminiculo statum pariter & decus tuemur Imperij, ac, ne singula prosequamur, sine quibus nihil necessarij operis effici potest? Quare repetita clementiæ nostræ præceptione sancimus, vt antiquatis omnibus priuilegiis quæ vel dignitatibus delata fuerunt, vel diuersæ militiæ collegia meruerunt, aut nomine venerandæ religionis obtentum est, omnis vbique census qui non personarum est sed agrorum, ad vniuersa munia à nona duntaxat indictione vt suprà deffiniuimus, absque vlla discretione cogatur † in quarta parte. Quò quisque honorarior aut opulentior est, eò alacriorem publicis necessitatibus animum debet, quarum sibi procurationem magis intelligit profuturam. Maxime P. K. AA. Inlustris igitur & præcelsa magnitudo tua hanc legem consuetæ sibi prouisionis vigore in omnium prouinciarum populorúmque notitiam perferre, & celeriter vniuersos diu expectati remedij salubritate iubebit potiri, vt sero saltim difficultati rerum deuotio locupletum pariter ac pauperum iustis æquata partibus libentius obsecundet. Dat. x. Kal. Mart. Rauennæ. Accepta Prid. Idus Mart. Vbi sup post Consulatum. Valentiniano A. V. & Anatolio COSS.

† in qua parte quo quisque

De pecunia Afris credita & de fideiussoribus eorum. *Tit.* XXII.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Albino II. PF. P.

SI adflictis Afrorum fortunis, qui omnes facultates suas super acerbissima supplicia amittere sunt coacti, decet miserationem publicam quocunque potest humanitatis genere vel singulis vel in commune consulere, quanto dignius est infortunia eorum cõtra molestias improbas creditorum clementiæ nostræ remediis subleuari? Quos enim constat pericula famis aliter non posse depellere, nisi ope aliena auxilióque recreentur, quàm magnæ acerbitatis putandum est hos ipsos inopes omnium rerum, & precario victu egẽtes, cõpelli ad iniuriam restituere ea quæ inprouiso cladis impetu vis maior abstraxit, † vbique inter omnium spolia vindicabit? Et certè solet etiã salua re prodesse debitoribus si quid his calamitatis acciderit. Hic verò vbi omniũ fortunarũ diluuium, vbi etiã, quod per ignoran-

† sibique

ignorantiam dominorum latere potuit, intollerabilis inquisitionum cruciatus extorsit, quisquam dubitare poterit quin inhumanitatem superet hostilem, si quis quod integris & florentibus dederat, nunc ab spoliatis, egentibus & extorribus patriæ recuperare conetur, nec eos vereatur exigere quos erubescendum est non iuuare? Albine P. K. AA. Ob hoc inlustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri secuta præceptum, sciat miseriarum circa Afros intuitu clementiam nostram statuisse, vt nulli nomine cyrograforum creditæ pecuniæ, siue fideiussorum vsque ad recuperationem rerum suarum quolibet pulsante teneantur: pro quibus neque fideiussores neque mandatores eorum quolibet genere obligatos inquietari volumus, qui plerunque à creditoribus nomine debitorum conueniri pro arbitrij sui interpretatione consuerunt. Quæ forma circa eos debitores seruabitur quos cum patria omnia sua amisisse constiterit, hoc est, exceptis qui alibi locupletes atque idonei non debent vti excusatione miserorum. De his quoque quæ intra prouinciam gesta sunt, in qua liberum modò non est sub quolibet causarum vel litium titulo solitum ius à quoquam conuentionis exigere, amissis aut relictis ibidem necessariis instructionibus nemo pulsabitur, nisi fortè alia euidenter adprobatione doceatur. Quod obseruari volumus, sicut dictum est, vsque ad illud tempus quo qualibet ratione atque euentu patriæ vel propriorum recuperatio optata contigerit. Illud etiam pari iustitiæ ratione seruandum est, ne creditæ pecuniæ cuiuslibet temporis à personis quarum suprà infortunia expressa sunt, vsuræ penitus postulentur, cùm abundare debeat creditoribus, si † postremum integrationem ad sortem potuerint peruenire. Quæ vt inuiolata seruentur multa decem librarum auri dispendio ferietur quisquis contra statuta nominis nostri quæ circa Afros moti ærumnis protulimus, venire temptauerit. Quā rem & his ipsis rationabilem videri posse credimus æquitatis tramitem stimulis cupiditatis animum deprauantibus vel nolunt tenere vel nesciunt. Data XIIII. Kal. Nouemb. Maximo II. & Paterio v. c. coss.

† post redinteg.

De tributis fiscalibus, & de sacro auditorio & de cæteris negotiis. Tit. XXIII.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P.

NVmidarum & Maurorū Sitifensium nuper acta legatio, quam Palladius v. c. Comes & Tribunus & Maximianus vir laudabilis probabiliter exsecuti sunt, huius legis præceptum de nostra perennitate promeruit. Proinde quia æquum est ægris prouincialibus & publica clade vexatis humanitatis nostræ beneficiis superueniri, hūc tributi modum ab his magnitudo tua sperandum esse cognoscat, vt retractis septem partibus, octauam tam priuatæ quàm emphiteuticæ glebæ possessor agnoscat: Pro qua octaua omnibus titulis ad vnum redactis quos possessor vel ciuis quolibet nomine præstare consueuerant, quatuor millia ducentos tantum solidos & mille ducentas militares annonas & ducentum capitum Numida prouincialis exsoluat, aut prædia domus diuinæ quæ à perpetuariis detinentur simili modo octauam partem inferant etiam argentariæ functionis. De colone verò statuimus vt quinque centisimis due rusi caniēses & coluane ciuitatibus tres sacris largitionabilibus inferantur, de salinis, alumine,

* charactere, herba rubea, lini maceratura & claui vitrei tantum titul, à sacris largitionalibus pro numero hominum & possibilitate poscantur, ob hoc actu vel cura Curialibus penitus remotis, quintam omnibus quæ iugis etiam domus pietatis nostræ vel necessitudinum nostrarum recedit superfunditur cũctis possessoribus sit promissa summa quæ ad arcam defendentes impleatur. Quæ omnis exactio per prouinciale procuretur officium à Curialibus submota molestia. Has autem militares annonas cùm prouinciales pro longinqua difficultate itineris in adæratione persoluerint, vnius annonæ adæratio quatuor per annum solidis æstimetur. Ne verò necessitatis occasione in expeditione milite constituto carioris cuiquam vendere liceat pretia necessariarum rerum, sub hoc modo quo annonam adæramus, iubemus † ferri, id est tritici ad singulos solidos Italicos modia quadraginta, & * carnes pondus CCLXX. vini sextaria Italicos ducentos. Mauri verò Sitifenses seruatis omnibus priuilegiis dudum sibi à retro Principibus indultis pro omnibus titulis totius annonæ nomine quinque millia solidorum & quinquaginta capitum in annonis Ducis consueto tempore annua functione dependant, pro octaua portione soluturi quod tributum erit, exceptis prędiis diuinę domus, quæ tamen exemplo Numidiæ prouinciæ conlatura sunt possessiones. Desideriis verò quæ probabiliter insinuata sunt auribus nostris singillatim respõsa præstamus, ne cuiquam passim titulos in prædiis propriis vel alienis, vel pietatis nostræ nomine, vel sacrarum necessitudinum nostrarum, vel cuiuslibet alterius fas sit adfigere. Itaque & si qui post recuperationem prouinciarum impositi reperiantur, ilico à possessore prædij deponantur, eósque hęc pœna teneat, vt si qui suo fundo adposuerit titulos, quinque libras auri fisco nostro cogatur inferre: si alieno, amisso secundum petitionem quæcunque ei competit, decem libras auri qui fuerit titulos adposuisse conuictus, exsoluat. Interest etiam publicæ commoditatis ne vexatæ prouincię ambitione extraordinaria subruantur. Ad has itaque prouincias præter Ducem vel Consularem & Pręsidem (qui vetustatis priuilegio ordinariorum Iudicum nomen obtinent) nec curiosos litorum nec quenquam sub alicuius actionis occasione illuc dirigi sublimitas tua aspirare patiatur. Ne quis verò de hac ipsa * veritate colonorum clericus vel militię priuilegio se existimet excusandum, superioris legis quæ hoc inhibet formam præcipies custodiri. Pręterea Constantiniensis ciuitatis plebi vel Curialibus concessa dudum priuilegia debere seruari, ita vt aquam ciuitatibus deputatam ad priuatos vsus non liceat vsurpari. Loca quoque publica si sine legitimo præcepto ab aliquo tenentur, pristino iuri oportere restitui. Aduocatis verò intra Africam manentibus non debere imputari ad annorum numerum tempora incursibus interrupta Barbaricis: quæ tamen cùm expleuerint clarissimatus honore potiantur. Illud etiam permoti iustis allegationibus libenter adnuimus, vt quia publico infortunio ad paucos redactus est ordinum numerus, in municipalium confectione gestorum sit firmitas, si apud tres Curiales publico fuerint exceptore præscripta. Cautiones quæ expensarum nomine viri Octauiano emissæ sunt cognitis proces nostros causis earum, iusta ratione vacuamus. Quicunque etiam intra prouincias Africanas ad ius nostrum pertinẽtes, à cuiuslibet Iudicis sententia prouocauerint (quoniam

† farris

(quoniam decreti antiquitus cognitoris cessat officium) inlustri vrbis Præfecti examine ex appellatione se nouerint iurgatutos. Sed quia transmarinæ regionis sunt, inducias temporis annum debere præstari. Illud etiam iustitiam petitionis secuti salubriter ordinamus, vt quoniam † politaris opera tūc maximè necessaria est si in limite cōstituta Barbarorum discursibus opportunè semper occurrat, euagandi ex domini locis licentia denegetur: ne tamen hi quibus in Mediterraneo familia est atque possessio à domiciliis propriis penitus excludantur, per annum huiusmodi limitibus vnius mensis inducias debere concedi. Erit etiam solicitudinis Ducis prouinciæ ne cuiquam ad occasionem vexandarum prouinciarum armatos habere liceat, nisi fortè his qui sub periculo proprio laudabili animositate contra hostem manus suas viresque promiserint pro vtilitate communi, quorum animositatem † mite regendam esse censuimus, vt quicquid de præda hostium conquisierint sibi habeant, exceptis hominibus quos se prouinciales docuerint perdidisse. Iudicibus verò administratione perfunctis ante exactos tres menses discedendi de prouincia licentia denegetur: ita vt coram positus bene actæ rei fruatur laudibus, aut certè, si direptionis alicuius docebitur cōscius, discessus celeritate se nō subtrahat. Albine P. K. AA. Inlustris & præcelsa magnificētia tua ad vtriusque prouinciæ legationem beneficia præsentis legis propositis vulgabit edictis, vt releuati concessa cognoscant, Iudices statuta custodiant, prohibiti interdicta non ambiant. Emissa. Dat. XI. Kal. Iul. Romæ. Valentiniano A. VI. & Numo V. C. COSS.

† militaris

† ita augēdam

De Episcoporum ordinatione. *Tit. XXIIII.*

1. Impp. Theod. & Valentinianus AA. † Actio vir. Inlust. Comiti & Magist. vtriusque militiæ, & Patritio.

† Aetio

CErtum est & nobis & imperio nostro vnicum esse præsidium in supernæ diuinitatis fauore, ad quem promerendū pręcipuè Christiana fides & veneranda nobis religio suffragatur. Cùm igitur sedis Apostolicæ Primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumptio adtemptare nitatur. tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorem suum agnoscat vniuersitas. Hæc cùm hactenus inuiolabiliter fuerint custodita, Hilarius Arelatēsis, sicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ fideli relatione comperimus, contumaci ausu inlicita quædam pręsumenda temptauit, & ideo transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens maximè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesiæ Romanæ vrbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate vsurpans inuasit. Nam alios incompetenter remouet, indecenter alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit. Qui quidem quoniam non facile ab his qui non elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & ad sedem quietis, pacem pędicaturus per bella ducebat. His talibus & contra imperij maiestatem & contra reuerentiam Apostolicæ sedis admissis, per

ordinẽ religiosi viri vrbis Papæ cognitione discussis certa in eum, ex his quos malè ordinauerat lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, nec vlterius vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Antistitis liceat obuiare. Ausibus enim talibus fides & reuerentia nostri violatur imperij. nec hoc solum quod est maximi criminis, submouemus. Verùm ne leuis saltim inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perẽni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternę auctoritate temptare. Sed illis omnibúsque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas, ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiusdem prouinciæ adesse cogatur, per omnia seruatis, quæ diui parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Æti P. K. A. Vnde inlustris & præclara magnificentia tua præsentis edictalis legis auctoritate faciet quæ sunt superiùs statuta seruari, decem librarum auri multa protinus exigenda ab vnoquoque Iudice, qui passus fuerit præcepta nostra violari. Et manu diuina, Diuinitas te seruet per multos annos Parens Karissime. Dat. VIII. Id. Iun. Romæ Valentiniano A. VI. CONS.

De pretio solidi, & ne quis solidum integrum recuset. Tit. XXV.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Edictum ad Populum vrbis Romæ.

FRequens ad nos, Quirites, temerari ausus querela peruenit, vt in Parentum nostrorum contumeliam, insigniti solidi eorum nominibus, ab omni emptore recusentur: quod diu impunitum esse non patimur. Hoc ergo edicto agnoscat vniuersitas, capitale manere supplicium si quisquam vel domini patris mei Theodosij, vel sacrarum necessitudinum nostrarum, vel superiorum Principum solidum aureum integri ponderis refutandum esse crediderit, vel pretio minori taxauerit. Vir autem inluster Præfectus vrbis eiúsque officium decem librarum auri dispendio subiacebit, si quemquam contra hoc statutum venisse fuerit adprobatum. Quo præcepto etiam illud in perpetuum volumus contineri, ne vnquam intra septem millia nummorum solidus distrahatur, emptus à collectario septem millibus ducentis. Æquabilitas enim pretij & commodum venditoris & omnium rerum venalium statuta custodiet. De ponderibus quoque vt fraus penitus amputetur à nobis agútur exagia, quæ sub interminatione superius comprehensa sine fraude debeant custodiri. Et manu diuina, Proponatur amantissimo nostri populo Romano. & ad latus, Data XV. Kalend. Febr. Romæ, Valentiniano V. A. CONS.

De corporatis vrbis Romæ qui ad militiam vel ad clericatum transeunt, reuocandis. Tit. XXVI.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Auxentio PF. V. II.

QVæcunque vtilitatem sacratissimæ vrbis respiciunt, oportet Clementiam nostram salubriter ordinare. Prouidentiam itaque amplitudinis tuæ & geminis fascibus comprobatam suggestionem secuti, Auxenti P. K. AA. Inlustris magnificentia tua pragmatici nostri tenore conperto sciat corporatum vrbis Romæ qui non expleto ordine cœpti officij priusquam ad primum † iter fauos ad locum emeritus peruenerit, ad militiæ cuiuslibet cingulum se credidit transferendum, corporibus cui nomen suum antè dicauerat, oportere reuocari: siue etiam in clericorum numero reperitur vsque ad diaconis locum similis præcepti condicio teneatur, quatenus necessitatibus vrbis venerabilis hoc salubri cōstituto restitutis ministeriis consulatur. Dat. XVIII. Kalend. MaI, Romæ Valentiniano A. VI. & Numo V. C. COSS.

† inter suos

De negotiatoribus. Tit. XXVII.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Floriano.

INter cetera queis perennitatis nostræ mansurum sæculis ordinamus Imperium, hoc quoque & ærarij nostri commoda tueri posse salubri suggestione probamus, quod maiestatis nostræ sancimus oraculo, ne vlterius furtiua negotiatio & claris vrbibus rarum faciat mercatorem, & obscuris ac reconditis locis in damnum publicæ functionis lateat turba mercantū. Floriane P. K. AA. Idcirco inlustris auctoritas tua pragmatici nostri tenore comperto sciat iuxta suggestionem suam, omnes qui declinatis vrbibus per vicos portúsque quamplures possessionésque diuersas exercent negotiationis officium, pro ærarij nostri commoditate retinendos, secūdum modum quem iustitia suaserit aurariam functionem cogantur agnoscere: grauis multæ cōdemnatione proposita his qui huiusmodi negotiatores in fiscale dispendium putauerint contuendos. Æquum enim est eum qui præceptis nostris crediderit obuiandum facultatum suarum subire discrimen. Dat. VII. Kal. MaI, Romę, Calipio V. C. CONS.

De rescindendis venditionibus rei dominicæ. Tit. XXVIII.

1. Impp. Theod. & Valentinianus AA. Eudoxio Com. R. P.

AMorem circa Rempublicam sublimitatis tuæ suggestio nuper oblata testatur. Quippe si obseruatione diligēti fuerit custodita, reditus nostros inhibet à diminutione perpetua. Occupationibus etenim nostris quibus pro mundi commoditatibus occupamur, abuti quorumdam noxia cupiditas non sinit, qui paulatim canonem possessionum ad diuinam nostri nominis domum pertinentium comparantes, sub specie contractus furtiua subreptione patrimonium nostrum exhauriunt. Hac itaque perpetuò lege valitura sancimus, nullum adempto canone ad comparationem Dominicæ possessionis accedere. Quòd si quis post hanc legem ad interdictum contractum accesserit, eum volumus † præper-

† pretium perdere,

dere, fundos reddere, fructus redhibere perpetuos, nec expensarum vel melioratæ rei fructuum exactioni compensationem obponere, nec temporis sibimet contra commoda præscriptione blandiri. Palatinum etiam officium si quo modo contractus eiusmodi fuerit celebratus, vel si talem petitionem instruxerit, quinquaginta pondo auri pœnæ nomine inferre priuato nostræ maiestatis ærario, nulla liberalitate nostræ clementiæ, nulla sanctione contra tanta priuatæ rei commoda valitura, licet adnotatio vel diuina pragmatica sit, quæ contra vetita canonem vendi cōcedet, vel pœnam Palatino remittet officio. Eudoxi P.K.A. Inlustris itaque auctoritas tua legem hanc edictis propositis ad omnium notitiam perferri præcipiat. Dat. XIII. Kal. Iun. Constantinopoli, Anatolio V.C. CONS.

De scolaribus, Comitibus scolarum & de domesticis eorum. *Titulus* XXVIIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Florent. Magistro Officior.

SColarium nostrorum deuotio probata nostris parentibus, circa nostrę maximè serenitatis affectionem innituit. Inde quicquid ad fouenda seruādáve eorum priuilegia postulatur, statim credimus admittendum. Inde suggestionem tui culminis adprobantes, v.v.s.s. Comitibus scolarum verberādi regradandíve Senatores ac ducenarios licentiam denegamus. Ea namque quæ tali commotione digna sunt, ad tuæ sublimitatis volumus deferri notitiam. Domesticos etiam eorum à gradibus lege preterita designatis, fieri non Senatores vel ducenarios centenariósve decernimus. Quam super his obseruādis pœnam circa temeratores statutorum præmissa tua statuit celsitudo, vt quinque librarum auri qui de gradibus supradictis ad indebitum domesticatus accedit officium, decem librarum auri scrinium Barbarorum, si tale quid vel adtemptari passum fuerit vel adtemptatum contra legem nō suggesserit, quinque etiam librarum auri v.s. Com. scolæ si quid aduersum hanc legem vel commiserit, vel committi cōcesserit, percellatur, firmam per istius quoque legis auctoritatem esse præcipimus: eum, qui contra vetitum ad domesticatum quoquomodo temptauerit adspirare, post quinque librarum auri condemnationem, militia quoque pelli non immeritò decernentes. Illud etiam obseruari non sine ratione cōueniet, ne quis cui domestici officium per militiæ gradum quinquennij tempus interdici cēsuimus, familiaritate Comitis simulata, rem prohibitam alieno nomine valeat vsurpare. Florenti P.K. AA. Inlustris itaque auctoritas tua legem hanc perpetuò valituram ad deuotissimorum scolarium notitiam perferri præcipiat. Dat. XV. Kal. Mai, Constantinopoli † V.C. CONS.

† Cyr

De locis Reipublicæ quoquomodo possessis, ciuitatibus restituendis. *Tit.* XXX.

1. Impp. Theod. & Valentin. AA. Apollonio PF. P.

CVm summo studio totísque viribus nitamur ciuitates ditioni nostræ subiectas in perpetua fœlicitate versari, nihil tam iniquum esse neque à nostris temporibus dissentiens arbitramur, quàm si eas aduentitiis quidem subsidiis adiuuari vellemus, propriis verò facultatibus nudari

dari spoliarique patiamur. Quapropter cùm † vocati causa per Heracleotantẽ ciuitatem transitum faceremus, petitionibus ciuium eiusdem maxima sumus cum miseratione commoniti, qui tam murorum suorum quàm aquæductus nec non etiam aliorum operum publicorum, vt pote longo tempore neglectorum, curam fieri oportere nostris prouisionibus flagitarunt. Et quoniam sæpe ab vna ciuitate vel homine postulatum remedium, generalem solet formam correctionis adferre, horum desideriis annuẽtes, liberalitatem nostram ad omnes prouincias ducimus propagandam. Tunc enim maximè vota proficiunt cùm statui Reipublicæ, quæ causa votorum est, consulatur. Omnibus itaque consiliis diu nostro animo volutatis, nullam salubriorem causam reuocandæ pristinæ beatitudinis inuenimus, quàm si prædia tam vrbana quàm rustica, nec non etiam tabernæ quæ ad ius ciuile pertinent, & à quibusdam quolibet modo intra triginta annos abhinc verò numerandos, detentæ sunt, vniuersis ciuitatibus adsignentur: exceptis videlicet tantùm his quæ vel à Procuratore diuinæ domus, vel à viro inlustri Comite † reperta iussu nostræ clementiæ, vel communi consensu ciuitatum cum scripturæ interpositione distractę sunt. Nemo igitur quodcunque memorati iuris, prẹter ciuitates quas sui iuris volumus opibus frui, sibi deinceps existimet possidendum, ne propositum nostræ pietatis offendat, quod diuinitus nobis in mentem venisse confidimus, & credimus quidem nostris prẹceptionibus deuulgatis neminem tam incautum esse, vt dispositionibus nostris obuiam ducat esse veniendum. Verùm quia nulla penè res adeò tuta atque inuiolata est contra quam hominum naturalis auiditas † nonnunquam aliquid existimet moliendum, totius rei perfectionem amplitudini tuę, cuius prouisionem amorémque circa Reipublicę commoda ipsis rerum documentis sępe sumus experti, vnà cum viro inlustri Magistro Officiorũ, cuius administratio probatissima nobis est, delegamus. Appoloni P.K.A. Inlustris itaque auctoritas tua certo scitura quòd tam nobis hęc causa huiúsque rei efficacitas cordi est, vt omnibus eam penè aliis pręponamus, quę per hanc diuinam legem sancimus, ad omnium prouinciarum notitiam edictorum propositione peruenire constituat, quatenus summa cum celeritate modísque omnibus impleatur. Dat. 14. Kalend. Iul. Frodosiadæ Maximo II. & Paterio v v. c c. coss.

† voti causa per Heracleonem.

† R. F.

† non vnquam.

De ambitu & locis limitaneis inibi redhibendis. Tit. XXXI.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Numio Magistro Offic.

CVm nulla penè res adeò parua sit, quæ non plurimum prouisionis de nostra clementia consequatur, præcipuam militibus curam impertiendam esse censemus, quibus maximè communitur vniuersa respublica. Hæc enim vna res diligentissimè procurata multarum nos rerum sollicitudine relaxabit, nec singulis cogemur adhibere medicinam, si generali remedio cuncta sanemus. In primis itaque Duces limitum & præcipuè quibus gentes, quæ maximè cauendæ sunt, adpropinquant, iudicio nostræ clementiæ prouehi volumus, quorum integritatem, fortitudinem, vigilantiam, prolata rerum documenta commendant, capitali pœna videlicet ambitus libidine restinguenda. Eos

igitur quos nostra æstimatio sicut iam dictum est promouendos esse censuerit, in ipsis plerunque limitibus commorari, & milites ad antiquum redigere numerum, INminentibus magisteriis potestatibus diuturnísque eorum exercitationibus inhærere præcipimus: castrorum, quinetiam ipsis luxuriarúmque pro antiqua dispositione curam refectionémque mandamus, quibus cum principe castrorúmque præpositis pro laborum vicissitudine limitanei tantum militis duodecimam annonarum partem, distribuendam videlicet inter eos magisteriæ potestatis arbitrio deputamus. De Saracenorum verò fœderatorum aliarúmque gentium annonariis alimentis nullam penitus eos decerpendi aliquid vel auferendi licentiam habere concedimus. Sciát planè, quod si quid amplius quàm eis ex nostra auctoritate statutum est, audeant vsurpare, vtpote super exactæ pecuniæ violatores & ipsi facultatibus suis & tui culminis dispositione limitibus adsignandis pœnam gladij sustinebunt: & qui tanti flagitij, vel potius proditionis publicæ ministros participésve ediderint, pari supplicio subiacebunt, nullum effugium nec sacra adnotatione, nec lege pragmatica diuinísve mandatis, nullam spem salutis habituri. Viros autem inlustres Magistros militum priorem integritatem suæ administrationis imitaturos in posterum quoque ab omni limitaneorum militum ac fœderatarum gentium concussione temperaturos, suáque officia prohibituros esse confidimus. Quod si quid huiusmodi fuerit perpetratum, apparitiones, quæ his obsequuntur quadrupli solutionem agnoscere hisdem limitibus imperamus. Idem ipsis quoque viris eminentissimis magistris militum amicum esse non dubium est, qui semper omnia sua compendia pro salute Reipublicæ contempserunt. Quis enim dubitat eos communem statum suis opibus prælaturos, qui defensione strenua bellicísque conflictibus imperium nostrum suo sæpe sanguini prætulerunt: vniuersis videlicet, qui hoc nefandum atque inlicitum facinus perpetrare temptauerint, adeo tam sacræ adnotationis quàm legis pragmaticæ, mandatorúmque nostrum subsidio, etsi aliqua forsitan obreptione meruerint, excludendis: vt neque intimatio licet admissa fuerit, penitus prosit, & Duces seu Magistros militum, vel cuiuslibet Iudicis, qui insinuationi annuerit officium, cum centenarum librarum auri damnatione vlterius * quam summam ad eorumdem limitum refectionem volumus, proficere. Agros etiam limitaneos vniuersos cum paludibus, omníque iure, quos ex prisca dispositione limitanei milites ab omni munere vacuos ipsi curare pro suo compendio atque arare consueuerant: & si in præsenti coluntur, ab his firmiter ac sine vllo concussionis grauamine detineri: & si ab aliis possidentur, cuiuslibet spatij temporis præscriptione cessante ab vniuersis detentatoribus vindicatos, hisdem militibus sine vllo prorsus, sicut antiquitus statutum est, collationis onere volumus adsignari. In his etiam contra eos qui præceptionibus nostris obuiam venire temptauerint, eadèm pœnarum acerbitate, quæ aduersus Ducum auiditatem prolata est, valitura. Nam si quis fortè, quod minimè audere debuerat, emptionis titulo memorati iuris possidet prædia, competens ei actio aduersus venditorem intacta seruabitur. Id autem curæ perpetuæ tui culminis credidimus iniungendum, vt tam Trachi quàm Illyrici nec non etiam Orientalis

Orientalis ac Pontici limitis, Ægyptiaci insuper, Thebaici, Lybici quemadmodum se militum numerus habet, castrorúmque ac lusuriarum cura procedat quotannis mense Ianuario in sacro Consistorio significare nobis propria suggestione procures, vt vniuscuiusque tam industria quàm desidia nostris auribus intimata, & strenui digna præmia consequantur, & in dissimulatores competens indignatio proferatur. Credimus namque quòd re militari ad eum modum quem disposuimus obseruata, quocumque terrarum se hostis mouere temptauerit, victoria nobis propitia secundi numinis voluntate nuntiabitur, antequàm prælium. Nume frater A. Inlustris igitur auctoritas tua, cuius integram fidem rebus ipsis experta est nostra perennitas, hanc generalem saluberrimámque nostræ clementiæ sanctionem obseruationi perpetuæ, effectuíque mancipari præcipiat, & edictis vbique propositis ad omnium notitiam venire perficiat. Dat. prid. Id. Septemb. Constantinop. Maximo II. & Paterio COSS.

De metatis. *Tit. XXXII.*

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Numo Magistro Offic.

CVm inter multa priuilegia quæ militaribus detulit viris antiqua prouisio, habitaculis etiam eorum certæ portionis domorum sorte prospexit: nos à quibus familiare est vniuersa negotia conpetenti temperatione disponi, suggestione tuæ magnitudinis moniti ita hospitiis militantium volumus esse consultum, vt tamen honore præditis in exactionibus ædium debita dignitati reuerentia conseruetur. Meminimus quippe nos diuina promulgatione tam Consularium virorum quàm Præfecturæ infulis ornatorum ceterorúmque inlustrium, nec non etiam silentiariorum certas domos in hac sacratissima vrbe sitas metatorum prębendorum onere liberasse: cui nunc addi oportere censemus, vt his Cõsularibus qui auspiciis etiam patriciatus exultant, ternarum domorum excusationis licentia concedatur. In heredibus etiam eorum quibus excusationis ius datum est, inmunitatis ædium priuilegio pro tenore sacratissimæ Constitutionis quæ super hac re loquitur, firmiter valituro. Sed ne liberalitate nostra laxius quàm oporteat propagata, vel hospitalis commoditas militantibus abnegetur, vel nihil emolumenti referatur in publicum, id inprimis statuendum esse censemus, vt si quis vel ius excusandarum ædium non habens, vel licet, in pluribus tamen domibus quàm ex sacratissima Constitutione Cõcessum est beneficium excusationis ratione † res sit immunis, seu sacro oraculo, seu quocumque modo vel iam consecutus est, vel consequetur in posterum, tertiæ partis domus, super quem oportuit numerum, excusatæ pensionem arbitrio tui culminis in rationes publicas conferre cogetur, vt aurum ex huiusmodi titulo profligatum pro iussu nostri numinis cura tuæ sublimitatis, quo visum nobis fuerit, erogetur. Idque in omnibus huius almæ vrbis domibus custodiri decernimus: ceteris videlicet omnibus, qui metata in suis domibus præstant, siue hospitia præbuerint, metatoribus, seu quolibet pacto satis eis fecerint, nullam vel pensionis vel discussionis domus gratia molestiam sustinere cogendis. Deinde neminem volumus cuiuslibet loci vel ordinis in hac florentissima vrbe domum propriam excusantem,

† al. restitit immunis

metatum sibi in alienis domibus priuilegio militiæ vindicare. Et his quidem quibus iam præbendi metati immunitatem inlustris fauor dignitatis indulsit, licet vacantis militię cingulo vsi sint vel vtantur, vel honorariæ pręrogatiuæ potiantur insignibus, inuiolata, vt cautum est, excusationis iura largimur. In posterum verò hi quidem quibus inlustrem dignitatem ius actæ administrationis adtribuit, domos suas pro modo quem sacratissima Constitutio præfiniendum censuit, excusabunt: ceteris verò quibus inlustris dignitas cum cingulo vel citra cingulum pro solo honore delata est, excusandarum ædium licentiam penitus denegamus. Hoc iuris in his etiam præcipimus obseruari, quos ipsa quidem administrationis condicio spectabiles nouit, honor tamē additus à nostra liberalitate reddit inlustres: excepto videlicet viro spectabili primicerio notariorum, cui volumus in excusandis ædibus inlustrium magistratuum priuilegium conuenire. Sed & si quis iam inlustrem dignitatem inter vacantes vel honorarios consecutus, domum postea in hac sacratissima ciuitate possederit, hunc quoque iubemus esse priuilegiorum excusatione alienum. Scituris omnibus, quod si quis cum cingulo perfruatur, & excusationem ita propriæ domus impetrauerit, vt à pensione etiam portionis tertiæ sit immunis, & militiæ causa metatum in alienis domibus sibi crediderit vindicandum, siquidem honore pręditus excusationis ius habeat, carebit legum priuilegiis, quas fraudare conatus est. Si verò inter eos, quibus nulla suffragatur dignitas, numeretur, cētenarum librarum auri sacratissimis largitionibus pendendarum inlatione multabitur, NUME FR. A. Inlustris itaque auctoritas tua quæ per hanc diuinam legem duximus sancienda, solemniter ad omnium notitiam peruenire constituat. Dat. XVII. Kalend. Febr. Constantinop. Theod. A. CONS.

De releuatis, adæratis vel donatis possessionibus. Tit. XXXIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Hermocrati PF. P.

PErfecta est ac plena liberalitas, quam pręsens munificentia communit: túncque maximè vnusquisque tuto se confidit habere quod meruit, si quod singulis specialiter indultum est, generali prouisione firmetur. Cùm itaque multorum possessiones meminerimus nostro beneficio aliquatenus tributorum munere subleuatas, eísque postea certam concessæ quantitatis partem, quia id necessitas flagitabat, indictam, vt quod liberalitati nostræ derogatum est non pœnitentię potius videatur fuisse quàm temporis, summam quæ iam ex descriptione inlata est profligatione contentionis in posterum ab huiusmodi exactionis inquietudine liberamus: vt & præteriti temporis pro subleuatis prędiis reliquorum exactio concedatur, & in posterum nulla talis descriptio formidetur. Hoc enim necessariò nobis hac generali sanctione fuerat promulgandum, cùm multo sit onerosius simul & in aggere coaceruatam soluere quātitatē quàm particulatim reddere quod debetur. Hęc tamen liberalitas nostra nihil dispositionis amplissimæ recordationis Antiochi, quæ certam quantitatē ante se releuatis possessionibus nomine canonis indixit, imminuit. Id enim quod iam in canonem cecidit, & anniuersaria debet pensitatione persolui, nec in prętęritum, nec in posterum patimur esse concessum: nullíque deinceps copia

pia

pia relinquitur inspectores sibi specialiter expetendi, nisi secundum sanctionem nostram quæ ad viri inlustris & Consularis FlorentI suggestionem emissa est, ex communi ciuitatis aut prouinciæ desiderio postuletur. Indulgentiam verò memoratæ descriptionis & in anteactum & in posterum tempus, non solùm in releuatis, verùm etiam in donatis, adæratis translatísque seu quodlibet aliud nomen nouæ descriptionis excogitatum est, volumus obseruari, nullámque super his vnquam exactionis molestiam formidari, quibus non tãtum reliqua præteriti temporis relaxamus, sed nec in posterum quicquam innouationis aut oneris addendum esse censemus. Quod & si qua innouatio post administrationem inlustris memorię Antiochi facta est, aut aliquid eis indictum esse monstratur, hoc irritum fieri, omnémque innouationem aut indictionem viribus carere decernimus. Sufficere etenim nouimus illud quod inlustris memoriæ Antiochus ante se releuatis, vel adęratis, vel donatis, vel translatis possessionibus nomine canonicę solutionis indixit: quod suam firmitatem conuenit obtinere in possessionibus videlicet quæ ante eius administrationem huiusmodi beneficium meruisse noscuntur: post eius verò administrationem, nec innouationem quandam, nec adiectionem, nec excogitationem cõtra eos, nec aliquam dispositionem prolatam firmam esse concedimus. Verùm & si quis ex auctoritate nostri numinis vel præceptis amplissimæ Præfecturæ de fundis Patrimonialibus steriles sub certi canonis pollicitatione susceperit, firmiter eum volumus possidere, vel eiusdem tantum canonis solutione quem nostrę maiestatis auctoritas, aut pręceptum magnificę tuę sedis per annos singulos soluendum esse pręscripsit, nullámque eos descriptionem, aut adiectionem, aut innouationem in posterum sustinere: quoniam nimis absurdum est eos, qui nobis hortantibus aut magnifica Pręfectura, fundos inopes atque ieiunos magno labore impenso, aut exhausto patrimonio vix fortè meliorare potuerint, vtpote deceptos inopinatum onus suscipere: illud quoque velut quadã circunuentione deposci, quod si se daturos pręscissent, fundos minimè suscipere aut etiam colere paterentur. Sed vt his qui ante legem datam ex suggestione viri inlustris FlorentI possessiones suas releuarunt, magnam libertatem prospeximus, omni timore in perpetuum, sicut conuenit, absolutis: ita eos, qui post memoratæ Constitutionis tenorem suas possessiones releuare conati sunt, nihil commodi capere volumus. Quapropter sciant omnes qui tale beneficium post huiusmodi Constitutionem meruerint, infructuosum sibi hoc esse nullísque licere deinceps contra Diualia statuta, aut releuare suas possessiones, aut adærationem translationémque deposcere: quod & si subreptitiis precibus fuerit impetratum, nihil valere beneficium tale sancimus. Nouerit amplissimæ tuæ sedis officium, quod si aliquando nobis vel suggestio huic nostræ sanctioni contraria porrigatur, vel si legi sacrísve mandatis (si qua fortè citra suggestionem his piis dispositionibus aduersa manauerint) obsequatur, & aliquos tanquam debitores ex huiusmodi titulo crediderit exponendos, ducentarum librarum auri se condemnatione multandum. Omnibus enim circa res proprias amputanda tristitia est, quibus ex salute nostra vera sensimus gaudia contigisse, vt non minus commoditatibus domesticis, quàm sospi-

tate lætentur. Hermocrates Parens Kariſſime AA. Inluſtris igitur & magnifica auctoritas tua quæ per hãc ſaluberrimam legem pro multorum commoditate ſtatuimus, ſollemniter edictis vbique propoſitis ad omnium notitiam venire perficiat. Dat. III. Id. Decembr. Conſtantinopoli, Theod. A. XVIIII. & Albino V.C. COSS.

De poſtulando. *Tit. XXXIIII.*

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Fauſto PF. P.

GAudemus admodum hæc nobis amplitudinis tuæ inſinuatione ſuggeſta, quæ noſtris concordare iudiciis priuilegia dudum cauſidicis delata teſtãtur: quorum vt merita maior beneficiorum noſtrorum cumulus augeret, etiam nouis inſuper amplificamus indulgentiis. Quo enim impares honore credamus eos quorum vitam, eloquentiam per tot officij huiuſce annos non ſolùm priuatorum, verùm etiam publicorum iudiciorum explorat auctoritas? Fauſte P.K. Inluſtris & præcelſa magnificentia tua laudabilium ſuggeſtionum ſuarum contemplatione hoc à nobis in † admittendis retinentur honorandíſque cauſidicis edictali lege nouerit conſtitutum, vt in eo qui ſe cauſidicorum numero optat adiungi, inprimis ſtudia, mores, natales, vel ſi perfunctus eſt muneribus quibus patriæ ſuæ naſcendi generoſitas debet eſſe munifica, neque per calumniam neque perfunctoria examinatione quærantur. Etenim oportet eos quos ſemel adſciueris in ſeminarium dignitatum, omnino ita ad omnia eſſe ædificatos vt idcirco digni vniuerſis honoribus habeantur quòd aduocati eſſe meruerunt: quibus ad agendum viginti annos (non vt adpropinquare vicenſimum ſed vt explere fas ſit) legis huius auctoritate decernimus. In prouincialibus verò foris ſedecim aut eo amplius numero aduocati ſint, & vnum ex his qui in agendo annorum numero præſtat, ad Prætorianum forũ ſi hoc præfectura iubeat, auocari: atque omnes ſiue vtriuſque Prætorianæ, ſiue vrbanæ Præfecturæ cauſidicos expleto vicenſimo, vel ad alium vitæ curſum maturius tranſeuntes, quinto decimo aduocationis anno Vicariæ dignitatis ius poteſtatémque obtinere, ita vt in ſalutationibus noſtris, in conuentibus publicis, omnibus qui poſt ſe Vicariæ poteſtatem adepti erunt, meritò præponantur. Neque enim † perpetuandam putamus huiuſmodi dignitatem in his qui aduocatione functi ſunt † imaginaria aut vacantiua videri, cùm eam non gratiæ ſingulorum ſed ipſi ordini & profeſſioni iudicia noſtra reſtituant, quamuis tam magno, tam neceſſario & tam ſancto officio ſi ſeruetur reuerentia literarum, etiam hoc † peruium eſſe videatur, niſi illis ſaluum eſſet ſperare cum omnibus, quod optimus quiſque ac ſibi bene conſcius de noſtris iudiciis non fruſtra debet optare. Neque enim tali fine meritum profeſſionis artamus, aut futuræ ſpei intercludimus viam: quin præterita interim remuneratione vt nullus ciuilium officiorum oneribus, aut exactionibus, aut operibus publicis, ad ſuggeſtiones numeratorum vel ad præceptum ſacræ noſtræ, † huiuſmodi hominum meritum, quod ſupra memoratos annos in quolibet Prætoriano ſiue vrbano foro ſtudium probatæ defenſionis impendit, poſt diutinum laborem ſolicitetur quies, prouidebit ampliſſimæ Præfecturæ debita & iuſta

† retinẽdis

† perpetuẽdum.

† imaginariã, aut vacantiuã.

† peruum.

† inſinuis.

commotio

commotio, quæ triginta librarum auri condemnatione ab officiis prouincialibus vel suo ilico iubebit exposci, si quemquam ex his qui prædicta obseruatione causis patrocinia præstiterunt, ad huiuscemodi iniuriam suggerendum esse crediderint. His hoc etiam literatæ militiæ contemplatione pręstamus, vt si in familia fuerint constituti, quidquid quolibet titulo positi in aduocatione quæsiuerint, tanquam peculium castrense defendant, ne pręmium laboris alieni aut in alios transferat aut sibi vindicet patrum potestas. Hanc autem legem edictis amplitudinis tuæ omnibus Iudicibus ac prouinciis facias innotescere. Proposita Id. August. Romæ in Foro Traiani, Dioscoro Romæ V. C. CONS.

De confirmatione legum Nouellarum Diui Theodosij. Tit. XXXV.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P. & Patricio.

GLoriosissimus principum dominus Theodosius clemẽtiæ meæ pater leges à se post Codicem nominis sui latas nuper ad nos sicut repetitis Constitutionibus cauerat, prosequẽte sacra pręceptione direxit, Albine parens Karissime AA. Inlustris & præcelsa magnificentia tua nostrorum quoque apicum tenorem secuta perferre eas in notitiam omnium cum supradicta venerabili iussione simul missa, quæ nihil dubitationis relinquit, tam suis quàm prouincialium Iudicum decernet edictis, vt sicuti vterque orbis indiuiduis ordinationibus regitur, hisdem quoque legibus temperetur. Dat. Non. Maij, Rau. Postumiano & Zenone COSS.

De Lampadariis. Tit. XXXVI.

1. Imp. Valentin. A. Opilioni Mag. Offic.

MEritò amplitudinem tuam de statutis præcessorum tuorum contrariis inter primicerium Lampadariorum & sequentes eius habitis videmus retulisse, vt quod pro verecunda moderatione ipse non poteras, nostra seruaret decretio. Opilio FR. AA. Inlustris itaque auctoritas tua iuxta rationabilem suggestionem tuam perpendentes & breuia nimis & longiora tempora, hac edictali lege nos statuisse cognoscat, vt primicerius Lampadariorum tres annos in † priuatos administratione consistat, quatenus hoc labore perfunctos, sequentibus ad processum copia tribuatur, vt neque ille diuturnitate posterioribus onerosus existat, neque sequentes nimia expectatione languescant. De absentibus quæ amplitudinis tuæ suggestio patefecit, serenitas nostra confirmat, hoc est vt si biennium suis abfuerit, vnum ei, triennio duo, quatriennio tres meritò † propiet anteponi: si verò quinquennio, matriculis eximatur, vt † de sua pœna percellat, & sedulis obseruationis suæ compendia præmio concedantur. Dat. v. Non. Octob. Romæ, Valentiniano A. VI. & Albino.

† primatus.

† properet.
† desidia.

De principibus Agentium in rebus. Tit. XXXVII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Opilioni Magistro Offic.

LIbenter accipimus quotiens necessaria subgeruntur. Tantum enim laudis est veterum statuta seruare, quantum necessaria prouida mēte sanxisse; eadem ratio est præstare beneficia & præstita custodire. Igitur sublimitatis tuæ, quæ magnanimitate sui nostris temporibus proficere iudicat quicquid rationabili sollicitudine prouidetur, suggestionem sequentes, Agentium in rebus scholæ quorum labores, sollicitudines, vigiliæ tantæ sunt, vt soli quicquid oneris est & profiteri & efficere videantur, hac edictali lege consulimus, vt quæ vetustas pro remuneratione sui præstitit, & intercepta iam diu fuerant, consequantur, scilicet vt inconsulto Principe qui ex eadem schola ad obsequia Præfecturæ Prætorianæ post infinita discrimina & consumpta ætatis parte meliore peruenit, primores designati officij nihil vsurpent, neque Præfectianus aliquis † summæ sumat militiæ sacramenta, neque matriculis eximatur, præter eius conscientiam atque consensum: ita vt eadem matricula officij prætoriani in Principis potestate consistat, & annonis atque emolumentis, Principibus nihil per Iudicum auaritiam subtrahatur. Debent enim plurimis remediis adiuuari, quos nouimus, vt ad hoc veniant, plurima pericula sustinere, Opilio Frat. A. Inlustris itaque auctoritas tua, hæc quæ meritò constituta sunt, præcipiet pro sua æquitate seruari, vt spe certa recuperandi præmij antiquitus deputati, in necessitatibus publicis fidelius elaborent: quoniam vbi certus fructus est, illic studiosius laborare delectant: multa decem librarum auri statuta, si quis legis huius obuiauerit constitutis. Dat. III. Id. Sept. Rau. Asturio & Protogene vv. cc. COSS.

† al. sue præsumat.

De nauiculariis amnicis. Tit. XXXVIII.

1. Imp. Valent. Epitincano PF. V.

PVblicis commodis & sacratissimæ vrbis vtilitatibus amica suggestio magnitudinis tuæ, clementiam nostram more solito prouisionis admonuit, vt nauiculariorum corpori per tot detrimenta lassato, remedia præstaremus: quorum priuilegiis sufficere constituta vetera potuerunt, nisi hæc temeritas inlicitæ vsurpationis infringeret. Epitincane P. K. AA. Vnde inlustris magnitudo tua hac nostri pragmatici actione cognoscat, iuxta suggestionem suam nauicularios qui munus proprium diffugerunt, ad corpus suum cum agnatione & peculiis reducendos, omni vel coniunctionis, vel obnoxietatis, vel cuiuslibet personæ priuilegio & defensione submota: eorum qui sine heredibus obierunt substantiam quolibet alienatam titulo ab his vindicari qui memoratæ seruiunt functioni. Nauem nec facere nouam nec instaurare intra capacitatem quadraginta cuparum liceat, quo hoc munus videtur esse susceptum: priuatorum naues legitimæ capacitatis necessitatem huius functionis singulis cursibus, minores verò binis

binis solidis adiuuabunt: vt necessarium corpus saluberrimæ prouisionis auxilio subleuatum, deuotionem solitam redintegratis viribus possit agnoscere. Dat. VIII. Kal. Maij, Rom. Valentiniano A. & Auieno V.C. COSS.

De suariis, boariis & pecuariis. *Tit. XXXVIIII.*

I. Impp. Valent. & Marc. AA. Firmino PF.P. & Patricio.

NOn miramur inter bellicas curas & obstrepentes lituos ordinatione viri magnifici Parentis Patriciíque nostri Aëtij formam publicæ dispositionis in meliorem statum fuisse mutatam: cuius sollicitudini facillimum effectum præstitit amplitudinis vestræ in æternũ consulens laudanda prouisio, quæ sacræ vrbis priuilegiis, & administrantis prouidentia, & optimi ciuis adfectione subuenit, & iamiámque occidui corporis functionem ita salubri dispositione constituit, vt remotis dispendiis nunquam defectum virium deuotio seruientis incurrat: quippe cui per mutationem prouinciarum, exactionis qualitate & pretij moderata adæratione prospexit. Firmine P.K.A. Inlustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto sciat secundum saluberrimam suggestionem suam quæ ex magnifici viri Parentis Patriciíque nostri Aëtij dispositione processit, patronis corporis suariorum intuitu sacræ vrbis Romæ in primis hoc beneficium debere præstari, vt delegatio quæ his intra prouinciam Sardiniam prębebatur (de qua propter incertum nauigationis inlatio fluctuabat) ad arcam Prætorianam reducta cum aliis prouinciis sub refusione vniuersorum titulorum (qui dispersi antehac plurimum in reliquis habere probantur) de vicinis prouinciis, id est de Lucania sex milia quadrigētorum, Cãpania M.D.CCCC.L. solidorum debita emolumenta oportet decerni. De boariorum etiam vel pecuariorum præstatione noningentos quinquaginta solidos exactos sibi nouerint profuturos: centum milia æqui ponderis portione de interpretiis iuxta priora constituta præbeant, ducentena quadraginta pondo ad solidos secundum promissionem suam inlaturi, quoniam certa emolumenta amota solita dubitatione percipiunt: ita vt cētum quinquaginta diebus obsoniorum præbitionem sine vlla causatione singulis annis à se nouerint procurandam, quæ quantitas in tricies sexies cētenis viginti octo milibus libris cum duarum decimarum ratione colligitur. In ipsorum autem patronorum sit arbitrio constitutum vtrum per Prætorianum officium adiunctis ei quinque de corpore suo quos elegerint, quibus ducenariam militiam pręberi iubemus, an per suos tantummodo, ne fortè onerosi sint apparitores, idipsum munus velint exactionis impleri, non expectata deinceps Prætorianæ sedis annua delegatione quæ hactenus seruabatur: nec ante quicquam de Lucania Samnióque prouinciis arca Prætoriana deposcat, quàm suariis exigentibus debitum omne saluatur. Moderatores prouinciarum eorúmque officia sub periculo facultatum suarum diligentiam & efficaciam huic operi commodabunt, vt ea ipsa quæ prouidimus facilius impleantur. † Barnio priori corporis cum dignitate lege concessa, etiam cingulum militiæ iubemus adiungi, quo in rebus ordinandis sub priuilegio militari maior huic auctoritas suffragetur quod circa successores eius venientes per ordinem volumus custodiri: quos ad nullum aliud præterea onus conuenit reuocari, nisi huic officio vacantes à ceteris ha-

† al. Baruii.

bentur immunes. Suarios ipsos nullius apparitionis neque iniuriæ neque dispendiis subiacere, manentibus circa eos quæ superiora scita sanxerunt. Obnoxias sanè Suario, Boario & Pecuario corpori personas ad debita præcipimus cum agnatione, peculiis & prædiis onera reuocari, remotis omnibus quæ sibi contra leges præsumptio & ambitio vindicauit. In quibus exequendis memoratus † Barnius vel successores eius fidelem operam commodare debebunt, quo statutis nostris cōgruus præstetur affectus. Deuotos enim ob hoc non solum prouisione, sed etiam honore duximus adiuuandos, vt splendidiores in ministerio vrbis æternę semper inuigilent, suísque compendiis æstimét adgregari quicquid iugis procurarit inlatio. Dat. III. Kal. Iul. Romæ, Herculano v.c. CONS.

† *al. Basinus.*

De prædiis pistoriis Afris deputandis. *Tit.* XL.

1. Imp. Valentin. A. Firmino PF.P. & Patricio.

AD † auditores suos beneficia delata respiciunt, nec minus plenam gratiam meretur qui præstanda suggessit, quàm qui suggesta concedat: vnum prouidi Iudicis est, alterum munificentiæ principalis, & insinuatio beneuolentiæ titulo præstando gloriam, cumulat insinuationis affectum. Censeo igitur vt iuxta suggestionem culminis tui honoratis Afris & possessorib⁹ hostili vastatione nudatis isto remedio cōsulatur, vt quod fortunæ impressio sustulit id quātum potest largitas Augusta compenset. Dulce est remedia fessis optata largiri: & licet habeat inexhaustum dolorem atque æterna suspiria propriarum amissio facultatum, tamen quæ in tam tristi fuerint forte conlata, amissa solantur. Igitur intra Numidiam prouinciam ex desertis locis de quibus, sicut celsitudinis tuæ suggestio loquitur, nihil emolumenti agnoscet, honoratis & possessoribus quos prędiximus XIII. millia † ferre centuriarum sub quinque annorum vacatione concedimus: duo millia præterea solidorum qui ex titulo † vicinarum siliquarum, quæ per singulas centurias exiguntur, & superesse fisco † perire dicuntur, exacta per officium magnitudinis tuæ ad arcam, ad eādem summam, quemadmodum iuxta merita personarum per ordinem annis singulis diuidi debeant, pro tua moderatione decernas. Et in Sitifensi & in Cæsariensi prouincia, Mauritania & Numidia prędia iuris emphtheutici & domus diuinę quæ à Vaculis post Vandalicam vastationem fuerant competita, & à diuersis hodie possidentur, auferri ab hisdem censeo, & sub eo insitationis modo quo nunc tenentur subsignatione cessante, honoratis † Proconsulis prouinciæ Abidiacenæ potius conlocari, quos à Barbaris, sublatis patrimoniis etiam de sedibus propriis cōstat expulsos. De pistoriis autem prędiis statuo, quoniam his quos Barbaries adflixerat & ob alimoniam antè fuerant lege concessa, ad eos tantùm debeāt peruenire quos ab hostibus certum est facultates captiuitatis infortunio perdidisse, iisdem pulsis quos ad hoc beneficium indecenter constat admissos: nec liceat quemquam amplioribus quam eius loci ratio postulat remediis adiuuari. Æquum enim est vt quos perculsis grauiori sorte contulimus, iuxta singulos distributione proficiat, penes quos saluo vrbis Romę priuilegio, hęc humanitas permanebit, donec auspice Deo Africam redire contingat. Prædia obeuntium,

† *auctores.*
† *terra.*
† *vicenariū.*
† *per se.*
† *proconsularis.*

obeuntium, eiusdem scilicet iuris, ad filios eorum quibus data sunt, successionis iure perueniant, saluo tamen, vt dictum est, priuilegio vrbis æternæ: qui si defuncto fortasse non fuerint † auctoritatem Iudicis huic dari præcipio cui magis consuli iusta necessitas persuadet. maiorib. enim debent beneficiis adiuuari quos dubium non est aduersa vehementiora perpessos. Firmine P. K. AA. Itaque inlustris & præcelsa magnificẽtia tua adsignatos Prouinciales sub programmate suo faciat peruenire, vt quanta nobis * doralium cura sit præsenti lege cognoscant. Dat. III. Id. Iul. Romæ, Adelfio v.c. CONS.

† auctoritate.

De successione curialium. *Tit.* XLI.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Maximo II. PF.P.

IN augendo statu vrbium singularum, seruata catholicæ religionis veneratione, tam præcedentia veterum parentúmque nostrorum statuta renouamus, quàm nostris legibus obseruanda decernimus, ne passim imminutione municipum, cùm numerositas ex abundanti clericatus augetur, publica damna generentur. Non dubium est enim cùm non expletis muniis ad obsequium venerabilis † mysterij curialis admittitur, † relisum in paucos publicæ functionis onus nequaquam posse tolerari: & rursus migrantibus patrimoniis curialium ad personas quæ functionibus municipalibus non tenentur, propriam ciuitatis nutare substantiam. Propterea præsenti lege sancimus, vt quisquis ante huius sanctionis diem suscepit clericatus officium non expletis vrbis propriæ muniis ac muneribus, in ea quidem qua meruit religionis obseruatione perduret, sed omnia per suffectum tam personalia quam patrimonij onera cogatur agnoscere, facultates suas pro virili portione singulis filiis diuidat, sibimet simili parte seruata. Quod si filios non habuerit duas partes facultatum suarum, præter vllam alienationis fraudem, propinquis ad curiam pertinentibus tradat. Quòd si defuerint, easdem octo vncias ordini proprio proficere debere censuimus, quoniam non minor est affectio patriæ quàm parentum: tertiam sanè propriæ substantiæ seruaturus. Qui verò redditis patriæ muneribus dudum ad officium clericatus accessit, filiis, quos sibi proculdubio curia vindicat, facultatum suarum, sicut iam diximus, virilem singulis portionem tradere non moretur. Qui si filios non habuerit ea quæ superius & de patrimonij distributione talis personæ constituta sunt, obseruare cogetur. Decet enim eum qui sacrosanctis desiderat inhærere mysteriis, fide magis diuitem quam facultatibus adprobari. In futurum ad Ecclesiastica ministeria curialem suscipi præsenti lege prohibemus, vt fiscales necessitates numerositate municipum facilius impleantur. Si quis sanè ad clericatus obsequium etiam contra legum vetita, animi deuotione properauit, si propriæ non compleuerit onera ciuitatis vniuersa, per suffectum reddere compelletur: simili legis obseruatione facultates suas sicut suprà scriptum est, aut cum filiis, aut cum propinquis, aut cum patria diuisurus. Quod si expletis muniis sacrosanctæ religionis fuerit ministerio coniunctus, facultates suas viritim filiis distribuere per iudicium mox cogetur, sibimet virilem portionem inter liberos seruaturus. Qui si filios non habuerit, duas partes patrimonij sui propinquis (qui tamen curialitatis oneribus obnoxij sunt) absque vllo imminutionis commento, si-

† ministerij.
† recisum.

cut superius dictum est, sciat protinus conferenda, omnibus in medium deductis quæ post † hanc rem clericatus in fraudem legis alienanda crediderit: tertiam cui voluerit proprio dispensaturus arbitrio. Quæ nostram serenitatem temperasse humanitatis intuitu vetera legum constituta testantur, quibus omne patrimonium cedere ordini proprio curialis præceptus est, quotiens ad ministerium clericatus eligitur. Illam quoque partem dispositio nostra non præterit, vt quisquis ciuis vel incola deinceps in nullo obnoxius (cuius tamen substantia trecentorum solidorum non exuberet quátitatem) fuerit repertus, habeat adipiscendi clericatus liberam facultatem. Eum verò cuius patrimonium maiore quam definiuimus æstimatione censebitur, liceat Curiæ secũdum vetera statuta sociari: exceptis his qui sacris scriniis nostris & Agentium in rebus scholæ militant, & aliis qui continuatæ militiæ obseruatione desudãt, vt multis prouisionum generibus ordinum numerus suppleatur, nec tamen desint ministri venerandæ religionis obsequiis. Maxime P. K. AA. Inlustris & præcelsa magnificentia tua huius legis saluberrima constituta, sub edictorum promulgatione faciat in omnium notitiam peruenire, vt sacrilegij reatus inuoluat, viginti librarum auri multa percellat, quem non obedisse claruerit edictalibus Constitutis. Dat. v. Kal. April. Rauennæ, Theodosio A. XV. & Festo v. c. COSS.

† hinc rem

In damnum publicum non valere rescriptum, nec specialia beneficia generalibus præferenda. Tit. XLII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Maximo PF. P. II.

VSu rerum frequenter agnouimus specialibus beneficiis generalem deuotionem grauari recedente in reliquos tributorum sarcina, quæ singulis quibusque subducitur, Maxime P. K. AA. Et ideo inlustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri secuta decretum, sciat secundum suggestionem suam manentibus his quæ dudum de remouendis specialibus beneficiis censuimus, omnia quæ specialiter contra vetitum impetrata sunt non valere, & functionem publicam æqualiter ab omnibus oportere cognosci, vt & quod in commune statutum salubriter fuerat, perseueret, nec denuo in hæc ambitus redeat quæ iterata præceptione remouemus. Dat. VIII. Kal. Febr. Rom. Valentiniano A. V. & Anatolio v. c. COSS.

De pantapolis ad vrbem Romam reuocandis, & qui à tironum præbitione excusantur. Tit. XLIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Edictum ad Populum.

VRbis Romæ, quam meritò caput nostri veneramur Imperij, intantum nos cura non deserit vt quieti eius atque abundantiæ modis omnibus consulamus. Græcos itaque negotiatores (quos Pantapolas dicunt) in quibus manifestum est maximam inesse multitudinem magnámque in emendis vendendísque mercibus diligentiá, vlterius non patimur sacræ vrbis habitatione secludi, licet eos dissensio & maximè

maximè inuidia tabernariorum quàm venerabilis Romæ vtilitas à negotiatione submouerit. Idcirco hoc edicto singuli vniuersique cognoscat Pantapolis ad vrbem Romam redeundi negotiandíque licentiam restitutam, vt cura peruigili vbertas populo ministretur, & in rebus suspectis à maiore multitudine ciuitas possit habitari, ita vt si quis statuta pretia non seruauerit, in eum pro qualitate facti vindicta procedat, nec ob vnius aut alterius delictum omne corpus liceat excludi. Ita enim cura multorum nec abundantiæ deerit, & profutura ciuitati augebitur multitudo. Ex illa sanè parte totam solicitudinem omnémque formidinem vestris animis censuimus auferendam, vt huius edicti serie cognoscat vniuersitas, nullum de Romanis ciuibus, nullum de corporatis ad militiam esse cogendum, sed tantùm ad murorum portarúmque custodiam, quotiens vsus exegerit, inlustris viri vrbis Præfecti dispositionibus ab omnibus obsequendum. Cuius ordinatio etiam in muris, turribus, & portis quæ sunt labefactata restituat, ita vt reparatione murorum vel omnium quæ suprà dicta sunt nullus penitus excusetur. Illud quoque pro tuendo statu venerandæ vrbis decernimus, vt à conlatione tironum & ab exsoluendis septem solidis per millenas nuper indictis cespes Formonsis, Aetrinsis, Calcarius & Victurarius habeatur immunis, vt propitius deuotionem solitæ functionis agnoscant. Dat. VI. Non. Mart. Romæ, Valentiniano A. V. & Anatolio V. C. COSS.

De tironibus & occultatoribus desertorum. *Tit. XLIIII.*

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Sigisualdo Comiti & Magistro vtriusque militiæ.

FRequentari sæpius constituta temeritas plectenda compellit, vt excusabilis culpa sit, quam etiam recens prohibitio non emendat. Nulli enim concedi fas est si totiens vetita nunc quoque seuerius interdicta temptauerit. Reparandi feliciter exercitus cura, conferri debere tirones à possessore censuimus. Ne qui tamen damni publici abusus occasione lucrum capere se credat de fiscali dispendio, si personam semel insignitam militari titulo ruris colendi causa, vel negotiationis exercendæ gratia, aut cuiuslibet ministerij occasione detinet, P. K. A. Idcirco inlustris & præcelsa magnificentia tua hac nos sciat edictali lege iussisse, quisquis de tironibus aliquem, necnon prioris militiæ virum proprios numeros & signa deserentem, rustico vrbanóve prædio crediderit occultandum, & ipsum restituat quem celauit, & tres alios aptos militiæ pœnæ nomine cogatur inferre. Colónus, conductor actórve loci si id ætatis sit vt stipendia ferre possit, militię protenus adgregetur. Quòd si nesciente domino desertor in cuiuslibet ædibus latuerit, colonũ, conductorem, actorem, vel qui id scierit capitali supplicio esse feriendos. Verũtamẽ ne occasioné calumniis dedisse videamur, si tẽporaliter habitandi causa miles vel tiro cuiuslibet prędiũ fortè successerit, id seruata moderatione sancimus, vt in tricẽsimũ diem postquam in eodẽ loco esse ceperit, correptũ, is quẽ superior legis pœna cõstringit ad ciuitatẽ quamque proximã deducat, officio publico ac primoribus ciuitatis tradat sub confectione gestorũ, ad prouinciæ Moderatorem protenus

perducendum, vt eius cura ad signa propria reducatur, & pœnis competentibus subiugetur. Iudicem sanè si conhibentiam in his exsequendis negligentiámque præstiterit, decem libras auri, eiúsque officium similem quantitatem pœnæ nomine fisco iubemus exsoluere. Quam legem nequis se ignoraſſe confingat per omnes prouinciarum ciuitates edictis solemnibus diuulgabis. Dat. XIII. Kal. April. Romæ, Valentiniano A. V. & Anatolio v.c. COSS.

II. Idem AA. Quadratiano PF.P.

Dispositionem cunctis salubriter profuturam certatim debet omnium præuenire deuotio. Quid enim magis professis est desideriis expetendum quàm vt adiectis viribus, per dilectum roboris militaris Romanus augeatur exercitus? Quadratiane P. K. A. Vnde inlustris magnificentia tua pragmatici prioris tenore quod de dilecto nouo agitando datum est, Senatores vel vniuersos possessores oportere à se conueniri, vt auctores & conductores suos sine vlla tam necessariæ rei dissimulatione his repræsentandos nouerint, quibus per suburbicarias prouincias tironum congregandorum munus iniunximus, quò facilius ad effectum publicæ vtilitatis valeat perueniri. Quisquis verò conuentus ad eos qui id exequuntur deducere gubernatores agrorum suorum aliqua cunctatione distulerit, cognoscat se decem libris auri multandum, & tirones eius numeri qui deprehensus fuerit, nihilominus traditurum. Aduersum quippe animum à communi defensionis studio iure talis seueritas insequitur. Superest igitur vt nullius animus retardet iniuncta, quia quisquis in hac parte cessauerit sese quodammodo confitetur non esse Romanum. Dat. VIII. Kal. Iun. Rau. Maximo II. & Paterio COSS.

III. Idem AA. Hisiodoro Com.

Cogit diuersarum rerum necessitas * se quidem pro vtilitate communi vt suggestio sublimitatis tuæ prouida nimis pro qualitate temporis esse videatur. Paruo etenim vnusquisque contemptu sperare debet securitatem futuri. Nec enim graue esse credimus quod oneris contemplatione deposcitur Hisiodore FR. A. Vnde inlustris auctoritas tua sciat secundum suggestionem suam pragmatici auctoritate firmatam, hoc nos præsenti tantùm tempore censuisse, propter imminentium expensarum necessitatem, quibus sufficere ærarij vires nequeunt, id quod conferentes plurimum non grauet, nos parte aliqua valeat adiuuare. Idcirco inlustres vacantes per omnes nostras prouincias constitutos, ternos tyrones in adæratione debere persoluere. Comites quoque consistorianos, vel primi ordinis, necnon Tribunos & Notarios, sed & eos qui administrationes ordinarias in prouinciis gubernarunt, dare singulos oportere: Tribunos verò vacantes siue Comites secundi vel tertij ordinis omnésque clarissimos tertiam partem tironis agnoscere, ita vt vnius tironis pretium triginta solidis taxetúr: exceptis Afris qui hostili necessitate sedibus suis nuper expulsi sunt. Pro excubiis auté præsentibus viginti Consistorianos, Comites triginta, Notarios immunes esse debere. Gaudere enim debent quos labor suus & desudatæ vigiliæ probabili ratione commendant. Dat. prid. Id. Iul. Rau. Theodosio A. XVIII. & Albino v.c. COSS.

De

De palatinis. *Tit. XLV.*

I. Impp. Thod. & Valent. AA. ad Maximum II. PF. P.

PAlatinæ exactionis enormitas deducta sæpius in querelam, necessitatem nobis formandæ sanctionis imposuit, cuius obstinatio quæ refugere debuit, augere contendit, ad hoc præteritæ impunitatis præsumptione decepta vt continuato scelere grauiores aculeos seueritatis incurrerit. Vnde magnificentiæ tuæ suggestionem numerosis administrationibus & virtutibus congruentem libenter accepimus, quę possessoribus & negotiatoribus consuli generaliter postulauit, quorum breui deuotio concidisset si quantum fisco inferendum est, aut tantum, aut amplius exigendum sibi auaritia vindicaret, non dissimulandam obiectionem nostris sæculis generans, cùm deuotum publico priuatis vtilitatibus dispendia profutura comitantur. Quapropter sublimis excellentiæ tuæ saluberrimam suggestionem secuti, veneranda in æuum lege sancimus, ne quisquam Palatinorum superindicti vel aurariæ ceteràsque ad vtrumque ærarium pertinentes exigens functiones, vltra summam, traditis sibi iuxta præsentem censum de scrinio breuibus comprehensam, commodi nomine accipiendum aliquid nouerit aut petendum: cessantibus causarum titulorúmque instructionibus factis, quod odio calumniarum cessare præcipimus, & quos non in vsum publicum sed in auiditatis exemplum calliditas compulsorum minatur: sacrilegij percellandis reatu, proscriptionis etiam supplicio condemnandis, cùm huiusmodi vsurpationem probatio confutarit. Quam examinationem atque vindictam si aditi inlustres viri Comites vtriusque ærarij fortasse neglexerint, amplitudinem tuam nobis oportet suggerere, vt neglectas iustissimas prouincialium querimonias vindicemus. Tantum autem nos licentia huius cupiditatis offendit, vt inueteratam vsurpationem resarcire cupientes, moderatores prouinciarum rapinis ire obuiam censeamus, & ad magnitudinem tuam sine vllo metu suæ condemnationis referre. Præterea cunctis excusationibus aditus obstruentes quibus agenda necessario aliquotiens negleguntur, hoc Constitutioni nostræ adicimus, vt inlustres viri ærarij vtriusque Comites à condemnationibus Iudicum & curialium nouerint abstinendum, delicta eorum vel dissimulationem tam clementiæ nostræ quàm sedi tuæ amplitudinis cùm extiterint, ingerentes, quo prædictæ sedis tantùm secuta correptio præsentia recitet, futura componat. Quam rem vetustatis & disciplinæ publicæ amore decernimus. Maxime P. K. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua edictalem legem & functionibus publicis iugiter profuturam programmate suo in cũctorum prouincialium iubebit ire notitiam, vt agnoscat vniuersitas nostro seculo improbis abusibus nihil licere. Dat. Prid. Non. Iun. Rau. Valentiniano A. & Anatolio v. c. coss.

II. Idem AA. Paterio PF. P.

Cum pietas nostra ad prouincialium quietem tuendam, simul ad auaritiam Palatinorum, quæ causa nuper fuerat ferendæ legis, arcendam remedia quæreret, data nuper lege censuerat, vt inlustres viri sacri ac priuati ærarij Comites facultatem condemnandorum Iudicum non haberent, simi-

liter à desidia ordinum multanda eorum seueritas abstineret. Sed quia nunc suggestio magnitudinis tuæ indecorum hoc inlustribus viris, & inefficax publicis necessitatibus explicandis prouisione necessariæ suggestionis insinuat, & experiendo cognouimus nec satis prodesse id possessorum commodis, & plurimum consuetis ærarij exactionibus obfuisse, abrogatam legem quam prius super his rebus obseruari statuimus, ius omne ad prædictos inlustres viros quos longo tempore iam tenebat, inlibatum pristinæ censuræ auctoritate reuocamus, ne qua illis moræ aut negligentiæ excusatio de expensarum destitutione tribuatur, quibus non solum multandorum Iudicum, sed & curialium segniciem condemnandi & à rationabilibus licet auferebatur facultas. & tamen sub hoc præsepio nullum possessorum seu curialium Palatinorum mancipamus auiditati. De quorum fraudibus si quæ extiterint, aut si modum veri census sub occasione titulorum ad se pertinentium supergressi fuerint & aliquid commenticium præter id quod explorata fides chartarum continet, studio deprædationis inuenerint, iubemus grauatis patere accusandi eos liberam facultatem: sed ita vt ad proprios Iudices læsorum querela perueniat, hisque solis in eorum commissa permittatur inquirere, de quorum factis, si qua in reprehensionem venient, non modò præsentium querelis, sed & absentum relationibus instruentur. Sanè si quid est quod vindictæ censuram exigat acrioris; erit inlustribus viris Palatinorum Iudicibus consulendæ serenitatis nostræ copia, vt genus vltionis agnoscant, sed de his duntaxat criminibus quæ contra ius stimulo inlicitæ cupiditatis admiserint. Pateri P. K. A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua hanc omnibus innotescere sanctionem iubebit, remotáque ea quæ de his ordinem solitum commutauerat, huic legi, quam nunc statuimus, perpetuò valiturum sciat robor impositum. quippe moderatione & status prouincialium inuiolatus manebit, & decus potestatis suæ ad geminos Iudices reuertetur. Dat. v. Kal. Octob. Spoleti, Dioscoro & Eudoxio v.c. COSS.

III. Idem AA. Floriano Com. S.L.

Æquum est serenitatem nostram prouida oraculi nostri Constitutione sancire, ne aut impunè quemquam temerario contemptu deserta officij sui militia licuerit segnis otij elegisse desidiam, aut in posterum proposita interminatione cauere, ne quis audeat inconsulto Iudicis sui testimonio militiæ sacramenta deponere. Floriane FR. A. Vnde inlustris auctoritas tua pragmatici nostri secuta præceptum, sciat secundum suggestionem tuam Palatinos omnes sacrarum largitionum, qui stipendiis non peractis, sine testimonio vel auctoritate Præsulis sui, ad Ecclesiastica obsequia & ad aliam transiere militiam, nomine clericorum & priuilegio cinguli superioris exutos Palatino officio ac militiæ, quam contumaciter reliquerunt, protinus esse reddendos. Atque hoc circa vniuersos oportere seruari quos intra tricennium post militiæ commutationem pragmatica huius sanctionis forma repererit, ceteris verò non nouandam penitus quęstionem prolixioribus temporum spatiis muniuntur: hac in futurum præceptione seruata, ne cui liceat sine iussu & testimonio Præsidentis vel deserere vel commutare militiam. Prouincialium Iudices esse cogendos atque tabularios largitionalium

lium titulorum ad amplitudinis tuæ † eodem ratiociniis instructionibúsque † *sedem.* transmittant, nouerintque procurandis exactionibus, legibus se retineri. Dubium enim non est eum fore & nobis & legibus nostris obnoxium quisquis maiestatis nostræ præcepta lentauerit. Dat. VII. Kal. MaI, Rom. Calypio Aug. V. C. CONS.

Ne Duciani vel limitanei milites ad comitatum exhibeantur.
Tit. XLVI.

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Florentio PF. P.

OPem atque auxilium nostræ clementiæ limitaneorum poscit vtilitas, qui adeo quorundam querimoniis vel exhibitionibus diuersorum Iudicum dicuntur adflicti, vt inter priuatam vitam & militarem scientiam neutri nascantur. Adde quod vsum armorum dediscere compelluntur obseruatione fori ciuilis officij, & in vita peregrinantur aliena, expertes litium, actionum ignari, quos inuerecunda facundia & doctrina popularis instituit. Hæc suggestio viri sublimis Anatolij Magistri per Orientem vtriusque militiæ nostris sensibus intimauit. Quapropter non vlterius patimur tantæ commoditatis dissimulare iacturam, cùm constet dispositione maiorum vallo limitis ab excursione Barbarica defensari quicquid intra Romani nominis concluditur potestatem. Quamobrem victura in omne æuum lege sancimus, neminem Ducianum, neminem limitaneum militem per totum tractum Orientis ex vltimis solicitudinibus qui exiguis solatiis vix ægrè miseram famem repellunt, penitus exhiberi ad nostrum sacratissimum comitatum, nec sacra nostri nominis iussione, nec diuino responso ad preces adeuntis subdito, non denique perennitatis nostræ mandatis, vel cuiuslibet sententia Iudicis: dispositionibus insuper integri viri magnifici custodientes inposterum, quas ad vtilitatem limitaneorum sedula inuestigatione constituit, remissis omnibus iam nunc ad propria sacramenta qui videntur exhibiti. Verùm ne condicionem militum in quandam arcem videamur quodammodo conlocasse peccandi concessa licentia, semel exhibitionis submota formidine, sub competentibus militaribus Iudicibus aduersus eos agentibus ianuam aperimus, cum ea videlicet definitione vt si limitaneus fuerit cònfutatus in contractibus seu legibus deliquisse, sumptus litis dare cogatur, etiam si hoc sententia prolata non teneat, & negotium trecentorum solidorum summam excedat: eadem in actorem pœna seruata si limitaneus calculum meliorem & victricem sententiam reportarit. Aliter quippe litigantium timores & execranda iudicia iurgiorum compesci non poterunt, nisi animus exercitatus in litibus imminentis damni periculum pertimescat, vt correctionis metu compressus æterno silentio conticescat. Quem enim auaritia terminum sortietur, quam si laqueis cupiditatum suarum circundata intra septa propria damnata calumnia comprimatur? Et profecto aut hoc est remedium diu vexatis, aut si nec hoc quidem prodesse poterit, alia ratio commodorum, alia prouisionis flagitanda cautela est: si licet operiri, licet optare debemus ne libeat audacibus exercere litigia, vt liceat nostris militibus ociari, quos in extrema parte Romani sæculi sacramentorum legibus emendatos calumnia latentes inuenit. Quamobrem Florenti P. K. A. Inlustris & magnifica auctoritas

De honoratis, & quis in gradu præferatur. Tit. XLVIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Storatio PF. V.

STudiosè niti atque agere clementiam nostram decet, vt quicquid ad cumulandum Consularium titulorum nomen proficit, sanciamus, quos pro sui magnitudine ac reuerentia vetustatis etiam nobis libenter adscimus. Et quoniam certum est lege diui parentis nostri Gratiani cautum (quæ amplissimis dignitatibus definitum venerabilis constitutio ordinem dedit) vt Patriciatus honor & infulæ Consulares si copulata sibi vnius personæ meritis iungantur, eum cui vtrunque cōtigerit potiorem faciat illo qui ex his alterius honoris tantum fulgorem consequutus videtur, plenum rationis & æquitatis putauimus, vt quisquis bis Consulatus adipisci meruisset insignia, præferatur his qui semel functi sunt hoc honore. Quòd si alterius adiectio dignitatis hanc solam superat, quanto magis duplicatæ tanti suggestus infulæ, & † curialium ornamenta gemmarum obtentis semel anteferenda sunt fascibus? Storaci P.K.A. Inlustris igitur & pręcelsa magnificētia tua hac nos generali lege sanxisse cognoscat quam propositis edictis vulgare debebit, vt quisquis consulare fastigium secundo conscendere meruerit, illis etiam pręferatur qui vno anno fastis nomen dederunt, quamuis anteriore tempore Consulatū cum patriciatu pariter sunt adepti. Ea enim dignitas quæ nomini quoque Augusto quoddam decus videtur adquirere, secundo delata priuatis personis absque superioris iure vniuersis honoribus antecellit Dat. III. Id. Mart. Rom. PP. in Foro Traiani, Maximo II. & Paterio V. C. COSS.

† Curulium gemmarum.

De officio & numerariis Præfectorum Pō. Tit. XLVIIII.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino II. PF. P. & Patricio.

IVstitiam suggestionis probamus, cuius omnis hæc mens est, ne quid vnquam contra innocentiam malè petentibus licere patiamur. Scimus enim quanta sæpe miseros vinxit inuidia, quos iniquitas iudicantum fastigio potestatis adfligit. Officium sedis celsitudinis tuæ, sine quo necessitates publicæ nequeunt expediri, per infortunia multa iam saucium medicinæ nostræ curationes exposcit, quæ dudum potuisset adhiberi si suggestio similis antè manasset. Hac igitur mansura iugiter lege decernimus, vt quisquis ex Officio Prętoriano prius quàm militandi finem consummatis per ordinem temporibus sortiatur, sub adtestatione gestorum testimonio Præfecturam regentis honestam meruit missionem, seu quietis studio, siue alterius amore militiæ, nullam sustineat de non peractis stipendiis quæstionem, fiduciam Perpetuæ securitatis habiturus. Præterea Numerarios Prętorianæ sedis, penes quos publicarum rationum notitia consistit, siue priuatos, siue aliàs militiam fortasse sortitos, post quinquennium discussionibus subiacere prohibemus. Intra hoc enim tempus vestigari facilè quamuis latēs veritas potest. Et certè nullius tam grauis debet esse condicio, vt terminum non habeat solicitudinis & timoris. Munimen vberius consideratio flagitat æquitatis. Officium Prætorianum expensarum colore in pręiudicium cautionum vetamus vrgueri, in cuius perniciem nequitia cre-

ditorum frequenter excogitat, vt pecuniam publica necessitate numeratam priuatis simulent profecisse compendiis: quibus hanc pœnam præsenti constituimus sanctione, vt si quando pecuniam suam sub tali credendam putauerint esse cõtractu, eius protinus amissione multẽtur, nihilq; vel ab his quos aduersum vetita deceperint, vel de publicis rationibus consequantur. Hæc officio Prætoriano salutis fortunarúmque præsidia tribuisse sufficiet, cui etiã mensores, quos pridem habere desiderat, pro mansionum suarum quiete concedimus Albine P.K.A. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua iustissimam legem propriis vulgabit edictis, vt omnibus innotescat nostro sæculo Reipublicæ nihil amplius esse præstandum, nisi quod deceat adquiri. Dat. XIX. Kalend. Ianuar. Romæ Aëtio III. & Symmacho COSS.

Titulus L.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF.P. Illyrici.

EX adfectu publico cõuenit eorum necessitatibus subuenire, qui fatales miserias inciderunt. Imperatoriæ siquidem vis maior laudis est aliqua decreta mollire quando vis maior inopinatę cladis fãtale generarit incommodum Albine P.K.AA. Vnde inlustris & pręcelsa magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto sciat Afros qui infortunio hostilis cladis expulsi eiectíque fortunis omnibus spem sui actus & conuersationis solidæ perdiderunt, & imbuti studiis literarum causas agere destinarunt, siue agere iam cœperunt apud omnes Iudices his aduocationis copiam remoto legis vinculo esse permissam, vt ærumnas in quibus nunc sunt, tali possint remedio subleuare, pręter prætorianam togam forúmque vrbanum, in quo agendorum negotiorum licentiam tribus pietas nostra permisit. nec enim non eos oportet studiis fauorabilibus adiuuari quibus hoc solum remansit quod sibi non potuit vindicare captiuitas. Datum XIII. Kal. Sept. Rauennæ Maximo II. & Paterio COSS.

Titulus LI.

1. Impp. Theodosius & Valentinianus AA......

CVm pietatis nostrę animo ad quęrenda remedij publici adiumenta perpetuæ cogitationes se ingerant, nihil tam necessarium cura serenitatis nostræ perspicit, sicut omnium sensibus nõ optamus occurrere, quàm vt defessis rebus afflictóque publico tantùm robur numerosi exercitus pręparetur, sed nec tam salubris, in qua omnium plenæ securitatis fundamenta ponenda sunt per varia erogationum clementiæ nostræ conatũ odoraturus, vt ipso experimento nõ modò his qui nouis sacramentis obligãtur, sed ne veteri quidẽ exercitui quæ ab exhaustis ægerrimè conferuntur ad victum vel ad vestitum posse pręberi, quos nisi indigna & pudenda armato nomini negotiatio aleret, vix possent à famis periculo & à frigorũ pernicie vindicari. Quæ ergo his angustiis remedia prouidenda sunt mens nostræ serenitatis exæstuat. nã si à possessore super alia quæ præstat has expensas requirat, vltimas tenuésq; eius vires cõpulsio talis extinguet si à mercatoribus rursus hoc efflagitet, necesse est eos depressos tanti oneris mole succumbere.

Inter

Inter hæc animo fluctuante hanc viam reperimus primùm cuius lenissima functio publici quęstus habeat magna compendia, deinde quæ ad vniuersos pertinens à paucis intollerabilia damna submoueat, atque ita sine sensu dispendiorum sit, vt cùm plus hinc publicæ vtilitati conquiri valeat, nullus se speciatim queratur affligi, & neque à tenuissimis possessorum reliquijs vel defectu miserabili negotiatorum quicquam impossibile postuletur. Placuit itaque vt omni venditione per solidum dimidia siliqua ab emptore, dimidia à venditorē, per omnem contractum æqualiter publico conferatur in omnibus mobilibus immobilibúsque rebus, venditiones tantùm emptionésque duntaxat tali condicione * tam bonus rei effectus aliter non poterit prouenire, nisi huic muneri certi qui præficiendi sunt eligantur communi procerum nostrorum consilio atque tractatu, quod electionis iudicium reseruabitur circa eos qui in aliorum locum adiectionis augmento voluerint subrogari. Per singula igitur negotiationum genera singulos pręponi oportere hac edictali lege decernimus, quos fides atque industria huic officio sustinendo idoneos comprobauerit. vtilius quippe est distributis procurationibus mercium omnium, vt in talibus rebus fieri solet, depulsa permixtionis caligine apertius & liquidius declarare quid quisque pro cōducta mercium nundinatione dependat. Omnis autem contractus qui clanculario vel emente vel vendente in fraudem legis initus fuerit, careat firmitate. quod ne fiat ea ratione prospicimus vt gestis municipalibus immobilium rerum contractus cōstet initus, mobiliū verò emissis pictaciis transigatur, & is qui prępositus fuerit huic muneri profiteatur se id quod per hanc legem compendiis publicis decretum est consecutum, ita vt post annum securitatis amissæ discussio minimè requiratur: qui si à tabellione vel contractoribus conuentus ad gesta venire distulerit, inlato Curialibus quod huius edicti lege inferendum est, venditio perfecta stabilitate nitatur. Ille autē qui huic rei prępositus spe lucri proprij publicum commodum putauerit differendum, tali adficiēdus incommodo est vt tantundem ipse fisci viribus inferat quantum de ipso contractu cui conuentus pręsentiam suam negauit à contrahentibus publico fuerit inlatum, quod ab eo magistratus & curiales exigere curabunt. quam pœnam neque ordines effugiant neque moderatores prouinciarū si qua ipsi fraude vel conludio publica emolumenta distulerint, sed hæc quæ tam salubriter ordinamus in omnibus prouinciis atque vrbibus vna eadémque volumus ratione seruari quod absque vllius erroris impedimento explicabitur, si certæ nūdinę ciuitatibus earúmque territoriis ordinentur. Iubemus enim & in oppidis & in regionibus certo loco ac tempore emendis atque vendendis rebus per honoratorum dispositionem necnon ordinum seu ciuium sub præsentia moderatoris prouinciæ manifesta definitione constitui. Nulli itaque mercatori pręter hanc obseruationem nisi ad designata loca temporibus præstitutis ad negotiationis suæ species distrahendas passim licebit accedere, vt certa ratio emendi atque vendendi ibi constare possit, vbi nundinādi ius prouincialium tractatu fuerit deputatū, & id quod præberi suprà statuimus, faciliùs eorum qui præpositi fuerint valeat diligentia reperire: quæ verò ex his supplenda & minutius ordinanda sunt, amplissima, &c.

LEGVM NOVELLARVM DIVI VALENTINIANI A. LIBER II.

De fructibus inter maritum & uxorem expensis filiis, vel heredibus minime imputandis. *Tit. I.*

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P.

AVCTORITATIS suæ memorem amplissimum Senatum gratanter agnouimus, cuius consilium improbis rebus semper occurrit. Hinc est, quod nuper illustribus ac sublimibus viris, quos euocari ad sacratissimum comitatum vtilitas publicæ necessitatis exegit, nobis suggerenda mandauit, ne abhorrenda vsurpatio ab omni conuersatione honesta vires diutius obtineret. Comperimus enim quasdam post maritorum obitum filios suos proposita indecora actione nudasse, cùm ab his patrimonij sui fructus quærerent, quos vtique stante matrimonio, in illa æqualitate viuendi in commune consumptos conuenit æstimari, quorúmque ratiocinium perplexum atque cõfusum ad veritatis fidem discuti posse non credimus. Cúmque illud frequentius nouerimus accidere, vt maiores expensas flagitet matronalis ornatus, & cùm nonnumquam viri post vxorum obitum huiusmodi aliquid credant communibus filiis opponendum, durum est muliebri tantum licentiæ ista permitti. Et ideo Albine Parens Karissime AA. illustris ac præcelsa auctoritas tua hac edictali sciat nos lege sanxisse, ne de coniugij copula eorum alter superstes defuncti heredes super hac repetitione redituum æstimet lite pulsandos. Hac enim condicione & vxores teneri volumus & maritos. Siue enim intercesserit dos, seu oblata non fuerit, omne iurgium huiusce repetitionis & ratiocinij conticescat. Hanc autem legem vtilitati & concordiæ humani generis profuturam, edictis per prouinciam propositis, Amplitudo tua in omnium notitiam faciet peruenire. Dat. III. Id. Sept. Rau. D. Theodosio A. XVIII. & Albino V. C. COSS.

INTERPRETATIO. *Si vir vxore superstite moriatur, fructus, quos constante coniugio constat expensos, nullam postea à communibus filiis, seu ab heredibus mater repetendi habeat facultatem. Quod & si vxor viuo marito decesserit, maritum præcipit eadem lege cõstringi, vt & ipse à filiis vel heredibus vxoris de ipsis fructibus, qui in commune expensi sunt, penitus nihil requirat.*

De

De Manichæis. Tit. II.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P. II.

Superstitio Paganorum quoque damnata temporibus, inimica publicæ disciplinæ, & hostis fidei Christianæ, ad excidium sui Clementiam nostram non immerito prouocauit. Manichæos loquimur, quos execrabiles, & toto orbe pellendos, omnium retrò Principum statuta iudicarunt. Nec dissimulationem crimina nuper detecta patiuntur: Quæ enim, & quam dictu auditúque obscœna in iudicio beatissimi Papę Leonis, coram Senatu amplissimo manifesta ipsorum confessione patefacta sunt? Adeo vt eorum quoque qui diceretur Episcopus, & voce propria proderet, & omnia scelerum suorum secreta perscriberet. Quod notitiam nostram latere non potuit, quibus tutum non est negligere tam detestãdam diuinitatis iniuriam, & impunitum relinquere scelus, quo nõ solum corpora deceptorum, sed etiã animæ inexpiabiliter polluuntur. Vnde Albine Parens Karissime AA. Inlustris & magnifica auctoritas tua hac nos in æternũ victura lege statuisse cognoscat, quam in omnium prouinciarum faciet notitiam edictis propositis peruenire: Vt vbicunque terrarũ quisquis Manichæorum fuerit deprehensus, pœnas quas in sacrilegos iura sanxerunt, auctoritate publicæ seueritatis excipiat. Sítque publicum crimen, & omni volenti sine accusationis periculo tales arguere sit facultas. Nec cuiquam licitum tutúmque sit aut celare tales, aut talibus conhibere, cùm omnia de hiis à nobis confirmata sint retrò Principum constituta, vt nouerint vniuersi hac edictali lege proposita, Manichęos dignitate militiæ, & vrbium habitatione priuandos: ne quis innocens talium conuersatione, aut societate capiatur. Successiones nec capiant, nec relinquant, sed fisci nostri viribus adgregentur. Nec eis quod palàm interdicimus vlla fraude quæratur: Iniuriarum careant actione, contractus liberos omnino non habeant. Primates vniuscuiusque militiæ vel officij mox exigenda per apparitionem vestram x. librarum auri multa percellat, si quem hac superstitione pollutum siuerint militare: neque enim aliquid nimium in eos videtur posse decerni, quorum incesta peruersitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel pudenda committit. Dat. XIII. Kal. Iul. Rom. Valent. A. VI. & Numo V.C. COSS.

Ista interpretatione non eget.

De homicidiis casu an voluntate factis. Tit. III.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Maximo PF. P. II. & Patritio.

Criminosos quidem auersamur omnes, & pręcipue humano cruore pollutos, quorum crescit audacia, cum impunitas vel simplicia, vel etiam personalia rescripta donatur. Nefas dictu, per ignorantiam facinora defensione vallamus. Sed quantum est, quod occupationibus nostris astutia plectendę subreptionis illudit, cum rescripta huiusmodi etiam viro illustri Quęstore nesciente procedant, quem custodem statuimus esse iustitiæ, qua nullum carere debet oraculum. Merito ergo malè vsurpata prohibentes, hac edictali lege sancimus, vt homicidio quod tamen casibus imputauerit confessio supplicantis, non aliter indulgẽtia, nisi nostri nominis

adnotatione prȩstetur: Quoniam rariora erunt facinora, sub nostrum ventura iudicium, nec vlla nisi discussis rebus venia continget. Postquam tamen ad cuiuscunque Cognitoris tribunal adnotatio nostra peruenerit, examinari fidem precum diligenter iubemus, vt si homicidium vel casu vel vitandæ mortis necessitate constiterit admissum, venia tribuatur orantibus. Deprehensos vero in mendaciis ilico pœna percellat. Hiis enim tantummodo volumus ignosci, in quorum labsibus sola potest fortuna culpari. Homicidas autem, in hominum cædem nefaria voluntate grassatos, aliorúmve capitalium criminum reos, nec per adnotationes nostras licebit absolui. Vir spectabilis Magister scrinij, qui interdicta supplicantibus responsa prȩbuerit, quinque auri librarum multam sacro ærario nostro cogatur inferre. Memorialis quoque cuiuslibet scrinij, qui aduersus vetita rescriptum fuerit executus, spoliatus militia quinquennij relegatione plectatur. Quod enim fas non est, vel per adnotationes nostras nocentes mereri, multo magis vetamus rescriptis simplicibus impetrari. Maxime Parens Karissime AA. Inlustris itaque & præcelsa Magnificentia tua necessariam humano generi sanctionem cunctorum notitiæ publicari propositis iubebit edictis, vt salubria cõstituta nullus ignoret. Et manu diuina, Diuinitas te seruet per multos annos, Parens Karissime AA. Dat. VI. Id. Decembr. Romæ, D. Valentiniano A. VI. & Numo V.C. COSS. PP. pridie Id. Decembr. in Foro Traiani. Subscripsi.

INTERPRETATIO. *Lex ista præcipit, vt siquis ad Principem conuolauerit, adserens se casu homicidium perpetrasse, non voluntarie à se homicidium fuisse commissum, & si per supplicationem à rerum dominis veniam potuerit impetrare, à Rectore prouinciæ vbi casus iste commissus est, id specialiter debet inquiri: & si certa fuerit suggestio supplicantis, veniam mereatur obtentam. Ceterum si voluntarie habita discussione conuictus fuerit homicidium commisisse, eandem pœnam excipiat, quæ de homicidiis legibus habetur expressa: impetrata non valeant, & capitali sententia feriatur. Reliqua constituta lex ipsa declarat.*

De Testamentis. *Tit. IIII.*

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P. II. & Patritio.

IAmdudum quidẽ Diuus auunculus noster, testamẽtorum compendia generali lege complexus, formulam iuris antiqui, & inanem verborum conquisitionem non necessariam iudicauit, validissimam statuens voluntatem cùm de nostris altaribus cõiuges petunt, vt decedenti prius succedat superstes. Sed quoniam Leonius vir spectabilis, munitus veteribus constitutis, nostram supplex maluit expectare sententiam: occasionem nouãdæ legis amplectimur, salubri definitione censentes: vt siue inter se coniugum, seu quorumcunque consensus oblatis Serenitati nostræ precibus optauerit, morte prȩuenti heredem superstitem fieri oportere personam, hoc ita ratum firmúmque permaneat, vt nihil robustius æstimetur. Et in Augustam notitiã peruenisse sufficiat, etiam si nullum processerit ex hac parte respõsum. Nam cùm liceat cunctis iure ciuili atque prætorio, liceat per nuncupationem, liceat municipalibus gestis iudicia suprema componere, proculdubio manebit firmior hæc voluntas, quæ testimonio Principis & subscriptione conditoris firmatur: si tamen nullum defuncti posterius

sterius eius extabit arbitrium. Leonius vero & Iucunda vxor eius, tãta vicissim caritate certarunt, vt fusis simul precibus ius poscerent liberorum, & propter incertum sortis humanæ superstitem coniugem precarentur heredem: licet superfluò illud addentes, vt intestatæ successionis ius ac licẽtiam sortirentur, cum hoc ipsum, quod Serenitati nostræ preces pariter obtulerunt, sit testamenti ordo præcipuus. Præterea sicut supplicationi connexa monstrant, quamuis in vnius chartæ volumine supremum votis paribus condidere iudicium, septem testium subscriptionibus roboratum. Cui nos æternam tribui firmitatem legis huius definitione cẽsuimus. Quoniam nec captatorium dici potest, cum duorum fuerit similis affectus, & simplex religio testamẽta condentium: cunctisque iam liceat quoquomodo, & quibuscunque verbis vltimum dictare iudicium, sicut eorum Principum statuta declarant, qui remouere sanctionibus suis meliore prudentia vetusti iuris ambages. Idcirco quia minutiis priscæ consuetudinis, & obscuritate submota, solam defunctorum conuenit inspici volũtatem, cui multum roboris erit, si vel septem, vel quinque testibus muniatur, & virum spectabilem Leonium, præter fiduciam precum pridem cum vxore communium, voluntas neque alia, & subscriptionibus testium munita defendit, apud eundem solida successione Iucundæ coniugis suæ iugiter permanente, quisquis maluerit delata nobis supplicatione testari, liberam habeat facultatem. Cuius heres ex edicto Diui Hadriani hereditaria corpora consequetur, nec bonorum possessionis petendæ sustinebit necessitatem, quam generaliter omnibus relaxamus. Ne tamen hoc testamenti genus plus iusto muniisse credamur, si quis sibi vel inofficiosi querelam, vel prçteriti competere duxerit actionem, hanc vtranque secundum iuris & legum statuta seruamus, Albine Parẽs Karissime AA. Idcirco inlustris & præcelsa Magnificentia tua saluberrimam sanctionem mox in omnium peruenire notitiam propositis iubebit edictis, vt possit facile cognosci condendarum, conseruandarúmque legum curam esse nobis prçcipuam. Dat. XII. Kal. Nouemb. Rom. Aetio III. & Q. Aurelio Symmacho VV. CC. COSS. PP. in Foro Diui Traiani. Antelata edicto Albini iterum PF. P. & Patritij.

INTERPRETATIO. *Hæc lex de aliis titulis testamentorum id amplius habet, vt in coniugio positi si filios non habeant, seu maritus vxorem, seu vxor maritum voluerit, relinquat heredem, quod ius dicitur liberorum: quia etiamsi vna charta suam condere maluerint voluntatem vt inuicem se heredes scribant, qui alteri superstes extiterit dimissam rem iuxta legis huius ordinem vindicabit: ita tamen vt hiis personis, quibus lex concedit, si fuerit de inofficiosi querela actio, reseruetur.*

I. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P. II. & Patritio.

Cùm sciamus & Diuos Principes, & Clementiam nostram condendarum legum fomitem frequenter inuenisse de precibus, iuuat ex facto quod nuper euenit, cunctis profutura sancire. Inlustrem feminam Pelagiam cùm Micce inlustris femina dictare vellet heredem, sed testium copiam nõ haberet, per holographam scripturam votum circa prædictam supremæ prodidit voluntatis. Nam quod solum potuit secretius licere morienti, indicem iudicij sui paginam Cæsario viro spectabili, Tribuno & Notario fratris sui filio secura commisit, quem nataliũ decus, & propinquitatis religio fidẽ cogeret seruare defunctæ. Nec sanè electionis suæ cura testatricem fefellit. Desideriis amitæ

Cęsarius obsecutus chartã fidei suæ creditã, iuris & consciẽtię memor, eadem qua sumpserat simplicitate vulgauit. Sed illustris heres ab ambitu cupiditatis aliena, nihil de successione pręsumpsit, nihil de corporibus hereditariis vindicauit: intra hos modestiæ terminos manens, vt subdito precibus vltimæ voluntatis arbitrio, non prius se putaret heredẽ, nisi nos causę iustitiam probaremus. Recensitis igitur omnibus, defunctæ iudicium roboramus, cui prętet filium fratris, & literas suas, testes habere non licuit. Idcirco inlustris femina Pelagia, pro ea parte qua heres scripta est, defunctæ potietur arbitrio. Ne tamen huius statuti salubritatẽ generi negemus humano, mansura iugiter lege decernimus, vt quisquis per horographã scripturam supremũ maluerit ordinare iudicium, habeat liberã facultatem. Multis enim casibus sępe contingit, vt morientibus testium numerus & copia denegetur. Quibus erit de legibus nostris inter ipsa vitæ deficientis pericula causatio, si propriæ manus literis scribere, quos voluerint, non sinãtur heredes. Aliis testes itinerum necessitas, aliis solitudo villarum, aliis nauigatio seruis tantum comitibus expetita subducit. Aliorum testatas prohibent esse voluntates hij, qui velut obsessos conclauibus suis solent custodire languentes. Nostræ posthac beneficio sanctionis intestatus nemo morietur, cui fuerit sollicitudo testandi, late viam supremis aperimus arbitriis, si holographa manu testamenta condantur, testes necessarios nõ putamus. Scripto enim taliter sufficiet heredi, asserere etiam sine testibus fidem rerũ, dummodo reliqua congruere demonstret, quæ in testamentis debere seruari tam veterum Principum, quàm nostræ pręcipiunt Sanctiones, vt in hereditariorũ corporum possessionem probata scripturę veritate mittatur. Cùm tamen testiũ pręsentiam testator elegerit, legitimũ numerum semper oportebit adhiberi: necessitatẽ quoque pręcipitẽ submouemus, quæ testatores hactenus compulit, sub vnius diei spatio supremum festinato nimis ordiri & implere iudicium. Quibus nos licentiã, tempúsque largimur, vt voluntatem, quam de rebus propriis mente conceperint, frequenter scribant, frequenter retractent, frequenter emendent, & quot voluerint diebus, in tantæ præsertim causæ meditatione, versentur. Hæc enim deliberatio nihil immaturum relinquit, cui licebit sępe dictata corrigere. Testes autem subscriptiones suas vno die vel omnes pariter, vel si legitimus numerus exiguam moram fecerit, horis prębere diuersis sub obtutibus testatoris iubemus. Præterea quoniam plerique deficientium voluntates suas cupiunt esse secretas, nec ante vulgari, quàm luce priuentur, statuimus ac iubemus, vt si testes rogati, paginæ cuius arcana nescierint, coram testatore subscripserint, nihil ex ignoratione testium testamentorum firmitatibus derogetur. Albine Parens Karissime AA. Idcirco inlustris & præcelsa magnificentia tua iustissimam legem, & cunctis generaliter profuturam in omniũ celeriter ire notitiam propositis iubebit edictis, vt facile possit agnosci nostrarum salubritas Sanctionum. Datum VII. Kal. Ian. Rom. Aëtio III. & Symmacho VV. CC. COSS. Acc. VI. Kal. Ian. Romæ PP. V. Kal. Ian. in Foro Traiani. Subscripsi.

INTERPRETATIO. *Hæc lex licet alia replicet, quæ in aliis legibus habentur exposita, tamen hoc amplius obseruandum esse præcipit, vt si cui fuerit testandi voluntas, & testes forsitan defuerint, voluntatem suam propria manu perscribat, quæ prolata post defuncti obitum plenam obtineat firmitatem.*

De sepul-

De sepulchris. *Tit. V.*

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Albino PF. P. II. & Patritio.

Diligenter quidem legum veterum conditores prospexerunt miseris & post fata mortalibus, eorum qui sepulchra violassent capita persequenda. Sed quoniam noxiæ mentes cæco semper in facinus furore rapiũtur, & se ad pœnas dudũ statutas existimãt non teneri, necesse est seueritatem nouari, quam videmus hactenus impune contemptam: Quis enim nescit quietos sollicitari funestis ausibus manes? & horribilem violẽtiam defunctorum cineribus inferri? Luce palàm sepulchra cæduntur, & quicquid religio vetat, in vsum licentiæ traxit sacrilega præsumptio. Finis malorum iam nec mortuis datur, in quorum supplicia constructio miserandæ sedis eripitur. Scimus enim, nec vana fides est, solutas membris animas habere sensum, & in originem suam spiritum redire cœlestem. Hoc libris veteris sapientiæ, hoc religionis, quam veneramur & colimus, declaratur arcanis. Et licet occasus necessitatem mens diuina non sentiat, amant tamen animæ sedem corporũ relictorum, & nescio qua sorte rationis occultæ, sepulchri honore lætantur: cuius tanta permanet cunctis cura temporibus, vt videamus in hos vsus sumptu nimio pretiosa montium metalla transferri, operosásque moles censu laborante componi. Quod prudentium certe intelligentia recusaret, si nihil crederet esse post mortem. Nimis barbara est & vesana crudelitas, munus extremum luce carentibus inuidere, & derutis per inexpiabile crimen sepulchris, monstrare cœlo corporum reliquias humatorum. Huius nefandi sceleris inter ceteros reos vehementior clericos querela persequitur, quos portentis talibus immorantes frequenter aspexit dies tristior. Ferro accincti vexant sepultos, & obliti numinis cœlo ac syderibus residentis, cinerum contagione pollutas sacris altaribus manus inferunt: tanto in profundam caliginem conscientiæ suæ stupore demersi, vt reuerendis audeant interesse mysteriis, & post excidia funerũ credant Deum posse placari, quem nocentes precãtur incassum, quem vita melior exorat. Commissorum talium fœditatem, ne diutius tempora nostra maculentur, hac edictali lege damnamus. Quisquis igitur sepulchra, profundæ violator quietis & lucis ipsius hostis effoderit, quisquis ex hiis quælibet marmora, aut saxa sustulerit, pœnæ mox habeatur obnoxius. Seruos, colonósque, in hoc facinore deprehensos, duci protinus ad tormẽta cõuenit. Si de sua tantum temeritate confessi, luant commissa sanguine suo. Si dominos inter supplicia nullo interrogante nexuerint, pariter puniãtur. Ingenui quoque, quos similis pręsumptio reos fecerit, si fortasse plebei, & nullarum fuerint facultatum, pœnas morte persoluant. Splendidiores autem vel dignitatibus noti, bonorũ suorum medietate multati, perpetua notentur infamia. Clericos vero, quos tam diri operis cõstiterit auctores, dignos credimus maiore supplicio: vehemẽtius enim cohercendus est, quem peccasse mireris. Scelus omne grauius facit claritudo personæ. Intolerandum, nimis execrabile, non ferendum, induere nomen & titulum sanctitatis, & abundare criminibus. Quisquis igitur ex hoc numero sepulchrorum violator extiterit, ilico clerici nomen amittat, & stilo proscriptionis addictus perpetua deportatione plectatur. Quod ita seruari oportere censemus, vt nec ministris, nec Antistitibus sacræ religionis in tali causa sta-

tuamus esse parcendum. Facescant querelæ, nullius innocentiam sauciamus: nocentes tantum lex nostra persequitur. Sed quoniam plerunque statutis salubribus dissimulatione venalium Iudicum negatur effectus, præsenti iubemus edicto, vt prouinciæ Moderator adminiculo municipum fultus, censuram nostræ legis exerceat. Et licet nemo reus possit fascibus ac securibus reluctari: si quis tamẽ extiterit, sic superb⁹, sic impudẽs, sic rebellis, in cui⁹ nequeat ire suppliciũ, amplissimas potestates directa relatione mox instruat, ne seueritas iusta lentetur. Quod si violatores sepulchri quos potuerint secundum formam sanctionis huius pure neglexerint, vel de superioribus referre distulerint, facultatibus & honore priuentur. Cuius quisquis, siue adhuc in potestate positi, siue priuati, propter omissam pœnã violatoris sepulchri voluerit accusator emergere, habeat liberam facultatem. Nec delatoris formidet inuidiam, cum prȩmio magis dignus sit, qui se constanter improbos odisse monstrauerit. Albine Parens Karissime AA. Inlustris & præcelsa magnificentia tua legem, quam pietatis & religionis amore concepimus, prouinciis, prouinciarúmque Rectoribus celeriter innotescere propositis iubebit edictis, vt criminosis pœna reddatur: innocenter viuentibus gratulatio: pax sepultis. Dat. III. Id. Mart. Romæ. Acc. VI. Kal. April. Romæ, Calipio V. C. CONS. PP. in Foro Traiani, VIII. Id. April. Antelata edicto Albini viri inlustris PF. P. II. & Patritij.

Ista lex interpretatione non indiget.

De libertis & successionibus eorum. *Tit. VI.*

1. Impp. Theod. & Valent. AA. ad Albinum PF. P. II. & Patritium.

CVm iuris æquitas omnibus dominis in commune permiserit, fructu libertatis & præmio fortunam mutare seruorum, nec manumissoris posteros his graues esse conueniat, quos meliore iudicio tanti muneris auctor euexerit: duras nimis benemeritis sanctiones credimus, quȩ sic opprimunt sub ingrati actione libertos, vt ab heredibus defunctorum præcipiant in seruitutem vocari, tanquam contra iniuriarum vel superbiæ reos, nulla nisi abrogandæ libertatis pœna sufficiat. Huius ergo statuti vigorem benignius corrigentes, mansura iugiter lege decernimus, vt si quis ex familia sua cuiuslibet sexus homines libertate donauerit, eius heredes siue extranei, siue filij, siue filiæ, siue nepotes neptésve fuerint, vel propinqui cuiuscunque cognationis & nominis, manumissos non teneãt ad obsequiorum necessitatem, nullámque contra ingratos habeant actionem. Sed, quod minime remur, si contumeliam fortasse pertulerint, ad cohercendos iniuriarum reos vtantur iure communi. Nemo sibi nostræ legis obstaculo credat perire vindictam, latè aduersum noxios seueritas patet. Hoc vnum vltionis genus nostro seculo, venturísque temporibus nulli prorsus sperare permittimus, vt in ius vocari postulet seruitutem. Iustitiam præsentis edicti, si bene sentiant, famæ præstamus heredum, ne videantur non agere causam doloris, sed exercere potius cupiditatis ardorem. De successionibus etiam, quas latius & obscurius veteres protulerunt, compendium lucidæ definitionis adhibemus. Itaque libertus, qui ciuis Romani priuilegium fuerit consecutus, siue vnicum pignus, siue plures cuiuslibet sexus habeat filios, cum mori cœperit, soboli suæ omnes proprias si maluerit facultates, supremo securus dimittat arbitrio,

arbitrio. Quod si nulla prole gaudebit, quatuor vncias bonorum suorum manumissoris filio, vel si plures erunt, filiis derelinquat: aut si filiorum nullus extiterit, nepoti ex filio, vel nepotibus eandem deputet portionem. Filias vero manumissoris, earúmque filios & nepotes impune prætereat, nisi forsitan aliud amor suaserit, voluntásque morientis. Ne quid autem scæuis interpretationibus calumniantium moliantur insidiæ, quod pro liberto statuimus pari sibi munere etiam liberta defendat. Præterea intestatis libertis, filius filia, nepos neptísque, vel si plures superstites fuerint, dummodo liberi ciuésque Romani, pro totius patrimonij soliditate succedant. Nam si nec filios habuerint, nec nepotes, reliquerint tamen patrem, matrem, fratrem, sororem, pari libertate gaudentes, medietatem sibi intestatæ successionis hæc de supradictis persona defendat, quæ gradu potior inuenitur. Aliam verò medietatem manumissorum reseruamus heredibus, quos tunc respiciet omnis hereditas, si intestato expressa necessitudinum nomina defuisse constiterit: Ipsis vero manumissoribus nihil penitus derogamur, quibus ius patronatus integrum semper manebit, saluumque durabit, quicquid vel prisci iuris auctoritas, vel superiorum Principum sanctiones contra ingratos detulere libertos. Sed ne penitus sibi reuerentiam causentur posteri negatam, statuimus & iubemus, vt aduersum manumissoris filios & nepotes, liberti, libertęue in nullis omnino causis testimonium dicant. Quod si licet nihil valiturum dixerint, puniantur. Albine Parens Karissime A A. Inlustris & præcelsa magnificentia auctoritatis tuæ propositis euidenter edictis cunctorum sensibus æquitatem nostrę legis insinuet, vt quanto studio & detestemur iniustos, & libertati tribuamus fauorem, totus vbi noster est orbis agnoscat. Dat. III. Non. Iun. Romæ, Calipio & Ardabure v v. c c. c o s s. p p. in Foro Traiani, v. Id. Iun. Antelata edicto Albini v. c.

INTERPRETATIO. *Lex ista cōstituit, vt liberti qui ciues Romani effecti sunt, ab heredibus manumissorum siue filij sint, siue extranei, proposita iniuriæ actione, qua se dicant læsos, pro occasione istius ingratitudinis ad seruitium nullatenus reuocentur. Sed si talis casus emerserit, quasi contra alios ingenuos, sic de iniuriis apud Iudicem actio proponatur. De successionibus verò libertorum, hoc est ciuium Romanorum, id censuit obseruandum, vt libertus, siue liberta, si vnum filium seu plures habuerint, ipsis facultatem suam morientes, si voluerint, integram derelinquant. Contra cuius voluntatem nec filij ex patrono, nec nepotes ex filio vlla venire poterunt ratione. Quod si libertus libertáve, qui defuncti fuerint, filios non habuerint, & testari fortasse voluerint, tertiam facultatis suæ manumissorum filiis vel nepotibus, qui ex masculis nati fuerint, derelinquant. Filias vero manumissoris, earúmque filios & nepotes ab hac hereditate, salua pagina testamenti, securi si voluerint prætermittant: quia feminæ ad istas hereditates penitus non vocantur: nisi forte illi liberti de duabus partibus per gratiam, aliqua filiabus vel nepotibus ex filia patronorum suo voluerint conferre iudicio. Si vero liberti nec filios dimiserint, nec nepotes, si patrem, matrem, fratrem, sororem, & ipsos libertos ciuésque Romanos factos esse constiterit, quos superstites derelinquunt, tunc medietatem sibi patroni heredes vindicent, & medietatem suprascriptis personis de gradu defuncti liberti qui proximior inuenitur. Nam si liberti, qui ciues Romani fuerint, viuo manumissore decesserint, si sine voluntate patroni condere voluerint testamenta, penitus non valebunt: quia auctoritati manumissorum omnia lex ista seruabit. Contra filios vero*

vel nepotes nec libertus nec liberta testimonium dicere in quacunque causa præsumant: quod si fecerint, licet recipi nulla liceat ratione, tamen quicunque liberti contra filios vel nepotes patroni contrarium testimonium dederint, puniantur.

De indulgentiis reliquorum. *Tit. VII.*

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui suo salutem dicunt.

SI vos liberíque vestri valetis, bene est: nos exercitúsque nostri valemus. Licet aliæ occupationes extiterint, vltra differri non potuit: apud verecundam enim conscientiam mendacij genus est, promissa tardare. Sciamus licet deuotionem possessorum fiscalia nulla vel parua debere: tamen quod in huius discussionis officio, & nullius & modici vna eadémque condicio est, euidenter exponimus, cur designatæ necessitati placeat subueniri. Putabitur enim cõniuentia, nisi nostro studio corrigatur. Quantum ad propositum nostrum attinet, prouincialibus vndique volumus esse consultum, & diuersis fessos incommodis sufficientibus beneficiis adiuuare. Verum obstitit inuida plerunque subreptio, quoniam iam non potest tantum, quãtumlibet intenta cogitatio prouidere, vt improbis etiam latentes nocendi aditus obstruantur. Discussores ad prouincias non electi, sicut comperimus, sed ambientes ire dicuntur, quod nobis & proceribus nostris aliarum sollicitudinum mole constrictis efficere inueniuntur ociosi. Hoc modo facultates possessorum miserabiliter conciderunt. Et hinc maius incommodum, vnde remedia certa debuere prouenire. Vbi trepidam prouinciam talis discussor adierit, stipatus calumniarum ministris, superbit elatus inter obsequia sumptuosa, expetit adminicula prouincialis officij, scholares etiam sępe coniungit, multiplicato & hominum numero, & officiorum vt quantum auaritiæ libuerit terror extorqueat. Prima sunt veniẽtis exordia, vt proferat & reuoluat super diuersis numerosisque titulis terribiles iussiones, prætendit minutarum supputationum caligines inexplicabili obscuritate cõfusas: quæ inter homines versutiarum nescios hoc amplius agunt, quò minus intelligi possunt. Securitates expetũt annorum serie & vetustate consumptas, quas seruare nescit simplicitas & fiducia nihil debẽtis: Reuera enim aut quoquomodo pereunt, quasi iusta contingit occasio deprædandi † aut si extant, redimendum est vt ferantur accepto. Ita fit vt apud improbum rei arbitrum merito noceat, chartula cùm perit: nihil proficiat, non perisse. Innumeræ deinde clades, sæua custodia, suspendiorum crudelitas, & vniuersa tormenta, quæ interea lætus, & crudelitatis pertinax egregius quęsitor expectat. Collega furtorũ Palatinus hortatur, instat apparitio turbulẽta, vrget immitis exsecutio militaris. Indignum facinus, hæc de ciuibus velut inter hostes pecuniæ placitis, non allegationũ iustitia, non miseratione finiri. Tanta vexatio cùm nihil vnquam fisci vtilitatibus prosit, tamen non desinit iterari, quasi aliquid efficaciter gestũ, vix dum vno è prouincia decedente, cum nouis auctoritatibus alter excurrit. Si vtilis publico esse non potuit qui ante perrexit, superfluũ est ire alterum, æquè prouincialibus obfuturũ. Hũc nos P. C. fomitem perniciosi ardoris extinguimus, nec patimur vlterius ad exhaustorũ interitũ desęuire. Nobis perit deterior possessor effectus, nobis proficit non grauatus.

† vt

Venduntur

Venduntur induciæ hiis qui non possunt esse soluendo, cum dilationis redemptio publicam magis attenuet functionem. Amittit sine dubio fiscus, quod commodo suo exactor augmentat. Superiorum igitur P. C. omnium temporum reliqua tam arcalium, quàm vtriusque ærarij, vsque ad incipientem primam indictionem iubemus ad indulgentiam pertinere: nemo prorsus quælibet vsque ad designatum tempus transacta discutiat. Sola est nunquam calumniandi securitas, quam æternitas nostra concedit. Licet hanc humanitatem cunctis ad quietem sciamus posse sufficere, tamen addimus quo prouisio nostra magis possit grata præstari, nemini deinceps licebit ad hoc negotium arbitrio vnius Iudicis adspirare. Vtrum mitti debeat inspector publicus, tractatus ante deliberet sublimis viri Parentis Patritiique nostri, necnon magnificus vir Præfectus prætorio, qui communionis vtilitatem virtutum suarum magnitudine nobiscum peruigiles & cogitant & tuentur, cum aulicis potestatibus pro sua moderatione disponant, si iusta necessitas cogit, qualis persona mittatur. Nihil imprudenter audebit, quem elegit talium virorum examinatus adsensus. Necesse est ab eo integritatis reuerentiam custodiri, qui nouit tot se custodes habere, quot Iudices. Aliter pergenti ad prouinciam, & fortunarum, & famæ iubemus esse discrimen, reuocetur publici timore periculi, quem occulta cupiditas festinare compellit. Similis condicio manebit officium eius potestatis, quæ discussorem mittere cupiens, non fideliter suggesserit attestatione gestorum formam mittendi, quam statuimus debere seruari. Sardiniam ab hoc excipi placuit, quoniam apud nõnullos calliditate quadam maxima pars pecuniæ residet, quam exactam publicis oportuit erogationibus applicari: cum satisfecerit, ad ipsam quoque beneficia nostra perueniant. Inlustris viri comitis rei priuatæ insinuatio patefecit, dudum nostram clementiam præcepisse, intra Africam, sicut per alias prouincias adiectione quinquennij pretium distractorum prædiorum ab emptoribus debere suppleri, Palatinos super hac re olim directos, necdum quid profecerit retulisse. Quare nolumus hunc titulum interpretationi huiusce iussionis adiungi, ne sub occasione orationis accepta consumant: dici enim reliqua non possunt, vnde non residua pars, sed omnis quæ sperari potest summa debetur. Et manu diuina optamus vos felicissimos ac florentissimos nostrique amantissimos per multos annos bene valere, sanctissimi ordinis P. C. Et ad latus. Dat. III. Non. Mart. Rom. Valent. A. VI. & Auieno V.C. COSS. Recitata in Senatu per virum Inl. Postumianum prid. Id. Mart.

Ista lex interpretatione non indiget.

De triginta annorum præscriptione omnibus causis opponenda. *Titulus* VIII.

I. Impp. Theodosius & Valentinianus AA. Firmino PF. P.

BOni principis cura vel prima vel maxima est, quietem Prouincialiũ propitiata sollicitius mente tractare, quibus quanto plus fuerit humanitatis impensum, tanto pronius amor deuotionis incũbit: Hæc est enim natura mentis humanæ, vt quod amittit ex cõmodo cõpẽset in gratia, & animos præstitis largioribus interiore quodã vinculo

caritatis obstringat. Iuuat itaque iuris perpetui, emphyteutici, patrimonialis, iuris reip. vagas æternásque calumnias & nullo temporum fine conclusas, certis & designatis terminis limitare. Quam nobis necessitatem ferendæ legis iusta imposuit querimonia plurimorum. Quis ferat institui iurgia, quæ aui ac proaui nescierunt? quæ alia improbum litigatorem tam valida defensio submouebit, si possessorem nec secula in infinitum transacta defendunt? Præter tantæ ætatis iniuriam vehementer offendit, quod quibusdam nec militiæ suæ priuilegia suffragantur. Diuturno excubiarum labore perfunctis impingi contumeliosam status comperimus quæstionem, & quos verecundiæ contestatione natalium splendor conspicuus, præclara scriniorum officia probauerunt, næuo erubescendæ obiectionis vrgueri: emeritos aulicis honoribus viros trahi ad laqueos vilissimi colonatus: tunc perniciosius laborare, quando post continuos obseruationum labores & residuo vitæ optata debeant quiete gaudere. Domini vernulas suos fideliter seruientes, cum libuerit iugo seruitutis absoluunt, & quod esse non poterant qualitate nascendi, manumissionis beneficio consequuntur. Indignum facinus, deteriorem condicionem liberis esse, quàm seruis vt humilis abiectáque persona, legibus quod non habebat, adquirat: nobilior quod habuit obtinere non possit. Absit à temporibus nostris, vt id conscientia nostra permittat. Quinimo hunc nobis gloriæ titulum vindicamus, vt nostro studio grauissimæ consuetudinis licentia comprimatur: decet nostris specialiter remediis veternosæ valetudinis aduersa curare. Medicinæ huius laus æterna contingit, quod nos tam salubris æquitatis auctores ætas & præsens & futura declarat. Ad quam beneuolentiam præcipue nos hortata est lex Domini patris Clementiæ meæ, Theodosij perennis Augusti, qua virtutum suarum more secutus, humano generi profunda quiete prospexit: Constituens post xxx. annos nulla penitus iurgia quæ medio tempore mota non fuerant, excitari. Cuius inuicti Principis laudibus etiam præsentem legem necesse est applicari. Illa nãque pia mente præstando, viam huic alteri præbuit, qua beneficia eius latius panderentur. Præcipimus itaque propter quorundam prauas interpretationes, quibus sanctio memorata non sufficit, dum minutias iuris, & captiosa verba sectantur, vt quæ specialiter iussa sunt, specialiter abrogentur: cum generalitatis designatio vniuersa consumat, nec aliquid possit esse exceptum, quod nõ per illud venerabile constitutum hoc peremptorio vocabulo concludatur: Dicendo enim, omnia, nullũ penitus cuiuslibet litis aut causationis fomitẽ dereliquit. De originariis, & colonis, inquilinis ac seruis vtriusque sexus, peculiis atque agnationibus designati iuris, id est perpetui, patrimonialis, emphyteuticarij, & reipublicæ post xxx. annorum curricula, nulla deinceps actio moueatur. Et negotiũ de quo per expressa tempora nemo pulsauit solenniter, nouum nemo proponat. Quod in omnium consummatione causarum iustum est deberẽ seruari. Æquũ est enim, tot annos sine interpellatione decursos, nullo nomine, nulla prorsus occasione subuerti. ac si cõstiterit memorati tẽporis intercessisse silẽtiũ, etiã has causas quæ sub fiducia legũ præsẽti sanctione ablatarũ motę sũt nec finitę, hui⁹ sacræ præceptionis auctoritate volumus aboleri: quia sicut tales inchoari nolum⁹ actiones, ita male inchoatas haberi oportet extinctas. Intra hęc sanè tempora, si cœpta lis fuerit de originariis vel agnatione cespitis designati hanc

hanc formam erga possidentes seruari præcepimus, quæ lege Diui Parentis nostri Honorij, de colonis vtriusque sexus iuris priuati euidenti definitione conscripta est: scilicet vt à persona feminea viginti annorum, à virili triginta repetentem præscriptio obiecta submoueat. Quod & in illa parte obseruari conuenit, quæ statuta est de agnatione talium personarum. Et licet rem omnibus causis generaliter profuturam à nemine temerari posse credamus: tamen ne quos sacrilegæ mentis temeritas ad subreptionem quacunque compellat audacia, præsumentes triginta librarum auri pœna percellet. Eadem manebit Palatinum officium vtriusque ærarij, necnon officium culminis tui, vel cunctorum Iudicum prouinciarum, vt pari sorte quæ salubriter constituimus, periculo etiam salutis suæ illibata conseruent: Firmine Parens Karissime AA. Inlustris & præcelsa magnificentia tua, per quam nouimus vniuersitatis quietem studiosa diligentia custodiri, legem cunctis prouinciis, vniuersis litibus adplicandam, propositis vulgabit edictis, vt post triginta, sicut dictum est, annos perniciosa diuersarum omnium causarum propositio conquiescat. Dat. XV. Kal. Iul. Rau. Asturio, & Protogene vv.cc. coss. pp. in foro Traiani XIII. Kal. Aug. sub edicto Firmini viri inlustris PF.P.

Ista lex ideo interpretata non est, quia sequens sub titulo, De Episcopali iudicio & diuersis negotiis, & de tricennio loquitur, & omnia quæ hic comprehensa non sunt, euidenter habet expressa.

De colonis vagis, vel agnatione eorum, & de aduenis. Titulus IX.

1. Impp. Theod. & Valent. AA. Firmino PF.P. & Patritio.

CVm pure & fideliter obseruari debeant quæ cauentur in legibus, latam dudum de colonis originariis, fucum pati quorundam maligna mente cognouimus. Nam cum is, à quo discessit obnoxius, triginta annorum repellatur obiectu, is eum sibi vindicat apud quem triginta annos probatur implesse. si verò æqualiter habitet per diuersos, is eum sibi vindicat penes quem triginta annorum tempora concluduntur, aliàs huic competit cum quo maximam tricennij partem habitauit, eundo per hos atque alios designatum tempus adsumit, ita contingit, vt cum illi pereat à quo fugit, nec huic ad quem venit possit acquiri, mansionum permutatione desinat esse quod natus est: libertatem, quam nascendo non habuit, fugæ sibi assiduitate defendens. Nulli vnquam nisi colono fugitiuo culpa sua præmium fuit. Ea causa incipit melior esse, qua pœnam meretur. Quod tamen sufficit hucusque licuisse. Nam cum prior dominus obice legis excluditur, illi eum iubemus acquiri, apud quem eosdem annos statuti temporis probatur implesse. Quod si propter conclusionem tricennalem, & ad vim præscriptionis eludendam æqualiter habitet per diuersos, is eum vindicet iure colonario seruiturum, penes quem à die primæ fugæ XXX. annorum posteriora tempora concludantur, aliàs huic lucro cedat, cum quo maximam tricennij partem vagus & infidus habitator efficit, quod etiam de mulieribus originariis æquè vagantibus præcipit custodiri. Colona vero, quæ petitori post XX. annorum curricula denegatur, si quem partum ante designatum tempus edidit, priori domino conuenit non perire. Æquum est vt ad eum

soboles redeat suscepta tunc temporis, cum adhuc mulier competebat, vt damnum amissæ matris quod processu cõtingit annorum, prolis saltem vindicatio consoletur. Quem casum iubemus vicariorum compensatione finiri: ne, quod impium est, filij à parentibus diuidantur. Item placet, vt pars cuius maritum esse constiterit, pro vxore eiusdem mariti vicariam reddat, quatenus praua forsitan dominorum obstinatio à faciendo diuortio conquiescat: quia & in eiusmodi personis salua & inconuulsa debet coniunctionis affectio permanere. Sanè sicut colonas commutari posse priora statuta iusserunt, ita etiam de viris licentia sit. Igitur commutationes factas lex nostra confirmat, ac si aliqua cessio sine personarum cõmutatione processit, vel deinceps facta fuerit, non valebit: ne ad alterum coloni, ad alterum possessio exhausta perueniat. Aduenæ plerumque tenues: abiectæque fortunnæ quorundam se obsequiis iungunt, vt simulata laboris & obsequiorum patientia, accepto sumptu ac vestitu, illuuiem & squalorem egestatis euadant. Vbi de angustiis cladis suæ, & humanitate & miseratione colligentes fuerint liberati, iam repleti, iam nihil de miseria cogitantes, eligunt feminas ad patremfamiliâs pertinentes, sollertia, forma, vtilitate meliores: cum satias ceperit, derelinquunt, non statu priore perpenso, non adsuetudine coniunctionis, non dulcedine filiorum, nulla lege prohibente discedunt. Itaque si nulli quolibet modo obnoxius ciuitati ad prædium se cuiuscunque rusticum, vrbanúmque collegerit, & mulieri obnoxiæ sociari voluerit, gestis municipalibus profiteatur habitandi vbi elegerit voluntatem. Vt hoc vinculo præcedente, nec habitaculum, quod placuit, deserat, nec consortium mulieris abrumpat. Qua professione deprompta, salua ingenuitate, licentiam non habeat recedendi. Pari lege mulieres ingenuas iubeo detineri, à quibus coniunctio appetita est, & electa seruorum vel colonorum, vt hiis abire non liceat. Filij earum si denuntiatio non præcessit, in corũ iure & dominio apud quos creati sunt vel creantur, colonario nomine perseuerent. Post denuntiationem vero editos, secundum scita diualia seruos esse censemus, vt illos nexus, sicut dictum est, colonarius semper teneat obnoxios, hos condicio seruitutis. Firmine Parens Karissime AA. Inlustris & præcelsa Magnificentia tua huius generalis Constitutionis formam, edictis propositis, ad omnium faciat notitiam peruenire. Dat. prid. Kal. Febr. Romæ. Acc. III. Non. Feb. Romæ PP. in foro Traiani: Adelphio v.c. CONS.

INTERPRETATIO. *Lex ista constituit, vt si colonus proprium dominum fugerit, & XXX. annis per diuersorum domos aut agros fortasse latuerit, & non nisi impletis XXX. annis à die fugæ suæ prædictum colonum dominus potuerit inuenire, ab eo apud quem inuentus est, tricennali annorum præscriptione dominus, qui coloni fugam sequitur, excludatur. Secunda iterum condicione currente, vt si forte apud tres personas denis annis colonus ipse habitauerit, ille eum vindicet, apud quem posteriori tempore inuenitur. Tertia condicio est, vt si inter eos apud quos per tricennium habitauerit, fuerit orta contentio, ipsi prædictus colonus addicatur, apud quem per illos XXX. annos maiori annorum numero dinoscitur habitasse. De colonæ vero fuga, par apud quoscunque habitauerit forma seruetur, ea tamen condicione seruata, vt sicut de coloni iure proprius dominus XXX. annorum præscriptione excluditur, ita & impleto XX. annorum numero de repetitione colonæ domini petitio repellatur. Ita tamen, vt filij, qui infra XX. annos*

annos nati fuerint, quando adhuc colona domino competebat, à domino qui colonam praiudicio temporis perdidit, secundum Constitutionem, quæ sub titulo, De Episcopali iudicio, processit, debeant reuocari. Post XX. *autem annos, nati illius domino acquirantur, cui colonam tempus addixit. Iubetur etiam, vt de talibus personis commutatio non negetur, ita vt vicaria mancipia tam pro colona, quàm pro portione filiorum dare coloni dominus mox procuret, quod etiamsi conuenerit & pro colono is cuius colona est, pari constitutione debebit implere. Aduenæ ingenui, qui se colonæ iungi voluerint alienæ: quia sæpe fit, vt contubernia electa contemnant, gestis profiteantur, se de domo domini colonæ, cui iunctus fuerit, nulla ratione discedere, & ingenuitate manente, nullam habeat licentiam euagandi, aut cui coniunctus fuerit, deserendi. Ingenua itémque mulier, si contubernium coloni elegerit alieni, si ei denuntiatum non fuerit, coloni sint domino profuturi, quoscunque eius partus ediderit. Post denuntiationem vero quoscunque ediderit, non colonos, sed seruos nouerit esse futuros.*

De confirmandis hiis quæ administrantibus, vel publicum officium gerentibus distracta sunt, vel donata, & de Aduocatis, & ceteris negotiis. *Tit.* X.

1. Imp. Valent. A. Firmino PF. P. & Patritio.

QVæ plerique legibus constituta dissimulant, necesse est præsenti iussione sanciri, vt omni ambiguitate submota, instauratione solidiora reddantur. In administratione enim & in militia positis, emendi licentiam denegatam, superflua nonnullorum dicitur esse persuasio, cum lex Diui Honorij ad Palladium PF. P. missa, in Theodosianum redacta corpus, hanc copiam talibus legatur dedisse personis. Quem non tædeat alioqui ista condicio, hiis solis qui ad honores aliquos euehuntur, libertatem in contractibus non patêre? Et cum huic obstaculo nulla fortuna subiaceat, non mediocris, non nobilis, non plebeia, vniuersitatis ius & commodum solis militâtibus negari. Censeo igitur, vt in quibuslibet administrationibus, officiis, in quocunque militiæ gradu positis, emendi quæ ceteris copia sit: dummodo emptio & venditio celebretur iure communi. Neminem volo potestatis iussu & impressione compelli. Volenti vendere, definitam & conscriptam pecuniam oportet inferri. Videat instrumentorum scriptor, sciant ij apud quos venditionis documentum necesse est allegari. Nihil refert quis emat, cum publica fide pretium venditor consequatur. Quod si emptor officio & administratione perfunctus, intra anni metas, aut super illata violentia lege conscripta, carceris, catenarum, custodiæ publicæ vel priuatæ, vel in quolibet genere factionis, aut non annumerato pretio, euidenter fuerit confutatus: vel se de iudicio tergiuersatione subtraxerit, & agat ne gestæ rei veritas possit agnosci, venditori solidorum numerum inferat, qui tabulis continetur, possessionem nihilominus perditurus, vt ad dominum redeat, cui taliter probatur ablata. Item si venditor nihil horum sustineat quæ ponimus, sed callida refragatione causetur, manente contractu, perpetua firmitate, & pecuniam reddat emptori, quam cum in pretium constiterit accepisse. Hac sanctione eos quoque iubemus esse munitos, quos administrantes, & vlla gerentes officia, prædia rustica vel vrbana certum est dato pretio com-

parasse. Donationes quoque habitas & commutationes, circa eas personas, quarum immerito hactenus emptio fluctuabat, similiter roboramus. Ita fit, vt in actu publico positus fidelius laborare delectet, cum videant seu emptione, seu commutatione, quæ instar obtinet emptionis, seu donatione, seu alio quolibet titulo venientia, apud se posterósque suos inconuulsa mâsura. Non patimur præterea nonnullorum alio genere iura turbari. Notum est post fatalem hostium ruinam qua Italia laborauit, in quibusdam regionibus & causidicos & Iudices defuisse, hodiéque gnaros iuris & legum, aut raro, aut minime reperiri. Nam hæc necessitas fecit perpetuitatem dari prouincialibus aduocatis. Si quis curiali venditori aliqua laboranti necessitate subuenit, cum modo ab exactore fiscalium functionum, modo à creditoribus vrgueretur, & sine cautela vendidit, quam premente iniuria quærere non vacabat, ne diutius suspendiis, squalore custodiæ, sportulæ concussione, vsuris in maiorem cumulum crescentibus, vexaretur, cur non maneat venditio, quæ præstitit obnoxium à dispendiis & suppliciis liberari. Alij destituta & inculta propterea vendíderunt, quia ieiuni cespitis onerosam professionem non poterant sustinere. Iniquum est, tam iustis præcedentibus causis, confectæ venditioni ob hoc solum, quia decreti interpositio defuit, adimi firmitatem. Statuo igitur à tempore, quo Italiam Alaricus intrauit, nullam moueri quæstionem hiis, quæ Curiales taliter de facultatibus propriis vendiderunt. A die sanè latæ huius saluberrimæ iussionis, cum prædia sua distrahunt Curiales, primores etiam Curiæ, qui vendendi necessitatem ignorare non possunt, in conlegæ venditionem subscribant. Hoc ordine omnis causatio sopietur, nec emptor hiis auctoribus quicquam de resolutione formidat, nec venditor potest sub tali assertione fraudari. Quem si deceptum oppressúmve claruerit, ab ipsis etiam subscriptoribus reddi iubemus indemnem, vt vtilitati eius cum emptore improbo pariter addicantur. In diuersis prouinciis vacuas Curias derelinquunt, qui certatim ad priuilegia, Causidicis inlustris prætorianæ sedis atque vrbanæ delata festinant: cum meliores natalibus suis effici volunt, non curant vrbes proprias spoliatas ministeriis & officiis debitis interire. Nos neque meliora desideria volumus impedire, neque passim destitui ciuitates. Quisquis ergo ad hoc officium venire contendit, non ante sibi sciat esse permissum, quàm vniuersa munia, quæ patriæ suæ debet, exsoluat. Cuius tamen indulgemus arbitrio, vt si ad togam properat, suffectum Curiæ præstet, cuius studio perficiat vniuersa quæ per seipsum fuerant procurenda. Nec absolutum statim credat, appositione subiecti: quia si inefficax vllo debito actu fuerit, recursum ad ipsum præbemus auctorem, nihilominus ad eos concuriales, qui minus idoneum susceperunt. Professurus igitur, gesta secum deferat apud Moderatorem confecta prouinciæ, vt & officio Iudicis notum sit, locum absentis quæ persona susceperit, quæ possit publicis necessitatibus sufficiens dare responsum, hac prouidentia nihil negligens in totum † potest vrbibus euenire. Iubeo sanè, vt si in prouinciali Foro quatuor constat esse causidicos, quorum patrocinium in controuersiam parti possit vtrique sufficere, cum voluerit is, qui vltra memoratum modum potuerit inueniri, veniat ad prædictas sedes ob negotia peroranda. Alioqui licentiam non habebit, si illic non fuerit numerus designatus. Prouidere enim decet, ne prouinciales tenues homines

† *aliàs, post.*

homines defensionis inopia ad requirenda auditoria sumptuosa venire cogantur. Is ergo, inlustribus iudiciis ad actionem causarum debebit admitti, qui probat relatione Iudicis competentis tantos intra prouinciam sibi creditam esse Causidicos, qui possint controuersiæ sustinere conflictum. Firmine Parens Karissime AA. Inlustris itaque & præcelsa Magnificentia tua hanc saluberrimam sanctionem programmate suo ad vniuersorum faciet notitiam peruenire. Dat. pridie Kal. † Feb. Rom. Adelphio v.c. CONS.

† Septemb.

INTERPRETATIO. *Hæc lex præcipit, vt quia in administratione positis, vel in quolibet officio militantibus leges anteriores id specialiter perscribebant, vt nihil aut comparare, aut commutare aut donatum suscipere tempore militiæ, vel administrationis eis vlla ratione liceret. Sed nunc Valentiniani Imperatoris hac lege præceptum est, vt omnes administrantes vel militantes, aut in quocunque officio constituti sunt publico, & comparandi, & commutandi, & accipiendi donationis titulo habeant liberam potestatem. Solum est, vt nullus probet huiusmodi scripturas, aut per metum, aut per fraudem suppositæ personæ, aut violenter extortas, id est, aut in carcere constituto, aut in quibuslibet vinculis posito, aut aliquod se tormentorum genus suppliciorúmque perpesso aut forsitan pretium se, quod instrumentis inscriptum est, non docuerit percepisse. Tunc vero non solum instrumentum, si fuerit vacuatur, sed talis emptor & possessionem reddat, & pretium venditori, quod instrumentis continetur insertum cogatur implere. Si vero nihil horum venditor, vt dictum est, fortasse pertulerit, & contra venditionem hanc voluntarie factam, sub tali obiectione venire tentauerit, cum proposita pœna quæ non valuerit comprobare, merito durante possessione in iure illius, à quo fuerat comparata pretium venditor quod accepit emptori, cui calumniam intulit, absque vlla dilatione restituat. Curiales etiam, quibus hucusque sine decreti interpositione res suas vendere aut alienare à corpore Curiæ non licebat, si certa fuerint necessitate constricti, vt debitum, quod pro vtilitate publica contraxit, dum creditorum pœnas metuit, supplere festinet, quicquid sub tali necessitate vendiderit, omni firmitate subsistat. Nec interpositio decreti quæratur, sed tantum concuriales sui, quos necessitas eius poterit non latere, in ea venditione subscribant, & nihil emptori de empta re calumniæ penitus opponatur, sed rem comparatam emptor perpetuo iure possideat. Ita tamen, vt si forsitan se aliqua fraude, intercedentibus concurialibus suis, qui subscriptores iubentur accedere, venditor se probauerit fuisse deceptum, tam emptoris, quàm subscriptoris dispendio venditor reddatur indemnis. Curiales vero si ad aduocationem venire voluerint, aut aliquam militiam sperare, prouideant huiusmodi personas, quæ munia ipsorum debeant expedire, prouisuri vt nihil per eos reip. possit imminui: nam ad se omne dispendium nouerint pertinere, & se ad locum in quo alium substituerat, reuocandum. Reliquum vero huius legis ideo interpretatum non est, quia hoc in vsu prouinciæ istæ non habent.*

Eo

De parentibus qui filios suos distraxerint per necessitatem, & ne ingenui Barbaris venundentur, neque ad transmarina ducantur. Tit. XI.

1. Imp. Valent. A. Aëtio Patritio.

CVm diebus omnibus & momentis, studium Celsitudinis tuæ, & sollicitudinem peruigilem circa vtilitatem publicam comprobemus: etiam præsenti insinuatione monstrasti, qua nullum pateris benigna & salubri prouidentia addictæ per necessitatem ingenuitati præiudicium prouenire. Ostendis non omnia sinistræ licere fortunæ, vt status, quem illa voluit, inopia cogente mutare, ad splendorem suum humanitatis nostræ beneficio reducatur. Notum est proximè obscœnissimam famem per totam Italiam desæuisse, coactósque homines filios & parentes vendere, vt discrimen instantis mortis effugerent. Tantum vnicuique miseranda macies, & letalis pereuntium pallor extorsit, vt totius, quem natura cõcessit, amoris obliti, alienare suos pietatis genus putarent: nihil est enim ad quod non desperatio salutis impellat. Nil turpe, nil vetitum credit esuries. Sola cura est, vt qualicũque sorte viuatur. Sed iniquum iudico ideo libertatem perire, quia vita non perit, & agi horrore vilissimæ seruitutis, vt exitium pudeat euasisse. Cui non ingenuo mori satius est, quàm iugum seruile perferre? Illa sunt dulcia, quæ præstita non deformant, quæ accepisse delectet, quibus vti non turpe sit. Dici beneficium non potest, si pereat quod seruis pro summa remuneratione præstatur. Igitur libero statui, cui specialiter sapientissimi cõditores iuris, legésque voluerunt esse consultum, nullum præiudicium patior irrogari: renouans statuta maiorum, Venditionem censeo submoueri, quam prędicta fames de ingenuis fieri persuasit. Ita sanè, vt emptor pretiũ sub quintæ adiectione recipiat, hoc est, vt quinto solido vnus addatur: decem, duo: similiter crescente numero, † quancumque summam venditio facta designat. Ita fit vt neque illum rebus adflictis ac desperatis emisse pœniteat, quia amplius recipiat quàm ad pretium dederat: nec pereat sub tanta clade distracta libertas. Si quis sanè Barbaris venditionem prohibitam fecerit, vel emptum ingenuum ad transmarina transtulerit, sciat se sex auri vncias fisci viribus illaturum. Quam saluberrimam legem Aëti Parens Karissime AA. inlustris & pręcelsa Magnificentia tua notitiæ omnium propositis vulgabit edictis. Dat. pridie Kal. Feb. Romæ, Adelphio v.c. CONS.

† *quãtumcũque summa.*

INTERPRETATIO. *Hoc præcepit hæc lex: Quicunque ingenui filios suos in qualibet necessitate, seu famis tempore vendiderint, ipsa necessitate compulsi, emptor si V. solidis emit, sex recipiat, si decim, duodecim solidos similiter recipiat, aut si amplius, secundum suprascriptam rationem augmentum pretij consequatur. Nam si huiusmodi personas aliquis aut ad extraneas gentes, aut transmarina loca transferre, aut venundare præsumpserit, ipse qui hoc contra statuta præsumpserit* VI. *auri vncias fisco se nouerit illaturum.*

De

De Episcopali iudicio, & diuersis negotiis, & ne quis clericus inuitus ordinetur. *Tit.* XII.

I. Imp. Valent. A. Firmino PF. P. & Patritio.

DE Episcopali iudicio diuersorum sæpe causatio est. Ne vlterius querela procedat, necesse est præsenti lege sanciri. Itaque cum inter Clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus conuenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi: præeunte tamen vinculo compromissi. Quod & laicis, si cõsentiant, auctoritas nostra permittit. Aliter eos Iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interposita, sicut dictum est, condicione præcedat. Quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis, secundum Arcadij & Honorij Diualia constituta quæ Theodosianum corpus ostendit, præter religionem posse cognoscere. Si ambo eiusdẽ officij litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & iure communi. Sin vero petitor laicus seu in ciuili, seu criminali causa cuiuslibet loci Clericum aduersarium suum, si id magis eligat, per auctoritatẽ legitimam in publico iudicio respõdere cõpellat. Quam formam etiam circa Episcoporum personam obseruari oportere censemus. Vt si in huiuscemodi ordinis homines actionem peruasionis, & atrocium iniuriarũ dirigi necesse fuerit, per Procuratorem solleniter ordinatum apud Iudicem publicum inter leges, & iura cõfligant: iudicati exitu ad mãdatores sine dubio reuersuro. Quod hiis religionis & sacerdotij veneratione permittimus. Nam notum est procurationẽ in criminalibus negotiis non posse cõcedi. Sed vt sit vlla discretio meritorum, Episcopis & presbyteris tantũ id oportet impẽdi. In reliquis negotiis criminalibus, iuxta legum ordinem, per se iudiciũ subire coguntur. Si ab executore conuenti, parere detrectent, seruato iuris ordine sententia teneat contumaces. In Clerico petitore consequens erit, vt secundum leges pulsati forum sequatur, si, vt dictum est, aduersarius suus ad Episcopi vel Presbyteri audientiam non præstat adsensum. Pœna defensoribus negotij, qui in eodem extraordinario iudicio adfuerint atque egerint, huiusmodi cõstituta, vt Causidicum officij amissio, iurisconsultum existimationis & interdictæ ciuitatis damna percellant. Nullus originarius, inquilinus, seruus vel colonus, ad clericale munus accedat, neque monachis & monasteriis adgregetur. vt vinculum debitę condicionis euadat. Non corporatus vrbis Romæ, vel cuiuslibet vrbis alterius, nõ curialis, nõ Exprimario, nõ aurarius quiuis † collegiatus seu † aut publicus seruus. Iubemus, vt Clerici nihil prorsus negotiationis exerceãt. Si velint negotiari, sciant se Iudicibus subditos, Clericorũ priuilegio nõ muniri. Defensores Ecclesiæ de expressis vrbiũ ministeriis nõ liceat ordinari, acquiescẽtes huic officio, rerũ suarũ amissio comitetur: quas Curię vel corpori suo præcipimus applicari. Si custodire hęc & exequi neglexerint Iudices cõpetentes, facultatibus suis & status priuilegiis exuantur, primoribus officij capitali discrimine constituto, ipsis nihilominus à tali officio repellẽdis, vt ab vrbis suæ competẽtibus obsequiis non recedant. Hij autem, qui intra decennium transactum à die latę huius legis Diaconi ordinati sunt, Suffectos pro se dare debebũt. Si non habent vnde sibi hac ratione prospiciãt, ipsi ad nexum proprium reducantur. Ceteris inferioris gradus ad cõpetentia ministeria re-

† *alias, ciuis. ἴσως, siue.*
† *alias, seruilis. ἴσως, seu libertus.*

trahendis: exceptis Episcopis atque presbyteris: seruatis tamen quæ de patrimonio talium personarum legum præcedentium statuta sanxerunt. Originarij sanè vel serui, qui iugum natalium declinantes, ad Ecclesiasticũ se ordinem trãstulerunt, exceptis Episcopis, vt dictum est, & presbyteris, ad dominorum iura redeant, si non in eodem officio annum tricesimum compleuerũt. Ita vt huius cõdicionis Diaconus domino pro se vicarium reddat, omni pariter peculio restituto. Circa quẽ nihilomin⁹ si copia vicarij dãdi nõ suppetat, quę de ministeriis vrbiũ superius sunt statuta, seruẽtur. Vniuersis Clericis, præter Ecclesiasticos actus nihil omnino cum aliis causis decet esse cõmune. Nec cum locis iuris publici, quæ quasi distita plerumque, & non necessaria elicitis supplicationibus, velut ad vsum quendam religionis euertũt, pœna xx. auri librarum scriniorum proximis interposita, si aditus huic supplicationi fuerit attributus. Oportunũ duximus, occasione legis ea de successione decernere, quæ anterioribus cõstitutis nõ sint euidẽter expressa. Itaque si vir sine liberis, vxore superstite moriatur, spõsaliũ quę mulier accepit obeuntis patri matríve mediam restituat portionẽ, sibi residuã reseruatura. Si desint personę quas loquimur, ipsi vniuersa proficiant pro pudore percepta, quæ nõ extãtibus tam caris religiosisque nominibus imminui non oportet. Similis erit de dote cõdicio, quã dari præsentis oraculi decernit auctoritas, vt si nullis interpositis cõdicionibus viro fuerit attributa, quæ lucratiua esse potest, vxorię mortis euẽtu, patri matríve defunctæ maritus acceptę dotis mediam restituat quantitatem. Pars vero feminæ tanta dari debebit, quãtam in spõsalibus maritus intulerit: vt dãtis & accipientis sit æqua cõdicio, ne placita futuráque cõiunctio, vni lucrum, alteri faciat detrimentum. Muliere in matrimonio intestata deficiente, superstitibus filiis derelictis pater vsusfructus totius patrimonij habeat potestatẽ, vsque ad vicesimum filiorum ætatis annum: post medietatẽ restituat filio filiæ ve, sibi in diem vitę suę medietate detẽta. Si expleto filiorum vicesimo anno medietatem portionis suæ vnicuique dare noluerit, soboli quæ medietatẽ ex bonis maternis à patre non fuerit consecuta, post obitum patris à successoribus æstimatione habita iubemus exolui, vt quod in familia quis cõstitutus amisit, futura saltem compensetur ætate. In ipsorum autem matrimoniorum reuerẽtia & vinculo, ne passim & temere deserãtur, antiquata nouella lege, quę solui coniugia sola contraria volũtate permiserat, ea quæ à Diuo patre nostro Constantio decreta sunt intemerata seruentur. Tricennali temporum definitione concludi ea præcipimus, quæ perpetuis aut infinitis seculis seruabũtur: exceptis Afrorum negotiis, qui se probauerint necessitatem Vandalicam pertulisse: vt de eorum causis illa tempora præfixo tricennio subtrahantur, quæ claruerit sub hostilitate consumpta. Ceterum alia intra expressa metarum suarum censemus spatia cõtineri. Sanè sicut nõ cœptã intra tricenniũ quamlibet causam vetuimus inchoari, ita quæ cõtestatæ litis sumpsit exordium, excepto priuilegio pupillaris ætatis, quod Diuæ memorię patris nostri Theodosij lege cõcessum est, intra eadem tempora terminetur: nisi forte post vicesimũ quintum annum, ex quo competere actio cœperat, contestata lis fuerit. Cui si is casus eueniat, emẽso hoc tricennio quod statutum est, aliud quinquennium prorogamus, intra quod debeãt negotia vniuersa consumi: ne à malitiosis ingeniis calumniãdo legem priorem contestatis litibus aliud tricennium vindicetur,

cetur. Abunde enim sufficiet quinquénij adiectio: qua euoluta, nulli penitus actioni copia tribuetur. Quæ autem intra vicesimum quintum annum contestata lis fuerit, statuto tricennio modis omnibus consumatur. Petitorem iubemus, postquam edito actionis genere aduersarium suum tenuit, & ad respondendum coëgit, propositæ litis probationibus imminere: quoniam ad damnosam iudicij obseruationem quenquam prius non debet vllus attrahere, quàm omnia documenta præpararit, quibus exhibitum in disceptatione conuincat. Quod & scitis veterum Principum continetur. Aliâs si quis ad iudicium quem venire compulerit, & eodem in officio vel fideiussionis vinculo constituto non vrgueat, quo intra quatuor menses institutas peragat actiones, & constiterit Iudicem causas alias cognouisse, petitor qui secretarium suo vitio noluit introire, sumptus expensásque restituat: quoniam actoris tergiuersationem esse non conuenit impunitam. Pulsatus hiis recuperatis, ab obseruationis necessitate integro petitoris negotio liber abscedat. Quod si pulsatus quis adesse neglexerit, euocatus secundum ordinem iuris, sententiam excipiat contumacis. Exhibitus sanè si de solo pulsatus fuerit, cessante fideiussionis necessitate, periculo negotij obseruationem se subiturũ promittat. In pecuniariis autem causis, nõ nisi pro quantitate debiti, quod fuerit postulatum, præsentiæ suæ fide uxorem dabit, si maluerit subire conflictum, si tamen eum in hiis locis, in quibus pulsatus fuerit, patrimonium petitæ summæ conueniens constiterit non habere. Si quis à suspecto Iudice inlustri viro, Præfecto vrbis Romæ, propter aliquas domesticas & priuatas simultates vocem appellationis emiserit, apud successorem eius sequentem mox quas ante timuit exerat actiones: vt relationibus difficultatum ac morarum, quas intercedere ad respondendum nolumus necessitas auferatur. Nec quisquam prouocet à præfato Cognitore in causa cuius meritum intra centum solidos continetur. Si forte duorum prædiorum vnus dominus atque possessor ex referto originariis & colonis agro, ad alterum rus aliquos homines propria voluntate & ordinatione transtulerit, ita id maneat, vt siue venditione, seu donatione, seu quolibet alio modo ad diuersos dominos res vtraque peruenerit, translatos originis iure & titulo reuocari non liceat. Indecorum est, auctoris facta conuelli, quæ pro consilio suo & tractatu necessaria iudicauit. Cum magis deceat ad eius reuerentiam, quę illi visa sunt, inuiolata seruari. Quod autem antehac promulgata lege censuimus, amissæ temporibus originariæ sobolem priori domino non perire, id in argumentum trahi aperta definitione prohibemus. Scilicet vt secundum legem ad Palladium datam, sobolem diuidi censeamus, quæ de originaaio suscepta fuerit alieno. Firmine Parens Karissime AA. Quare inlustris & præcelsa Magnificentia tua hanc saluberrimam edictalem legem, etiam pendentibus in foro negotiis profuturam, propositis vulgabit edictis: vt quanta nobis disponendæ quietis publicę cura sit, omnibus innotescat. Dat. XVII. Kal. Maij, Romæ, Herculano v. c. CONS.

INTERPRETATIO. *Lex ista de diuersis rebus multa cõstituit: sed inprimis de clericis quod dictum est, vt nisi per cõpromissi vinculum iudicium Episcopale non adeant, posteriori lege Maioriani abrogatũ est. De reliquis præcepit, vt si quis laicus Clericũ siue in ciuili, seu in criminali negotio per auctoritatem Iudicis ad publicũ prouocauerit, pulsatus sine dilatione respondeat. Episcopi etiam siue pro peruasione rei alicuius, siue pro qui-*

buſcunque grauibus iniuriis ad iudicium fuerint prouocati, licet in criminalibus cauſis per alium nulli liceat reſpondere, Epiſcopis tamen & presbyteris hac lege præſtatur, vt in talibus cauſis miſſo Procuratore reſpondeant, ſine dubio vt ad eos redeat ſententia iudicati. In reliquis vero criminalibus cauſis, vbi de ſcelere perſona conuincenda eſt, ſuam in iudicio præſentiam exhibere procurent. Quod ſi tertio conuenti per executorem ad iudicium venire noluerint, ſententiam excipiant contumacis. Clericus ſi aliquem lite pulſauerit, in foro illius quem ad iudiciũ prouocat, audiatur: ſi tamen pulſatus nõ acquieuerit ad Epiſcopi vel presbyteri venire iudicium. Quod ſi aliud fecerit ille qui pulſat, defenſores cauſæ ipſius taliter notari præcepit, vt ab omni officio & proſecutione cauſarum habeantur extranei. Nullum etiam originarium, inquilinũ ſeruum, ſiue colonum ad clericatus officium iubet accedere, neque in monaſteriis recipi, ne per hanc occaſionem debitam condicionem poßint euadere. Nam nec corporatus ciuitatis alicuius, qui publicum ſeruitium debet, nec Curialis nec collegiatus Clericus eſſe præſumat. Clericos quoque præcepit, vt negotiationes nullatenus exercere præſumãt: quod ſi fecerint, velut alij negotiatores, à Iudicibus emẽdentur. De corporibus nãque publicis nullũ fieri defenſorem Eccleſiæ lex iſta cõſtituit. Quod ſi quis ex Curia adquieuerit, vt fiat defenſor Eccleſiæ, nouerit res ſuas omnes Curiæ, aut illi corpori vnde diſceſſerat applicandas, & ſe ad ſeruitium ciuitatis in ſuo corpore reuocandum. Nam & Iudicem, & officium eius prouinciæ, ſi eos non reuocauerint: graui, ſicut ipſa lex loquitur, dicit pœna feriendos. Diaconis, qui ex Curialibus, vel ex quolibet corpore publico facti ſunt, præcepit, vt pro ſe ad agẽda quæ vtilitati publicæ debentur Suffectos dare debeant. Quod ſi non dederint, ipſi ad condicionem debitam reuocentur. Nam Epiſcopos atque presbyteros non iubet hac lege conſtringi, niſi tantum vt de patrimoniis ſuis, quæ ſunt Maioriani lege conſtituta, euidenter obſeruent. Originarios vero vel ſeruos, qui ad honorem Eccleſiaſticum adſpirauerint, debere intra XXX. annos à dominis reuocari. Ita tamẽ, vt diaconus pro ſe vicarium ſi habuerit reddat, & omne peculium ſuum dominus eius vſurpet. Quod ſi vicarium non habuerit vnde reddat, ipſe ad condicionem propriam reuocetur. Nam omnes Clericos iubet, vt nullas alias cauſas, præter actus tantum Eccleſiaſticos agant, & vt publica loca pro Eccleſiarum reparatione non deſtruant. De ſucceſſione quoque hoc ſpecialiter credidit inſerendum, vt ſi vir vxore viua moriatur, & filios nõ habeat, ſed aut patrem, aut matrem dimittat, de ſponſalitia donatione quã fecit medietatẽ ſibi vxor vendicet, medietatẽ patri aut matri defuncti mariti, qui ſuperſtes eorum fuerit, ſine difficultate reſtituat. Quod etiamſi vxori talis caſus euenerit, de dote quam ab vxore maritus accepit, ſimili ratione, id eſt, medietatẽ parentibus, aut ſi vnus eorũ ſuperſtes fuerit, ſe nouerit redditurũ. Quod ſi nec parentes ſuperſtites fuerint, nec filij, perſona coniugis quæ altero ſuperuixerit, & dotem, & donationem ſibi iure perpetuo vindicabit. Ita vt faciendi de hiis quicquid voluerit habeat liberam poteſtatem. Mulier vero quæ filium derelinquet, ſi marito ſuperſtite inteſtata defecerit, maritus eius, hoc eſt pater eorum, facultates ab vxore dimiſſas pro vſufructu in ſua habeat poteſtate: Ita vt cum vnuſquiſque filiorum ad viceſimum ætatis ſuæ annum peruenerit, medietatem portionis ſuæ ſine dilatione percipiat, & medietatem ſibi pater in diem vitæ ſuæ ad vſumfructum retineat. Quod ſi alicui trãſacto viceſimo anno medietatem portionis ſuæ dare noluerit, fructus eius medietatis, quam daturus erat, poſt mortem patris filius de paterna hereditate à ſucceſſoribus eius habita æſtimatione recipiat, quos patri exigere pro ſua poteſtate non valuit. De diuortiis vero inter cõiuges ſublata Nouella lege, quæ ſunt à Diuo Conſtãtio ordinata præcepit obſeruari. Tricennalẽ vero legẽ in omnibus negotiis ita iubet euidentius cuſtodiri, vt omnia

nia

nia tempora, quæ in infinitum negotia extendebant: quia diuersi in quadraginta annos, diuersi Iurisconsultores de aliquibus rebus perpetuam fecerant actionem: specialiter censuit, vt omnia de omnbus causis infra xxx. annorũ curricula concludãtur, præter, sicut de postliminio dictum est, vt illi anni saluo tricennio captiuis imputari non debeant, in quibus hostium dominatione detenti sunt. Quæ tamen lex tricennalis sicut illa tempora ad xxx. annos reuocat, quæ amplius lites fecerãt propagari, ita reliqua, quæ infra xxx. annos suis quibusque locis euidenter iussa sunt obseruari, in omnibus præcipit custodiri. Nam etiamsi lis infra tricennium inchoata fuerit, & non definita, quasi nec incepta fuerit habeatur extincta: Excepta pupillari causa, quibus pro ætatis fragilitate, sicut lex Diui Theodosij continet: constat esse consultum: vt ea tempora in tricennio non imputentur, in quibus minores sub tutorum iubentur potestate consistere. A quibus tamen, si post xxv. annum, ex eo quo competere actio cœperat, lis fuerit contestata, quintum tantum annum supra tricennium pupillis iubet augeri. Ita vt completis xxx. & quinque annis, sicut reliquorum causæ infra xxx. annos, ita & eorum infra xxx. & quinque spatium concludantur. Pupillorum vero causæ vt lites, quæ antequam ad xxv. annum perueniant, contestatæ fuisse probantur, intra tricennium sine adiectione quinquennij modis omnibus consumantur. De petitoribus vero constitutum est, vt si petitor aduersarium suum pulsatum in iudicio deferre voluerit: quem aut sub fideiussione, aut cautione fecit adduci, & non festinet infra quatuor menses, in quibus tamen Iudex ad audiendas reliquas causas vacare cognoscitur, vt actionem quam proposuit debeat expedire. Ille, quem compulit ad audiẽtiam, obseruare sumptus & expensas litis à petitore recipiat & liber abscedat: Salua tamen integritate negotij illius petitoris, qui ad præsens pro tarditate sumptuum vel expensarum damna sustinuit. Nam si quis pulsatus in iudicio adesse noluerit, post trinam conuentionem sciat se contumacis sententiam subiturum: id est, vt quicquid si adfuisset in iudicio addicendus erat, petenti litigatori quasi victus exoluat. Quicunque autem siue de domo, vel de agro fuerit pulsatus, sine fideiussione alicuius caueat adfuturum se esse in iudicio. Nam si pecuniam quis ab eo repetit, & fideiussionem pro quantitate pecuniæ, vnde pulsatur, dare debet, si de hoc debito voluerit parare conflictum: tunc tamen ab eo fideiussor requiri non debebit, quando pulsatus In his locis, in quibus audientia est, non minoris debiti ipsius possessiones habere probatur. Si quis iudicem pro quibuscunque causis aduersum sibi senserit, aut habuerit fortasse suspectum, vocem appellationis exhibeat, vt cum ei successum fuerit, integro negotio apud alium Iudicem amotis dilationibus possit audiri. In ea vero causa iudiciariæ potestati, id est, inlustri appellari non debet, in qua vsque ad centum solidos fuerit iudicatum. Si quis dominus duorum fuerit prædiorum, & de vna possessione ad aliam, quæ iuris sui est, mancipia originaria vel colonaria transtulerit, & ad diuersos dominos fundus vterque peruenerit, nihil contra ordinationem domini prioris aliunde translatis mancipiis repetere aut pulsare præsumat, sed cui aut venditus, aut donatus, aut dimissus ager fuerit in eo cum statu possideat, in quo ab auctore constat fuisse dimissum. De colonarum vero agnatione id remota ambiguitate constat esse præceptum, vt secundum legem, quæ ad Palladium data est de colono & colona, inter duos dominos diuidatur agnatio, id est, vt coloni dominus duas partes filiorum, tertiam colonæ dominus sibi debeat vindicare. Quæ vero actiones perpetuæ fuerint, & ad tricennium reuocatæ sunt placuit adnecti, id est, hæreditatis petitio, si tamen ab auctore cui competebat fuerit inchoata finalis actio, homicidij, furti, tutelæ gestæ, de fugitiuis, de Curialibus, vel de collegiatis reuocãdis, empti, venditi, locati & conducti, negociorum gestorum, mandati pro socio.

LEGVM NOVELLARVM DIVI MARTIANI A. LIBER III.

Neminem exhiberi de prouincia ad Comitatum, nisi ad relationem Iudicis, à quo fuerit appellatum. *Tit. I.*

1. Impp. Valent. & Martiani AA. Edictum.

MVLTA remediorum genera, nostræ Clementiæ prouincialibus suis prospicere gestienti, & crebra cogitatio suppetit, & ipse rerum vsus apportat. Nam cùm venalem Iudicum ambitum radicitus amputasset, & ad res priuatas vel publicas syncerissime gubernandas, homines spectandos atque consultos traxisset inuitos, sciens quippe felicem fore Remp. si à nolentibus & actus publicos repulsantibus, † cogitanti nostræ pietati statim occurrit: quonam modo possint lōgi itineris interuallo, & enormibus sumptibus legitimo egētes auxilio liberari. Videtis enim agmina, videtis cateruas adeuntium infinitas, non solum à finitimis prouinciis, verum extremo orbis Rom. limite confluentes, & aduersum suos aduersarios conquirentes. Quod profecto nullatenus accidisset, si in locis integritas vel seueritas Iudicum floruisset. Et ne igitur huiusmodi flagitia etiam vlterius porrigantur, ne quis desertis laribus suis, aut certe dulcibus pignoribus, per incognitas mundi partes diutius peruagetur, hoc consultissimo edicto statuendum pariter & omnibus declarandū pietas nostra decernit. Quicūque ciuilem actionem, vel certe criminalem accusationem aduersariis suis intendere moliuntur, viros clarissimos adeant prouinciarum Rectores, & expositis querimoniis, insinuatisque desideriis suis, paratissimum promptissimumque posthac subsidium iuris expectent. Illi noxiæ potentiæ vim legum benignam opponant. Illi diuitiis integram mentem obiiciant. Non illum supercilium, quod hoc tempore nullum est, terrebit: non effeminabit mentem seueram quilibet census oblatus: sed vnicuique non altiore suspecta, non despecta humiliore fortuna, nostræ mandatorum non immemores pietatis, & antiquo & nostro iure succurrent, & querimonias suas probantibus, aut indemnitate seruata, aut legitima vindicta consulent subsecuta. Has ergo ob causas nullum aduersarium suum à proximis vel longinquis partibus, non per sacros adfatus, non per magnificentissimorum vel inlustrium Iudicum sentētias volumus exhiberi: nisi forsitan aut propter potestatē aduersarij, aut ipsius rei difficultatē, aut publici debiti molem † deficiente Rectore prouinciæ,

† videtur deesse, administretur.

† definite.

prouinciæ, spectabilis Iudicis, qui in locis, vel proximo deget, vel amplissimæ potestatis, vel aliorum maiorũ Iudicum auxilium postuletur. Hiis pro commodo vestro, & pro nostri imperij humanitate dispositis, vnusquisque vestrum cùm sint in locis Iudices legum custodes, & earum peruigiles defensores, pro vt quisque possit sine peregrinatione sine sumptibus super dubiis rebus & adire Iudicem & auxilium amicum legibus indipisci, hæc quæ dicta sunt obseruare debebit. Si vero vel ab aduersario tanquam excedẽte prouinciale præsidium, fuerit contemptus, vel à Iudice non auditus, hócque in amplissimæ potestatis, vel alio maiore, competenti tamen examine, per relationem Iudicis contra aduersarium emissam, seu ipsum Iudicem documentis quibusdam neglexisse nostræ maiestatis edicta, sui periculi memor se promiserit probaturum, tunc post indemnitatem ei legibus seruatam, etiam vindicta iuri congrua in cõuictum protinus subsequetur. Quod si appellatio apud Iudicem fuerit subsecuta, ea quæ super prouocationibus legibus antiquitus statuta sunt, diligentius modis omnibus complebuntur. Hiis additur aliud maius, quod innocentes præcipue hactenus conterebat: Nonnulli namque suis allegationibus diffidentes, vexare suos aduersarios tantummodo cupientes, non iure cum hiis sed arte pugnabant, & per sermonem fucatum & phalerata verba, nonnunquam legibus ante confusis ad aliena eos iudicia pertrahebant, ita vt hinc sępius eueniret, vt & miles in ciuili, & priuatus in militari, sed sibi incongruo, peregrinaretur iudicio. Ergo hanc quoque partem, ne ad læsionem nobis subiectorum patiamur, iuris & legum contemptum vlterius perdurare, hoc prouidentissimo edicto nostra Pietas censuit emendandum. Iubemus nanque omnes pro priscis ac saluberrimis institutis, suos aduersarios satisfactionem forsitan differentes, in proprio, non in minime competenti fictis quibusdam occasionibus exposcere litigatorem. Actor rei forum sequatur. Quod sine cœlesti sententia non constat esse decretum, intactum inuiolatúmque seruetur, nemo à nostra Serenitate postulet: nec enim impetrabit non rescriptum, non mandatum, vel iussum quod dicunt sacrum, suos aduersarios in minime competẽti iudicio respondere, maxime cum hoc tempore, quod superius dictum est, vnusquisque clarissimorum, vel spectabilium Iudicum, si tamen propter causas prædictas ita vsus tulerit, & integras adeuntibus aures prębere, & omni postposita inuidia, omni spreta gratia recto proposito potuerit iudicare. Quam formam etiam in militari parte volumus obseruari. Nec passim aliquem armatæ militiæ sociatum longinquis partibus trahi, sed in locis apud competentem Iudicem pulsari: nisi tamen super maximis & necessariis causis & militarem Iudicem in locis excedentibus fuerit accusatus, non ignorante eo, cuius ex interpellatione aliquis secundum datam formam in longinqua fuerit protractus examina, quòd si culpa sui fuerit dilata cognitio, vel minime actioni suæ adfuerit, vel delata probauerit, pro calumnia quidem pœnam luat legibus constitutam: Pro vero pecuniaria causa, post dispendia, post sumptus, considerata quantitate postulatorum, vel medij itineris interuallo, condemnationem pro æstimatione Iudicis sustinebit. Nam dignum est eos, qui maiorum nostrarúmque legum, auaritia stimulante vel inuidia incitante fines perturbare, seu castra perfringere conabuntur, habitantium saltem † intentato quo magis puniuntur, dispendio refrenari.

† *intimato*

Ergo consulite vestris cōmodis, nostris saluberrimis parete præceptis. Nemo à nostra pietate maioribus occupata, vel à magnificentissimis, seu inlustribus Iudicibus, nisi in maximis ac necessariis, quod superius cautum est, rebus, publicísve debitis exhibitionis subsidium poscat. Nam si quis aliter quàm edicta continent petulanti animo hiis despectis, maiorem Iudicem, vel nostram primum contra ordinem legum adierit Maiestatem, sciat se non solum litis iacturæ, atque plus petitionis periculo, verumetiam competenti motui fore subdendū. Dat. v. Id. Octob. Constātinop. Valēt. A. VII. & Auieno v. c. coss.

INTERPRETATIO. *Si quis aduersarium aut repetitione, aut criminis obiectione pulsauerit, in prouincia, in qua cōsistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet aduersarium suum alibi aut longius ad iudicium protrahendum: illi vero qui pulsatus fuerit, si Iudicem suspectum habuerit, liceat appellare. Simili etiam & militantes ordine teneantur, vt & ipsi apud competentes Iudices, quas competere sibi credunt, exerant actiones: quia omnibus legibus constitutum est, vt actor rei forum sequatur.*

De indulgentiis reliquorum. *Tit. II.*

1. Impp. Valent. & Martianus AA. Palladio PF. P.

CVræ nobis est vtilitati humani generis prouidere: nam id die ac nocte prospicimus, vt vniuersi qui sub nostro imperio viuunt, & armorum præsidio ab hostili impetu muniātur, ac in pace libero otio ac securitate potiantur. Ideóque mirati sumus laudabilem suggestionem Celsitudinis tuæ, quę pręter alias virtutes, quibus sublimitas tua plurimum pollet, etiam humanitatem tui Culminis euidenter ostendit. Nam debitorum quæ in reliquis trahuntur, exactionem molestam testatur esse obnoxiis: ac merito postulauit vt prædicti debitores sacra nostra indulgentia liberentur. Quapropter admirabilem insinuationem tuam probandam esse cēsuimus. Cesset igitur, pro securitate prouincialium exactio reliquorum, & à sextæ indictionis initio, vsque ad finem quintæ decimæ nuper elapsæ, debita deleātur, siue ex possessionibus †liberari, vel patrimonialis, templorúmve, aut ciuilis fiscalísve iuris, seu in auro, seu in argento, seu in speciebus, vel in metallica quacunque materia, alióve quolibet collationis titulo in publicis calculis residere noscuntur. Et siue arcæ sublimitatis tuæ, siue thesauris, siue sacro debentur ærario, siue cellariis, siue priuatæ rei nostræ, aut dominicæ domui, siue operibus huius inclytæ vrbis, omnia collatoribus, nec non Curialibus, seu cohortalibus, seu prouincialibus officiis, & aliis quicunque reperiuntur obnoxij, remittātur. Et ne qua liberalitatem nostram caligo fraudis possit impedire, etsi in priuatum contractum, vel in cautionem debitum publicum transisse, vel nouatū esse dicatur, aut si quis Curialis exactor, vel cohortalis compulsor, pro obnoxio se intulisse commemoret, nihilominus liberalitas nostra firma permaneat. Curialibus etiam & cohortalibus nulla superexactionis aduersus optiones vel actuarios, vel deuotissimos milites querelæ permittatur occasio, ita vt optiones & actuarij, & deuotissimi milites inuicē taceant, & nullam aduersus Curiales, seu cohortales vel collatores, seu officia prouincialia, seu Decuriones moueant pro debitis publicis actionem: etiam si quas expensas se pro aliis intulisse contendant. Præterea quicquid ex titulo Senatorij follis in prouinciis debetur, hoc quoque remitti iubemus. Si quid autem

† *se. ærarij.*

autem ex quintæ decimæ indictionis, vel superiorum temporum debitis ad expensas primæ indictionis, seu posteriorum temporum deputatum est, & si quid ex naulis ac pretiis materiarum, & releuatis vel donatis, aut translatis atque adæratis, vel ab arca sacratissimæ Constantinopolitanæ vrbis debetur, ad huius donationis beneficium non tenebitur. Sed & si quid in auro, vel in speciebus, vel in materiis, ciuitatum operibus deputatum est, & hoc erogatum non esse monstratur, eius quoque ratio seruetur intacta. Nec possint debitores huius donationis auxilio niti, sed compellantur hij qui noxij reperiuntur, implere suscepta opera, & sumptuum reddere rationes. Nec enim oportet hanc liberalitatem nostram eousque procedi, vt in aliorum lucra iniuste proficiat, quod ornatui vrbium delegatum est. Sentiant vniuersi, quantum sibi pietas nostra profuerit, & in posterum deuoto animo pensitationes publicas soluant, qui se sciant præteritis debitis liberatos. Palladi Parens Karissime AA. Inlustris itaque & præcelsa Magnificentia tua huius saluberrimę pragmaticæ legis moderationem, per vniuersos populos ac prouinciarum Iudices edictis propositis diuulgari curabit: vt securi & beneficium nostræ pietatis, & securitatis suæ fructum libenter agnoscant. Scripta Palladio viro inlustri, PF.P. Orientis: Hermogeni viro inlustri, Comiti sacrarum largitionum: Gennadio viro inlustri, Comiti rerum priuatarum: Maximino viro inlustri, Comiti & Præposito sacri cubiculi DN. Valent. A. VII. & Auieno V.C. COSS.

INTERPRETATIO. *Lex ista hoc continet, vt per prouincias relaxatæ beneficio Principis tributorum reliquæ non quærātur, tamen quod exactum est, si apud exactores resedisse constiterit, id præcepit, vt publicis debeat vtilitatibus non perire, sed quod exactum est, à retentatoribus thesauris inferatur, & à prouincialibus vel à possessoribus quod solutum non fuerit non quæratur.*

De prædiis ciuitatum omnium. *Tit. III.*

1. Impp. Valent. & Martian. AA. Palladio PF.P. Orientis.

AVaritiæ suæ culpam arguit, qui pro possessionibus quas detinet debitas functiones inferre cunctatur. Itaque inter ceteros egregios actus, quibus Reip. tua Sublimitas prodest, etiam suggestionem de prędiis iuris ciuilis oblatam iure laudamus, per quam postulatum est, vt si qui memorata prædia dempto ciuili canone consecuti sint, veterem canonem in posterum cogantur agnoscere. Celsitudo itaque tua id nobis placuisse cognoscat, vt si qui vel ex titulo donationis, vel ex emptione siue ex alio quolibet titulo possessiones iuris ciuilis tantummodo, & cuiuslibet ciuitatis, & præcipue huius æternæ vrbis, cui maiorem debemus fauorem, tam ciuilis, vt dictum est, iuris, quàm etiam agonotheticas possessiones ex consulatu Ausonij & Olybrij, dempto ciuili canone acceperunt, impositū prædiis canonem, iuxta fidem publicorum monumentorū, ciuitati, ad quam prædia pertinuerunt, præbere iubeātur. Ex præsenti quoque quarta indictione, cessante pręteriti temporis canonis exactione, manente penes eos successorésque eorum, & detentatores illibato dominio. Nam si priuati iuris debita non patimur denegari, multo magis præbenda sunt ciuitatibus, quæ iure debentur: cum sufficiat possessoribus, quod apud eos dominium in perpetuum ex nostra liberalitate permaneat. Si quæ tamen possessiones iuris ciuilis

canonem priuatis largitionibus in præsenti præbent, vel nunquã ademptum, vel postea impositum, ad hãc pragmaticam iussionem non pertinebunt, sed priuato ærario canonem, quem nunc agnoscunt, inferre ex more debebunt, dominio firmiter apud eos successoréfque eorum, & detentatores pari modo permanente. Illud etiam dispositionis culminis tui probamus atque firmamus, vt si qui cuiuslibet Iudicis commotione multati sunt, & partem seu totam multam adhuc debere noscuntur, hij quoque indulgentia nostræ Clementiæ, perfruantur & nullam sustineant exactionem, Palladi Parens Karissime AA. Celsitudo igitur tua hęc, quæ per hanc pragmaticam legem sanximus, Rectoribus prouinciarum declarare non differat: vt & ciuitates & possessores, & ceteri, de quibus hoc constituimus, vtilitati suæ consultum esse lætentur. Dat. xv. Kal. Feb. Constantinop. Martiano A. I. CONS.

INTERPRETATIO. *Si quid de fiscalibus agris vel ædificiis, donatione Principis, vel venditione, vel qualibet ratione ad priuatos fortasse peruenerit, id lex ista constituit, vt soluto canone à possessoribus in perpetuum teneatur, & impletis fiscalibus debitis, illi qui poßident heredibus suis relinquendi, aut quibus voluerint donandi habeant potestatem.*

De matrimoniis Senatorum. *Tit. IIII.*

I. Impp. Valent. & Martianus AA. ad Palladium PF. P.

LEges sacratissimæ, quæ constringunt omniũ vitas, intelligi ab omnibus debẽt, vt vniuersi præscripto earum manifestius cognito, vel prohibita declinent, vel permissa sectentur. Si quid vero in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id imperatoria interpretatione patefieri, vt omnis sanctionis remoueatur ambiguũ, & in suam partem iuris dubia deriuare, litigatorum contentio alterna non possit. Negotiorum quoque cognitores, ac tribunalium pręsides, apertam definitionem legum secuti, suspensis nutantibúsque sententiis inter scita incerta non fluctuent. Plana enim & facilis ad pronunciandum via patet Iudici, quoties non est illud ambiguum iuxta quod necesse est iudicari. Magnificẽtia tua, in caussis omnibus terminandis rectum semper tramitem studens tenere iustitiæ, consuluit clementiam nostram supra Cõstantinianæ legis ea parte, in qua aliquid existere videtur ambiguum. Nam cùm sanciret, ne Senatori, Perfectissimo, Duumuiro, Flamini municipali, sacerdoti prouincię habere liceret vxorem ancillam, ancillę filiam, libertam, libertæ filiam, ciuem Romanam vel Latinam factam: scenicam, vel scenicę filiam, tabernariam vel tabernarij filiam, vel lenonis aut arenarij, aut eam quæ mercimoniis publice præfuit, vetitis ininterdictísque personis, adiecit etiam humilem abiectámque personam. Ex matrimonio magnam dubitationem in iudiciis nasci tua adseruit Celsitudo, vtrúmne hęc nomina etiam ad pauperes ingenuas feminas referri debeant, eásque à matrimonio Senatorũ pręscriptum legis excludat. Absit, vt hoc nefas illius putemus temporibus, vt credatur cuiquam dedecori data esse paupertas: cùm sępe plurimis multum parauerint gloriæ opes modicæ, & continentiæ fuerit testimonium census angustior. Quis arbitretur inclytæ recordationis Constantinum, cum geniales Senatorios thoros contaminari pollutarum mulierum face prohiberet, fortunæ munera bonis naturalibus prætulisse?

tulisse? & diuitiis quas varietas casuũ tam potest adimere quàm tribuere, postposuisse ingenuitatem? quæ auferri non potest, si semel nata sit. Ille verò honesti amantissimus & morum sanctissimus censor, eas humiles abiectásque iudicauit esse personas, & matrimoniis Senatorum duxit indignas, quas aut nascẽdi decolor macula, aut vita probrosis quęstibus dedita, sordẽtibus notis polluit, & vel per originis turpitudinẽ, vel obscœnitate professionis infecit. Ideóque omnem dubitationem, quæ quorundam mentibus iniecta fuerat auferentes, manentibus & solidissima in perpetuũ firmitate durantibus cunctis his quæ super matrimoniis Senatorum sanxit Constitutio Diuæ memoriæ Constãtini, humilem vel abiectam feminam minime eam iudicamus intellegi, quæ licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata sit. Sed licere statuimus Senatoribus, & quibuscunque amplissimis dignitatibus prędítis, ex ingenuis natas, quamuis pauperes, in matrimoniũ sibi adsciscere, nullámque inter ingenuas ex diuitiis & opulentiore fortuna esse distantiam. Humiles verò abiectásque personas eas tãtummodo mulieres esse censemus, quas enumeratas & specialiter expressas copulari matrimoniis Senatorum lex prædicta non passa est, hoc est, ancillam, ancillæ filiam, libertam, libertæ filiam, ciuem Romanam vel Latinã factam, scenicam vel scenicæ filiam, tabernariam vel tabernarij, vel lenonis aut arenarij filiã, aut eam quę mercimoniis publicè præfuit. Quod quidem haud dubie credimus ipsum Diuæ memoriæ Constantinum, in ea quam promulgauit sanctione sensisse. Ideóque huiusmodi inhibuisse nuptias, ne Senatoribus harum feminarum quas nunc enumerauimus, non tam connubia q àm vitia iungerẽtur. Cetera etiam quæ ab inclytæ recordationis Constantino, vel ab aliis post eum Diuis principibus, super naturalibus filiis eorúmque matribus, de concubinis quoque ingenuis, & de his quæ post vxoris obitum in nuptias conuenerunt, quęcunque sacris Constitutionibus definita sunt, iubemus inuiolabiliter custodiri. Ita tamen vt promulgatas prius leges hæ quæ postmodum latæ sunt auctoritate pręcedant: & quęcunque ex ipsis est posterior tempore, sit validior sanctione, Palladi Parens Karissime AA. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua hanc Serenitatis nostrę legem perpetuò in æuum omne valituram, Edictis ex more propositis, ad omnium notitiam faciat peruenire. Dat. prid. Non. April. Constantinop. Aëtio & Studio vv.cc. coss.

INTERPRETATIO. *Hac lege permissum est, vt exceptis vilibus infamibúsque personis, quas lex ista commemorat, pauperes, & sine vlla dignitate natalium, dummodo honestas & honestis parẽtibus procreatas, Senatores, si voluerint vxores eligẽdi & ducendi habeant potestatem. Quod & omnibus exemplo legis huius sine dubitatione permittitur.*

Titulus V.

1. Impp. Valent. & Mart. AA. Storacio PF. P.

MVlta in sanciendis legibus non solùm sibi vindicat, verum etiã temporis ratio persuadet, non quod præceptorum diuersitas placeat, sed quod euentuum qualitas pensius facit esse iudicium, & firmius constituto robur est, quotiens priori sentẽtiæ magis magísque probata succedit. Dudum lata lex exceptis inlustribus foris ceteris ac prouincialibus perpetuitatem concesserat actionis, sed nunc adcrescente pube & literariæ indolis iu-

uentute, aditi exoratíque sumus ne sub aliorum perpetuitate succedentium studiorum feruor euanescat. Quis enim se ei officio nouus professor inferat quod veteranus insederit, vt non sit tam actor quàm obseruator alterius, & quia hęc quæ ab homine caduca sunt, fiunt subrogatione perpetua, ne interdicentibus studiis ipsa pariter officia conquiescant, hac generali Constitutione decernimus vniuersa fora tam inlustrium Præfectorum prætorij ac præfecti vrbi quàm reliqua omnia, &c.

De testamentis clericorum. *Tit. VI.*

1. Imp. Martianus A. Palladio PF. P.

SÆpe materiã scribendis ferendísque legibus negotia inopinatò exorta suppeditant, & aut nouas constitui sanctiones, aut durius & asperius latas faciũt abrogari. Æqualis enim in vtroque æquitas est, vel promulgare quæ iusta sunt, vel antiquare quæ grauia sunt. Nuper cùm de testamẽto clarissimæ memoriæ Hipasiæ, quæ inter alios virum religiosum Anatolium presbyterum in portione manifesta bonorum suorum scripsit heredem, amplissimo Senatu præsente tractaret Pietas mea, & dubium videretur, an vere esse deberent hæ voluntates viduarum, quæ testamento suo aliquid his clericis relinquunt, qui sub prætextu religionis huiusmodi feminarum domus adeunt. Cùm lex Diuæ memoriæ Valentiniani & Valentis, & Gratiani, Ecclesiasticos vel eos qui continentium se volũt nomine nuncupari, nihil quacũque liberalitate viduarum extremo iudicio permittat adipisci. Contra hæc autem Diuæ memoriæ Valentiniani, Theodosij & Arcad. Constitutio legeretur: Inspicientibus & æstimantibus nobis latoris animum, visum est iusta ac rationabili pœnitentia priorum Constitutionum vigorem antiquare voluisse. Nam cùm in prima lege viduarum tãtummodo mentio facta sit, in secunda autem tantummodo diaconissarum, intelligitur eam Constitutionem, quæ viduarum & diaconissarum meminit, de lege vtraque dixisse. Quod cùm de volũtate latoris, & de sanctione legis nobis videretur, vniuersum testamentum nobis iussimus relegi atque replicari, & cùm repertum fuisset alias quoque partes eiusdem voluntatis ita iustè ac prudenter institutas, vt nullum bene de se meritum neglexerit, multa sacrosanctis Ecclesiis, multa pauperibus, multa Monachis religionis intuitu, multa captiuorum redemptioni commota miserabili eorum sorte cõtulerit, multa libertis suis † eadem latorum sibi obsequiorum contemplatione præstiterit, alteram quoque partem institutionis, in qua Anatolium presbyterũ reliquit heredem, aduertimus ordine fuisse dispositam. Ea enim mobilia, quæ plurimis iustè ac piè reliquit, per hunc voluit vniuersa compleri, vt non solum heredis, sed penè etiam dispensatoris fungatur officio. Ideóque huiusmodi prædictæ clarissimæ memoriæ Hipasiæ volũtatem, etiam in ea parte, qua Anatolium presbyterũ instituit heredem, ea auctoritate firmaui. Sed ne in posterũ, vt ex prioribus Constitutionibus quarũ superius fecimus mẽtionem, & quas nunc præcipio penitus abrogari, vel ex pręsentis negotij dubitatione aliquid forte relinquatur ambiguum, securitati vel fiduciæ morientiũ prouidẽtes, generali perpetuóque victura hac lege sancimus, vt siue vidua, siue diaconissa, siue virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocũque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis femina nuncupetur, testamento vel codicillo suo,

† id est, al. idem

ſuo, quod tamen alia omni iuris ratione munitum ſit, Eccleſiæ, vel martyrio, vel clerico, vel monacho, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte in quacunque re vel ſpecie credidit relinquendum, id modis omnibus ratum firmúmque conſiſtat: ſiue hoc inſtitutione, ſiue ſubſtitutione, ſeu legato, aut fideicommiſſo per vniuerſitatem, vel ſpecialiter, ſiue ſcripta, ſiue non ſcripta voluntate fuerit derelictum, omni in poſterum de huiuſmodi negotio ambiguitate ſubmota, donationibus etiam, vel qualibet liberalitate tam viduarum quàm diaconiſſarum, ſiue virginum quæ Deo dicatæ ſunt, vel ſanctimonialium quæcunque in Eccleſiam, vel martyrium, vel clericum, vel monachum, vel pauperes conlata fuerint, pari robore firma eſſe præcipio. Palladi P.K.AA. Inluſtris igitur & magnifica auctoritas tua, ea quæ generali legis huius ſanctione decreui, edictis ex more propoſitis ad omnium notitiam faciat peruenire. Dat. † x. Kal. Mai, CP. Anthemio V.C. COSS. † *kal.*

INTERPRETATIO. *Sanctimonialibus, viduis, diaconiſſis, omnibúſque religioſis matronis hac lege permittitur, vt ſeu teſtamento, ſeu fideicommiſſo, ſeu per nuncupationem, ſeu per codicillos, vel quibuſlibet aliis ſcripturis, quod voluerint, Eccleſiæ, Epiſcopis, presbyteris, vel diaconibus, & omnibus clericis relinquendi habeant poteſtatem. Et ſi voluerint heredibus ſuis quoſcunque poſt eorũ obitũ ſubſtituere, habeãt poteſtatẽ.*

LEGVM NOVELLARVM DIVI MAIORIANI A. LIBER IIII.

De Curialibus, & agnatione vel diſtractione prædiorum, & de diuerſis negotiis. *Tit. I.*

1. Impp. Leo & Maiorianus AA. Baſilio PF.P.

CVRIALES, neruos eſſe Reip. ac viſcera ciuitatum nullus ignorat, quorum cœtum recte appellauit antiquitas minorem Senatum, huc redegit iniquitas Iudicum exactorúmque plectenda venalitas, vt multi patrias deſerentes, natalium ſplendore neglecto, occultas latebras, & habitationẽ elegerint iuris alieni. Illud quoque ſibi dedecoris addentes, vt dum vti volunt patrociniis potentum, colonarum ſe ancillarúmque coniunctione polluerint. Itaque factum eſt, vt vrbibus ordines deperirent, & prope libertatis ſuæ ſtatum nonnulli per contagionem conſortij deterioris amitterent. Quod ne vlterius poſſit licere, ſaluberrima lege ſancimus, præteritæ præſumptionis ſupplicium relaxantes, vt præter illos qui patrias ſuas aliqua munerum conlatione iuuerunt, ac propterea nulla ordinibus præſum-

ptione depereunt, vbicunque intra triginta abhinc retrò annos inuenti fuerint Curiales, constrictis procuratoribus, vel conductoribus prędiorum dominísque conuentis, ad vrbes quas deseruerant, cum vxoribus reducantur. Quod ingratum esse agrorum dominis non oportet: cùm debuerint pœna seueriore percelli, amittant mulieres quas inlicitis consortiis iunctas esse nouerunt. A quo cōstituto nec domum nostræ Serenitatis excipimus, quorum progeniem ita diuidendam esse censemus, vt quotquot fuerint masculini sexus filij, patrem sequantur: feminis prędiis domini relinquendis. Illa discretione seruata, vt si ex colonabus nati sint, Curiæ inserātur. Si ex ancillis editi, collegiis deputentur: ne materni sanguinis vilitate splendor ordinis polluatur. De collegiatis vero illa seruanda sunt, quæ pręcedentium legum pręcepit auctoritas. Quibus illud prouisio nostræ Serenitatis adiungit, vt collegiatis operas patriæ alternis vicibus pro Curialium dispositione prębentibus, extra territorium ciuitatis suæ habitare non liceat. Hoc de pendentibus sanxisse sufficiat. In futurum vero hæc obseruanda censemus: vt si quis actor procuratórve, domino nesciente susceperit Curialem, aut non intra annum propriæ restituerit ciuitati, si ingenuus probatur, collegiis applicetur. Si seruus est, fustuario supplicio interficiendum se esse cognoscat. Quod si id sciente domino, ac volēte factum esse doceatur, & non intra statuti temporis metas etiam cum vltione correctū, ipsius prędij in quo hoc admissum fuerit, amissione multetur. Similiter si seruo suo actori procuratorique vllus filiam iunxerit Curialis, aut certe iunctam esse permiserit, & non intra præscripti temporis terminum natalibus suis vrbíque reddiderit, illa quidem Curiæ restituenda reuocetur: quam iubemus ab intestato parentibus æqua cum ceteris lance succedere: quia per eius quoque progeniem ordo reparandus est. Ille vero si originarius erit, qui sibi frustra ac temere mariti nomen contra interdictū legis indiderit, collegiis nihilominus deputetur. Si famulus, seruilibus pœnis peribit. Filia Curialis si genitalis soli amore neglecto, in alia voluerit nubere ciuitate, quartam mox omnium facultatum suarum ordini conferat, à quo se alienari desiderat: illi vrbi, ad quam migrauerit Curialis, sine dubitatione paritura. Et quoniam vsquequaque obuiandum est eorum dolis, qui nolunt esse quod nati sunt, Quicūque se sub nomine clericatus, seu quodam religionis obtentu Curialis vel corporatus fortasse subtraxerit, secundū præcedentium legum statuta, si intra diaconatus gradū locatus probatur, ad originem suam sine dilatione reuocetur. Si vero iam Diaconus, aut presbyter, aut Episcopus latæ huius legis tempore reperitur, siue adhuc obnoxius functionibus, siue muniis persolutis, nihil de patrimonio suo alienaturum se esse cognoscat. Cui si masculini sexus prolem, seu propinquos esse contigerit, qui vtique Curiæ necessitatibus obsequantur, mox medietatem omnium facultatum eis tradere non desistat, sibi ad vsumfructum sex residuas vncias retentaturus. Si defuerit sexus virilis, eadem in filiabus sine dubio seruaturus: si tamen Curialium connubiis copulentur. Qui si in totum fortasse defuerint, ad ordinem vrbis suæ prędicti patrimonium pertinebit. Si qua sanè huiusmodi persona originis suæ vinculis obligata, ex hiis, quos ad ordines iubemus reduci, sub diuini ministerij occasione intra Ecclesiam se crediderit occulendā, eam constrictus Archidiaconus repręsentet. Hic etiam eorum nequitia comprimenda

primenda est, qui locum principalitatis indepti, vendunt defugas Curiales & obnoxios corporatos: cũ eos occulta deprędatione cõcusserint, quos vtique si honestatis memores patriæ suæ aliquid affectionis impenderent, reuocare deberent. Quod ne deinceps existiment se impune facturos, quicunque in tam sceleratis nundinis fuerit quocunque accusante cõuictus, capitalem pœnam subibit. Prædia vel vrbana, vel rustica, nunquam sine interpositione decreti Curiales alienẽt. Quod ne forte prouincialis Iudex facile aut gratificanter indulgeat, ad eminentium Pręfectorum sub relatione notitiam dirigatur. Quibus solis æstimare permittimus, vtrum ineluctabilis necessitas venditorẽ faciat Curialem. Aliter contractus super hiis rebus initi non valebũt. In mancipio tantummodo distrahẽdo non est decreti quęrenda solennitas, si quinque primorum Curiæ subscriptio atque consensio adiecta monstretur: Inter quæ iustum est, vt hiis quos reduci volumus consulamus, ne iniuriis corporalibus pro ciuilis plerunque Iudicis commotione subdãtur. Vnde quoties aut culpa grauis, aut aliquod Curialis crimen arguitur, sciant Iudices eo sub fideiussione ordinis constituto ad magnificos viros Præfectos prætorio esse referendum, vt in ipsorũ sit arbitrio constitutũ, qualiter quod admissum probabitur vindicetur. Nunquam Curiæ à prouinciarum Rectoribus generali condemnatione multentur. Cùm vtique hoc & æquitas suadeat & regula iuris antiqui, vt noxa tantum caput sequatur, ne propter vnius fortasse delictũ alij dispendiis affligantur. Strenarum, Kalendarum ac Pulueratici nomine à Curialibus nihil petatur. Si quis horum aliquid poposcerit, aut etiam offerẽtem contra interdicta susceperit, singulas libras auri per singulos Curiales à se nouerint exigendas. Nec hanc partem ducimus negligendam, in qua & ordinibus, & possessorum compẽdiis prouidetur. Itaque prouinciali Iudici non solum faciendarum euectionum nulli tribuatur facultas, verum ne ipse quidem cùm ad alterã pergere cœperit ciuitatem, plus quam vnã sibi angariã, & duos parauered os, alterámq; angariã officio suo, & parauered os duos liceat postulare. Si quisquã amplius æstimauerit pręsumendũ, octo equos cõstrictus exsoluat, publicis mox mutationibus adgregãdos. Compulsor tributi nihil amplius à Curiali nouerit exigẽdũ, quàm quod ipse à possessore susceperit. Quia ad hoc tantummodo perurguendus est, vt pariter exigat & publicũ debitorẽ ostẽdat atq; conuincat. Pręterea nullus solidũ integri põderis calumniosę improbationis obtẽtu recuset exactor, excepto eo gallico, cuius aurum minore æstimatione taxatur. Omnis concussionum remoueatur occasio, nihil mutaturæ nomine postuletur, ita vt quisquis hoc posthac vsurpãdũ esse crediderit, siue prętoriani sit miles officij, seu palatin9, vel sacri ærarij, vel priuati, seu professionẽ negotiationis exercẽs, fustiariæ subditus pœnæ, seruilibus suppliciis peritur ũ se esse cognoscat. Illis quoq; fraudibus obuiãdũ est, quas in varietate ponderũ exactorũ calliditas facere cõsueuit: qui vetustis caliginib9 abutẽtes, Faustinæ aliorũque nominũ nesciẽtibus faciãt mẽtionẽ. Quib9 penitus amotis, atque in perpetuũ hac lege dãnatis, à prętoriana sede ad singulas non solũ prouincias, sed etiã ciuitates põdera examinata mittantur: quibus tam omnis exactor quàm negotiator vtatur, capitale sibi sciens vnusquisque supplicium si constituta transcenderit. Inter hæc etiam officiorum pro laborum merito non est commoditas negligenda. Et quia per Rectores prouinciarum exigi

omnem canonem, tam ad arcam præfecturæ pertinẽrem, quàm sacris vel priuatis largitionibus inferendum, sed & binos per iugum, vel millenos solidos remunerationibus deputandos compelli debere pręcepimus, possessori non putamus onerosum, quem à multis molestiis & sportularum, & numerosis mutaturæ dispendiis liberamus, si semissem solidi per iuga singula seu singulas millenas amplius iubeamus inferri, qui pro ordinatione nostra inter diuersa officia diuidatur. Ita ergo prædicta summa inter compulsores, vt diximus, partienda est, vt Palatinus siliquam mediam pro siliquatico solidi remunerationis binorum solidorum, exactor siliquam: quatuor autem siliquas tam Curialis quàm officium prouinciale percipiat: officium sanè pręfectorum sex semisiliquas consequatur. Quisquis vltra aliquid aut exigẽdum, aut accipiendum esse crediderit, subditus verberibus, & cingulo priuabitur, & facultatibus exuetur. Illud quoque onus à ciuitatibus, vel præcipue curiarum ordinibus ac negotiatoribus submouendum est, quibus non parua dispendia prouinciarum Iudicũ infligit aduentus, vt eos in otio plerunque residentes, deliciis exquisitis alere, quasi quadam lege cogantur. Contra quam iniquitatem remedium prouidentes, hac euidenti pręceptione decernimus, vt Rectori prouinciæ totius anni tempore non plus quàm triduo vna ciuitas alimonias subministret, ita vt si diutius voluerit commorari, de proprio sibi sciat esse viuendum. Sed ne vaga interpretatio eorum quæ pro humanitate præbenda sunt nihilominus pręfectos fatiget, quid inferri diurnum debeat eminentissimæ pręfecturæ pandetur edicto, quod instar nostri volumus esse pręcepti. Hac condicione sociata, vt si supra hunc modum quicquam à curialibus seu negotiatoribus Iudex putauerit postulãdum, aut sub nomine oblationis acceperit, quod magis extorsisse credendum est, mox administratione depulsus, priuilegio dignitatis amisso, proscriptione feriatur. Basili Parẽs Karissime AA. Inlustris sane & præcelsa magnificentia tua omnium prouinciarum Rectores suis auctoritatibus admonebit, vt principales vel seniores vrbiũ singularum, tam curiarum, quàm reliquorum corporum, albos quos conscripsit vetustas, proferre compellat, obnoxiorum familias sub cõfessione gestorum capitis sui periculo detegentes, ita vt quæ statuta sunt edictis propositis in cunctorum notitiam perferãtur. Dat. VIII. Id. Nouemb. Rau. Leone & Maioriano AA. COSS.

INTERPRETATIO. *Lex hæc Maioriani de Curialibus, quæ custodienda sunt euidenti obseruatione cõstituit, vt infra triginta tantummodo annos, sicut lex de omnibus dudum lata testatur, ad ordinem suum quem deseruerint Curiales debeãt reuocari. Nam de Collegiatis illa specialiter custodiri confirmat, quæ lex in Theodosiani Codicis corpore scripta declarat. Itaque præcepit, vt si Curialem cuiuscunque possessionis actor domino nesciente susceperit, & non transacto anno ad ciuitatem Curiæ cui debetur, fecerit reuocari, si ingenuus fuerit is ipse actor, in collegio deputetur. Si seruus, fustibus verberetur. Nam si cum conscientia domini Curialem vltra anni spatium tenere præsumpserit, & non ordini suo, sicut dictũ est, post annum sine mora reddiderit, nouerit ipsum prædiũ, in quo inuentus fuerit Curialis, se dominus prædij perditurũ. Filia vero Curialis, si aut seruo, aut actori, aut procuratori sese coniunxerit, aut dominus agri iunctã esse permiserit, & non post anni spatium Curiæ fuerit restituta, illa quidem cõtinuo parentibus Curialibus in hereditatẽ successura reddatur: quia per eã si se Curiali iũxerit, ordo poterit*

poterit reparari. Ille vero cuius contubernio Curialis filia fuerit maculata, si colonus est, Collegio deputetur, si vero seruus fuerit, inter tormenta deficiat. Filia vero Curialis, si ciuitatis suæ curialem accipere noluerit maritum, & suam deserens ad aliam se contulerit ciuitatem, quartam portionis ordini Curiæ suæ quem dispexit, de facultatibus suis cogatur inferre, ad illam ciuitatem sine dubio, in quam se transtulit, curiales filios, si curialem maritum acceperit, sine dubio paritura. Si autem Curialis vel corporatus, nolentes esse quod nati sunt, Clerici esse voluerint, & in quacunque officio ante diaconatum fuerint constituti, ad originis suæ officium sine dilatione aliqua reuocentur. Si vero iam Diaconus, aut Presbyter, aut certe Episcopus fuerit ordinatus, siue munia sua soluerit, siue non soluerit, de patrimonio suo nihil alienare præsumat. Qui si masculini sexus filios vel propinquos habuerit, quibus tantum personis Curiæ necessitas vt obseruari possit imponitur, illis statim medietatem de facultatibus suis dare non differat, medietatem sibi ad vsumfructum retineat. Quod si aut filios aut propinquos virilis duntaxat sexus nō habuerit, sed filias habebit, quas lex à necessitate publica facit alienas, tunc eis sex vncias bonorum suorum tradat, si tamen Curiales maritos acceperint, per quos & necessitas publica possit impleri, & ex quibus nati Curiales merito appellentur. Quod si Curialibus non fuerint copulatæ, Curialis prædicti patrimonium ad ciuitatis suæ ordinē pertinebit. Si quis vero de his, quos superius diximus sine excusatione honoris debere ad suum ordinem vel originem reuocari, ad Ecclesiæ septa confugerit, Archidiaconus teneatur, vt eum debeat præsentare. Sanè si quis Curialem latentem sub aliqua commodi intercessione vendiderit, qui eum magis debuit reuocare, nouerit se capitali supplicio puniendum. Iubentur etiam Curiales, vt prædia vrbana vel rustica sine decreti interpositione non vendant, nisi potestatibus referatur: quia vendendi arcta necessitas imminet Curiali. Mancipia autem distrahendi sine decreto habeat liberam potestatem, dummodo quinque priores Curiæ testes in ea venditione subscribant. Nam & hoc Curialibus voluit esse consultum, ne aut hij, qui reuocantur ad Curiam, aut illi qui in graui culpa tenentur obnoxij, tam facilè tormenta sustineant, nisi ad potestatem dignissimam sub fideiussionis vinculo dirigantur, vt ipse de eorum factis possit ferre sentētiam, nec vt ordo Curiæ pro vnius culpa multam excipiat, nisi tantum is qui probatur obnoxius. Nam nec in his rebus, vnde aliqua Iudici per sportulum conferuntur, Curiam præcepit sentire dispendia. Reliqua vero pars legis interpretata non est, quia hæc quæ continet, vsu carent, & certè ad intelligendum non habetur obscura.

De Episcopali iudicio, & de ceteris negotiis, & ne quis inuitus clericus ordinetur. Tit. II.

1. Impp. Leo & Maiorianus AA. Ricimero viro inlustri, Comiti & Magistro vtriusque militiæ, atque Patritio. De re necessaria, ad locum.

AD suscipiendum clericatus officium vnicuique nos optionem dedisse, non legem: quia quamlibet sanctum onus, vt volētibus patimur imponi, ita ab inuitis iubemus arceri. Nonnullorum enim persuasio sacerdotum reluctantibus onus istud imponit, vt improuidas mentes violentiæ intercedentis offensa ad odium piæ religionis instituat. Eò ergo licentiam huius præsumptionis excludimus, vt si quispiam probatus fuerit vi coactus, sub contumeliam publicam clericatus officiis sue-

cidisse, spontaneis accusatoribus, vel si ipse voluerit allegare perpessa, licentiam commodemus apud Iudices competentes huiusmodi admissa damnare: vt si inter leges obiecta constiterint, decem libras auri Archidiaconus cogatur inferre ei qui pertulerit exsoluendas: dehinc si ille desistit, accusatoris censibus, & ciuitatis ordini profuturas. Illo suæ reddito voluntati, qui coactus non potuit consecrari. Et quia ab huiusmodi ausu nec Episcopum à verecundia esse conuenit alienum, ad Apostolicæ sedis deuocetur Antistitem, vt in illa reuerendissima sede notam illicitæ præsumptionis incurrat. Sanè quia non iniusta suspitio est, huic operi parentum conludia plerumque misceri, dum liberis aliis amore nimium gratificantur, & alios iniusta sententia persequuntur, æquè patres ac matres si comprobati fuerint inuitos filios præfato oneri subdidisse, bonorum suorum tertiam iubemus adfligi, ipsius filij censibus profuturam. Si qui sanè Episcopus inuitus fuerit ordinatus, hanc cõsecrationem nulla violari accusatione permittimus. † Illud quoque nobis eodem suspectu religionis occurrit, vt hominem qui ad Ecclesiæ profugia recurrit, quicunque temerator aut sacris altaribus cogatur euertere, aut pro eo inhumana dispendia sustinere ex abundantia, vt multo minus pœnæ obnoxios quoque foribus sanctis ad mortem vel cruciatum cogatur eiicere, cum reis instituta hæc consueuerint esse profugia. Quod si quis statuti nostri temerator emerserit, aut homines intra Ecclesias constitutos ad pœnam nõ reprehendit adducere, capitali supplicio subiacebit. Dat. v. Kal. April. Arelato, Magno & Apollonio vv.cc.coss.

† Sequentia non erant in vet.

INTERPRETATIO. *Hæc lex adeo ad integrum scripta non est, quia iam quæ de diuersis negotiis loquitur, in reliquis legibus euidenti interpretatione habentur expressa. Sed hoc amplius habet, quod ad locum scribi fecimus de his qui inuiti Clerici ordinantur, quod per se sine interpretatione intelligi potest.*

De ortu imperij Diui Maioriani. Tit. III.

1. Imp. Maiorianus A. ad Senatum.

IMperatorem me factum P.C. vestræ electionis arbitrio & fortissimi exercit⁹ ordinatione agnoscite. Adsit ordinationi omniũ propitia diuinitas quę regni nostri augeat pro vestra vtilitate & publica successus, qui ad sustinendi principatus apicem non voluntate mea, sed obsequio publicæ deuotionis accessi: ne aut mihi soli viuerẽ, aut ingratus Reipub. cui natus sum sub hac recusatione iudicarer. Dicatis quoque Iano Kalẽdis suscepti feliciter Cõsulatus ereximus fasces, vt præsens annus nascentis imperij nostri incrementa suscipiens nostro etiam nomine signaretur. Fauete nunc Principi quem fecistis, & tractãdarum rerum curam participate nobiscum, vt imperiũ quod mihi vobis adnitentibus datum est, studiis communibus augeatur. Præsumite iustitiam nostris vigere tẽporibus, & sub innocẽtiæ merito proficere posse virtutes. Nemo delationes metuet, quas & priuati in aliorum moribus cõdemnauimus & nunc specialiter persequimur. Nullus calumnias reformidet, nisi quas ipse cõmouerit. Apud nos cum patre Patritióque nostro Richemere rei militaris peruigili cura. Romani orbis statũ, quem cõmunibus excubiis, & ab externo hoste & à domestica clade liberauimus, propitia diuinitate seruem⁹. Pero institutionis nostri vobis inesse notitiam,

tiam, quam mihi amore vestrum vitæ & periculorum quondam socius indubitanter expondeo: enitar tamen rebus communibus si superna concesserint auctoritate principis & obsequio collegæ, vt vestrum in me vobis non possit displicere iudicium. Et manu diuina optamus vos felicissimos & florentissimos per multos annos. Bene valete sanctissimi ordinis patres conscripti. Dat. Id. Ian. Rau. Maioriano A. I. CONS.

De indulgentiis reliquorum. *Tit. IIII.*

I. Imp. Maiorianus A. Palladio PF. P.

VT primum mundo sacri principatus nostri rudiméta fulserunt, has potissimum salubres Reipub. cogitationes quibus vniuersitati remedia impendenda complectimur, sibi regni nostri nouitas vindicauit. Fessas prouincialium varia atque multiplici tributorum exactione fortunas & extraordinariis fiscalium solutionum oneribus attritas solutæ inlationes amissæ substantiam & defectum sui etiam in his quę merito fuerant soluenda sensisse superindictitiis quidem titulis in præteritum possessor: exaustus dum ægræ solutionis trahit sub impossibili deuotione reliquias & pro temporis cursu nouis subinde perurguetur venientium indictionum tributis & in redimendis attenuatur induciis, coaceruata in vnum sarcina obnoxietatis obruitur, & præcedentibus diuitiis neutiquam sufficiens ad futuram quoque inlationem minus idoneus inuenitur. Quapropter tribuendæ sunt ante res enim clementiæ nostrę pia mandare defensis & subiectorum angustiis in tempore subuenire, vt inueteratis nexibus liberati ad hęc quę in posterum publicis secundum morem compendiis inferenda sunt, possibilitatem incipiant habere soluendi: idcirco mansura in æternum lege sancimus vniuersorum fiscalium titulorum, vel ad arcam magnificentiæ tuę, vel ad vtrunque ærarium pertinentium reliqua vsque ad præsentis vndecimæ indictionis initium à possessoribus non petenda quæ sub generalis indulgentiæ beneficio relaxamus obnoxiis. Atque hoc ita pro cunctorum remedio constitutum sub aperta volumus definitione seruari, vt quidquid ex pręteritis indictionibus vsque in præsentem vndecimam reliquorũ est, quod vel apud possessorem residet, vel in priuatum, vt fieri interueniente versutiá adsolet, nexum emissa curialibus vel canonicariis, vel quibuslibet aliis cautione migrauit, penitus non petatur: vt exactione careat stipulatio, quam pro fiscalium calculo contempta nostrę mansuetudinis relaxauit humanitas, excepta suarij canonis ratione, cui propter vrbis venerabilis copiam nihil volumus indulgentia interueniente decerpi. Ad illam quoque dispositionum partem augustæ mentis prouidentiam sensúmque conferimus, vt prouinciales nostros quos immunes à reliquis fecimus, deuotos in posterum & semper idoneos remota feralium compulsorum acerbitate faciamus. Præfectiani siquidem atque Palatini, vel aliarum potestatum apparitores competentium titulorum exactione suscepta contra veterem morem per prouincias discurrentes senioribus exactionibus possessorem curialémque concutiunt, & ita omnia pro arbitrio suę deprædationis extorquent, vt cum aliqua pars certa vel minima publicis compendiis inferatur, duplam, aut amplius sportulis auidus, & præpotens executor accipiat. Hoc est, quod vetus prouidentia dispositió-

que maiorum, quam in omnibus sequimur atque reparamus, prouincialibus iudiciis exequenda commisit, quibus † & nitentibus per singularum municipes ciuitatum moderatione tractabili fiscalium tributorũ celebretur inlatio, quam si acerbius humilis † notúsque compulsor pro sui compendij vtilitate tractatus, & confestim deprædationibus vexatorum aditu auditúque fiscalium prouinciæ cognitus subueniret. Nunc verò canonicarios superioris militiæ auctoritate terribiles, & in prouincialium viscera & damna sæuiẽtes, nec arguere quisquam apud prouincialem Iudicem potest, cum resupina apparitori & totum sibi de superioris cinguli fastidio blandientes potestas prouincialis examini subiecta famuletur, nec de longinquis prouinciæ regionibus cum magno sumptuum expensarúmque detrimẽto ad comitatum nostrum venire audeat ille qui queritur, cui subdurum patientiæ gemitum tolerabilior videtur deprædatio sæuientis, quàm sub magno obseruationis incommodo sustinendus impetrandæ vltionis euentus. Hinc est, quod per iniuriam compulsorum destitutæ ordinibus ciuitates idoneum nequeunt habere Curialem, quòd exigentium auctoritate perterriti possessores propria iura destituunt, cum non iam amissio fortunarum, sed sæua custodia & suspendiorum crudelitas formidatur, quæ inmitis apparitor & executio militaris pro commodo suæ cupiditatis exercet, ac ne vlterius canonicariorum væ5nalis improbitas publicis fortunis inferat, priuatísque dispendium, veteri more reuocato prouinciarum Rectores celebrandę exactionis summa respiciat, per quorum officia profligari iubemus annuas functiones, ita vt à duodecimæ indictionis initio, nullus Palatinus, nullus armatæ potestatis minister accedat, sed vniuersa fiscalia, quæ de prouinciis speranda sunt per locorum Iudices inferantur, quos aut negligentiæ cura respiciat, aut laus manebit industria. ita vt ipsis Moderatoribus ad admonendum tantummodo directus executor inmineat. & quia totum pro remedio possessoris Serenitas nostra constituit quem tributorum gratia soluendorum fruges suas sub oportunitatem vendentem volumus per temporis interualla refoueri, trina per annum voce singulari indictionum quantitas speranda soluatur, & quadrimenstruis illationibus annuæ functionis celebretur exactio, cuius summa ita vt distinctum est moderatores admonentes diligentiam ad arcam volumus congruè exactionem transmitti. Habenda sane ratio est potentium personarum, quarum actores per prouincias solutionem fiscalium negligunt, dum pro sui terrore fastidij minimè perurguentur, ac se in prædiis retinent contumaces, ne ad eos præceptum Iudicis possit aut conuentio peruenire, & idcirco clarissimorum domorum, vel potentium iubemus actores seu procuratores in his ciuitatibus Iudici per prouinciam discurrenti sui facere & exhibere præsentiam, in quarum territoriis prædia suorum sciant esse patronorum etiam diu publicis inhærere conspectibus quamdiu in eodem oppido morari viderent cognitorem, quod etiam sacræ domus nostrę obseruare iubemus actores. Nam si quis ex memoratis defuerit, ac se per totum annum pulsandos conueniendósque subtraxerit, raptus ad supplicium, id quod exacto indictionis tempore minus intulisse conuincitur duplum cogatur exsoluere. Sicut enim vexari incongruæ exactionis incõmodis deuotos nolumus, ita rebelles iustæ seueritatis vigore persequimur. Illud quoque prouidẽdum est, ne prouinciales Iudices falso in obiur-

† fortè, adnitentibus.

† fortè, ignotúsque.

obiurgationem apparitorum suggestionibus commẽtísque deducatur: quia ad eos hac exactione translata erepta inmanium commodorum prædam è suis fraudibus lugent, ac propterea hoc eis tribuimus dignitatis, vt de inductis actibus, & de suæ adsertione diligentiæ referendi mansuetudinem nostram habeát facultatem, vt nos potissimum de eorum administratione iudicemus, quorum suggestiones inter quaslibet publicas curas sacræ prouidentiæ adtentione dignamus. Basili Parens Karissime AA. Inlustris & pręcelsa magnificentia tua huius saluberrima constituta propositis diuulgabit edictis, vt ad prouinciales remedia concessa perueniant, & Iudices ex nostra præceptione cognoscant, ita industriæ ac vigilantiæ suæ exactionum publicarum redditam potestatem, vt non leuiter arguendi sint si angusto non inertem dissimulatione nequiuerint respondere iudicibus. Dat. VII. Idus Mart. Rau. ipso A. CONS.

De defensoribus ciuitatum. *Tit. V.*

I. Impp. Leo & Maiorianus AA. vniuersis Rectoribus prouinciarum.

DE ciuitatum per omnes prouincias positarum raritate cogitantes, quibus fugientibus incolis defensorum auxilio destitutis, qui vnumquenque ciuium ab improbitatibus insolentum antiquæ ordinationis studio vindicare consueuerat, solitudo nostris ordinationibus submouenda possidendi priscæ consuetudinis morem reuocandum esse censuimus, vt probis moribus, honestate, prouidentia viri iudicio vniuersitatis electi auctoritatem tuendæ in ciuitatibus suis plebis accipiant, & quæcunque vtilitatem publicam respiciunt concessæ per leges priuilegia dignitatis, vel exsequendi, vel insinuandi auribus mansuetudinis nostræ habeant potestatem. hoc enim modo fieri potest, vt repressis per eos insolentiæ vitiis quoque qui accedentia in prouinciarum nostrarum parte tractatum intenti curis maioribus ignoramus, eorum ad emendandum suggestionibus instruamur, & qui per iniuriam compulsorum rurales habitationes & solitudines expetunt, sub defensorum tuitione degentes publicis se vrbium conspectibus repetiti domicilij habitatione restituant. Quapropter præceptionis nostræ tenore percepto, vniuersarum ciuitatum, quæ sunt inhabitantium frequentia celebres in tuæ potestatis arbitrio constitutæ, municipes honoratos plebémque commoneat, vt adhibito tractatu atque consilio sibi eligant defensorem, factúmque dematurent, vt sub hac solemnitate desideria vrbium singularum ad nostram Mansuetudinem dirigant: quia ipsos prouinciales propter expensas, vel itineris laborem ad comitatum venire non patimur, vt compertis eorum moribus atque personis, quos præter ambitum dignos tali ministerio & honore iudicemus, idoneos defensores confirmatio constituat. Dat. VIII. Id. Mart. Rau. Maioriano A. I. CONS.

De ædificiis publicis. Tit. VI.

1. Impp. Leo & Maiorianus Æmiliano PF. P.

VObis Rempublicam moderantibus volumus emendari, quod iamdudum ad decolorandam vrbis venerabilis faciem detestabamur admitti. Ædes siquidem publicas, in quibus omnis ciuitatis consistit ornatus, passim dirui plectenda vrbani officij suggestione manifestum est, dum necessaria publico operi saxa finguntur, antiquarum ædium dissipatur speciosa constructio, & vt parum aliquid reparetur magna diruuntur. Hinc iam occasio nascitur, vt etiam vnusquisque priuatum ædificium construens per gratiam Iudicum in vrbe positorum præsumere de publicis locis necessaria & transferre non dubitet, cum hæc quæ ad splendorem vrbium pertinent affectione ciuica debeant etiam sub reparatione seruari. Idcirco generali lege sancimus cuncta ædificia, quæ vel in templis aliisque monumentis à veteribus condita propter vsum vel amœnitatem publicam surrexerunt, ita à nullo destrui atque contingi, vt Iudex qui hoc fieri statuerit, quinquaginta librarum auri illatione feriatur, apparitores vero atque numerarij, qui iubenti obtemperauerint & sua neutiquam suggestione restiterint, fustuario supplicio subditos, manuum quoque amissione truncandos per quas seruanda veterum monumenta temerantur. Ex iis quoque locis, quæ sibi competitorum hactenus vendicauit reuocanda subreptio, nihil iubemus auferri, quæ ad ius publicum nihilominus redeuntia ablatarum rerum volumus reformatione reparari, submota in posterum licentia competendi. Si quid sanè aut propter publicam alterius operis constructionem, aut propter desperatum reparationis vsum necessaria consideratione deponendum est, hoc amplissimo venerandi Senatus ordini congruis instructionibus præcipimus allegari, vt cum ex deliberato fieri oportere censuerit, ad mansuetudinis nostræ conscientiam referatur, vt quod reparari nullo modo viderimus posse, in alterius operis nihilominus publici transferri iubemus ornatum, Æmiliane Parens Karissime AA. Quapropter inlustris magnificentia tua saluberrima sanctione propositis diuulgabit edictis, vt quę pro vtilitate vrbis æternę prouidè constituta sunt, famulatu congruo & deuotione seruentur. Dat. VI. Id. Iul. Rau. ipsis AA. COSS.

De bonis caducis, siue proscriptorum. Tit. VII.

1. Impp. Leo & Maiorianus AA. Ennodio Com. R. P.

SVblimitatis tuæ insinuationem probamus, qua fisci compendia supprimi per prouincias plerumque Iudicum venalitate commemoras. Cum enim caduca bona vel proscriptorum, sed & eorum quos in scelere deprehensos sine legitimo herede iuris vigor insequitur, priuato ærario competere videantur, occultata quibusdam fraudibus ærarij nostri commodi abiurantur. quod specialiter factum nuper in damnatione Seuerinæ mulieris quæ peregisse adseritur necem mariti in Piceni prouincia indiscussum præteriri non debent, Ennodi Frater amantiss. Vnde auctoritas tua, cuius suggestiones prouidas comprobamus, pragmatici nostri secuta pręceptum ordinatis in articulo palatinis antelato nostræ serenitatis oraculo

culo prouinciarum Iudices interminatione proposita auctoritatibus propriis admonebit, vt ab huiusmodi fraudibus temperantes venalitatis studium æstimationis suæ periculo anteferre non debeant, curaturi post hæc, vt vbi similis casus occurrerit, palatinum instruatur officium. Ad Piceni vero Consularem districtior præceptio dirigatur, vt omni censu prædictæ mulieris disquisito, vestigatis quoque vel in vnam substantiam reductis, quæ ex eo intercipi, aut perire potuerunt à tempore quæstionis vel pœnæ qua nocens periit, fructus quoque vel pensionum emolumenta discuti, ac si qua etiam apud diuersos retentatores sunt, conuentis his quibus non potuerit iure conquiri, vtilitate fisci reducta, ac de omnibus missa relatione instruat amplitudinis tuæ iudicium, sicuti fisco commoda prouisione repertum est quid latebat, ærario profuturum nulla fraude aut dissimulatione depereat. Dat pridie Non. Sept. Rau. Leone & Maioriano coss.

De sanctimonialibus & viduis, & de successionibus earum. Titulus VIII.

1. Impp. Leo & Maiorianus AA. Basilio PF.P.

SVsceptis regendi imperij gubernaculis cogitare debemus quemadmodum nostra Respub. & armis & legibus & integra religionis reuerentia conseruetur atque proficiat, cui plurimum sub hac emendatione confertur, si nobilium feminarum amplectenda generositas procreatis liberis multiplicata subcrescat, si piæ necessitudines inter parentes & filios nullis insidiarum vitiis immutentur, & verum Dei cultum mens non inuita suscipiat. Hoc enim quamprimum nostri egere maiores, vt Rempublicam armis & religione fundarent, cuius sacrosanctæ venerationem lædi commentis mortalium figmentísque prohibemus. Quis enim ferat parentes filias quas oderunt his non tam dicare quàm damnare consiliis, vt eas in annis adhuc minoribus constitutas necessitati continuæ virginitatis addicant, ac ne adolescentibus animis aliud velle sit liberum, capitibus inuitarum sacrum velamen imponant, cum huiusmodi obseruatio philosophiam religiosa mente suscipiens non cogentis imperio, sed spontanea & matura deliberatione capiatur. Vitandæ etenim sunt & magis adtentionibus transeundę humanæ cupiditatis inlecebræ, in quas præcipuè primę ætatis ardor impellit, vt iuuentutis calore sedato Dei dicata virginitas præter illum pœnitentiæ vitium ad senectæ annos & cœlestis militiæ palmam peruenire mereatur. Quid enim prodest si cupiditas virginalis patria potestate compressa subdolam voluntatem nubendi arte concipiat, & à legitimo reuocata consortio ad illicitas trahantur illecebras? Vnde ne per huiusmodi impietatem parentum egestas & opprobrium personis nobilibus irrogetur, & quod præcipuè submouendum est irrisionibus exsecrandis omnipotentis Dei contrahatur offensio, edictali lege sancimus filias, quas pater matérve à seculari permixtione translatas Christianæ fidei seruare præcepta continuata virginitate censuerunt, in beatæ vitæ proposito permanentes, non ante suscepto honorato capitis velamine consecrari, quàm quadraginta annos ætatis emensę talibus infulis inoffensa meruerint obseruatione decorari, & multi

temporis series, & cœlestis consuetudo seruitij ad perfidam voluntatem nouis desideriis aditum non relinquant. qui ante definitum temporis spatium sanctimonialem puellam aliis adulti sexus sui votis calentem memoratorum quisquam parentum velari fecerit atque permiserit, tertia bonorum parte multetur, eadem pœna constringi, etiam quæ illa parentibus destituta, vt intra prædictæ ætatis annos voluerit consecrari. Diaconi quoque, qui huic rei ministerium contra interdicta præbuerint, proscriptione plectantur. & quia earum cœpit causa tractari, quas ad diuinæ religionis cultum cupientes demigrare volumus non coactas, si qua parentum odiis obligata propositum seruandæ virginitatis induerit, quæ à fratrum consortio parricidali quodammodo arte subtrahitur, ne aut copulæ tradenda maritali patris matrísve congrua largitione, aut eorum decendentium æqua cum reliquis filiis successione potiatur, parentum obeuntium morte iam libera, necdum quadraginta annos quibus velari nequiuerit ætatis egressa, nubendi, ex quo suæ potestatis esse iam ceperit, licentiam sortiatur. Neque enim sacrilega iudicanda est, quæ se hoc ante noluisse, aut certè non posse complere adpetiti coniugij honestate prodiderit, cum Christianæ religionis institutio atque doctrina melius esse censuerit virgines nubere, quàm impatientiæ ardore naturali professæ pudicitiæ non seruare virtutem. Cum itaque in matrimonium nuptias secuta conuenerit, exheredatio illi ob hoc à parentibus vehemens, aut sola Falcidiæ quãtitas relicta non noceat, sed scriptis heredibus, vel suis in virilem portionem, vel extraneis in dimidiam, tanquam præterita secundum norman veteris iuris adcrescat. Dignam siquidem tali præmio & successione censendum est, quæ procreationem liberorum professa generositatem familiæ suæ ab interitu nititur vindicare. Illis autem quæ spontaneo laudabilíque proposito sanctimoniæ obseruantiam virginitatis amore susceperint, intantum fauemus, vt si fortè profana cupiditas improborum deuotam Deo mentem per crimen raptus violare tentauerit, non solum diualium Constitutorum, qui id admiserit subiaceat vltioni, verum etiam cuiuslibet accusationi reddatur obnoxius: ita vt qui pollutum tanto scelere hominem rebus probatis post hæc constituta pertulerit, addicti censu facultatibúsque potiatur. quod nos vsqueadeo à religiosis feminis iubemus arceri, vt etiam si quis simile aliquid in quamcunque tentauerit, pari se nouerit supplicio esse feriendum. Viduarum sanè obstinationibus permouemur, quæ nulla prole suscepta fœcunditatem suam reparationémque familiæ rupudiata coniugij iteratione condemnant, & solitariam vitam non colligunt, vt religioni pudicitiæ amore famulentur, sed potentiæ ambitum orbitatis suæ casibus viduitatísque captantes lasciuam viuendi eligunt libertatem. quibus ad omnem licentiæ vsum, aut solicitantium ficta religio personarum, aut fauore callidi captatores adplaudunt, has ad honestioris vitæ tramitem prisca dispositione reuocantes, æternali lege sancimus, vt maritali obitu destituta mulier quadragenaria minor, donec procreare per ætatem liberos potest intra quinquennium nubat, cui idcirco currentis lustri largimur inducias, vt per spatium legitimi temporis luctus mœrore deposito eligendi honestiores nuptias habeat potestatem. Sin verò sæcularem vitam & coniugales tædas perosa damnauerit, emenso, vt dictum est, quinquennio in viduitate persistens, mox cum

cum germanis fratribus vel sororibus, eorúmque filiis, vel parentibus propinquis, per quos familiæ origo reparatur suas diuidat facultates: aut si his fortasse defuerint cum fisco patrimonium partiatur, nihil intra lustrum temporis illius, quod luctui deliberationíque deputauimus, alienaturam de prædictis sex vnciis se esse cognoscens, quas parentibus, vel propinquis statuit serenitas nostra proficere, vsufructu tantum contenta viuendi, quæ tum se probare potuerit studio castitatis secundas nuptias respuisse, cum liberalis fuerit in propinquis. Illarum verò ratio diuersa est, quæ suscepta prole gaudentes ob hoc ad secundas nuptias non demigrant, vt affectuosam decedentis viri memoriam in alendis & locupletandis filiis sollicita pietate conseruent, quas nubendi si hoc maluerint libertate suscepta à condicione superius enarratæ definitionis absoluimus. Ita vt filiis ex matrimonio priore susceptis, si hoc tamen pars voluerit, filiorum dato fideiussore prospiciant, qui salua fore corpora omnia sponsalitiæ largitatis euidenti sponsione promittat. Optionem sanè continuæ viduitatis matribus eatenus relaxamus, vt filio in gremio indulgentiæ suæ posito vel donationibus pro merito prosequantur viuentes vel heredes suprema voluntate constituant. Illud sanè latus Diualis Constitutionis abolemus, quo videbatur matribus fuisse permissum vt ex quantitate sponsalitiæ largitatis in vnum filium si velint portionem maximam conferendi habeant liberam facultatem, in quam nos filios æqua iubemus lance succedere: siquidem rectè illa donatio inter bona paterna numerabitur, quam in vxorem maritus contulit tempore nuptiarum. Si verò matri contra religionem sanguinis propositumque pietatis externus heres insidiatórque subrepserit, quidquid ab ea, non iustis causis exheredationis extantibus quas sine dubio probaturus est qui videtur filiis anteferri, donatum fuerit vel relictum aut in religioso alienatum translatúmque commento, id totum ab eisdem filiis vindicetur: & quia studiosè tractatur à nobis vtilitas filiorum quos numerosius procreari pro Romani nominis optamus augmento, procreatis competentia commoda perire non patimur, hoc necessariò putauimus præcauendum, vt marem feminámque iungendos copula nuptiali par condicio vtrunque constringat, id est, vt nunquam minorem quam exigit futura vxor sponsalitia largitate dotis titulo se nouerit collaturam, scituris puellis ac parentibus puellarum vel quibuscunque nupturis ambos infamiæ maculis inurendos qui fuerint sine dote coniuncti: ita vt nec matrimonium iudicetur, nec legitimi ex his filij procreentur. Sanè quoniam quorundam cupiditatibus obuiendum est qui generorum exhauriunt facultates, ac sibi vel filiabus suis vel subornatis quibuscunque personis priusquam aliquid de nuptiarum pactione constituant ab incautis iuuenibus & futuri coniugij desiderio concitatis multa faciunt occulta fraude conferri, quæ secuta solennitate votorum filiabus refundant, aut fortè maiore amore perfidiæ sibi existimant adquisita: vnde eius callidi friuolíque commenti ita nullum esse iubemus effectum, vt infirmato tali colore contractus sui iuris posteà gener vindicet, vel actione proposita securus reposcat quidquid per illiciti posthac contractus imaginem alienare compulsus est. Inter cetera captatorum etiam auiditas comprimenda est, qui nonnunquam ignitorum penè lectulis adsidentes animos ipsa corporum ægritudine fati-

gatos,& syncera iam iudicia non habentes simulata affectione deprauant, vt plerique consanguinitatis & necessitudinum suarum frequenter obliti extraneos scribere videantur heredes, cùm insidiosa munuscula diriguntur, cum subornantur medici qui praua persuadeant,& neglecto medendi studio fiant alienarum cupiditatum ministri. Quibus omnibus serenitas nostra diligenti examinatione perpensis,hoc præsenti lege decernit,vt si is qui nulla testatori propinquitate coniungitur, neque ex iis personis est quibus etiam ab intestato deferri quocúque gradu vel titulo poterat,antiquo iure successio, heres fuerit institutus,legatum fideicummissúmve perceperit, ex relictis rebus atque corporibus tertiam publico inferat portionem, quatenus hoc saltem metu & testatorum iniquitas & captatorum cesset improbitas: quæ omnia constituta in futurum à die latæ legis valere præcipimus Basili P. K. AA. Inlustris igitur & præcelsa magnificentia tua saluberrimam sanctionem propositis diuulgabit edictis, vt omnes intelligant remotis religiosarum mentium fraudibus impiísque mentis hoc constitutum fuisse quod emendationi morum vtilitatíque publicæ reducta in terras iustitia votum omnium socia pietate proficiat. Dat. VII. Kal. Nou. Rau. Leone & Maioriano AA. COSS.

De adulteriis. *Tit. IX.*

I. Impp. Leo & Maiorianus AA. Rogatiano Consulari Tusciæ suburbicariæ.

AGitandam legibus adulterij quæstionem imminente nostræ quoque perennitatis oraculo te exercuisse commemoras,atque, vt relatione testaris,conuictum confessúmque Ambrosium in nefario crimine, relegatione dignum temporaria censuisti. non solùm leniter † immemor esse & neglegenter pensasti alieni doloris iniuriam, vt maculam pudoris extincti, & eius summam criminis in quo quicquid † vero indignum est,continetur,† elaui vita superstite iudicaris. Eum tamen ipsum temerasse sententiam & confestim locum perhibes exilij defugisse, nósque cõsuluisti quid fieri sanciamus. Quocirca tam * exercitandæ iudicationis formã perpeti mãsura debeat aspirare. seueritatem quippe res ipsa flagitat. Vnde Rogatiane Kar. noueris ad rigorem veteris disciplinæ hanc perennitatem nostrã obseruationis adiecisse mensuram, vt secundum legem Diuorum retro Principum,qui in simili crimine talia censuerunt, relegationem probrosi ac nefandissimi rei,deportatio adiecta cõtinuo & bonis eius omnibus fisci vtilitatibus vindicatis, eúmque à congressu totius Italiæ submouẽdum,edictorum propositione denunciata omnibus perimendi licentia, qua passim ita insequendus est qui sententiæ abusus est lenitate, vt si comprehensa vrbis nostri parte repertus fuerit,cæsus iure videatur quatenus sanctionis procedente censura, ab incursu flagitiorum tutam genialis tori præstemus imposterum castitatem, vt exemplo competenti luxuria castigata ab expugnatione pudicitiæ, quæ sub publica quodammodo videbitur esse custodia,libido & proteruitas arceatur, manifestúmque sit generaliter ita nobis cordi esse violatũ pudorem, vt edictali decreto iusta cohercitione proposita,intemperanter futuris quoque temporibus plecti commissum simile censeamus. Dat. XV. Kal. Mai, Arelato, Richomere & Clearcho VV. CC. COSS.

† immo etiã
† viro
† elui

NOVELLARVM

NOVELLARVM DIVI SEVERI AVGVSTI LIBER V.

De abrogatis capitibus iniustu legis Diui Maioriani A. Tit. I.
Ad locum, id est de sanctimonialibus, viduis, de hereditatis tertia, vel de ceteris negotiis.

1. Impp. Leo & Seuerus AA. Basilio PF.P. & Patritio.

ILLVD tantum ex eadem lege retinētes, quod veterum legum commendat auctoritas, Scilicet vt post viri obitum sponsalia in vsumfructum tantùm mater habeat, & à filiis alienare non possit, siue in alias nuptias venerit, siue non venerit. Et vt omnibus ex eodem matrimonio filiis ex æquo communia in vnum aut alterum matri conferre non liceat. Nam quid est aliud à filiis alienare, si hoc non est, cum proles numerosa contigerit, prætermissis ceteris, vni vel alij praua velle intentione largiri? Sint sanè matres, si ita libuerit, pro impensis obsequiis in filiorum electione liberales, vsumfructum suum cui voluerint largiantur, proprietatis commoda cunctis pariter filiis deputata non minuāt. In illa tamen parte matribus salua filiorum vtilitate consulimus, ne eas necessitas dādæ fideiussionis adstringat. Quia & factu difficile est, & super hoc filiis abundè, vel prioribus constitutis, vel præsenti lege prospicitur, quibus & alienatorum vindicatio competit, & ex maternis bonis perditarum redintegratio facultatum. Basili Parens Karissime AA. Quare inlustris & præcelsa Magnificentia tua huius Constitutionis oraculum edictorum faciet solennitate proponi, vt legis asperitas, quæ ad amplitudinem tuam primæ præfecturæ administratione data est, per te correcta atque emendata vulgetur. Dat. v. Kal. Mart. Rom. Basilio v.c. CONS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex Imperatorum Leonis & Seueri, ea quæ Maioriani lex de diuersis rebus, quas ipsa testatur obseruanda esse præceperat, specialiter vacuauit, & id tantum quod rationabile & pristinis legibus congruum fuit, credidit reseruandum, quod ipse sua Constitutione confirmat, dicens: Illud tantum ex eadem lege retinentes, quod veterum legum confirmat auctoritas, itaque vt post viri obitum relicta vxor vsumfructum tantum sponsalitiæ donationis habeat, & nihil exinde alienare præsumat, siue alias ad nuptias venerit, seu certè non venerit, neque aliis nisi tantum omnibus filiis suis ex eodem patre genitis, cuius donatio est hæc ipsa sponsalitia largitas æqualiter dimittatur. Nec liceat matri cui voluerit de filiis aliquid exinde amplius pro sua voluntate donare. Sanè de vsufructu suo quod ei lege concessum est, donandi cui voluerit liberam habeat potestatem. Nam ea quæ omnibus tantum filiis æqualiter iussa est*

reseruare, nec minuat, nec inter filios pro suo arbitrio diuidere vlla ratione præsumat. Hoc tamen matribus hac lege præstatur, vt salua filiorum vtilitate, fideiussores pro retinenda hac ipsa sponsalitia donatione dare non debeant. Quia talis petitio grauis est, & sufficit filiis, quod vel hac lege, vel prioribus statutis cōstat esse prospectum, vt etiamsi matres eorum secundo nupserint, eorum maritorum facultates loco pignoris obligentur: & si quid ipsæ matres exinde præsumpserint, de facultatibus earum illata sibi filij dāna resarciant.

De corporatis. *Tit.* II.

I. Impp. Leo & Seuerus AA. Basilio PF.P. & Patritio.

CVm per virum illustrem Ausonium cunctorum ad nos prouincialium querela peruenit, eo quod * * * aliáque corpora publicis obsequiis deputata quorundam se colonis vel famulis ignorantibus dominis sociassent, & nunc sub specie publicæ corporationis procreatos liberos conantur iugo seruitutis absoluere, idcirco agnoscat sublimis Magnificentia tua diuali nos in æternum lege sanxisse, si qui vel qua ex corporibus publicis vel ex corporatis vrbis Romæ seruis vel colonis se crediderint copulandos, agnationem eorum ad eos dominos pertinere, quorum inquilinus vel colonus fuisse constiterit, exceptis iis qui ante eam legem non taliter latam sese iunxisse noscuntur. Dat. VII. Kal. Octob. Hermenericho & Basilisco COSS.

INCIPIT LIBER LEGVM DIVI ANTHEMII AVGVSTI.

De mulieribus quæ se seruis propriis vel libertis iunxerunt, & de naturalibus filiis. *Tit.* *I.*

I. Impp. Leo & Anthemius AA. Luperciano PF.P.

HVMANO generi & fluctuantibus rebus mortalium vna post Deum ratione consulitur, si aduersorum ingruētium procellis occurrat sæpius nostra Serenitas. nec dubium est imminui materiam conuersationis humanæ, nisi componat prouidentis regentis imperium, quicquid per se non potest imperare mortalitas: eritque ita magis florida ac tranquilla ciuilitas, si circa prouidos hominum casus excubet circumspecti Principis fauor. Iulia quædam preces nostris fundit altaribus, adstruens cum eo sibi matrimoniū contigisse qui familię quidē suę seruus extiterit, sed libertatem morum claritate meruerit. Exorat quoque nostri nominis maiestatē, ne sibi noceat quod venerabilis sanctio Cōstātini, dominā seruorū suorū cōplexibus inflāmari districtissimo

ctissimo rigore nõ patitur: incõgruũ quippe existimãs in suo casu de seruorũ cõiũctionibus constituta tractari, cùm ipsa non seruo nupserit, sed liberto: præcipuè nuptias suas in culpa venire non posse, quòd de libertorum consortiis prohibẽdis, euidens nihilominus ęstimari quicquid ante hoc lex vlla non vetuit. Geminatam igitur causam huiusmodi casibus consulendi reperit nostra Serenitas, vt nec cõfirmatio subtrahatur de suscepto quasi errore nutantibus, & honestè ac probabiliter constituta sine aliqua deinceps ambiguitate seruentur. Primùm igitur edictali decernimus sanctione, vt quæ vsque ad secundum nominis nostri Consulatum similia probabuntur iniisse coniugia, legitima firmitate non careant, sed hanc quoque munificentiam nostrorum fascium securitati suæ adfuisse lætentur, vt si quę sunt feminę quæ pro nobilitate nataliũ de eiusmodi forsitan consortio quicquam verentur, superfluum pondus iniusti timoris abiiciant, nec se non licito quasi fecisse formident, vt nulla nunc vsque ad liquidum iura vetuerũt: ita vt cum libertis suis iustas nuptias contraxisse videantur, natíque & nascendi ex his liberi nullam vnquam de parentum suorum coniunctione sustineant quęstionem, sed matris ac patris hereditatem legum more percipiant. Ipsi quoque inter quos huiusmodi est contractus societas, testandi in se inuicem, vel succedendi sibi iuxta formam iuris licentiam non amittant, neque quicquam matrimonij gratia à ceteris discrepare credantur, de quibus ante hanc nostri nominis sanctionem nihil legum scita pręscripserunt. Et reuera principalis gratiæ est eruere suis casibus suspicaces mortalium mẽtes, ne sibi non licuisse quod nemo prohibuerat, arbitrentur: vniuersorum quoque notitiam euidenter instruere ne sibi fas esse quisquam existimet, vt fas esse non patimur. Ex hoc ergo nostrę clementiæ Consulatu decorem publicum † agere cupiẽtes, cum seruis & libertis dominas & patronas ineundi matrimonia facultatem habere prohibemus, ne insignium familiarum clara nobilitas indigni consortij fœditate vilescat, & quod splẽdore forsitan senatoriæ generositatis obtinuit, contractu vilissimæ societatis amittat, aut † nude tante tum ingenuæ libertatis fulgore perspicuum genus in femina inprudentior complexus † immineat: ea sine dubio cautione valitura vt de consortiis seruorum perpeti firmitate seruetur quicquid Diuus Constantinus venerabili sanctione constituit. Circa eas verò quę in libertos suos vota conuerterint, custodiri in æternum duratura lege sancimus, vt coniunctio vetita ne nomen quidem matrimonij sortiatur, sed ad inlicita consortia execrabiliter aspirantes publicatione omnium facultatum & perpetua deportatione plectãtur: his qui ex huiusmodi societate nascũtur nõ solùm iure, sed & vocabulo liberorum priuandis, seruili quoque condicione probabiliter addicendis, ita vt his dominium sibi noster fiscus vsurpet. De coniunctionibus sanè ancillarum & libertarum, necnon de naturalibus liberis quoquomodo procreatis procreandísve, inter omnes decernimus custodiri, quod Diuorum retro Principum saluberrima constituta sanxerunt. Luperciane P.K.AA. Inlustris igitur & pręcelsa magnificentia tua saluberrimã sanctionem ad omnium notitiam peruenire edictorum deuulgatione pręcipiat, ne cui supersit ignorationis auxilium quominus cauta quæ sunt decreta seruentur. Dat.x.Kalend.Mart.Romę D.N.Anthemio A.CONS. Accepta Id.Mart. Romę, ipso A.

† augere

† viduitate

† imminuat

De confirmatione Legum D N. Leonis Augusti. *Tit. II.*

Impp. Leo & Anthemius AA. Luperciano PF. P.

AD consultationem clementiæ nostræ Dominus & pater meus Princeps sacratissimus Leo, super his quæ indulgentia principalis in diuersos iam contulit vel processu temporis largietur, certum ius venerabili sanctione constituit, quod sub sacris suæ perennitatis apicibus ad nostram quoque sententiam destinauit. Qúmque mundanis compendiis proficit vt circa regendum vtrunque orbem id præcipuè custodiendum credamus quod deliberatio communis elegerit, legem directam libenter amplexi quod ad omnes tam saluberrima constituta perueniant sub hac pragmatica iussione ad amplitudinem tuam censuimus dirigendam. Luperciano P. K. A A. Inlustris igitur & præcelsa Magnificentia tua venerabilia constituta propositis deuulgabit edictis, ne vllius prætereat notionem quod in æternum valere Serenitas nostra decreuit. Dat. sub die XIIII. Kalend. April. Romæ, D N. Anthemio A. CONS. Actum sub die eodem.

De bonis vacantibus. *Tit. III.*

Impp. Leo & Anthemius AA.

IMperatoriæ maiestatis est ex præsentibus causis etiam futuris prouidere temporibus, & reserata ambiguitate sequenda decernere. Nam cunctorum census vocatur in dubium si per licentiam principalem iura dominorum suam non habeant firmitatem. Itaque nos quibus totius mundi regimen commisit superna prouisio, & iuris regulam & æquitatis rationem volumus custodiri. Pius ac triumphator semper Augustus filius noster Anthemius, licet diuina maiestas & nostra creatio pietati eius plenam imperij commiserit potestatem, tamen prudenti & cauta, qua pollet, æquitate per sacros adfatus nos credidit consulendos adserens in Italiæ partibus multa exorta negotia ex donationibus quas de alienis rebus Principes contra Legum cauta fecere (nam vt quisque vel meruerit vel precatus est de imperatoria veluti largitate plurima & magna detentant: Emergunt autem personæ quæ plerumque prædia vel res aliquas sui iuris adserant esse, quas ex Principis munificentia diuersi inlicito titulo quæsierunt. Nam sæpe ea quæ caduca dicebantur & donata sunt, consanguineus eius qui sine herede putabatur, emergẽs reposcit, vel de captiuitate liberati iure postliminij quæ sua vel propinquorum fuerant, & aliis à Principe concessa sunt, reddi sibi iure desiderant, adstruentes secundum sacratissimas Constitutiones legitimum sibi auxilium suffragari: vel cùm res aliqua vindicatur à possessore cui domus venerabilis aut donatione cõtulit aut vẽditione, vel cõmutatione, aut vltima volũtate transfudit, scilicet quam iniustè aut minus idoneè contractam forsitã possidebat) vtrum iure communi quod petitor probauit suũ recipiet, an prę̨ter Leges quibus omnes vtũtur circa donationem regiam pronunciandum erit, vt factum Principis vel aliena re donata aut vendita comprobetur. Nã cùm de huiusmodi controuersiis ab amplissimis cognitoribus tractaretur, prolata est Constitutio de Codice Theod. sub tit. de bonis vacantibus,

vacantibus, qua Diuus Constantinus cauet, vt si rem quam Princeps donauit suam quisquam potuerit adprobare, non eam recipiat, sed eo cui donata est firmiter possidente, Princeps petitori extrinsecus qua voluerit, ratione succurrat. Hæc cum nostris insinuarentur sensibus, relectis gestis quæ ad nos à filio nostro serenissimo Principe sub prædicta consultatione directa sunt, habitis inter Procuratores Domninæ & Fortunati inlustrium personarum, serenitas nostra, cui cordi est in dies singulos consultiore tractatu & meliore deliberatione generi humano prospicere, satis putauit incongruum vt tanta rebus negotiisque cõfusio vel iniquitas innectatur, & vnicuique suis vti non liceat, neque pro suorum defensione legitimum habere tutamen, sed in arbitrio sit fortè subripientis facilis & iniusta nonnunquam regię donationis auctoritas, & vt aliis iusta possessione fraudatis ab aliis liberalitate iniustè detineatur, cùm & ipse titulus suprà prędictæ Constitutionis vnde consulta est nostra clementia, de vacantibus tantùm non de omnibus bonis atque substantiis euidenter loquatur. Hac igitur in perpetuum valitura lege sancimus, vt siquidem de bonis reuera vacantibus Imperator aliquid pro sua liberalitate donauerit, hoc perpetuam obtineat firmitatem: & nemo calumniam patiatur de re quam principalis in eum liberalitas iure contulerit. Sin autem aliquis rem suam siue tanquam vacantem, siue alio quolibet titulo donatam cupit repetere, eámque sui iuris esse vel ad se deuolutam ex legitima successione monstrauerit, communi legum fruatur auxilio, nec ex illa, licet imperiali donatione seu commutatione, vel ex aliqua cuiuslibet contractus specie, contra generale præsidium omnino lædatur, siue etiam à retrò Principibus hoc beneficium adserat sibi esse delatum, siue post aliquid tale fuerit subsequutum. Hanc igitur Cõstitutionem in causa etiam, Domninæ & Fortunati inlustriũ personarum quæ huic legi præstitit occasionem valere præcipimus, vt communi iure Cesiana massa de qua queritur, prædictæ Domninæ inlustri feminæ restituatur. Neque enim aliud imperatoriæ maiestati, cui semper debet æquitas inhærere & vigere iustitia, videtur ad commodum quam commune ius omnibus reseruare subiectis, & nihil amplius bonis licere Principibus nisi quod liceat priuatis, & hanc liberalitatem prętendere quæ legibus & æquitate subnixa est, vt nemo se alienis & inlicitis ditatum lętetur, nemo bonis propriis defleat esse priuatum. Luperciane P. K. A A. Inlustris igitur & magnifica auctoritas tua quæ hac saluberrima lege serenitas nostra constituit obseruari, ad omnium notitiam edictis ex more propositis iubeat peruenire. Dat. XIIII. Kal. April. Rom. D N. Anthemio P. P. Aug. II. CONS.

TITVLI EX CORPORE CODICIS GREGOR. LIB. I.

De postulando. *Tit. I.*

I. Impp. Seuerus & Antoninus AA. Manilio.

SI nulla sententia contra te dicta est, quæ infamiæ detrimentum adferat, sine causa times ne existimatio tua læsa sit ob id quod in carcerem per iniuriam coniectus es.

II. Imp. Gordianus A. Iouino.

Nullam existimationis infamiam auunculus tuus pertimescet fustibus subiectus, si sententia non præcessit ignominiæ maculam inrogans PP. VI. Kalend. Septemb. Pio & Pontiano coss.

De pactis & transactionibus. *Tit. II.*

I. Imp. Antoninus A. Iulio Maximo.

SI debitori tuo heres extitisti, actio quam aduersus eum habuisti adita hereditate confusa est. Sed si eam posteaquam in iudicio quoque obtinuisti ei tradidisti, quem sententia superaueras ea cōdicione pactóque vt tam ceteris creditoribus quàm tibi id quod deberetur si eam hereditatem non adisses satisfaceret, pacti conuentionísque fides seruanda est, quæ si non seruatur ex stipulatu modo transactio facta est, actio dabitur. PP. VII. Kalend. Aug. Antonino IIII. & Valente coss.

II. Imp. Gordianus A. Licinio, Timotheo Euocato.

Transactionis placitum ab eo interpositum, cui causæ actionem, non decisionem litis mandasti, nihil petitioni tuæ derogabit. PP. Kal. Ian. Pio & Pontiano coss.

INTERPRETATIO. *Si quis per mandatum procurator litis fuerit institutus, & de compositione causæ in ipso mandato nihil continetur adscriptum, litigare potest, componere penitus non præsumat. Quod si composuerit, non valebit.*

III. Idem A. Cliniæ Antoniæ.

Pacta quæ contra bonos mores interponuntur, iuris ratio non tuetur. PP. Non. Octob. ipso A. II. & Pompeiano coss.

IIII. Idem A. Flauio Herculano.

Super iudicato non subsequuta appellatione frustra transigi non est opinionis incertæ I C. PP. XIIII. Kal. Nou. Sabino & Venusto coss.

V. Impp. Valerianus & Gallienus AA. Aurelio.

Præses prouinciæ æstimabit vtrum de dubia lite transactio inter te & Ciuitatis

tatis tuæ ordinem facta sit, an de re iudicata: quia de re iudicata pacisci nemo potest. PP. III. Kal. Iun. Æmiliano & Basso COSS.

EX LIB. II.

Si aduersus donationes sponsis factas in integrum quis restitui velit. Tit. III.

I. Impp. Valerianus & Galienus AA. & Valerianus Cæsar, Auinio Octauiano suo Salutem.

PRecibus tuis & iuris auctoritas & æquitas assistit: neque enim dubium est, ea quæ sponsæ affinitatis contrahendç causa etiam à minore donantur, repeti non posse: quando huiuscemodi causas communi voti complendi ratio prouocet, propter quę & in integrum restitutio denegatur, tametsi inter minores res verti videatur. Nec discrepat ab hiis, qui legitimæ ætatis ad huiuscemodi contractus prodeunt. Quare quæcunque Iulius Agrippinus, v. c. filiæ tuæ Auiniæ sponsæ donauit, repetere nullo modo poterit. Ac si facere hoc tentauerit, opponet auctoritatem suam Iulius Donatus v. c. PF. v. amicus noster, vt tam improba petitio repellatur. Dat. prid. Id. Iun. Æmiliano & Basso COSS.

INTERPRETATIO. *Iure & legibus continetur, vt minoribus contra ea, quæ intra* XV. *annos male gesserint, per integri restitutionem debeat subueniri. Sed in hoc tantum casu præsenti lege remouentur, vt si quid minores pro coniunctione matrimonij sponsalitia largitate donauerint, per obtentum integri restitutionis nullatenus debeãt reuocare. Quod similiter iuxta nouellam legem & de dote seruabitur.*

Si maior fuerit probatus. Tit. IIII.

I. Impp. Philippus A. & Philippus Cæsar, Aëtio Maximo.

MInoribus annis deceptis, non decipientibus subuenitur. Et ideo si ad circunueniendum emptorem mentitus ætatem, ex aspectu te maiorem annis probari effecisti, lubricum frustra prætendis. PP. pridie Id. Nouemb. Aquis, Philippo A. & Titiano COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis decipiendi animo maiorem se instrumentis quibuscunque esse conscripserit, & postea per ætatis veniam contra hoc venire tentauerit, nullatenus audiatur: quia deceptus non est, sed ipse alium voluit fraude decipere.*

De inofficioso testamento. Tit. V.

I. Imp. Alexander A. Valeriæ Celestinæ.

DOs quæ à patre nubenti filiæ data est, aut in obligatione constituta, in quarta, quam habere ex bonis patris debet, ne inofficiosum testamentum possit accusare, non computatur: quoniam viuente patre, bonis eius fuit separata. Imperitè itaque introducis querelam cautionis à marito tuo emissæ, quasi non omnia tradita ei essent, cùm etsi verum sit quod scriptura continetur, non perimatur querela inofficiosi testamenti, si ex iudicio patris supremo quarta filiæ non suppletur, quam intestato patre pro portione sua habere debuit. PP. IIII. Kalend. Septembr. Maximo II. & Æmiliano COSS.

II. Imp. Alexander A. Valeriæ Rufinæ.

Si ex voluntate patris, qui tres ex se natos relinquit heredes, tertiæ portionis

quarta ad te sine vlla diminutione peruenire non potuit, inofficiosi testamenti accusationem instruere non prohiberis. In qua tamen quarta ea quæ ante à patre filiæ in dotem data sunt, non placet computari, quia etiam in bonis mariti sunt, & à patrimonio patris, viuente eo, separata fuerint. PP. III. Kal. Septembr. Maximo II. & Æmiliano COSS.

INTERPRETATIO. *Si pater pro filia dotem tradiderit, aut certè genero pro ipsa dote fecerit cautionem, vel se promissionis vinculo obligauerit, & mortis tempore Falcidiã filiæ pater de hiis rebus, quas mortis tempore dereliquit, non dimiserit, de inofficioso patris testamẽto agere filia non prohibetur, quia illud quod pro ea à patre in dotem datum est aut promissum, in Falcidia non potest imputari. Nam ea, quæ pater viuus in dotis condicione aut promiserit, aut tradiderit, de bonis eius antequam moreretur, discessisse, & alimenta esse noscuntur. Similis erit & de sponsalitia donatione condicio.*

EX LIB. III.

Si certum petatur.

I. Imp. Antoninus A. Iulio.

SI paterna hereditate abstinuisti & à paternis creditoribus conueniris, te secundum iuris formam tueri potes: si verò permiscuisti te hereditati, nec ætate permittente in integrum restitutus es, vt abstinendi ius haberes, intelligis te omnibus creditoribus hereditariis respondere debere. PP. III. Kal. Septemb. Antonino A. IIII. CONS.

De petitione hereditatis.

I. Imp. Antoninus A. Aurelio Pontio Ingenuo.

FRuctus ante litem contestatam perceptos male fidei possessores restituere placuit. PP. XII. Kal. Iul. Romæ, Duobus Aspris COSS.

De rei vindicatione.

I. Imp. Gordianus A. Aurelio Alexandro militi.

VIneas in alieno agro institutas solo cedere, & à malæ fidei possessore id factum sit, sumptus eo nomine erogatos, per retentionẽ seruari non posse, incognitum non est. PP. IIII. Id. Mart. Attico & Prætextato COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis vineas in aliena terra posuerit, ad illum sine dubio pertinebũt, cuius terra esse probatur: qui se solum nesciens alienum, dum id bona fide se crederet possidere, sumptus quos in ipsis vineis ponendis fecit, à domino terræ recipiat. Si verò sciens in alieno posuit, & vineas restituat & expensas penitus non requirat.*

II. Imp. Philippus A. & Philippus Cæsar, Aurelio, Victorino, Marco & Valerio.

Ædificium in alieno agro extructum, solo cedere, sumptúsque eo nomine factos, non nisi bonę fidei emptorem per retentionem posse seruare certissimi iuris est. PP. Kal. Octob. COSS. suprascriptis.

INTERPRETATIO. *Pariter de ædificiis, vel de reliquis rebus in alieno solo positis, sicut superius dictum est, forma seruabitur.*

III. Imp. Philippus A. & Philippus Cæsar, Aurelio Antonio.

Partum ancillæ matris sequi condicionem, nec statum in hac specie patris cõsiderari, explorati iuris est. PP. X. IIII. Kalend. Nouembr. Philippo A. & Titiano COSS.

IIII. Impp.

IIII. Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Aureliæ † Philoxenæ. † &

Quoties eadem res à domino diuersis temporibus pluribus venundatur, eum potiorem esse, cui possessio primum tradita est. PP. XIII. Kal. Maij, Maximo & Aquilino COSS.

V. Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Aureliæ Mammæ.

Si neque mandato tuo, neque ratum habente maritus tuus possessionem iuris tui alienauit, non prohiberis rem tuam vindicare, intercedente Rectore prouinciæ. PP. VIIII. Kalend. Mart. Diocletiano A. III. & Maximiano COSS.

Si sub alterius nomine res empta erit. Tit. VII.

I. Impp. Valerianus & Galienus AA. Aurelio Ausonio.

INstrumentis scriptura non oberit, quod nomen contineat alterius emptoris, ad cuius fidem ipse confugeras, cùm dominium possessionis, quod habuisse te semper, & adhuc habere proponis, securus obtineas. PP. Kal. Iun. Æmiliano & Basso COSS.

II. Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Æliano Ingenuo.

Si nomine quidem vxoris tuæ emptionem confecisti, verum pecuniam de proprio numerasti, & ipse inductus es in possessionem, ac negotium tibi gestum est, idque euidenter probabitur, Præses Prouinciæ vim tibi super iuris tui rebus merito inferri prohibebit. PP. III. Id. Maij, Maximo II. & Aquilino COSS.

INTERPRETATIO VTRIVSQVE LEGIS. *Quoties aut maritus, aut alia quæcunque persona, agrum, aut quamcunque rem, sua pecunia, vxoris, aut cuiuscunque alterius nomine voluerit comparare, & is qui pecuniam dat, in rem fuerit intromissus, & ipse qui pecuniam dedit, rem comparatam cognoscitur possedisse, non potest hoc præiudicio laborare, quod alterius nomine res legitur comparata. Quod si vero cuius nomine res comparatæ sunt, ipsi traditæ sunt, vel ab ipso possessæ, is qui pecuniam suam pro hac re datam fuisse probauerit, rem quidem comparatam non potest vendicare, sed pecuniam potest à possessore recipere, quia duæ res cum quo fuerint, eius dominum faciunt meliorem.*

De familiæ hercíscundæ & communi diuidundo.

I. Imp. Gordianus A. Sextio Iuuenali.

EX re certa heredem institutum sic haberi, ac si sine eius rei commemoratione heres institutus fuisset, sanè officio familiæ herciscundæ Iudicis conuenire vt non plus emolumenti consequatur, quàm alioqui esset habiturus, ac si ex re certa heres institui potuisset, in dubium non venit. Falcidiam quoque in matris testamento cessare falsò tibi persuasum est. Proinde cum iuris ignorantiam excusare facile non possis, si maior annis hereditati matris tuæ renuntiasti, sera prece subueniri tibi desideras. PP. XV. Kalend. Nouemb. Arriano & Papo COSS.

INTERPRETATIO. *Si quis per testamentum heredem aliquem appellauerit, & rem certam, id est, aut possessionẽ, aut mancipia, aut quamlibet aliam speciẽ, de qua dubietas esse non possit, sub heredis vocabulo dimiserit, cui heredis nomen imposuerit, ad eum & illa quæ non sunt nomina perueniant.*

II. Impp. Valerianus & Galienus A A. Antonio Potito.

Si domum, cuius meministi, pater tuus, cùm in potestate eius ageres, nomine tuo donandi animo comparauit, iure quidem non subsistere donationem scire debuisti. Verum si in extremum fati diem pater eadem animi destinatione durauit, iudicium eius, iuxta formam constitutam, esse seruandum, indubitati iuris est. PP. XI. Kal. April. Seculari II. & Donato COSS.

INTERPRET. *In hac lege similis erit & de donatione condicio, quam filiusfamiliàs à quocunque perceperit. Sed hoc amplius habet, quod si maior fuerit ista donatio quæ nomine filiifamiliâs facta est, vt omnis facultas patris quartam eius rei, quam filius donatam accepit, implere nõ possit, reliquis filiis de hac ipsa donatione Falcidia suppleatur.*

Si cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicitur.

I. Imp. Alexander A. Satiro Modestino & Censorino.

EX contractibus seruorum dominum non obligari, tantúmque aduersus eum actionem de peculio competere explorati iuris est. Plane si quid in rem domini versum sit, eo nomine quoque teneri dominum non est incertum. Secundum quæ si non iubentibus vobis, seruus mutuam pecuniam accepit, nec in rem vestram versæ sunt conueniri non potestis. Actio de peculio si inferri ceperit more solito respondere debetis. PP. XII. Kal. Aug. Fusco & Dextro COSS.

Interpretatione non eget.

Ad Senatusconsultum Macedonianum.

I. Imp. Alexander A. Septimiæ.

MAcedoniani Senatusconsulti auctoritas petitionem eius pecuniæ non impedit, quæ filiofamiliæ studiorum causa Romæ agenti ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusaret, credita est. Sed ex contractu filij, post mortem eius de peculio actio in patrem competere ita demum potest, si anni vtilis spatium petitionem nõ impedit. Sanè si iussu patris datum ei probetur, nec in quos vsus versa sit pecunia exquiri necesse est, & perpetua in patrem, etiam mortuo eo filio, actio est. PP. prid. Kal. Mart. Agricola & Clementino COSS.

INTERPRETATIO. *Senatusconsultum Macedonianum præcepit, vt filiofamiliâs pecunia non credatur: Nunc hęc Constitutio iubet, vt pro studio literarum, si quis filiofamiliæ pecuniam dederit, hanc ei pater sine aliqua obiectione restituat. Quod si ipse filiusfamiliâs in peregrinis fortasse defecerit, intra anni spatium, qui pecuniam commodauit de peculio filij potest petere, vt sibi debitum reformetur. Quod si pater iusserit vt pecunia præstaretur, non quærendum est, quid de ea pecunia fecerit, sed debitum pater sine mora restituat.*

LIB. IIII.

Si debito persoluto instrumentum apud creditorem remanserit.

I. Impp. Seuerus & Antoninus AA. Octauio Prisco.

SI exoluta est pecunia, nihil obest veritati quod cautio integra manet apud creditorẽ. PP. Pridie Id. Iun. Antonino II. & Geta COSS.

II. Impp. Valerianus & Galienus AA. Metrodoro.

Si potes probare, omnem pecuniam exolutam creditori tuo, cautio tua, quæ apud heredem eius remansit, inanis est, vt tamen aut ipsa reddatur tibi, aut incisa apud creditorem remaneat, heredem eius conuenire potes. PP. VI. Id. Iun. Galieno II. & Faustino COSS.

Si amißis, vel debitori redditis instrumentis, creditum petatur.

I. Imp. Antoninus A. Septimiæ Martiæ.

DEbitores tuos quibuscunque rationibus debere tibi pecuniã si probaueris, ad solutionem compellet aditus Præses prouinciæ vir clarissimus. Nec oberit tibi amissio instrumentorum, si modo manifestis probationibus eosdem debitores esse apparuerit. PP. Id. Septemb. Antonino A. CONS.

II. Imp. Gordianus A. Aurelio, Prisco & Marco militibus.

Sicut iniquum est, instrumentis vi ignis extinctis debitores quantitatum debitarum renuere solutionem, ita non statim casum conquerentibus facile credendum est. Intelligere itaque debetis non existentibus instrumentis, vel aliis argumentis probare fidem precibus vestris assistere. PP. III. Kal. Iul. Sabino II. & Venusto COSS.

LIB. VI.

Arbitrium Tutelæ, Tit. XVIIII.

Imp. Alexander A. Aglao.

I. Eum qui bonis paternis secundum edicti formam abstentus est, hereditariis actionibus cõueniri nulla ratio suadet. PP. III. Kal. Mai, Alexãdro A. Cõs.

LIB. X.

Quibus res iudicata non noceat.

I. Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Æliæ Matronæ.

SEntentiam aduersus absentes & indefensos, ac maxime minores latam, nullas vires obtinere notissimi iuris est PP. Kal. Septemb. Diocletiano III. & Maximiano AA. COSS.

LIB. XIII.

De patria potestate.

I. Imp. Antoninus A. Victorinæ.

SI in potestate patris fuisti, cũ hereditas Bassæ Cassiæ tibi obuenit, eámque iussu patris creuisti, iure patriæ potestatis ei eam quæsisti. Ideóque quod ab eo iure alienatũ est, nulla ratione oblato pretio tibi restitui desideras. PP. IIII. Kal. Ianuarij, Romæ, ipso Augusto V. & Aduento COSS.

EX INCERTIS TITVLIS CORPORIS GREGORIANI.

I. Imp. Seuerus A. Iulio Conserturino.

EA quæ per vim & metum gesta sunt, etiam citra principale auxilium irrita esse debere iam pridem constitutum est. Accep. Kal. Iul. Dextro II. & Crispino coss.

II. Impp. Seuerus & Antoninus AA. Vetoriis, Frontino, & aliis.

Si vos paternæ hereditati non miscuistis, ob eam rem testificatio necessaria non est, cum fides veritatis verborũ adminicula non desideret. Quod si pro herede gessistis propter ætatem cui subueniri solet, an in integrum restitui debeatis, æstimabit cuius de ea re notio est. PP. V. Non. Mart. Saturnino & Gallo coss.

III. Imp. Antoninus A. Iuliæ Basiliæ.

Pacta quæ ab inuitis contra leges Constitutionésque fiunt nullam vim habere indubitati iuris est, &c. PP. V. Kal. Aug. Antonino A. & Albino coss.

IIII. Idem A. Prisciano militi.

Summa sententia comprehensa, quam cessantibus curatoribus quondam tuis, Iudex sequutus iurisiurandi à te perlati religionem in condemnationem deduxit, minui pacto non potuit, ac propterea sublata cautione trãsactionis, quæ nullo iure interposita est, Septimius Varianus rem iudicatam exequetur. PP. Kal. Iul. Læto II. & Cereale coss.

V. Idem A. Iuliano.

Confessos quoque pro iudicatis haberi placuit, quare sine causa desideras recedere à confessione tua. Accep. prid. Kal. Oct. Gentiano & Basso coss.

VI. Idem A.

Sane meæ literæ nulla ex parte causæ præiudicabunt. Neque enim si penes te culpa fuit, vt matrimonium solueretur, & secũdum legem Iuliam vxor tua Euphrasia nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterij damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos inquirere an cum tu pudicè viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse vt pudicitiam ab vxore exigat, quam ipse nõ exhibet: quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis, rem inter vtrumque componere vel causam facti tollere.

VII. Alexander A. Aurelio Dionysio.

Si postquam aduersarius matris tuæ victus esset, matrem tuam circumuenerit vt pacisceretur nullam se controuersiam de seruis agitaturam, id pactum mala fide factum irritum est, & cùm ex ea conuentione cum matre tua agi cœperit, Iudex eam liberabit, quia de re iudicata pacisci nemo potest. PP. prid. Id. Sept. Alexandro A. cons.

VIII. Idem A. Donato militi.

Si certa quantitas in condemnatione Iudicis deducta fuerit, pacisci exinde non posse, & cetera. PP. IX. Kal. Iun. Fusco II. & Dextro coss.

IX.

IX. Idem A. Crescenti.

Quæ in libello contulisti Præsidi prouinciæ allega, qui non ignorat eum qui per contumaciam absens condemnatur, nec appellationis auxilio vti aut in duplum reuocare posse. PP. XI Kal. Apr. Albino & Maximo COSS.

X. Imp. Gordianus A. Rationalibus.

Manifestum est nuptiis contra mandata contractis dotem quæ data est illò tempore cum traducta fuerat, iuxta sententiam diui Seueri fieri caducam, Nec si cõsensu postea cæpisse videatur matrimoniũ in præteritione cõmisso vitio potuit mederi. Dat. Kal. April. Antiochiæ Gordiano A. & Auiola COSS.

XI. Impp. Carus & Numerianus AA. Aurelio.

Cum fraudis studio transactionem interpositam esse dicas, quod inter vos gestum est infirmat iuris auctoritas, & reliqua. PP. VI. Id. Dec. Caro & Carino COSS.

XII. Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Aurelio Heraclidi.

Si non ex mandato vxoris tuæ aduersario eius cautionem remisisti, ídque euidentibus documentis monstrari potest, quod citra conscientiam vxoris tuæ & ea inuita factum est carebit effectu. PP. VIII. Id. Sept. Diocletiano V. & Maximiano III. AA. COSS.

XIII. Iidem AA. Aureliæ Seueræ.

An diuisio, quam iam factã esse proponis, conuelli debeat, Rector prouinciæ præsente parte diuersa diligenter examinabit: & si fraudibus eam non caruisse perspexerit, quamuis maioribus in perperã factis diuisionibus non soleat subueniri, tamen quod improbum atque inęqualiter factum esse constiterit, in melius reformabit. PP. XVII. Kal. Iul. ipsis VI. & † Cõstãtino III. COSS.

† al. Constantio.

XIIII. Iidem AA. Aproniæ Mammæ.

Si diuisio inter te & sororem tuam nõ bona fide facta est, etiam citrà principale restitutionis auxilium, quod etiam maioribus tribui solet, ad æquitatis temperamentum reformari potest, & cetera PP. VI. Kal. Iul. Maximiano II. & Aquila COSS.

TITVLI EX CORPORE CODICIS HERMOGENIANI.

De cauta & non numerata pecunia.

I. Aurelius Alexio.

EX cautione † non numeratæ pecuniæ, non anni, sed quinquennij spatio deficere, nuper cẽsuimus. Scripta VII. Id. April. Sirmio, Cæs. A. CONS.

† sc. Exceptionem.

INTERPRETATIO. *Secundum legem ex corpore Theodosiano, si certũ petitur de chirographis, quia de quinquennio habetur expositũ, ideo hanc legem ex*

Hermogeniano credidimus adiungendam, quæ tempora, intra quæ contestari conuenit de cauta & non numerata pecunia, id est intra quinquennium euidenter ostendit.

Ex delictis defunctorum quemadmodum conueniantur successores.

† Timie.

I. Aurelius † Ennio Saturnino.

LIcet ante litem contestatam defuncto eo qui ex proprio delicto conueniri potuit, successores non possint pœnali actione conueniri, tamen hos etiam in tantum quantum ad eos peruenit teneri, ne scelere ditentur alieno certissimi iuris est. Auditis itaque partium allegationibus v. c. Proc. prouinciæ Africæ amicus noster in pronuntiando formam iuris sequetur. Scripta VII. Kalend. Octob. Sirmio Aug. CONS.

INTERPRETATIO. *Hæc lex præcipit, vt in criminalibus causis, si quis antequam moriatur non fuerit de facti sui scelere conuentus, atque conuictus, si post eius obitum, quod ab eo cum pœna reddendum erat, apud successores eius fortasse repertum fuerit, hoc tantum ab heredibus reddendum, quod ad eos cognoscitur peruenisse. Ceterum in tali re heredes nec ad pœnã, nec ad aliã quamcunque satisfactionem tenentur obnoxij.*

De iure fisci.

I. Aurelius Ennio Lucello & Marco Seueriano.

SI pro possessione TitI ClaudI vos debita fiscalia exsoluisse constat, vestram esse possessionem notissimi iuris est. Ideò v. c. Proconsul si partium vestrarum allegatione solutam Ansariam pro aliena re cognoscit, vt tradat vobis hanc ipsam cum fructibus rem æquitatis ratione prouisum est. Subscripta x. Kalend. Mart. Sirmio.

De pactis & transactionibus.

I. Impp Diocletianus & Maximianus AA. Sebastiano.

NEque ex nudo pacto nascitur actio, neque si contra bonos mores verborum intercessit obligatio, ex his actionem dari conuenit, & reliqua. PP. IIII. Kalend. Iun. iisdem COSS.

II. Iidem AA. Flauio Rumitalo. Inter cetera, & ad locum.

Pactum neque contra bonos mores neque contra leges emissum valet, & reliqua. PP. iisdem AA. COSS.

III. Iidem AA. & CC. Zotiano Antonino.

Pacto trãsactionis exactio iudicati non tollitur: vnde si pater tuus cõdemnatus iudicio, post transegit & soluit, solutione magis quàm transactione tuum defende negotium, & cetera. PP. XVIII. Kal. Ian. iisdem AA. COSS.

IIII. Iidem AA. Vlpiæ Marcellinæ.

Si Præses prouinciæ ignorantiam tuam fraudulenta transactione ac dolosis artibus generi tui circumscriptam esse cognouerit, siquidem Aquiliana stipulatio & acceptilatio pactionem insequuta non est, pactum callide scriptum integris singulorum actionibus amouebit. PP. III. Non. Octob. ipsis AA. COSS.

V. Iidem AA. Sergiæ & Anagio. Inter cetera, & ad locum.

De dubia verò lite facta transactio rescindi non potest. PP. VIII. Id. Apr. CC. COSS.

VI. Iidem AA. Aurelio Hermogeni militi.

Pactum quod cõtra iuris formam prouinciæ Rector factum animaduerterit, id infirmare minime dubitabit. PP. XIIII. Kal. Nou. Cæsaribus COSS.

De calumniatoribus & plus petendo.

I. Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Aurelio Dextro. Inter cetera, & ad locum.

SI tutor vel curator plus petierit, causa cadit. quod cum factum esse dicas, frustra à nobis remedium quæris, quia te ratio iuris impugnat. PP. IIII. Id. Dec. Nicomedia, Constantio & Maximo COSS.

II. Iidem AA. & CC. Claudio Menandro.

Quotiescunque ordinatis actionibus aliquid petitur, ideo petitor cogitur specialiter genus litis edere, ne plus debito aut eo quod competit postuletur. Siue itaque fideicommissum siue fundus siue pars fundi, siue domus siue pars domus, siue debitum, aut quodcunque petatur, specialiter designari debet petitionis summa vel quantitas, cum genus litis editur. Si quis igitur plus ab eo quod ei competit vel debetur petierit, rem & causam de qua agitur perdit. Plus enim petitur, sicut responsis prudentum continetur, summa, loco, tempore, causa, qualitate, æstimatione. Vnde instructus istius lege rescripti excipe aduersarium apud Iudicem competentem, quem si Iudex plus petiisse perspexerit, extinctis aduersarij tui petitionibus pro partibus tuis sententiam dicet. PP. Mediolano, XII. Kal. April. Tusco & Aquilino COSS.

III. Iidem AA. Quintiano.

Tibi magis quam aduersario qui per calumniam petit supplicas contra quẽ iudicio tutelæ conuenit excipi actionem, ad quam respondere debes: quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulatę, calumniæ in decimam partem eius quod competit condemnari eum desiderare potes. Dat. XI. Kal. Nou. AA. COSS.

De donationibus.

I. Impp. Diocle. & Maxim. AA. Septimio Sabiniano.

CVm de bonis tuis partem quidem tertiam penes te retinuisse, partem vero tertiam in eum quem in potestate habebas, ac tertiam in emancipatum donationis titulo contulisse commemores, non est iuris incerti in eum quidem qui in sacris familiæ tuæ remanet destinationem magis paternæ voluntatis factam quam perpetuam donationem peruenisse, nec in emancipatum translatam, si generaliter eidem partem tertiam bonorum donasti, quia generaliter bonorũ portio donari non potest, cum singulæ res nominari debeant, quæ donatione, mancipatione vel in iure cessione transferuntur, & reliqua. Dat. prid. Kal. MaI, Heraclea, ipsis AA. COSS.

II. Iidem AA. Cretiano Maximo.

Nec venditio donationis causa bonorum omnium valet, sed rerum singularum nominatim donatio facta capit effectum, & cetera. Dat. VIII. Kal. Ian. Cæsaribus COSS.

III. Iidem AA. & CC. Aurelio Altino, Inter cetera, & ad locum.

Codicillis autem sine testamento legatum nec adimi nec dari potest. Dat. sub die VIII. Kal. Ian. Nicomedia cc. coss.

Ad exhibendum.

I. Impp. Diocl. & Maxim. AA. Aurelio Diogeni.

VImis graue est quod petitis vrgueri ad exhibitionem partem diuersam eorum per quos sibi negotiũ fiat, vnde intelligitis quod intentionis vestræ proprias adferre debetis probationes, non aduersum se ab aduersariis adduci. PP. Kal. Mai, AA. coss.

Vbi agi debeat.

I. Impp. Diocl. & Maxim. AA. Flauianæ, Inter cetera, & ad locum

QVæcunque ad te perti nentia quæ detineri dicis ab his quorum meministi, probaueris, vel tibi deberi, Præses prouinciæ restitui prouidebit. PP. VII. Id. Ian. AA. coss.

De instrumentis.

I. Impp. Diocl. & Maxim. AA. Iulio Pancratio, Inter cetera, & ad locum.

OMissis itaque istiusmodi moris, si intentionem suam incipiat aduersarius tuus implere, præscriptionibus temporis vel alterius & tu causam magis tuam defende, habens securitatem victoriæ, si quod intendit aduersarius tuus probationibus implere non possit. PP. DD. Diocletiano V. & Maximiniano AA. coss.

De testamentis.

I. Impp. Diocl. & Maxim. AA. Aurelio Secundino optioni, Inter cetera, & ad locum.

SCripturam quæ nec iure nec legibus consistit, nec à nobis confirmari conuenit: quippe cum beneficia citra cuiusquam iniuriam petentibus decernere minime soleamus. PP. VII. Kal. Nouemb. Marcianopoli, cc. coss.

De successionibus.

I. Impp. Dioclet. & Maxim. AA. Aurelio Asterio, Inter cetera, & ad locum.

SI secundum edicti formam testamentum signatum extitit, bona quę cum moreretur auctor tuus, eius fuerunt, solenniter petis, & reliqua. PP. III. Kal. Apr. Sirmio cc. coss.

II. Iidem AA. Eusebio, Inter cetera, & ad locum.

Manifesti atque euidẽtis iuris est antequam cerneret vel pro herede gereret, vel bonorum possessionem peteret, defunctã successionem eam non potuisse ad heredes suos transmittere. PP. X. Kal. Mart. iisdem AA. coss.

FINIS.

MAGISTRATVVM, DIGNITATVM, CETERORVMQVE OFFICIORVM ET VOCABVLORVM INSIGNIORVM QVÆ IN Gregorian. Hermog. atque Theodosiano Codicibus & Nouellis reperiuntur, Index fidelissimus.

A

Capitatio

Coloboram

Condit.

D

De

E.

Em-

F.

G.

H.

Helladius

I.

Iudæorum

K.

L.

Licent

N

O

Pabula

P

Plumbatarum

Pseudo-

S.

Synagoga

V.

Veredarij

FINIS.

Index capitum ex Breuiario Aniani quæ in iure Pontificio aliis tributa leguntur.

L.1.C.Th. de Iudic.	30. q. 5. c. 11.
L. 5.C. Th. de accusat.	2.q.3.c.5. & 33. q.3.c. 22.
L.10.& 11.C.Th. eod.	3.q.6.c.1.17.& 2.q.8.c.4.& 2. q.3.c.3.
L.12.C. Th.eod.	3.q.11.c.1.3.
L.15. C.Th.eod.	3.q.9.c.8.
L. 19. C. Th. eod.	2.q.8.c.3.
L.3. C.Th. ne præt. crim. maiest. seruus dom.	2.q.7.c.53.
L.2.C.Th.ad leg.Iul.de adul.	35.q.6.c.1.
L.1.C.Th.de abolit.	2.q.3.c.8.
L.1.C.Th.de pœn.	2.q.5.c. 4.
L.2.C.Th. de appellat.	2.q.6.c. 2.
L.15. C. Th. eod.	2.q.6.c.1.
L.20. C. Th. eod.	2.q.6.c.20.
L.9.C.Th. de fid. test.	3.q.9.c.1.
L.30. C.Th. de Epis. & cl.	dist. 12.c.2.
L.38.C. Th.eod.	25. q.2.c.1.
L.41.C. Th.eod.	2.q.3.c.1.
Nou. Valet.&Mart. Neminē exhib.de prou.	3.q.6.c.16.17.
L.4.lib.2. Senten.Paul.tit.19.	32.q.7.c.25.26.
Lib. 4.Sentent.Pauli tit.11.	35.q.5.c.6.
L.10.lib.5. Senten. Pauli tit.5.	3.q.9.c.18.
L. 3. eodem lib. tit.15.	3.q.5.c.12.
L.11. eod.lib. tit. 16.	5.q 3.c.2.
L. 1. eod. lib. tit. 35.	2.q.6.c.39.

CHRONOLOGIA OMNIVM CONSTITVTIONVM IMPERATORIARVM, *quæ in his* III. *Codicibus & Nouellis referuntur, seruata Consulum, mensium ac dierum ratione.*

Adiecta est breuis earum Constitutionum & Nouellarum, quas in suum Cod. Iustinianus retulit, collatio.

Menses et dies.		Codex Iustiniani.
	Imp. Antoninus.	
Martius.	*Saturno & Gallo Coss.*	
V. Non. Mart.	L. 2. Ex inc. corp. C. G. [Vettoriis, Frontino & aliis.	
	Impp. Seuerus & Antoninus.	
Iunius.	*Antonino* II. *& Geta Coss.*	
Prid. Id. Iun.	L. 1. Si debit. persol. C. G. [Octauio. Prisco.	
	Sine die & Coss.	
	L. 1. De postul. [Manilio.	
Iulius.	*Duobus Aspris Coss.*	
Kal. Iul.	Rom. * l. vn. C. G. De pet. hered. [Aurelio Pontio ingenuo.	
Iulius.	*Antonino* IIII. *& Valente Coss.*	
VII. Kal Aug.	L. 1. C.G. De pactis. [Iulio Maximo.	2. 3. 7.
Iulius.	*Antonino & Albino Coss.*	
V. Kal. Aug.	L. pacto. Ex inc. cor. C.G. [Iuliæ Basiliæ.	
Ianuarius.	*Læto* II. *& Cereale Coss.*	
Prid Kal. Feb.	L. frater Ad legẽ Cor. de sic. & ven. [Aurelio Herculano, & aliis militibus.	
Iulius.		
Kal. Iul.	L. summa. Ex inc corp C.G. [Prisciano militi.	
Augustus.	*Antonino* III. *Coss.*	
III kal. Sept.	L. vn. C. G. Si certum pet. [Iulio.	
Nouember.		
III Non. Nou.	L. dominus. C. G. De loc. & cond. [Iulio Agrippino.	
December.	*Antonino A. V. & Aduento Coss.*	
III. kal. Ian.	Rom. l. vn. C. G. De pat potestate.	
September.	*Antonino A. Cons.*	
Id. Sept.	L. 1. C. G. Si amissis vel deb. red. [Septimiæ Mattiæ.	
Iulius.	*Imp. Seuerus.*	
	Dextro II. *& Crispino Coss.*	
Kal. Iul.	L. ea quæ. Ex inc. corp. G. [Iulio Conserturino.	
	Sine die & Cons.	
	L. sanè Ex inc. cor. Greg.	
Martius.	*Imp. Alexander.*	
	Albino & Maximo Coss.	
XI. kal. Apr.	L. quæ in libello. Ex inc. cor. G.	
Augustus.	*Maximo* II. *& Æmiliano Coss.*	
IIII. Kal. Sept.	L. 1. De inoff. testam. [Valeriæ Celestinæ.	
III Kal. Sept.	L. 2. eod. tit. [Valeriæ Rufinæ.	
Maius.	*Fusco* II. *& Dextro Coss.*	
X. Kal. Iun.	L. si certa Ex inc. corp. G. [Donato militi.	5. 11. 4.
Iulius.		
XII. Kal. Aug.	L. vn. Si cum eo qui, &c. [Satyro Modestino & Censorino.	

* tribuitur Antonino, ut sequentes.

Alexandro

Menſes et dies		Codice Inſt.
April.	*Alexandro A. Conſ.*	
iii. kal. Mai	L. vn. C. G. Arbit. tut. [Aglao.	
Iunius.		5.11.4.
xiii. Kal. Aug.	E. ſi modo C.G. Ad leg. Corn. de ſic. & venef. [Aurelio & aliis militibus.	
September.		
iii. Id. Sept.	L. pactum C. G. [Dionyſio.	
Prid. Id. Sept.	L. ſi poſt quam. Ex inc. G. [Aurelio Dionyſio.	
Februarius.	*Agricola & Clementino Coſſ.*	
Prid. kal. Mar.	L. vn. C. G. Ad. Sc. Macedon. [Septimiæ Muſæ.	
Ianuarius.	*Imp. Gordianus. Pio & Pontiano Coſſ.*	
Kal. Ian.	L. 2. C. G. De pactis. [Lucrino Timotheo euocato.	2.4.7.
Auguſtus.		
vi. Kal. Sept.	L.2.C.G. De poſtulando. [Iouino.	
Aprilis.	*Gordiano A. & Auiola Coſſ.*	
Kal. Apr.	Antiochiæ l. 10. Ex inc. corp. C. G.	
Iunius.	*Sabino II. & Venuſto Coſſ.*	
iii. kal. Iul.	L.2. Si amiſſis vel redd. deb. [Aurelio Priſco & Marco.	
October.		
xiiii. ka. Nou.	L.4. C. G. De pactis. [Flauio Herculano.	
October.	*Gordiano II. & Pompeiano Coſſ.*	
Non. Octob.	L.3.C.G. De pact. [Cliniæ Antoniæ.	
Martius.	*Attico & Prætextato Coſſ.*	
iii. Id. Mart.	L.1.C.G. De rei vindic. [Aurelio Alexandro militi.	
October.		
kal. Octob.	L. 2. eod. tit. [Aurelio Victorino, Mario & Valerio.	
October.	*Arriano & Papo Coſſ.*	
xv. kal. Nou.	L.1.C.G. De fam. erc. & comm. diuid. [Sextio Iuuenali.	
	Impp. Philippus A. & Philippus Cæſar.	
October.	*Philippo A. & Titiano Coſſ.*	
xiiii. ka. Nou.	L.2.C.G. De rei vindic. [Aurelio Antonio.	30.32.7.
November.		
Prid. Id. Nou.	L.vn.C.G. Si maior fuerit prob. [Aetio Maximo.	
	Impp. Valerianus & Galienus.	
Iunius.	*Valeriano II. & Fuſco Coſſ.*	
vi. Id. Iun.	L. 2. C. G. Si debit. perſ. [Metrodoro.	
Maius.	*Æmiliano & Baſſo Coſſ.*	
iii. kal. Iun.	L.5.C. G. De pactis.	
Iunius.		
Kal. Iun.	L.1.C. G. Si ſub alt. nom. &c. [Aurelio Auſonio.	
Prid. Id. Iun.	L.vn.C.G. Si adu. donat. [Auinio Octauiano ſuo Salutem.	
Martius.	*Seculari II. & Donato Coſſ.*	
xi. Kal. Apr.	L.2.C.G. De fam. erciſc. [Antonino Potito.	
Aprilis.	*Imp. Aurelius. Aurelio A. Conſ.*	
vii. Id. Apr.	Sirmio l.vn.C.H. De cauta. & non num. pec. [Alexio.	
September.		
vi. Kal. Octo.	Sirm. l.vn. C.H. Ex del. defunct. [Ennio Saturnino.	
	Sine Conſ. & Die.	
	Sirmio l.vn. C. H. De iur. fiſc.	
	Impp. Diocletianus & Maximianus.	
Ianuarius.	*AA. & CC. Coſſ.*	
vii. Id. Ian.	L.1.C.H. Vbi agi debeat. [Flauianæ.	
Februarius.		
x. kal. Mart.	L.2.C.H. De ſucceſſ. [Euſebio.	
Martius.		
vi. Kal. Apr.	Sirmio l. eos. C. H. De depoſito. [Aurelio Andronico.	
iii. Kal. Apr.	Sirm. l.1.C.H. De ſucc. [Aurelio Aſterio.	
Aprilis.		
viii. Id. Apr.	L.5.C. H. De pactis. [Sergiæ & Agio.	

Mense & die		Codex Iust.
Prid. Kal. Maj.	Heracl. L.1. C.H. De donationibus. [Septimio Sabiniano.	
Maius.		
Kal. Maj.	L. vn. C. H. Ad exhibendum. [Aurelio Diogeni.	
IIII. Kal. Iun	L. 1. C. H. De pactis. [Sebastiano.	
Iunius.		
III. Kal. Iul	Serdicæ L. cum qui C. H. de deposito. [Munatio.	
October.		
III Non. Octo	L. 4. C. H. De success. [Vlpiæ Marcellinæ.	
XIIII. Kal. Nov	L. 6. C. H. De pactis. [Aurelio Hermogeni militi.	
I Kal. Nov	L. 3. C. H. De calumniator. [Quintiano.	
VII. Kal. Nov.	Marcianop. l. vn. C. H. de testamentis. [Aurelio Secundino optioni.	
December.		
Id. Dec.	Nicom. l. ille C. H. De deposit. [Quadrato.	
XVIII Kal. Ian.	L. 13. C. G. De pactis. [Zotimo Antonino.	
VIII Kal. Ian	L. 2. C. G. De donationibus. [Cretiano Maximo. L. 3. eod. tit. [Aurelio Altino.	
	Sine die.	
	L. 2. C. H. De pactis. [Flauio Rumitalo.	
	Maximo * II. *& Aquila, Coss.*	
Aprilis.		
XIII Kal. Maj	L. 4. C. H. De rei vindic. [Aureliæ & Philoxenæ.	
Maius.		
Id. Maj.	... 2. C. H. Si sub alt. nom. [Æliano ingenuo.	
Iunius.		
VI Kal. Iul.	L. 14. Ex incert. corp. C. G. [Aproniæ.	
	Diocletiano III. *& Aristone* *Coss.*	
Februarius		
VIII Kal. Mar	L. 5. C. H. De rei vindic. [Aureliæ Mammæ.	
September.		
Kal. Sept.	L. 1. Quib. res iud. non noc. [Æliæ Matronæ.	
VIII. Id. Sept	L. 12. Ex inc. corp. C. G. [Aurelio Heraclidi.	
December.		
Non. Decemb.	L. cum De accusationibus. [Aurelio Sacrato militi.	
	Maximiano bis & Maximiano AA. *Coss.*	
Iunius.		
VII. Kal. Iul.	L. incursu C. G. De deposito. [Mestrio militi.	
November.		
Prid. Kal. Dec.	L. qualitas C. H. Ad legem Corn. de sic. [Habe Agatho K. NB.	
	Diocletiano V. & Maximiano AA. *Coss.*	
	Sine die.	
	L. vn. C. H. De instrumentis. [Didio Pancratio.	
	Constantio & Maximiano.	
December.		
III Id. Dec.	Nicom. L. 1. C. H. De calumniator. [Aurelio Dextro.	
	Tusco & Aquilino Coss.	
Martius.		
XII. Kal. Apr	Med. l. 2. C. H. De calumn. [Clearcho.	
Maius.		
Kal. Maj.	Damasco l. quoniam C. H. De nuptiis. [Exemplum Ed. Dioc. & Max.	
	Diogene Consul.	
Martius		
Id. Mart.	L. 15. C. H. De nuptiis. [Flauiano.	
	Diocletiano A. *VI. & Constantino* III. *Coss.*	
Iunius.		
XVII. Kal. Iul.	L. 13. Ex inc. corp. C. G. [Aureliæ Seueræ.	
	Sine Coss.	
Martius.		
Prid. Kal. Apr	L. otia C. H. De malef. & Manichæ. [Iuliano Proc. Africæ.	
	Imp. Constantinus	
Ianuarius.	*Constantino* A. III. *& Licinio* III. *Coss.*	
XV. Kal. Feb.	L. 1. De petit. & vlt. dat. [Ad Populum.	
Martius.		
III Non. Mar	Heracl. l. 1. De act. proc. & cond. rei pr. [ad Philippum Vic. vrbis.	5.26.9.
VI. Id. Mart.	Mediol. l. 1. De bonis vac. [ad Æmilium Rationalem rei priuatæ.	10.10.2.
Id. Mart.	L. 1. De decurionibus. [ad Euagrium.	10.51.14.
	Imp. Constantinus.	
Iunius.		
Kal. Iun.	L. 2. De censu siue adscript. [ad Eusebium Præsidem Lyciæ & Păphyliæ.	11.48.1.
Augustus.		
III Non. Aug.	L. 1. De testimoniali ex trib. & protect. [ad Rufinum PF. V.	

* al. Maximiano.

Menses et dies.		Codex Iust.
Octob.		
Prid. kal. Nou.	L. 1. De Episc. Ecc. & Cler.	
December.		
Pr. Non. Dec.	Scrd. Acc. V. Non. Mart. Cordub. l. 1. De accusat. { ad Octauianum Comit. Hispaniarum.	3.24.1.
VI kal. Ian.	Treuer. Acc. VIII. Id. Feb. Regio l. 1. De relat. { ad Claudium Plotianum Correctorem Lucaniæ & Bruttiorum.	
III kal. Ian.	Treu l. 1. De appell. & pœn. car.	
Ianuarius.	*Volusiano & Aniano Coss.*	
kal. Ian.	L. vn. Ad leg. Iul. maiest. [ad Maximum PF. V.	9.8.3.
III. kal. Feb.	L. vn. De curator. kal. & fid. eor. [Locrio Verino suo salutem.	11.32.2.
Martius.		
II. Non. Mart.	L. 1. De dilationibus. [ad Vrsum Vicarium.	2.11.2.
XIV. kal. Apr.	L. 1. De nauicul. [ad Volusianum.	
VII kal. Apr.	Treu. * l. 1. De administ. & per. tut.	5.37.20.
Aprilis.		
kal. Apr.	L. 1. Ad Sc. Claudianum. [ad Probum.	
XV. kal. Maj.	Hadrumeti l. 1. Quor. app. non rec. [ad Catulinum.	
VIII kal. Ma.	Rom. l. vn. De ingen. qui temp. tyr. seru.	
October.		
IIII. kal. Nou.	Triu. l. 1. De priuil. eor. qui in sac. pal. mil. [Palatinis & benemeritis suis.	12.29.1.
Nouember.		
III Non. Nou.	Triu. { Acc. XV. kal. Maj. Hadrian. l. 1. De pœnis. / L. 2. De appell. & pœn. earum. } { ad Catulinum.	9.47.16. / 7.62.12.
Ianuarius.	*Constantino A. IIII. & Licinio IIII. Coss.*	
XV. Kal. Feb.	Rom l. 1. De censu siue adsc. [ad Populum.	11.57.1.
XI. Kal. Feb.	Caralis l. 1. De cursu pub. ang. & par. [ad Constantium.	
Februarius.		
V. kal. Mar.	Rom. l. 2. Quor. app. non rec. [ad Volusianum PF. V.	
Martius.		
VIII. Id. Mart.	Thessal. l. 1. De diu. offic. & app. { ad Versennium Fortunatum Consularē Aquarum.	
XV. kal. Ap.	L. 1. De fals. mon. [ad Verinum.	
XII. kal. Apr.	Antiochiæ l. 1. Si petit. soc. sine here. defec. { ad Migdoniū Castrensem S. Palatij.	10.14.1.
	Cabilluno l. 2. De pœnis. [Eumelio.	9.47.17.
III kal. Apr.	L. 1. De thesaur. [ad Rationales.	
Aprilis.		
IIII. kal. Maj.	L. 1. De cohort. princ. corn. & primip. [ad Constantium PF. P.	
Maius.		
VI Id. Maj.	Karthag. l. 1. De cohort. princ. corn. [Edicto suo ad Afros.	
III. Id. Maj.	Naisso l. 1. De alim. quæ inopes par. [ad Ablauium.	
Iunius.		
kal. Iun.	Triu. l. 2. De nauicular. [Amabiliano PF. Annonæ.	
IIII. Non. Iun.	Sirmio l. 1. De pignoribus. [ad prouinciales.	8.17.7.
XV. kal. Iul.	Cp. l. 1. De ann. & tribut. [ad Proclianum.	10.16.4.
Iulius.		
VI kal. Aug.	L. 2. De priuil. eor. qui in sac. pal. mil. [ad Proculum Proc. Afric.	
Augustus.		
kal. Aug.	L. vn. Ad legem Fab. [ad Domitium Celsum Vic. Afric.	9.20.16.
VIII kal. Sept.	Rom. l. 3. De appell. & pœn. ear. [ad Probianum Proc. Afr.	
IIII kal. Sept.	Rom. l. 1. De diu. rescr. [ad Populum.	
September.		
Id. Septemb.	Rom. * l. 1. De iur. fisc. [ad Populum.	
XIV. kal. Octo.	Naisso Acc. VIII. Id. Nou. l. 1. De centon. & dendr. [ad Euagrium PF. P.	
October.		
kal. Octob.	L. 2. De decurionibus. [ad Crispinum.	
XV. Kal. Nou.	Murgillo l. 1. De Iud. cæl. & fam. [ad Euagrium.	
Nouember.		
Kal. Nou.	Treueris. { L. 1. De exactionibus. / L. 2. De an. & tribut.	10.19.1.
VI Id. Nouēb.	Treu. { Acc. XV. Kal. Mart. Karth. l. 1. De conc. adu. / L. 1. De aduoc. fisci. } { ad Ælianum Proc. Afr.	12.61.1. / 2.9.3.

* Tribuitur Constantino & Iuliano Coss.

* Constantinum & Cesar.

Anni et dies.		Codex Iustin.
December.		
Prid. Id. Dec.	Sirmio l.vn.De frum.Karthag. [ad Catulinum Proc. Afr.	
	Sabino & Rufino Coss.	
Ianuarius.		
x Id.Ian.	Rom l.1.De long.temp.præsc. [ad Vettium Rufinum PF.V.	
iii Id. Ian.	Treu.l.1.De offic.Iud.omn. [ad Domitium Celsum Vic.	1.48.1.
iii. kal. Febr.	L.3. De decurionibus. } Mechilio Hilariano Correctori	10.31.15.
	Acc. kal.Aug.l.1.Ad leg.Corn.de fals. } Lucaniæ & Bruttiorum.	9.22.21.
Februarius.		
vi. Non. Feb.	Rom.l.1. De pact.& transact. } ad Maximum PF.V.	
iii. Non. Feb.	Rom.l.1. De donationibus.	8.54.25.
Aprilis.		
xii Kal. Maj.	Serdic.l.2. eod.tit. [Aconio Catulino Proc. Afr.	8.54.26.
Maius.		
Kal. Maj.	Rom.l.3.eod.tit. [ad Cassium PF.V.	
Pr. Non. Maj	Viennæ l.1. De temp. curs.& rep.den. [Iuliano V.C.Præs. Tarraconensi.	
Prid. Id. Maj.	L.2.De curs. pub. ang. & par. [ad Tatianum.	12.51.1.
Augustus.		
Id. Aug.	Arel. PP. Id. Octob. Thebest. } L.5. De appell. } Petronio Probiano.	7.62.13.
	l.6. eod. tit.	1.21.2.
October.		
iii. kal. Nou.	L.2. De adm. & peric. tutor. [ad Maximum PF.P.	5.37.21.
	Gallicano & Basso Coss.	
Ianuarius.		
xiv.kal.Feb.	L.4.De decurionibus. [ad Octabianum Comit. Hispaniarum.	
v.Kal.Feb.	L.2. Ad Sc. Claudianum.	
Martius.		
vi. Id. Mart.	Rom. l.2. Ad legem Iul. de vi priu. & pub. [ad Bassum PF.V.	
Id. Mart.	L.vn. De his qui se defer. [Rationalibus Hispaniarum.	10.13.1.
Aprilis.		
xv kal.Maj.	Serdic.l.1. Ad leg. Iul. de vi. priu. [ad Catulinum Proc. Afric.	9.12.6.
Iunius.		
Id. Iun.	Sirm.l.7. De appellat. [ad Bassum PF.V.	7.62.14.
Iulius.		
xii. kal. Aug	L.1. De Cæsarianis. / L.5. De decurionibus. / L.1. De murileg.& gynæc. / L.3. De cohort. princ. Corn. } ad Bythinos.	11.7.1.
vii. kal. Aug	L.vn. Si quis solid. circ. exter. incid. [Leontio PF.P.	
	Licinio V. & Crispo Cæs. Coss.	
Aprilis.		
iii Id. Apr.	L.1. De veteranis. [Floriano Præsidi.	
Nouember.		
vi. kal. Dec.	L.vn. De parricidio. [ad Verinum Vic. Afr.	9.17.1.
	Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss.	
Ianuarius.		
Id. Ian.	Acc.5.kal. Aug l.1. De accusat. [ad Ianuarium.	9.4.2.
Februarius.		
Kal. Feb.	Rom. l.1. De malefic.& Math. [ad Maximum.	9.18.3.
iiii Id. Feb.	Sirmio l.1. De relationibus. [Profuturo PF. Annon.	7.61.1.
xiv.Kal.Mar.	Sirmio Acc. vii. Id. Apr. Regio l.1.De filiis mil.app. [ad Optauianum.	
Martius.		
viii.Id. Mar.	Corintho l.2. De denunt. vel edit. resc. [ad Symmachum.	
v.Id. Mart.	Sirmio l.2. De bon.vac. [ad Priscum Rationalem.	
iiii.Kal.Apr.	Rom l 8. De appellationibus. [ad Bassum PF.V.	
iii Kal. Apr	Karthagine l.1. De famos. libellis. [ad Verinum Vic. Afr.	
Aprilis.		
Id. Apr.	Sirmio l.1. De inoffic. testam. [ad Lucrium Verinum.	3.28.27.
v Kal. Maj.	Sirmio l.3.De priuileg.cor.qui in sac.pal.mil. [ad Rufinum PF.P.	12.1.2. & 11.29.2.
Maius.		
Non Maj.	Karthag. l.1. De irin. mun. [ad Proculum Proc. Afr.	
v.Id.Maj.	Rom.l.1 De emend. seruorum. [ad Bassum.	9.14.1.
iii. Id. Maj.	Sirm.l.1. De sponsal.& antenupt.donat. [ad Rufinum PF.P.	

L. 2. De

Mensis & dies.		Codex Iust.
II. Maij.	L. 2. De malef. & Math. [ad Populum.	
x. Kal. Iun.	Rom. in Foro Traiani L. 1. De iure fisci. [ad Seuerum Rationalem Africæ.	
v. Kal. Iun.	Cp. l. 3. De nauicular. [Amabiliano PF. Ann.	
III kal. Iun.	L. 3. De iure fisci. [ad Rationales.	
Iunius.		
v Id. Iun.	Hierapoli l. 1. De num. act. scrin. & exc. [ad Leontium.	10.1.16
x. kal. Iul.	Aquil. l. 9. De appellationibus. [ad Seuerum Vicarium.	7.62.5
Iulius.		
Kal. Iul.	Aquiliæ l. 6. De decurionibus. [Patroclo.	5.5.3.
	Agripp. L. 1. Sine cēs. vel reliq. fund. cōp. nō poss. } ad Antonium Marcellinū Prætidē prouinciæ Lugdunensis primæ.	4.47.2.
Id. Iul.	L. 1. De his qui à non dom. man. [ad Bassum.	7.10.7.
xv. Kal. Aug.	Aquil. Rec. apud Vettium Rufinum in Senatu Non. Sept. l. 1. De Mat. bon. [Coss. Præt. Trib. & Senatorib. sal. dic.	6.59.1.
VIII. kal. Aug.	Naisso l. 1. De dolo malo. [ad Symmachum V. C.	2.20.8.
III k. l. Aug.	L. 3. De pœnis. [ad Festum Præsidem Sardiniæ.	
Augustus.		
Id. Aug.	L. 1. De contrah. empt. [ad Profuturum PF. Ann.	
VII kal Sept.	Rom. l. 1. De spons. & ant. nupt. don. [ad Maximum PF. V.	5.3.1.
VI Kal Sept.	Karthag. l. 1. De extr. siue sord. mun. [ad Catulinum Proc. Afr.	11.64.2.
September.		
VII. Id. Sept.	Mediol. Acc. Non. Octob. l. 2. De mat. bon. [Iulio Seuero.	
Octobr.		
Pr. Non. Octo.	Rom. l. 3. Ad leg. Iul. de vi. publ. & pr. [ad Bassum PF. V.	9.12.7.
Non Octo.	L. 4. De donationibus.	
III Id. Octob.	Aquil. l. 1. De tutor. & cur. creand. [ad Bassum PF. P.	
XII Kal. Nou	L. 1. De Episc. Eccl. & cler. [Octauiano Correctori Lucaniæ & Bruttiorū.	1.3.4.11.
IIII Kal. Nou	Sirm l. 2. De temp. curs. & repar. denunt. [ad Felicem Præsidē Corsicæ.	
Nouember.		
XII Kal Dec.	Cp. l. 2. De exactionibus. [ad Pacatianum Vicarium Britanniarum.	
VI Kal Dec.	Serd. c. l. 1. De abolitionibus. [ad Ianuarinum PF. V.	9.42.2.
December.		
Kal. Dec.	Sirmio l. vn. De bonis decur. [Rufino PF. P.	
	in Foro Traiani l. 2. De petit. & vlt. datis. [ad Populum.	
Id. Dec.	L. 2. De diuersis rescript. [Crepereo Donatiano.	
VII. Kal. Ian.	L. 1. De re militari. [ad Proculum.	12.36.9.
	Constantino A. VI. & Constantino Cæs. Coss.	
Ianuarius.		
Prid. Kal. Feb.	Serdic. L. vn. De commiss. resc. } ad Populum.	8.35.3.
Februarius.	PP. Kal. Ap. Rau. l. vn. De infirm. pœn. cæl. } ad Populum.	8.59.1.
Kal. Feb.	L. 3. De exactionibus.	10.19.2.
x. kal Mart.	L. 7. De decurionibus. [ad Edictum.	
v. Kal. Mart.	Karthag. l. 3. De famos. libell. [ad Ælianum Proc. Afric.	
Martius.		
Kal. Mart.	in ciuitate Velouocorum l. 2. De Veteranis.	
VII. Id. Mart.	Sirm. l. 1. De præt. & quæst. [Æliano PF. V.	12.47.1.
Aprilis.		
Kal. Apr.	Aquil. l. 1. De rapt. virg. [ad Populum.	
Maius.		
x. kal Iun.	L. 15. De priuil. eor. qui in sac. pal. mil. [ad Seuerum PF. V.	12.31.1.
Iunius.		
Prid. kal. Iul.	Serd. l. 1. De custod. reor. [ad Florentium Rationalem.	9.4.1.
Iulius.		
VIII Id. Iul.	L. 10. De appell. & pœn. ear. [ad Crispinum.	
xv Kal. Aug.	L. 4. De Episc. Eccl. & cler. [ad Bassum PF. P.	7.63.1.
v. kal. Aug.	Cp. l. 1. De err. aduocat. [Furio Felici.	
September.		
Prid. kal Octo.	L. 1.* De metallis & metallariis. [ad Rationalem Afric.	
October.		
III Id. Octob.	Cp. l. 3. De Veteranis. [ad vniuersos Veteranos.	
December.		
Pr. Non. Dec.	Rom. l. 4. De fam. lib. [ad Ianuarium agent. Vic. PF.	

* Constātio A. VI. & cōstante Cæs. Coss.

Menses et dies		Codex Iust.
Ianuarius.	*Crispo & Constantino Cæs. VV. CC. Coss.*	
xvi Id. Ian.	Sirmio. { L.1. De iudiciis. / L.11. De appell. & pœn. eat. } ad Maximum.	3.1.9. / 7.62.16.
v. kal. Feb.	Sirm. Acc. Non. Apr. l.1. De hon. codic. [ad Seuerum PF. V.	
Februarius.		
viii. Id. Feb.	L.2. De inofficios. testam. [ad Claudium Præsidem Daciæ.	3.28.25.
iii kal. Mart.	L.1. De bon. prosc. [Petronio Probiano.	5.16.24.
Aprilis.		
vii. Id. Apr.	L.1. De suscept. præpos. & arc. [ad Edictum.	
iii. Id. Apr.	Sirm. l.2. De oper. publ. [Menandro.	
xv. kal. Maj.	Sirm. Acc. xv. kal. Iun. karth. l.1. De conlat. fundor. patr. { ad Dometium Dracontium.	
xiv. kal. Maj.	L. vn. De manumiss. in Ecc. [Osio Episcopo.	1.13.2.
Maius.		
xvii. kal. Iun.	L.1. De infirm. hiis quæ sub tyr. [ad Constantium PF. P.	
xiii kal. Iun.	Sirm. l. vn. Si pend. app. mors interu. [ad Bassum PF. V.	7.66.6.
Iunius.		
v. Non. Iun.	Caralis l.1. De feriis. [Helpidio.	3.12.2.
x kal. Iul.	{ L.4. De vectigal. & commiss. [ad Iunium Rufinum Consul. Æmil. / Aquil. l.5. De malef. & Math. [ad Bassum PF. V.	4.61.4. / 9.18.4.
iii kal. Iul.	Rom. l. vn. De his qui ven. æt. impetr. [ad Verinum.	2.45.2.
Iulius.		
v. Non. Iul.	Rom. l. 4. De Episc. Eccl. & cler. [ad Populum.	1.2.1.
Prid. Non. Iul.	Mediol. l.3. De fals. mon. [ad Tertullum Proc. Afr.	9.24.2.
Augustus.		
kal. Aug.	Sirm. l.1. De med. & profess. [ad Volusianum.	10.52.6.
iii. kal. Sept.	L.1. De fam. erc. [ad Verinum.	3.36.26.
September.		
xvii ka. Octo.	Sirm. l. vn. De sent. pass. & rest. [ad Maximum PF. P.	9.51.13.
Nouember.		
xii. kal. Dec.	Rom. l.2. De fals. mon. [ad Ianuarium.	9.24.1. & 7.13.2.
December.		
iiii. Id. Dec.	L.3. De Iud. cæl. & Samar. [Decur. Agrippinensium.	
xvi kal. Ian.	Serd. Acc. viii. Id. Mart. l.1. De pag. sac. & templ. [ad Maximum.	
xiiii. kal. Ian.	Rom. l.1. De legit. heredit. [ad Bassum PF. V.	
Februarius.	*Probiano & Iuliano VV. CC. Coss.*	
v. Id. Feb.	L.3. De acc. & inscript. [ad Agricolanum.	9.2.11.
Iunius.		
x. kal. Iul.	Sirm. l.2. De denunt. vel ed. resc. [ad Maximum PF. P.	
Iulius.		
Prid. Non. Iul.	Rom. l.2. De alim. quæ inop. par. [Menandro.	
xiii. kal. Aug.	Sirm. l.1. De lib. caus. [ad Maximum PF. V.	
vii. kal. Aug.	Sabariæ l.1. De Const. princ. [ad Lusitanos.	1.23.4.
October.		
iii. Kal. Nou.	L.1. De indulgent. crim. [ad Maximum PF. P.	
Aprilis.	*Seuero & Rufino Coss.*	
Id. Ap.	Cp. { L.12. De appellationibus. / L.8. De decurionibus. } ad Florentinum al. Florentium.	7.54.8.
iv. kal. Maj.	{ L.1. De re. milit. / L.1. De commeat.	12.36.9. / 12.43.1.
Maius.		
xii. kal. Iun.	L.2. De extr. siue sord. mun. [ad Vlpium Consul. Æmiliæ & Liguriæ.	
viii. kal. Iun.	Sirm. l.5. De Episc. Eccl. & cler. [ad Helpidium.	
December.		
xii. Kal. Ian.	L.2. De liberal. caus. [ad Maximum PF. V.	8.47.10.
Ianuarius.	*Crispo iii. & Constantino ii. Cæs. Coss.*	
xiv. kal. Feb.	Sirm. l. vn. De his qui num. lib. [Dalmatio.	10.51.6.
Martius.		
viii Id. Mart	Thessal. l.4. De nauiculariis. [Helpidio.	

L. 3. De

CHRONOLOGIA.

Menses & dies.		Codex Iuſ
Aprilis.		
VIII kal. Maj.	L.3. De extr. ſiue ſord. mun. [ad Edict. Chalc. & Maced.	
Iunius.		
VII Id. Iul.	Karthag. l.9. De decurionibus. [ad Hilarianum Proc. Afr.	10.31.11.
Februarius.	*Paulino & Iuliano VV. CC. Coſſ.*	
Prid. Id. Feb.	L.2 De infirm. his quæ ſub tyr. [ad vniuerſos prouinciales.	
XV. kal. Mart.	Cæſ. l.1. De vſuris. [ad Dracilianum Agentem vices PF. P.	
Martius.		
Pr. Non. Mar	Treu. l.1. De his quæ ex publ. conl. inl. &c.	10.73.1.
Maius.		
XV. Kal. Iun.	Antiochiæ l.4. De veter. [ad Maximum PF. V.	
X. Kal. Iun.	Niciæ l.3. De diu. reſc. [Seuero PF. P. al. Seueriano PF. V.	1.19.2
Iulius.		
V. Id. Iul.	Antiochiæ l.10. De decurionib. [ad Maximum.	
XIV. kal. Aug.	{ L.2. De ſuſc. præp. & arc. { ad Eufraxium Rationalem trium prouinciarum.	10.70.?
	{ L.1. De pond. & auri inl.	10.70.1.
III. kal. Aug.	L.2. De iudiciis. [ad Seuerum PF. V.	3.1.10.
September.		
XV. kal. Octob.	{ Nicomed. l.4. de acc. & inſc. [ad vniuerſos prouinciales.	9.1.12.
	{ Naiſſo l.1. De teſt. & inſtrum. [Aurelio Helladio.	
October.		
kal. Octob.	Beryto l.1. De gladiatorib. [Maximo PF. P.	11.43.1.
Non. Octob.	L.11. De decurionibus. [ad Conſtantium PF. P.	
XIV. Kal. Nou.	L.1. De erog. mil. ann. [Habe Felix K. Nb.	
Ianuarius.	*Conſtantino A. VII. & Conſtantino Cæſ.* IIII. *Coſſ.*	
VI. Kal. Feb.	Serd. l.3. Ad Sc. Claudianum. [ad Populum.	
Februarius.		
III. Non. Feb.	Heracl. { L.2. De cuſtod. reor. [ad Euagrium.	9.4.2.
	Heracl. { L.1. Ad legem Iul. de adult. [Africano V.C.	9.9.29.
XV. kal. Mart.	Cp. l.3. * De curſ. publ. angar. & par. [ad Acyndinum PF. P.	12.51.2.
Martius.		
Id. Mart.	Sirm. l.1. De integ. reſtit. [ad Populum.	2.28.2.
VIII. kal. Apr.	in Foro Traiani l.2. Ad legem Cor. de falſ. [ad Maximum PF. V.	9.22.22.
Aprilis.		
Prid. Non. Ap	Aquil. l. vn. Si quis eam cuius tut. fuer. [ad Baſſum Vic. Ital.	9.14.1.
VI. kal. Maj.	Rom. l.3. Quor. appell. non rec. [ad Ælianum Proc. Afr.	
III. kal. Maj.	Nicom. l.2. Ad leg. Iul. de adult. [ad Euagrium PF. P.	9.9.30.
Maius.		
XVI. kal. Iun.	L. 13. De decurionibus.	10.31.17.
XI. Kal. Iun.	Sirm. Acc. Rom. l.5. De acc. & inſc. [ad Maximum PF. V.	
Iunius.		
X. kal. Iul.	Cp. l. 4. De curſ. publ. ang. & par. [Menandro.	
IIII. kal. Iul.	Serd. l. vn. De mul. quæ ſe ſeru. prop. iunx. [ad Populum.	9.11.1.
Iulius.		
VIII. Id. Iul.	Rom. l.3. De infirm. his quæ ſub tyr. [Antiocho PF. Vigil.	
Id. Iul.	L. 4. eod. tit. [ad Senatum.	
III. Kal. Aug.	L.1. De filiis mil. appar. [ad Seuerum.	
Auguſtus.		
Kal. Aug.	L.6. De curſ. pub. ang. & parang. [Magno agenti Vic. PF.	
III. Non. Aug.	in Palatio l.3. De bonis vac. [ad Seuerum PF. V.	
September.		
VIII. Id. Sept.	L. 2. De indulg. crim. [ad Cerealem PF. V.	
October.		
X. kal. Nou.	L.1. Vnde vi. [Seuero.	8.5.1.
Nouember.		
III. Non. Nou.	Arelat. l.2. De diu. off. & app. [ad Philippum PF. P.	
Pr. Non. Nou.	L.6. De diu. offic. & app. { ad PF. P.	
VIII. kal. Dec.	L. 14. De decurionibus. { ad PF. P.	
December.		
Prid. kal. Ian.	Sirmio l.5. De iure fiſc. [ad Voluſianum PF. V.	10.1.7.

* *Conſtãtino A. VII. & Conſtantio Cæſ. Coſſ.*

Menses & dies		Codex Iustin.
Februarius.	*Constantino Cæs. V. & Maximo Coss.*	
III. Kal. Mar.	Thessal. l. 2. Sine censu vel reliq. fund. comp. non poss. { Acacio Comit. Macedoniæ.	
Martius.		
Pr. Non. Mart.	Acc. Rom.* l. 2. De præt. & quæst. [Iuliano PF. V.	
Aprilis.		
XI. Kal. Maj.	Karthag. l. 15. De decurion. [ad Annam Tiberianum Comitem.	
Maius.		
XV. Kal. Iun.	Serd. l. 4. De exaction. [ad Afros.	10.21.1.
IIII. kal. Iun.	Cp. l. 2. De fam. erc. [ad Constantinum PF. P.	
Iulius.		
XV. Kal. Aug.	L. 14. De appellat & pœn. ear. [Victori Rationali vrbis Romæ.	7.62.28.
Martius.	*Ianuarino & Iusto Coss.*	
Kal. Mart.	Nicom. Acc. VIII. Id. Apr. Rom. l. vn. De mens. olear. { ad Cerealem PF. Ann.	
Maius		
VII Id. Maj.	Rom. l. 4. De extr. siue sord. mun.	11.57.1.
Iulius.		
III. Non. Iul.	Ysco l. 5. De priuil. cor. qui in sac. pal. mil. [ad vniuersos Palatinos.	
October.		
XII. Kal. Nou.	L. 4. De famosis libellis. [ad Dionysium.	
December.		
Kal. Dec.	L. 6. De acc. & insc.	
IIII. Kal. Ian.	Triu. l. 5. De veteranis. [Maximo.	12.47.2.
Maius.	*Constantino* VIII. *& Constantio* * IIII. *Coss.*	
III. Non. Maj.	L. 4. De fals. mon. [Helpidio.	
Iulius.		
VII. Kal. Aug.	Naisso PP. Rom. Non. Octob. l. 2. De integ. rest. [ad Bassum.	2.54.5.
Augustus.		
XV. kal. Sept.	Serd. l. vn. De his qui sanguinol. empt. vel inu. occ. [Italis suis.	
September.		
III. Kal. Octo.	Serd l. 16. De decurionibus.	10.31.18.
October.		
VIII. kal. Nou.	Heracl. l. 17. De decurionib. [ad Lucretium Paternum.	10.31.19.
Nouember.		
XII. Kal. Dec.	L. 18. De decurionibus. [ad VV. CC. PF. P.	
Februarius.	*Gallicano & Symmacho Coss.*	
Non. Feb.	Serd. l. 7. De Episc. Eccl. & cler. [Valentino Consulari Numidiæ.	
VIII. Kal. Mar.	L. 1. Finium regund. [ad Tertullianum PF. V. Comit. Dioceseos Asianæ.	3.39.3.
Martius.		
IIII kal. Maj.	L. 3. De sponsal. & ante nupt. don. [Valeriano agenti vice PF. P.	1.18.11.
Maius.		
XV. Kal. Iun.	L. 1. De aquæductu. [ad Maximilianum Consul.	11.42.1.
Iunius.		
XII. Kal. Iul.	L. 2. Fin. regund. [Basso PF. V.	3.39.4.
Nouember.		
III Kal. Dec.	Cp. l. 2. De Iud. cæl. & Sam. [ad Ablauium PF. P.	
Februarius.	*Basso & Ablauio Coss.*	
Prid. kal. Mar.	L. 3. De liber. causa. [ad Bassum PF. P.	
Martius.		
XV. kal. Maj.	Cp. l. 1. De expositis. } ad Ablauium PF. P.	
Maius.		
III. Non. Maj.	L. 1. De repudiis. } ad Ablauium PF. P.	
Iulius.		
kal. Iul.	Triu. l. 2. De num. act. scr. & except.	
X. kal. Aug.	L. vn. De litigiosis. [ad Prouinciales.	8.37.2.
Augustus.		
	PP. kal. Sept. { L. 16. De appell. & pœn. } ad vniuersos prouinciales.	7.62.19.
kal. Aug.	{ L. 17. eod. titulo. } ad vniuersos prouinciales.	1.21.3.
	{ L. 1. De his qui per met. Iud. non app. } ad vniuersos prouinciales.	
	L. 3. Finium regundorum.	

* Constantio & Maximo Coss. vt in 4. seq.

* al. v. Coss.

L. 3. De

CHRONOLOGIA.

Menses & dies		Codex Iustin.
Pri. Non. Aug	L.3. De filiis milit. appar. / L.19. De decurionibus. — ad Euagrium.	12.48.1.
Prid. Id. Aug	L.20. De decurionibus.	
October.		
xvi. Kal. Nou.	L.1. De offic. Præf. Præt. [ad Bassum PF. P.	
Nouember.		
Kal. Nou.	Cp. l.1. De offic. Rect. prou. [ad Prouinciales.	
December.		
Kal. Dec.	Cp. l.4. De Iud. cæl. & Sam. — Archisynagogis & patribus synagogarum & ceteris qui in eodem loco deseruiunt.	
	Pacatiano & Hilariono Coss.	
Aprilis.		
Prid. Non. Ap	Marcianop. l.4. De sponf. & ante nupt. don. [ad Pacatianum PF. P.	5.1.2.
iii. Id. Apr.	L.4. De filiis mil. app. [ad Leontium PF. P.	
Iulius.		
vii. Kal. Aug	Coloniæ Agripp. l.1. De lib. & eor. lib. — ad Concilium Byzacenorum.	6.7.2.
vi. Kal. Aug.	Col. Agripp. l.1. De inofficiof. testam.	
October.		
vii. kal. Nou	Cp. l.4. De lib. causa.	
ii Kal. Nou.	L.1. De fugit. col. inq. & seru. [ad Prouinciales.	
	Dalmatio & Zeno Philo VV. CC. Coss.	
Aprilis.		
xiv. Kal. Maj.	Cp. l.3. De adminift. & per tut. [Felici.	5.37.23.
Maius.		
iiii. Non. Maj	Cp. L.2. De fid. test. & instrum. / L.5. De donationibus. — ad Seuerum Com. Hispaniarum.	4.21.14.
iii. Non. Maj	L.3. De num. act. scr. & exc. [ad Maximum PF. P.	
September.		
v. Kal. Octob.	Cp. l.3. De med. & professs. [ad Populum.	
Nouember.		
iii. Id. Nou.	Aquis l.4. De diu. rescript. — ad Barbarum Pompeianum Consular. Campaniæ.	1.22.4.
Id. Nou.	L.5. De filiis milit. apparit.	
	Optato & Paulino Coss.	
Martius.		
vii. Id. Mart.	Rom. l.1. De suar. pec. & susc. [ad Pacatianum PF. P.	
Aprilis.		
iii. kal. April.	Cp. l.3. De mat. bon. [ad Seuerum Com. Hispaniarum.	
Maius.		
xiv. kal. Iun.	L.4. De num. act. scr. & exc. / L. Damus De iis quæ adminift. — ad Benoricianum Vic. Asiæ.	12.50.1.
Iunius.		
xv. Kal. Iul.	Cp. l.2. De offic. Iud. omnium. [Andronico.	3.14.1.
Iulius.		
ii. Non. Iul.	Singiduno l.2. De aduoc. fisc. [ad Pacatianum PF. P.	
Augustus.		
viii. kal. Sept	Naisso l.3. De fid. test. & instr. [ad Iulianum Præsidem.	4.20.18.
vii. kal. Sept.	Karthag. l.1. De excus. artific. — ad Felicem.	
September.		
vii. Id. Sept.	Karthag l.6. De nauicular. — ad Felicem.	
December.		
kal. Dec.	L.7. De naucul. [Nauiculariis Orientis.	
	*Constantino * & Albino Coss.*	
Martius.		
iii. kal. Apr.	Cp. l.3. De perit. & vlt. dat. [ad Prouinciales.	10.11.5.
xv. kal. Maj.	Cp. l.1. De luc. offic. [ad Pacatianum.	
Augustus.		
Pr. Non. Aug	Viminacio l.21. De decurionib. [ad Felicem PF. P.	
	Nepotiano & Facundo Coss.	
Maius.		
xiv. Kal. Iun.	L.8. De naucul. [ad Seuerum.	
Iulius.		
Id. Iul.	Cp. Acc. kal. Maj Hispali l.5. De sponf. & ante nupt. — ad Tiberianum Vic. Hispaniarú.	5.3.16.
Augustus.		
xi. kal. Sept.	Cp. l.22. De decurionibus. [ad Euagrium PF. P.	

* In quibusdam Constantio.

Menses et dies.		Codex Iust.
Octobr.		
IIII Id. Octo.	L.3. De an.&trib. [Gregorio PF. P.	
XI kal. Nou.	Cp. { L.5. De Iud.cæl. & Sam. L.1. Ne Christ. manc. Iud hab. } ad Felicem PF. P.	
Februarius.	*Feliciano & Tatiano Coss.*	
Prid. Non. Feb.	Cp. l.2. De contr. empt. [ad Gregorium.	4.4.2.
Maius.		
XII kal. Iun.	Karthag. l.2. Quemad. mun. ciuil. ind. [ad Concilium Prou. Afr.	
Augustus.		
IIII. Non. Aug.	L.2. De excus. artific. [ad Maximum.	10.64.1.
December.		
III. Id. Dec.	Thessal. l.4. De ann.& trib. } ad Egnatium Præsidem Bæticæ.	11.58.2.
Prid. Id. Dec.	L.2. De distr. pignor. quæ debit. &c. }	4.46.3.
Iunius.	*Vrso & Polemio Coss.*	
Prid. Id. Iun.	Vimin. l.4. De pet & ult. dat. [Celsino PF. P.	
XIV. Kal. Iul.	L.5. De famos. libel. [ad Afros.	
Iulius.		
VI kal. Aug.	Sirm. l.5. De oper. publ. [Haue Catuline k. Ns.	8.12.1.
October.		
V. Id. Octob.	Antiochiæ l.13. De decurion. [ad Iulianum.	
XV. kal. Nou.	L.7 De accus. & insc. [Domitio Leontio PF. P.	
V. Kal. Nou.	Emissa l.25. De decurionibus.	
Nouember.	IMPP. CONSTANTINVS ET CONSTANS.	
kal. Nou.	L.26.* De decurionibus. [ad Catulinum Vic. Afr.	
V. kal. Dec.	Acc. XVII. kal. Iun. * Thamugadi l.1. De hon cod. [Aconio Vic. Afr.	
December.		
VI. kal. Ian	Antioch. l.4. De temp. curs. & rep. den. [ad Acyndinum PF. P. *	
Ianuarius.	*Constantio II. & Constante AA.* Coss.*	
VI. Id. Ian.	Treu.* l.27. De decur. [Haue Celsine K. Ns.	
Februarius.		
III Non. Feb.	L.5.* De ann.& trib. [ad Vranium.	10.16.5.
Martius.		
Prid. Id. Mart.	Heliop.* l.4. De mat bon. [ad Dionysium.	
Prid. kal. Ap.	Antioch. l.1. De incest. nupt. [ad Prouinciales Fenices.	
Aprilis.		
VIII April.	L.3.* De præt. & quæst. [ad Mecilium Hilarianum PF. P.	
Iunius.		
XIII kal. Iul.	Serd. PP. VI kal. Aug. Rom * l.18. De appell. [Anicio Iuliano PF. V.	
IV. Kal Iul.	L.4.* De præt. & quæst. [ad Mecilium Hilarianum PF. P.	
Augustus.		
Id. Aug.	{ L.7.* De Iud cæl & Sam. [ad Felicem PF. P. { Cp. l.2. Ne Christ. manc. Iud. habeat.	1.10.1.
IV. Kal. Sept.	L.4. Quor. app. non rec. [ad Catulinum.	
Nouember.		
VI. kal. Dec.	{ L.19.* De appellat. { L.28. De decur. } ad Anatolium Vic. Asiæ.	7.93.1.
Iunius.	*Post Consulatum Constantij II. & Constantis AA.*	
V. Id. Iun.	L.20. De app. & pœn. ear. [Philippo PF. P.	
September.		
V. Id. Sept.	Antiochiæ. { L.5. De præt. & quæst. L.6. eod. titulo. } ad Senatum.	
Maius.	*Sine Coss.*	
III. Non. Mai.	Cp. l.1. De episc. iud. [Ablauio PF. P.	
Ianuarius.	*Acyndino & Proculo Coss.*	
IV. Kal. Feb.	Naisso l.29. De decurionib. { Ordini Ciuit. Constantinæ Circensium.	10.31.20.

* Impp. Constantius & Constans.
* Constantius solus.
* al Constãtio A & Constante Cæs. Coss.
* Constantius & Constans.
* Constantius solus.
* Constantius solus.
* Constantius solus.
* Constantius solus.
* Constantius solus.
* Constantius solus.
* Adscribitur Constantino.
* Tributur Constantio.

Naisso l.5.

Notae	Menses & dies		Codex Iust.
	Februarius.		
	IV. Non. Feb.	Naisso l.5. De pet. & ult. dat. [Callepio Rationali trium prouinciarum.	
	Aprilis.		
	Non. Apr.	L.3. De custod. reor. [Acyndino PF. P.	9.4.3.
* Cõstãtinus & Constãs.	VI. Id. Apr.	L.3.* De dilationibus. { ad Petronium Vicar. Afric.	3.11.6.
* Adscribitur Constantio.	V. Id. Apr.	Aqu. l.1.* De aduoc. fisc. { ad Petronium Vicar. Afric.	
* Tribuitur tantum Constantino.	III. kal. Maj.	L.1.* De immun. concess. { Gerulo Rationali trium prouinciarum.	
		L.1.* De comm. diuid. { Gerulo Rationali trium prouinciarum.	3.38.11.
	Iunius.		
* Tribuitur Constantino, & ad Proculum & Paulinum Coss. refertur.	VII kal. Iul.	Mediol. l.1.* De sepul. viol. [ad Tatianum PF. V.	9.19.2.
	III Kal. Iul.	L.3. De hon. codic. [ad Marcellinum PF. P.	
	Augustus.		
	Prid. Id. Aug.	Acc. Capuæ * l.1. De salg. hosp. non præb. [ad prouinciales.	
		Bessæ l.30. De decurionibus. [Nemesiano Comiti.	10.31.21.
* Tribuitur Constantio.	Nouember.		
* Refertur ad Constantinũ & Honoriũ.	III kal. Dec.	L.21. De appell. & pœn. ear. [ad Proculum Proc. Afr.	
		Marcellino & Probino Coss.	
	Aprilis.		
	VII Id. Ap.	L.5. Quor. app. non recip. [ad Albinum Vicar. Hispaniarum.	10.69.1.
	Iunius.		
	VIII Kal. Iul.	Lauriaco. { L.31. De decurionibus. / L.1. De tabul. logog. & censual. } ad Carulinum.	
	Augustus.		
	XVI kal. Sept.	L.32. De decurionibus. [ad Hilarianum.	
	December.		
	VIIII kal. Ian.	L.6. De donationibus. [ad Celsinum.	
		Sine die.	
		L.2. De pag. sac. & templ. [ad Magdalianum agentem Vicem PF. P.	
		Constantio IIII. *& Constante* III. *AA. Coss.*	
	Martius.		
* Constãtino A. III. & Cõstantio Coss.	VIII Id. Mart.	Cp. l.1.* De postulando. [ad Bassum PF. P.	
	Aprilis.		
* Constantio III. & Constãte II. Coss. vt in seq.	Non. Apr.	Antioch. * l.33. De decurionibus. [Rufino Com. Orient.	
	VIII. Id. Apr.	Sabariæ l.6. De petit. & vlt. dat. [ad Eusebium Com. R. P.	
	VI. Id. Apr.	Antioch. l.34. De decurionibus. [ad Auxentium Præsidẽ Augustamnicæ.	
	Maius.		
	V. Id. Maj.	L.6. Quor. app. non recip. [ad Leontium.	
	Non. Maj.	Cp. l.6. De extr. siue sord. mun. [ad Beronicianum Vic. Asiæ.	12.24.1.
		Placido & Romulo Coss.	
	Ianuarius.		
* Constantius vt in seq.	VIII. Kal. Feb.	Bonon. l.5.* De extr. siue sord. mun. [ad Italicum.	11.74.1.
	Februarius.		
	XII Kal. Mart.	Antiochiæ l.3. De fals. mon. [Leontio PF. P.	9.24.2.
	VI. kal. Mart.	Cyzico l.22. De app. & pœn. ear. [ad Scyllacium.	
	Iunius.		
* Constantius vt in seq.	V Kal. Iul.	Hierapoli * l.35. De decurionibus. [Leontio PF. P.	
	Prid. Kal. Iul.	Triu. l.36. eod. tit. [ad Titianum.	
	Iulius.		
* Cõstãtinus.	IIII. Non. Iul.	Hierap. * l.1. De lenonib. [ad Seuerum PF. V.	
	Augustus.		
* Constãtius.	VI. Kal. Sept.	L.8.* De Episc. Eccl. & cler. [Clericis salutem dicit.	
		Leontio & Sallustio Coss.	
	Iunius.		
	V. kal. Iul.	L.37. De decurionib. [ad Placidum PF. P.	
* Constãtius.	III. kal. Iul.	L.2.* De concuss. aduoc. seu app. [Eubolidæ V. C. Vic. Afr.	12.61.2.
	Iulius.		
	Prid. Non. Iul.	L.3. De excusat. artific. [ad Leontium PF. P.	10.64.2.
	December.		
	V. Id. Dec.	L.7. Quor. app. non recip. [ad Hieroclem Consularem Syriæ Cœles.	71.61.2.
		Amantio & Albino Coss.	
	Maius.		
* Constantius vt in seq.	IIII. Id. Maj.	Nizeb. * l.5. De exact. [Nemesiano V. P. Com. S. L.	10.19.3.
	Id. Maj.	Treu. l.7. De petit. & vlt. dat. [ad Eustathium Com. R. P.	
	Iulius.		
	VI. Non. Iul.	Rom. l.23. De appell. & pœn. ear. [ad Rusticum PF. V.	
		Eusebio & Rufino Coss.	
	Martius.		
	VIII. Id. Mart.	Ancyr. l.8. Quor. appell. non recip. [Theodoro Consul. Syriæ Cœles.	

Menses et dies.		Codex Instit.
Aprilis.	*Philippo & Salia Coss.*	
VIII. kal. Maj.	L.6. * De iur.fisc. [ad Herodem Consul. Syriæ Cœle:	
Iunius.		
XV. kal. Iul.	Med.l.2. Si petit. soc. sine her. defec. [Orioni V.C.	10.34.2.
November.		
VI. Id. Nov.	L.24. De app. & pœn.ear. [Procopio Præsidi Ciliciæ.	
	Imp. Constantius.	
Februarius.	*Limenio & Catulino Coss.*	
III. Non. Feb.	{ L. 6. De filiis mil. apparit. { L. 4 De cohort.princ.corn.& prim. } Antonio Duci Mesopotamiæ.	
Prid.Id.Feb.	L. 6.De falsa mon. [ad Limenium PF. P.	
Martius.		
VIII Id. Mart.	{ L.1.* De iurisd.& vbi quis conu.deb. { PP. Rom.l.6.De exactionibus. } ad Eustathium PF. P.	10.19.4.
V.kal. Apr.	L.2.De sepul. viol. [ad Limenium PF. P.	9.19 3.
Aprilis.		
kal. Apr.	Antioch.* l.39 De decurionib. [ad Anatolium PF. P.	
VIII. Id. Apr.	L.5.De matern.bon. [ad Leontium Com. Orient.	
III. Id. Apr.	L.9.De Episc.Eccl.& cler. [Seueriano Proc. Asiæ.	
Maius.		
VI kal. Iun.	Sirmio { L.3.De diu.off. & app. { L. 2.* De re militari. } ad Siluanum Com.& Magistrum equitum & peditum.	
III. Kal. Iun.	L.3. De re milit. [ad Titianum PF. P.	12.36.10.
Iunius.		
X Kal Iul.	L.2.* De long. temp. præsc. [Argyrio Præsidi.	
Augustus.	*Impp. Constantius & Constans.*	
kal. Aug.	L.3. De susc. præp. & arc. [Claudio PF. Ann. Alex.	
September.		
XII. kal. Octo.	{ L.1. De dotibus. { L.1. De reuoc donat. { L.1. eod. titulo. } ad Philippum PF. P.	
October.		
V. Non. Octob.	C P. { L.vn.* De præb. salar. { L.6.De oper. publicis. } ad Marcellinum. { Correctorem { Comité Orientis.	10.36 1. / 8.12.2.
November.		
III. Id. Nov.	L.2.* De rapt. virgin.vel vid. [ad Tatianum.	
Iunius.	*Sergio & Nigriniano Coss.*	
V.kal Iul.	L.4. De re militari. [ad Cretionem Vic. Com.	
November.	*Constantio A.V. & Constante Coss.*	
III. Non. Nov	Med l.5. De infir.his quæ sub tyr. [ad vniuersos prouinciales & ad Populū.	
Martius.	*Constantio A. VI. & Constante Cas. Coss.*	
III. Non. Mart	Sirmio l.8. De petit.& vlt. dat [ad Orionem Comitem R. P.	
Prid. Id. Mart	L. 7.* De præt. & quæst. [ad Orphitum PF. V.	
Maius.		
kal. Maj.	L.2 * De testim. extrib.& protect. [ad PF. P.	
VII. kal. Iun.	Cp.l.10.De Episc.Eccl.& cler. [vniuersis Episc per diuersas prouincias.	
Iulius.		
Pri. Non. Iul.	L.1.* De tironibus. [ad PF. P.	
XII. kal. Aug	Rau.l.40. De decurionibus. [ad Taurum PF. P.	
X kal. Aug.	{ L.9. Quor. app. non recipiuntur. [ad Cerealem PF. V. { L.41.* De decurionibus. [ordini karthag.	
Augustus.		
III. Id Aug.	L.7.* De Veteranis. [Euagrio PF. V.	
XI Kal. Sept.	L.1.* De rapt. vel matr.sanct. [ad Orfitum.	
December.		
VI. Id. Dec.	Thess.l.7.* De exact. [Bibuleno Restituto Præsidi Sardiniæ.	10.21.2.
Ianuarius.	*Constantio A. VII. & Constante Cas. Coss.*	
XV. Kal. Ian.	Acc.x. kal. Aug. Karth. l. 10. Quor. app.non rec. [ad Proclianū Proc. Afr.	
III. kal. Feb.	Serd.l.1.* De hæred.pet. [ad Maximum PF. V.	
Februarius.		
XIV. kal. Mar.	Sirm.l.2. * De emendat. seru. [Maximiano Macrobio.	
III Kal. Mart.	L.11.De Episc.Eccl.& cler. [ad Longinianum PF. Ægypti.	
VII Id Mart	L.1.De agent. in rebus. [ad PF. P.	

Marginal notes:

* Constantius vt in seq. (at VIII. kal. Maj.)
* Cōstātinus. (at Martius / VIII Id. Mart.)
* Constātius (at kal. Apr.)
* Constās. (at VIII. Id. Apr.)
* Constātinus vt in seq. (at VI kal. Iun.)
* Cōstātinus & Constās. (at X Kal Iul.)
* Cōstātinus.
* Constātius.
* Adscribitur Constātio & refert. Cōstantinum A. VI & Constantinum II. Cæs. Coss.
* Tribuitur Constātio & ad Coss. Constantium A. VI & Constantem II. refertur.
* Constantio VI. & Cæs. Coss. & adscribitur Cōstantio.
* Constantio VI. & Constāte II. AA. Coss.
* Constātino A. VI. & Cōstantio II.
* Adscribitur Constantino, & habet Coss. Constātinum A. VI. & Constāte II.
* Tribuitur Constantio.
* Constantio V. & Constante III. AA Coss.
* Adscribitur Constantino A. & Cæsari.
* Adscribitur Constantino.

L.2.

Menses & dies		Codex Iusti.
Aprilis.		
III. Id. Apr.	L. 2. * De suar. pec. & susc. [Lucrio Verino.	
Maius.		
Pr. Non. Maj.	L. 5. De cohort. * princ. corn. { ad VV. CC. PF. P.	
Prid. Id. Maj.	L. 4. De diu. off. & app. { ad VV. CC. PF. P.	
XV. kal. Iun.	L. 5. eod. tit. [ad PF. P.	
XII. kal. Iun.	L. 2. * De med. & profess. [ad Rufinum PF. P.	
XI. kal. Iun.	Med. { L. 42. * De decurionib. / L. 6. * De ann. & trib. { Ordini Cæsenatium Sal. dicit.	
Iunius.		
kal. Iun.	L. 6. * De Episc. Eccl. & cler. [ad Ablauium PF. P.	
III. Kal. Iul.	L. 3. * De oper. publ. [Secundo PF. P.	
Iulius.		
IIII. kal. Aug.	Karth. l. 15. De appell. & pœn. ear. [ad Concilium Prou. Afr.	
Augustus.		
Kal. Aug.	L. 6. * De curs publ. ang. & par. [Magno agenti Vicem. PF.	
III. Non. Aug.	Antioch. * l. 7. De curs. publ. [Olybrio Proc. Afr.	
September.		
Kal. Sept.	Generasto l. 1. De hæretic. [ad Dracilianum.	
XIV. Kal. Octo.	L. 5. De nauic. [ad Ablauium PF. P.	
VIII. Kal. Oct.	Spolet. l. 2. De hæretic. [ad Bassum.	
October.		
V Kal. Octob.	L. 1. * De prædiis nauicul. [ad Decretum Nauicul.	
December.		
Prid. kal. Ian.	L. 2. * De tut. & cur. creand.	
	Arbitione & Lolliano Coss.	
Ianuarius.		
Kal. Ian.	Med. * L. 2. De hiis qui per met. [ad Volusianum PF. P.	
Martius.		
V. Kal. Apr.	L. 3. De reuoc. donat. [ad Orfitum PF. V.	
Aprilis.		
VIII. Id. Apr.	L. 2. * De erog. mil. ann. [ad Taurum.	
VIII. kal. Maj.	L. 7. De donat. [ad Orfitum PF. V.	
Iulius.		
Prid. Non. Iul.	Med. * l. 2. De pist. & catab. [ad Orfitum PF. V.	
XI. kal. Aug.	Accepta XII. kal. Sept. l. 1. De curiosis.	12.23.1.
VIII. kal. Aug.	{ L. 11. Quor. app. non rec. / Med. * l. 2. De iurisdictione. { ad Lollianum PF. P.	
IV. kal. Aug.	L. 12. Quor. app. non rec. [ad Volusianum PF. P.	
III. Kal. Aug.	{ Messadensi PP. Capuæ l. 25. De app. & pœn. ear. [ad Lollianum PF. P.	7.62.21.
	{ L. 26. eod. [ad Volusianum PF. P.	7.62.22.
Augustus.		
Kal. Aug.	L. 1. De legat. & decr. leg. { ad Taurum PF. P.	
September.		
IV. Non. Sept.	Dinummæ Acc. prid. Id. Nou. kart. l. 8. De exact. { ad Taurum PF. P.	
VIIII. kal. Oct.	Acc. Non. Octob. l. 12. De Episc. Eccl. & cl. [Seuero suo Salut.	
October.		
Pr. Kal. Non.	Mediol l. 6. * De famos. libell. [ad Populum.	
	Impp. Constantius & Iulianus Cæsar.	
	Constantio VIII. *& Iuliano Cæs.* I. *Coss.*	
Ianuarius.		
XV. kal. Feb.	Med. ind. 15. l. 2. De legat. & dec. legat. [Musoniano PF. P.	
Februarius.		
VI Kal. Mart.	L. 6. De pagan. sac. & templ.	
Martius.		
VIII Id. Mar.	Med. l. 2. De bon. prosc. { ad Populum.	
Aprilis.		
IV Non. Apr.	Med l. 7. De extr. siue sord. mun. { ad Populum.	
	Med. lect. à Brazio Proc. VII. Id. Maj l. 9. De præt. & quæst. { ad Senatum.	
III Id. Apr.	L. 10. De præt. & quæstoribus. { ad Senatum.	
Augustus.		
V. Kal. Sept	L. 3. De bon prosc. [Cælestino Consul. Bæticæ.	
Sine die.	PP. in Foro Traiani l. 3. De malef. & Math. [ad Orfitum.	
	Constantio VIIII. *& Iuliano Cæs.* II. *Coss.*	
Februarius.		
VI kal. Mar.	Co. Acc Id. Maj Rom. l. 1. De decur. vrb. Rom.	

* Constantinus & Coss. refert Constantinũ A. VII. & Constantium Cæs.
* Constantio & Constante II. Cæs. Coss.
* adscribitur Constantino & ipse Coss. VI Imp.
* Constãtino VII & Constantio III. A A. Coss.
* Constantio VII. & Constante III. A A. Coss.
* Constãtino A. VII. & Constante Cæs. Coss. & adscribitur Constantino.
* Constãtino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. & ad Constantinum refertur.
* Adscribitur Constãtio & habet Coss. Constantium A. VII. & Constantium Cæs.
* Adscribitur Constantio, & habet Coss. Constãtium VII. A. & Constantium.
* Constant. et Cæs. Impp.
* Constãtius Imp.
* Constãtius A.
* Constãtius A. Imp.
* Constãtius A. Imp.
* Constãtius Imp.

	Menses et dies.		Codex	Instit.
	Martius.			
	v. kal. Maj	Med. l. 2. De curiosis. [ad Taurum.		
* *Cõstantius.*	*II. Kal. Maj*	Med. l. 3.* De censu siue adscr. [ad Dulcitium Consul. Æmiliæ.	11.47.3.	
	Maius.			
	Pr. Non. Maj.	L. 5. De numer. act. scrin. & except. [ad Taurum. PF. P.		
	Iunius.			
	Kal. Iun.	Romæ l. 9. De nauicul. [Olybrio PF. V.	11.1.3.	
* *Cõstātius.*	*Id. Iun.*	Med. l. 4.* De sepul. viol. [ad Populum.	9.19.4.	
	XVI. kal. Iul.	Vallis l. 7. De iure fisci. [Verecundo Ration. summarum.		
	VIII. Kal. Iul.	Med. l. 8. De cursu publ. } ad Taurum PF. P.	12.51.3.	
	Iulius.			
	III Non. Iul.	Med. l. 5. De diuers. resc. } ad Taurum PF. P.		
	Id. Iul.	L. vn. Qui petant. [Haue Orphite K. N.		
	Augustus.			
	Prid. Id. Aug.	L. 11. De præt. & quæst. [ad Senatum.		
	IIII Kal. Sept.	L. 4. De malef. & Mathem. [ad Populum.		
	September.			
	III. kal. Octo	L. 3. De iurisd. & vbi quis conu. deb. [ad Taurum PF. P.		
	October.			
	XVI Kal. Nou.	L. 2. De gladiat. [ad Orfit. PF. V.		
	IIII. kal. Nou	Med. l. 13. De Epis. Eccl. & cl. [ad Leontium.		
	December.			
	IIII. Non. Dec	Acc. Rom. VIII. Id. Feb. l. 1. De lustr. conl. [ad Taurum PF. P.	9.18.6.	
* *Cõstantius & Constans Impp.*	*Pr. Non. Dec*	Med. (L. 5 De malef. & Math. (PP. Rom XVII. kal Ian.* l. 3. Ad leg. Iul. de adult. } ad Populum.	9.9.31.	
	VIIII. Id. Dec.	Med. Lecta V. Kal. Ian. apud Acta l. 14. De Ep. Eccl. & cl. [Felici Episcopo.	1.3.2.	
	VIII. Id. Dec.	Med. l. 9. De curs. publ. ang. & par. } ad Taurum PF. P.		
	XV. Kal. Ian.	Sirmio l. 3. De erog. militaris ann. } ad Taurum PF. P.		
	Sine Die.	L. 27. De appell. & pœn. earum. } ad Taurum PF. P.		
		Post Consulatum Constantij VIIII. *& Iuliani Cæs.* II.		
	October.			
	VI. kal. Nou	Sirmio l. 10. De curs. pub. ang. & par. [ad Flauianum Proc. Afr.		
		Sine Coss.		
* *Male tribuitur Constātio & Honorio leg. Cõstantius & Constans.*	*V. Id. Octob.*	L. 2.* De salgam. hospit. non præb. [Leontio PF. P.	12.41.1.	
		Datiano & Cereale Coss.		
	Ianuarius.			
	Pr. Non. Ian.	Sirm. Acc. VI. kal. Sept. l. 4. De bon. prof. [ad Taurum.		
	Martius.			
* *Constātius Imp. vt in seq.*	*XIIII. kal. Apr.*	Med l. 2.* De murileg. & gynæc. [ad Taurum PF. P.		
	Maius.			
	XI. kal Iun.	(L. 6. De cohort. princ. Cornic. & primipil. (Sirm. l. 44. De decur. } ad Martinianum Vic. Afr.		
	Iunius.			
	X. kal. Iul.	L. 45. De decur. } ad Martinianum Vic. Afr.		
* *Constātius & Constans Impp. vt in seq.*	*IIII. Kal. Iul.*	Sirmio. (L. 4. De reu. don. [ad Orfitum PF. V. (L. 13.* Qu. app. non rec. [ad Probum Proc. Afr.	8.16.8.	
	December.			
	XIV. kal Ian.	Sirm. l. 1. De inoff. dot. [ad Maximum Præsidem Ciliciæ.	3.10.1.	
	VI. kal. Ian.	Med. Acc. VIII. Id. Iul. l. 7. De diu. off. [ad Taurum PF. P.		
	IV. kal. Ian.	Doridæ l. 4. De erog. mil. ann. [Helpidio PF. P.		
		Eusebio & Hypatio Coss.		
	Februarius.			
	VII kal. Mart.	L. 9. De extr. siue sord. mun. [ad Taurum PF. P.		
	Martius.			
	Prid. Id Mart	Cp. l. 5. De erog. mil. an. [Helpidio PF. P.		
* *Constātius Imp.*	*VIII kal. Apr.*	L. 1.* De calc. coct. [ad Orfitum PF. V.		
	Maius.			
	XI kal. Iun.	Sirm. (L. 14. De præt. & quæst. (L. 15. eod. tit. } ad Senatum.		
	Iunius.			
	XVIII. kal Iul	L. 47. De decur. [Cæciliano PF. P.		
	XIV. kal. Iul.	Singinduno PP. x. Kal. Aug. Rom. l. 28. De appellat. [ad Taurum PF. P.		
	October.			
	Prid. kal. Nou	L. 5. De curios.		

L. 3. De

Menses et dies.		*Codex Iust.*
Nouember.		
Prid. kal. Dec	L. 3. De curios. [ad Agentes in rebus.	12.23.3.
vii. kal Ian.	L.16. De præt. & quæst. [ad Senatum.	
Februarius.	*Constantio A. X. & Iuliano Cæs. Coss.*	
Pr. Non. Feb.	Cp. l.1. De patroc. vic. [Helpidio.	
Maius.		
xvi. Kal Iun	Hierapoli l.6. De erog. mil. an. [Helpidio PF. P.	12.38.1.
Iunius.		
Prid Kal. Iul.	Med. l. 15. De Episc. Eccl. & cler. [ad Taurum PF. P.	1.3.3.
December.		
xv. Kal. Ian.	Sirmio l.2. De inoff. dot. [Pomponiano.	
	Impp. Constantius & Iulianus Cæsar.	
Februarius.	*Tauro & Florentio Coss.*	
xi kal. Mart.	Antiochiæ l.16. De Episc. Eccl. & cler. [ad Antiochenses.	
Maius.		
	Gisyræ * l.12. De præt. & quæst. } ad Senatum.	11.1.7.
	Veronæ l.13. eod tit. } ad Senatum.	
	L.1. * De metat. } ad Senatum.	
	L. 7. * De annonis & triburis. } ad Senatum.	
v. Non. Maj.	L.1. * De publ. comparatione. } ad Senatum.	
	L.48. * De decurionibus. } ad Senatum.	
	L.3. De instr. conlatione. } ad Senatum.	
	L.7. * De oper. publicis. } ad Senatum.	
xvi kal. Aug	L.45. De decurion. [ad Taurum PF. P.	
xiv kal Ian.	L.4. * De inoff. test. m. } Olybrio.	
	L. vii. De inoff. donat. } Olybrio.	3.29.9.
Augustus.		
iii Non. Aug.	L.14. Quor. app. non rec. [ad Flauianum Proc. Afr.	
	L.7. De cohort. princ. corn. } ad Taurum PF. P.	
[illegible] kal. Sept	L.49. * De decurionibus. } ad Taurum PF. P.	
Ianuarius.	*Imp. Iulianus.* *Mamertino & Neuitta Coss.*	
viii. Id. Ian.	L.7. De erog. mil ann [Salustio PF. P.	
[illegible] Kal. Feb.	Cp. l.6. De numer. act. scr. & exc. [ad Auxonium Correctorem Tusciæ.	
Februarius.		
Kal. Feb.	L.1. Si cert. per. de suffr.	
Non. Feb.	Cp. l 1. De exhib. vel transm. reis. [Salustio PF. P.	12.1.8.
viii kal. Mar.	Syrac. l.12. De curs. publ. [ad Mamertinum PF. P.	
Martius.		
Kal. Mart.	L.7. De num. act & scr. [Secundo PF. P.	
vi. Id. Mart.	L.5. De bonis prosc [ad Felicem Com. S. L.	
	Cp. L.4. De lustr. conlatione. } Secundo. PF. P.	
iii. Id. Mart.	Cp. L.10. De extr. siue sord. muneribus. } Secundo. PF. P.	
	Cp. L.50. De decur. } Secundo. PF. P.	
Id. Mart.	Cp. l.1. De locat fund. iuris emphy.	11.64.3.
x kal. April.	Cp. l 5. De fid. test. & instrum.	
v. Kal. Apr.	L. 2. De conl. fund. pat. vel emphyt.	
Aprilis.		
iii kal. Maj	L.1. De auro coron. [ad Salustium PF. P.	
Prid Kal Maj.	Cp. l. 2. De immun. conc.	
Maius.		
iiii. idus Maj.	Cp. l. 4. De Med. & profess. [ad Archiatros.	
Iunius.		
[illegible] Kal. Iul.	Acc iv. kal. Aug. Spoletio. L.5. De Med & profess.	10.52.7.
[illegible] Kal Iul.	L.13. De curs. pub. [ad Mamertinum PF. P.	
Augustus.		
Kal. Aug.	Nicomed. l.8. De erog. mil. ann. } Secundo PF. P.	
[illegible] kal Sept.	L. [illegible] D domest. & protectoribus. } Secundo PF. P.	10.31.22
[illegible] Sept.	Antioch. l 51 De decur. [Iuliano Com. Orient.	
[illegible]		
[illegible]	Antioch L.1 De dominio rei quæ posc. [Secundo PF. P.	3.40.1.
	Antioch Acc. Id. Oct. Tyro. l.52. De decur. [ad Iulianũ Consul. Fenicis.	

** tribuitur Constantio ut seq. 2.*
** Constãtius & Constãs.*
** Constãtius.*
** Constãtius & Constans.*
** Constãtius & Cõstans*
** Cõstãtinus A. & Iulianus Cæsar. ut in seq.*

** Constãtius & Cõstans.*

Menses & dies.		Codex Iustin.
v. Id. Sept.	L. 14. De curs. publ. ang. & parang. [ad Mamertinum PF. P.	12.51.4.
xviii. ka. Oct.	Antioch. l. 53. De decur. [ad Salustium PF. P.	
x. Kal. Octob.	Antioch. l. 29. De appell. [ad Hymetium Vic. vrbis.	
vii. Kal. Octo.	Antiochiæ Acc. V. Id. Nou. Naiss. L. 1. De prox. Com. disp. { ad Secundum PF. P.	
November.		
Kal. Nouemb.	Byritho l. 54. De decur. [ad Iulianum Com. Orientis.	
December.		
iii. Non. Dec.	Antiochiæ. { L. 8. De oper. publ. / L. 9. eod. tit. } Ecdicio PF. Ægypti.	8.12.3.
vii. Id. Dec.	Aquil. l. 10. De op. publ. [ad Rufinum.	
Id. Dec.	in Foro Traiani l. 4. Ad S.C. Claudianum. [ii. PF. P.	
xv. Kal. Ian.	L. 30. De appell. [ad Germanianum PF. P.	7.67.2.
	Iuliano & Salustio Coss.	
Februarius.		
Pr. Non. Feb.	L. 1. De cognit. & procur. [Secundo PF. P.	2.12.23.
Prid. Id. Feb.	Antioch. l. 5. De sepul. viol. [ad Populum.	9.19.5.
xiii. kal. Mar.	Antioch. l. 3. Sine censu vel reliq. fund. compar. non posse. { ad Secundũ PF. P.	4.47.3.
iiii. kal. Mar.	L. 2. De dot. [ad Mamertinum PF. P.	
iii. kal. Mart.	{ Cp. l. vn. De longa consu. [ad Maximum. / L. 4. Sine censu vel reliquis &c. [Edictum.	
Martius.		
Kal. Mart.	{ Beryto l. 2. De ag. in reb. [ad Secundum PF. P. / L. 55. De decur. [Leontio Consul. Palæstinæ.	10.31.24.
x. kal. Mar.	L. 31. De appell. & pœn. ear. } ad Mamertinum PF. P.	
Aprilis.		
viii. kal. Maj.	Salonæ l. 2. De ponder. & aur. inlat. } ad Mamertinum PF. P.	10.70.14.
October.		
xi. kal. Nou.	Antioch. l. 2. De metall. & met. [ad Rufinum Com. Offic.	
vii. Kal. Nou.	{ Antiochiæ L. 15. De cursu publ. / Acc. xv. kal. Apr. Karth. l. 1. De ind. debitorum. / L. 2. De itinere muniendo. } ad Auitianum Vic. Afr.	
November.		
Prid. Id. Nou.	Mãpsystæ l. 1. De conl. don. vel releu. poss. [Aginatio Consul. Byzacenæ.	
vii. kal. Dec.	Antiochiæ l. 16. De curs. publ. } ad Mamertinum PF. P.	
v. Kal. Dec.	Viminacio l. 8. De num. act. scr. & exc. } ad Mamertinum PF. P.	
December.		
v. Id. Dec.	Antioch. l. 3. De suar. pec. & susc. [Aproniano suo Salutem.	
xii. kal. Ian.	Antioch. l. 56. De decurionibus.	
	Impp. Valentinianus & Valens.	
Ianuarius.	*Diuo Iouiano & Varroniano Coss.*	
vi. Id. Ian.	Naisso. { L. 5. De pist. & catabol. / L. 6. eod. titul. } ad Symmachum PF. V.	
iii. Id. Ian.	L. 6. De med. & profess. [ad Mamertinum PF. P.	10.52.8.
Februarius.		
Pr. Non. Feb.	{ L. 8. De iure fisc. [ad Cæsarium Com. R. P. / L. 32. De appell. & pœn. / L. 15. Quor. appell. } Ordini Ciuit. Karth.	7.62.24.
xi. kal. Mar.	Antioch. * l. 2. De rapt. vel matr. sanctim. [ad Secundum PF. P.	1.3.5.
Martius.		
iii. Id. Mart.	Hadrianop. l. 10. De nauicul. [ad Ampelium Proc. Afr.	
Prid. Id. Mar.	L. 17. De curs. publ. [ad Menandrum.	
vi. Kal. Apr.	L. 1. De ann. ciuic. & pan. grad. [Iouio PF. V.	
Aprilis.		
vi. Id. Apr.	L. 1. De cond. in pub. hor. [ad Volusianum PF. V.	10.26.1.
iii. Id. Apr.	Cp. l. princeps. De iis quæ admin. &c. [ad Iouinum PF. V.	
xv. kal. Maj.	Cp. l. 5. De lustr. conlat. [Secundo PF. P.	1.4.1. & 4. 6.63.1.
x. Kal. Maj.	{ Antiochiæ l. 10. De erog. mil. an. [ad Symmachum PF. V. / Sirmio l. 2. De Cæsar. [ad Mamertinum PF. P.	
vi. kal. Maj.	L. 2. De conlat. don. vel releu.	
iii. kal. Maj.	Hadrian. l. 5. De re mil.	
Maius.		
Non. Maj.	L. 57. De decurionibus.	

* Tribuitur Iouino.

Hadrianopoli.

Menses et dies.		Codex Iust.
III. Id. Maj.	Hadrianopoli. L. 8. De cohor. princ. & corn. ad Mamertinum PF. P. L. 58. De decurion. Acc. VIII. kal. Oct. Kart. l. 9. De exact. ad Dracontium Vic. Afr.	
	L. 18. De curs. pub. angar. & parun. [ad Mamertinum PF. P.	
VIII. kal. Iun.	Philipp. [l. 11. De oper. publ. [ad Symmachum PF. V.	8.12.4.
III kal. Iun.	Serdicæ l. 3. De leg. & dec. leg. [ad Mamertinum PF. P.	
Iunius.		
Kal. Iun.	Med. l. 4. De iurisd. & vbi quis conu. [ad Terentium Correct. Tusciæ. Bonamansione PP. in For. Traian. l. 1. De priuil. corp. vrb. Rom. [ad Symmachum PF. V.	3.19.3.
IV. Non. Iun.	Naisso l. 3. De pistor. & catabol. ad Symmachum PF. V.	
VIII. Id. Iun.	Naisso l. 4. eod. tit. ad Symmachum PF. V.	
VI. Id. Iun.	Naisso. L. 2. De calc. coctor. L. vn. De sacc. port. Rom. L. 12. De op. publ. ad Symmachum PF. V.	
V. Id. Iun.	Naisso l. 5. De pœnis. ad Symmachum PF. V.	
III. Id. Iun.	Naisso l. 6. eod. tit. [Arthemio.	
Id. Iun.	Naisso l. 8. De ann. & tribut. [ad Symmachum PF. V.	
XIII kal. Iul.	Med. l. 13. De op pub. [Tautomedi Duci Daciæ Ripensis.	
VIII kal. Iul.	Philipp. l. 19. De curs. publ. [ad Symmachum PF. V.	
Iulius.		
III. Non. Iul.	Sirm. l. 7. De pact. & trans. ct. [Ampeliæ.	
VI. Id. Iul.	Naisso l. 1. De can. frum. vrb. Rom. [ad Symmachum PF. V.	
Augustus.		
XIIII. kal. Sept.	Med. L. 2. De domest. & prot. L. 3. De domest. & protect. ad Seuerum Comit. domest.	
V. Kal. Sept.	Emonæ l. 2. De aur. coron. ad Mamertinum PF. P.	
September.		
VII Id. Sept.	Aquil. l. 4. De leg. & decr. legat. ad Mamertinum PF. P.	
VI. Id. Sept.	L. 6. De lustr. conl. [ad Florentium Com. S. L.	
V. Id. Sept.	L. 7. De malefic. & Math. [ad Secundum PF. P.	
IIII. Id. Sept.	Aquil. L. 59. De decur. L. 17. De Episc. Eccl. & clericis. ad Prouinciales Byzacenos.	
Prid. Id. Sept.	Aquil. l. 9. De pet. & vlt. dat. L. 60. De decurionibus. ad Prouinciales Byzacenos. Acc. XVIII. kal. Dec. Tacapis l. 33. De appell. [ad Dracontiũ Vic. Afr. L. 10. De curs. publ. [ad Florianum Com. R. P.	10.31.25.
Id. Sept.	Aquil. l. 3. De conl. fund. patr. vel emphy. [Prouincial. Byzacenis.	
XIII kal. Octo.	Aquil. Acc. XV. Kal. Nou. Salerni l. un. De priu. app. mag. ad Artemium Correctorem.	12.55.1.
V. kal. Octob.	Ædes. * l. 9. De erog. mil. ann. [Secundo PF. P.	12.38.2.
III. Kal. Octo.	Aquil. L. 6. De priuil eor. qui in sac. pal. mil. [Haue Anthemi k. Ns. L. 21. De curs. publ. [ad Arthemium.	
Prid. Kal. Oct.	Altino l. 1. Quib. equ. vsus conc. est aut deneg. [ad Mamertinum PF. P.	
October.		
kal. Octob.	Aquil. l. 2. De offic. Rect. prou. [Haue Anthemi k. Ns.	
VIII. Id. Octob.	Altino l. vn. De naut. Tyberinis. [ad Symmachum PF. V.	11.26.1.
III. Non. Octo.	Altino. L. 1. Quibus equ. vsus conc. est aut den. L. vn. Qu. vsus interd. est. ad Buleforum Consul Campaniæ.	11.46.1.
VIII. Id. Octob.	Altino. Acc XVI. kal. Nou. l. 16. Quor. app. non rec. ad Symmachum PF. V. L. vn. De naut. Tyber. L. 7. De pist. & catabol. [ad Viuentium. L. 7. De pœnis. [Arthemio.	11.26.1.
Id. Octob.	Veronæ l. 1. De reparat. app. [ad Mamertinum PF. P.	
V. kal. Nou.	L. 61. De decur. [ad Terentium Corr. Tusciæ.	
Prid. Kal. Nou.	Philipp. l. vn. De equest. dignit. [ad Mamertinum PF. P.	
Nouember.		
V Id. Nou.	Med. l. 34. De appell. ad Symmachum PF. V.	
XV. Kal. Dec.	Med l. 6. De bon. prosc. ad Symmachum PF. V.	9.49.10.
December.		
VI. Id Dec.	L. 2. De cognit. & proc. [Salustio PF. P.	3.40.2.
V. Id. Dec.	Naisso l. 2. De ann. ciuic. & pan. grad. [ad Mamertinum PF. P.	

*Adscribitur Iouiano.

	Mẽses & dies.		Codex Iustin.
	IIII. Id. Dec.	Med. l.62. De decur. [ad Symmachum PF. V.	
	Id. Decemb.	Triu.l.11. De erog. mil.an. [ad Mamertinum PF. P.	
	XVII. kal. Ian.	Cp. l.1. Ne quid pub.læt.&c. [ad Eugramminum.	
	VI. kal. Ian.	Bonamansione l.12. De erog. mil.an. [ad Victorem magistrum militum.	12.38.3.
	V. Kal. Ian.	L.5. De legat,& dec.leg. [Victori Duci Ægypti.	
	Ianuarius.	*Valentiniano & Valente AA. Coss.*	
	Kal. Ian.	(Med.l.14. De oper. publ. [ad Mamertinum PF. P.	
		(Biryt.l.63. De decur. [ad Modestum PF. P.	10.31.26.
	III. Id. Ian.	(Med.l.11. De nauicul. } ad Symmachum PF. V.	
		(L. 2. Ne quid publ.læt.nunt. }	
	XVIII. ka. Feb.	(Med.l.8. De pist.& catab. }	
		(L.8. De pœnis. }	
	XIIII. kal. Feb.	L.17. De præt.& quæst. [ad Olybrium PF. V.	
	XI. Kal. Feb.	Med.l.27. De curs.pub. [ad Fortunatum Cons. Pannoniæ secundæ.	
	VIII. Kal. Feb.	Rom.l.1. De tract.& stat. [ad Rufinum PF. P.	
	VI. Kal. Feb.	L.vn. Ne colon. inscio dom.&c. [ad Clearchum Vicar. Asiæ.	
	V. Kal. Feb.	Rom.l.1. De pascuis. [ad Germanianum Com. S. L.	
	III. Kal. Feb.	(Med.l.8. De diu. offic. } ad Mamertinum PF. P.	
		(L.70. De decurionibus. }	
	Pr. kal. Feb.	Marcianop.l.2. De tiron. [ad Fortunatianum.	
	Februarius.		
	Pri. Non. Feb.	Med.l.10. De pet. & vlt. dat. [ad Prou. Afros.	
	VIII. Id. Feb.	Altin.kal.Apr.in Basil. Therm. Com. l.3. De pactis. [Pompeio Fauonio.	
		(L.15. De op.publ. [ad Dracontium.	
	XIV kal. Mart.	(Med.l.2. De repar.app. [ad Symmachum PF. V.	
		(Cp. (L.7. De fam.lib. [Edictum.	
		(Cp. (L.9. De num.act. [ad Clearchum.	12.50.2.
	XII. kal. Mart.	Rom.Acc. IV.kal.Apr.Venab.l.22. De curs.publ. [ad Volusianum PF.V.	
	XI. kal. Mart.	Med.l.3. De immun.conc. [ad Florentium Com. S. L.	
	Martius.		
	Pr. Non. Mar.	Treuer. l.9. De ann. & tribut. [ad Mamertinum PF. P.	
	VII. Id. Mart.	(Med.l.9. De iure fisc. [ad Symmachum PF. V.	
* Tribuitur Valentiniano, Valenti & Gratiano.		(Marcianop.l.2.* De fide & iure hastæ. [ad Felicem Com.S.L.	10.3.6.
	VI. Id. Mart.	Med. l.23. De curs.pub. [Mamertino PF. P.	
	IIII Id. Mart.	Treu.l.1. De his qui cum disp.contr. [ad Probum PF. P.	10.6.1.
	Id. Mart.	Senigalia l.16. De op.publ. [ad Mamertinum PF. P.	
		Treu. { L.3. De repar.app. [ad Olybrium PF. V.	
	XIV. Kal. Apr.	Treu. { L.7. De Metallis & metall. [ad Probum PF. P.	
		Treu. { L.6. De ann. ciuic. & pan.grad. [ad Maximum PF. Ann.	
		Treu. { L.3. De relationibus. [ad Viuentium PF. P.	7.61.2.
	XII. Kal. Apr.	(Treuer. l.1. Si vag.manc.pet. [ad Probum PF. P.	
		(L.4. De pact & trans. [Mamertino PF. P.	
	VIIII. kal. Apr.	L.24. De curs pub. [ad Bulesorum Consul. Campaniæ.	
	VIII. Kal. Apr.	(Triuer.l.9. De cohort. princ. &c. [ad Probum PF. P.	
		(Med.l.25. De curs.pub. [ad Symmachum Corr. Luc.& Britt.	12.11.5.
	VII. kal. Apr.	Med.l.1. De desert. & occ.eor. [Edicta duo per Italiam & Alpes.	
	III. Kal. Apr.	(Mediol.l.10. De cohort. princ. &c. [ad Dracontium Vic.Afr.	12.58.3.
		(Triuer.l.9. De pist. & catab. } ad Olybrium PF. V.	
	Aprilis.	}	
	III. Non. Apr.	L.vn. De mancipib. Therm. }	
	Pr. Non. Ap.	(Alteio l.3. De act. proc. & cond. [ad Crescentem Vic. Afr.	
		(L. 4. De an.ciuic.& pan.grad. [ad Mamertinum PF. P.	
	Non. Apr.	L.3. De an. ciuic.& pan.grad. [ad Maximum PF. Ann.	
* Tribuitur Valentiniano, Valenti & Gratiano.	VI Id. Apr.	Sirm.l.16.* De erog.mil.an. [ad Probum PF. P.	12.38.5.
	III. Id. Apr.	L.9. De pœn. [ad Olybrium PF. V.	9.47.18.
	Id. Apr.	Beryt.l.7. De filiis app. milit. [ad Petronium Patricium.	
	XIIII. ka. Maj.	Med.l.1. De mil.vest. [ad Mamertinum PF. P.	
	XI. Kal. Maj.	Treuer. { L.10. De exaction. { ad Florianum Consul.	
		Treuer. { L.1. De exsec. & exact. { Venetiæ.	
	VIII. Kal. Maj	Triu. { L.6. De re milit. { Mauris Sitifensibus.	
		Triu. { L.64. De decur. {	10.31.27.
	VI. kal. Maj.	(L.26. De curs. publ. [ad Mamertinum PF. P.	
		(Triu.l.5. De tironibus. [ad Viuentium PF. PF. Galliarum.	
	IIII. kal. Maj.	FL.uia Fenestri in Secretario l.5. De pactis. [ad Valentinianũ Cons. Piceni.	
		Triu.l.2.	

*Valentinianus Valēs & Gratianus.

Menses & dies.		Codex Instit.
Maius.		
Pr. Non. Maj.	Triu. l. 2. De metat. [Remigio Magist. Offic.	
xvi. Kal. Iun.	Med. l. 10. De ann. & trib. [ad Dracontium Vic. Afric.	
viii. Kal. Iun.	Med. { L. 11. De exact. [ad Florianum Com. R.P. / L. 10. De num. act. & scr. [Iouio Mag. Equitum.	
v. Kal. Iun.	Med. { L. 65 De decur. [ad Terentium Correctorem Tusciæ. / L. 27. De curs. pub. [ad Fortunatū Cons. Pannoniæ secundæ. / L. vn. De nupt. gent. [ad Theodorum Magist. Equitum.	
iiii. kal. Iun.	L. 3. De murileg & gynæc. [ad Germanianum Consul.	11.7.3.
Prid. kal. Iun.	Med. l. 7. De re milit. [Iouio Magist. Equit. & ped.	
Iunius.		
viii Id. Iun.	L. 4.* De indulg. crimin. [ad Olybrium PF. V.	
iiii Id. Iun.	Cyzico l. 17. Quor. app. non rec. [ad Modestum PF. P.	
iii Id. Iun.	Med. l. 2. De præd. nauis. [ad Symmachum PF.* V.	7.69.3.
xv Kal. Iul.	{ Treu. l. 2. Si vag. pet. manc. [ad Probum PF. P. / Med. l. 11. De an. & tribut. [ad Dracontium Vic. Afric.	10.16.6.
xiv kal. Iul.	L. 4. De susc. præp. & arc. [ad Maximum PF. Ann.	
xiii. kal. Iul.	Apolloniæ l. vn. De strator. [ad Zosimum Præsidem nouæ Epyri.	
xi. kal. Iul.	{ Rau. l. 66. De decur. [ad Volusianum PF. V. / Med. l. 3. Quib. equ. vsus concess. est aut deneg. [Rufino PF. P.	
viii. kal. Iul.	Sabariæ l. 3. De aur. coron. [ad Probum PF. P.	
v. Kal. Iul.	L. vim legis, De iis quæ administ. &c. [Senecæ.	
iiii. Kal. Iul.	{ Cp. l. 18. De præt. & quæst. [ad Volusianum PF. V. / Med. l. 3. De murileg. & gyn. [ad Germanum Consul.	11.7.3.
Iulius.		
iiii. Non. Iul.	L. 5. De susc. præp. & arc. [ad Secundum PF. P.	
Non. Iul.	Lecta in Pantheo Non. Nou. l. 10. De pist. & catab. [ad Olybrium PF. V.	
xv kal. Aug.	L. 6 De suscep. præp. & arc. [ad Mamertinum PF. P.	
xiv kal. Aug.	L. 5. Ad Sc. Claudianum. [Felici Consul. Campaniæ.	
xi. kal. Aug.	Med. l. 1. De act. proc. & cond. [ad Seuerum Vic. Vrb.	
iii kal. Aug.	{ Cp. l. 8. De susc. præp. & arc. [ad Mamertinum PF. P. / Med. l. 6. De pact. & transf. [Æliæ Bauoniæ.	10.70.2.
Prid. kal. Aug.	{ Vagionibus l. 3 De præd. nauic. [ad Mulusilum Vic. Afr. / Med. l. 12. De an. & trib. [ad Fauentium Vic. Italiæ.	11.47.3.
Augustus.		
kal. Aug.	Marcianop. l. 35. De appell. [ad Modestum PF. P.	
iii. Non. Aug.	Sirmio l. omnis De iis quæ admin. [ad Probum PF. P.	
Pr. Non. Aug.	{ Sirm. l. 7. De susc. præp. & arc. [ad Mamertinum PF. P. / Hierapoli l. vn. De iur. Ital. vrb. Const. { ad Clearchum PF. V. Constant.	
viii. Id. Aug.	Med. l. 3. De cal. coct. [ad Volusianum V.C. Vic.	
Prid. Id. Aug.	L. 1. Tributa in ipsis spec. inf. [ad Symmachum PF. V.	
x iii. kal. Sept.	Triu. l. 31. De curs. pub. ang. & par. [ad Catafronium Vic. Italiæ.	
xi Kal Sept	L. 1. De postul. [Olybrio PF. P.	2.6.6.
Prid. kal. Sept.	Constantinæ l. 9. De susc. præp. & arc. [ad Dracontium Vic. Afr.	
September		
Kal. Sept.	L. 1. De fisci debit. [ad Auxonium PF. P.	
iii. Non. Sept.	Med. l. vn. De secund. laps. [ad Volusianum PF. V.	
vi. Id. Sept.	Veronæ l. 4. De cust. reor. [ad Valerianum Vic. Hispaniarum.	
viiii kal. Oct.	{ Luceriæ l. 2. De pascuis. [ad Rufinum PF. P. / L. 30. De curs. publ. [ad Viuentium PF. P.	11.60.1.
viii. kal. Octo.	Heracleæ l. 8. De re milit. [ad Equitium Com. & Magist. militum.	
v. kal. Octob.	Aqu. l. 11. De pist. & catab. [ad Symmachum PF. V.	
Pr. kal. Octob.	Agripp. l. vn. Ne damn. prou. infiig. [ad Probum PF. P. Illyrici.	11.54.1.
October.		
Kal. Octob.	Aquil. l. 13. De erog. mil. an. [ad Populum.	
vi. Non. Octo.	L. 11. De cohort. princip. corn. &c. [Festo Consul. Syriæ.	
Pri. Non. Octo.	{ Veronæ l. 67. De decur. [ad Seuerum PF. V. / L. 68. eod. tit. [ad Auxonium Vic. Diœces. Asianæ. / L. 17. De oper. publ. [ad Valentinianum Consul. Piceni.	10.31.28.
x. kal. Nou.	Med l. 2. Tribut. in ips. spec. inferri. [ad Symmachum PF. V.	
Prid. Kal. Nou.	{ Rom. l. 10. De suscept. præpos. & arc. / Philippol. vn. De equestri dignit. { ad Mamertinum PF. P.	10.70.3. / 12.32.2.

Menses & dies.		Codex Iustin.
IIII.Id.Dec.	Med.l.62. De decur. [ad Symmachum PF. V.	
Id.Decemb.	Triu.l.11.De erog. mil.an. [ad Mamertinum PF.P.	
XVII.kal.Ian.	Cp.l.1. Ne quid pub.læt.&c. [ad Eugramminum.	
VI.kal.Ian.	Bonamansione l.12. De erog. mil.an. [ad Victorem magistrum militum.	12.38.3.
V.Kal.Ian.	L.5.De legat,& dec.leg. [Victori Duci Ægypti.	
Ianuarius.	*Valentiniano & Valente AA. Coss.*	
Kal.Ian.	Med.l.14.De oper. publ. [ad Mamertinum PF.P. Biryt.l.63.De decur. [ad Modestum PF.P.	10.31.26.
III.Id.Ian.	Med.l.11.De nauicul. L.2.Ne quid publ.læt.nunt. } ad Symmachum PF. V.	
XVIII.ka.Feb.	Med.l.8.De pist.& catab. L.8.De pœnis.	
XIIII.kal.Feb.	L.17.De præt.& quæst. [ad Olybrium PF.V.	
XI.Kal.Feb.	Med.l.27.De curs.pub. [ad Fortunatum Cons. Pannoniæ secundæ.	
VIII.Kal.Feb.	Rom.l.1.De tract.& stat. [ad Rufinum PF.P.	
VI.Kal.Feb.	L.vn.Ne colon. inscio dom.&c. [ad Clearchum Vicar.Asiæ.	
V.Kal.Feb.	Rom.l.1.De pascuis. [ad Germanianum Com.S.L.	
III.Kal.Feb.	Med.l.8.De diu. offic. L.70. De decurionibus. } ad Mamertinum PF.P.	
Pr.kal.Feb.	Marcianop.l.2. De tiron. [ad Fortunatianum.	
Februarius.		
Pri.Non.Feb.	Med.l.10.De pet. & vlt.dat. [ad Prou. Afros.	
VIII.Id.Feb.	Altin.kal.Apr.in Basil. Therm. Com. l.3. De pactis. [Pompeio Fauonio.	
XIV kal.Mart.	L.15.De op.publ. [ad Dracontium. Med.l.2. De repar.app. [ad Symmachum PF.V. Cp. { L.7.De fam.lib. [Edictum. L.9.De num.act. [ad Clearchum.	12.50.2.
XII.kal.Mart.	Rom.Acc. IV.kal.Apr.Venab.l.22.De curs.publ. [ad Volusianum PF.V.	
XI.kal.Mart.	Med.l.3. De immun.conc. [ad Florentium Com.S.L.	
Martius.		
Pr.Non.Mar.	Treuer. l.9. De ann. & tribut. [ad Mamertinum PF.P.	
VII.Id.Mart.	Med.l.9. De iure fisc. [ad Symmachum PF.V.	
VI.Id Mart.	Marcianop.l.2.* De fide & iure hastæ. [ad Felicem Com.S.L.	10.3.6.
IIII Id. Mart.	Med.l.23.De curs.pub. [Mamertino PF.P.	
Id.Mart.	Treu.l.1.De his qui cum disp.contr. [ad Probum PF.P.	10.6.1.
	Senigalia l.16.De op.publ. [ad Mamertinum PF.P.	
XIV.Kal.Apr.	Treu. { L.3. De repar.app. [ad Olybrium PF.V. L.7.De Metallis & metall. [ad Probum PF.P. L.6.De ann. ciuic. & pan.grad. [ad Maximum PF. Ann. L.3.De relationibus. [ad Viuentium PF.P.	7.61.2.
XII.Kal.Apr.	Treuer. l.1. Si vag.manc.pet. [ad Probum PF.P. L.4.De pact & trans. [Mamertino PF.P.	
VIIII.kal.Apr.	L.24. De curs.pub. [ad Buleforum Consul. Campaniæ.	
VIII.Kal.Apr.	Triuer.l.9.De cohort.princ.&c. [ad Probum PF.P. Med.l.25.De curs.pub. [ad Symmachum Corr. Luc.& Britt.	12.58.5.
VII.kal.Apr.	Med.l.1.De desert. & occ.eor. [Edicta duo per Italiam & Alpes.	
III.Kal.Apr.	Mediol.l.10. De cohort. princ. &c. [ad Dracontium Vic.Afr. Triuer.l.9.De pist. & catab. } ad Olybrium PF.V.	12.58.3.
Aprilis.		
III.Non.Apr.	L.vn.De mancipib. Therm.	
Pr.Non.Ap.	Alteio l.3.De act. proc. & cond. [ad Crescentem Vic.Afr. L.4.De an.ciuic.& pan.grad. [ad Mamertinum PF.P.	
Non.Apr.	L.3.De an. ciuic.& pan.grad. [ad Maximum PF. Ann.	
VI Id.Apr.	Sirm.l.16.* De erog.mil.an. [ad Probum PF.P.	12.38.5.
III.Id.Apr.	L.9.De pœn. [ad Olybrium PF.V.	9.47.18.
Id. Apr.	Beryt.l.7.De filiis app. milit. [ad Petronium Patricium.	
XIIII.ka.Maj.	Med.l.1.De mil.vest. [ad Mamertinum PF.P.	
XI.Kal.Maj.	Treuer. { L.10.De exaction. L.1.De exsec.& exact. } ad Florianum Consul. Venetiæ.	
VIII.Kal.Maj.	Triu. { L.6.De re milit. L.64.De decur. } Mauris Sitifensibus.	10.31.27.
VI.kal.Maj.	L.26. De curs.publ. [ad Mamertinum PF.P. Triu.l.5. De tironibus. [ad Viuentium PF. PF. Galliarum.	
IIII.kal.Maj.	FL.uia Fenestri in Secretario l.5. De pactis. [ad Valentinianũ Cons.Piceni.	

* Tribuitur Valentiniano, Valenti & Gratiano.

* Tribuitur Valentiniano, Valenti & Gratiano.

Triu.l.2.

Mensis & dies.		Codex Iustin.
Maius.		
Pr. Non. Maj.	Triu.l.2.De metat. [Remigio Magist Offic.	
xvi. Kal. Iun.	Med l.10. De ann.& trib. [ad Dracontium Vic. Afric.	
viii. Kal. Iun.	Med. (L.11. De exact. [ad Florianum Com. R.P.	
	(L.10. De num.act.& scr. [Iouio Mag. Equitum.	
v. Kal. Iun.	Med. (L.65 De decur. [ad Terentium Correctorem Tusciæ.	
	(L.27. De curs.pub. [ad Fortunatū Cons. Pannoniæ secundæ.	
	(L.vn. De nupt gent. [ad Theodorum Magist. Equitum.	
iiii. kal. Iun.	L.3. De murileg & gynæc. [ad Germanianum Consul.	11.7.3.
Prid. kal. Iun.	Med.l.7. De re milit. [Iouio Magist. Equit.& ped.	
Iunius.		
viii Id. Iun.	L.4.* De indulg. crimin. [ad Olybrium PF. V.	
iiii Id. Iun.	Cyzico l.17. Quor. app. non rec. [ad Modestum PF. P.	7.69.3.
iii. Id. Iun.	Med.l.2. De præd. nauis. [ad Symmachum PF.* V.	
xv. Kal. Iul.	(Treu.l.2. Si vag. pet. manc. [ad Probum PF. P.	
	(Med.l.11. De an.& tribut. [ad Dracontium Vic. Afric.	10.16.6.
xiv kal. Iul.	L.4. De susc. præp.& arc. [ad Maximum PF. Ann.	
xiii. kal. Iul.	Apolloniæ l.vn. De strator. [ad Zosimum Præsidem nouæ Epyri.	
xi. kal. Iul.	(Rau.l.66. De decur. [ad Volusianum PF. V.	
	(Med.l.3. Quib. equ. vsus concess. est aut deneg. [Rufino PF. P.	
viii. kal. Iul.	Sabariæ l.3. De aur. coron. [ad Probum PF. P.	
v. Kal. Iul.	L.vim legis, De iis quæ administ.&c. [Senecæ.	
iiii. Kal. Iul.	(Cp. l.18. De præt.& quæst. [ad Volusianum PF. V.	
	(Med.l.3. De murileg.& gyn. [ad Germanum Consul.	11.7.3.
Iulius.		
iiii. Non. Iul.	L. 5. De susc. præp.& arc. [ad Secundum PF. P.	
Non. Iul.	Lecta in Pantheo Non. Nou. l.10. De pist.& catab. [ad Olybrium PF. V.	
xv kal. Aug.	L.6 De suscep. præp.& arc. [ad Mamertinum PF. P.	
xiv kal. Aug.	L.5. Ad Sc. Claudianum. [Felici Consul. Campaniæ.	
xi. kal. Aug.	Med.l.1. De act proc & cond. [ad Seuerum Vic. Vrb.	
iii kal. Aug.	(Cp.l.8. De susc. præp & arc. [ad Mamertinum PF. P.	10.70.2.
	(Med.l.6. De pact.& transf. [Æliæ Bauoniæ.	
Prid. kal. Aug.	(Vāgionibus l.3 De præd. nauic. [ad Mutufilum Vic. Afr.	
	(Med.l.12. De an.& trib. [ad Fauentium Vic. Italiæ.	11.47.3.
Augustus.		
kal. Aug.	Marcianop l.35. De appell. [ad Modestum PF. P.	
iii. Non. Aug.	Sirmio l.omnis De iis quæ admin. [ad Probum PF. P.	
Pr. Non. Aug.	(Sirm l.7. De susc. præp. & arc. [ad Mamertinum PF. P.	
	(Hierapoli l.vn. De iur. Ital. vrb. Const. (ad Clearchum PF. V. Con-	
	(stant.	
viii. Id. Aug.	Med.l.3. De cal. coct. [ad Volusianum V.C. Vic.	
Prid. Id. Aug.	L.1. Tributa in ipsis spec. inf. [ad Symmachum PF. V.	
xiii. kal. Sept.	Triu.l.31. De curs. pub. ang. & par. [ad Catafronium Vic. Italiæ.	
xii Kal. Sept.	L.2. De postul. [Olybrio PF. P.	2.6.6.
Prid. kal. Sept.	Constantinæ l.9. De susc. præp.& arc. [ad Dracontium Vic. Afr.	
September.		
Kal. Sept.	L.1. De fisci debit. [ad Auxonium PF. P.	
ii. Non. Sept.	Med. l.vn. De secund. laps. [ad Volusianum PF. V.	
vi. Id. Sept.	Veronæ l.4. De cust. reor. [ad Valerianum Vic. Hispaniarum.	
viiii kal. Oct.	(Luceriæ l.2. De pascuis. [ad Rufinum PF. P.	11.60.1.
	(L.30. De curs. publ. [ad Viuentium PF. P.	
viii. kal. Octo.	Heracleæ l.8. De re milit. [ad Equitium Com. & Magist. militum.	
v. kal. Octob.	Aqu. l.11. De pist. & catab. [ad Symmachum PF. V.	
Pr. kal. Octob.	Agripp. l.vn. Ne damn. prou. inflig. [ad Probum PF. P. Illyrici.	11.54.2.
October.		
Kal. Octob.	Aquil.l.13. De erog. mil. an. [ad Populum.	
vi. Non. Octo.	L.11. De cohort. princip. corn. &c. [Festo Consul. Syriæ.	
Pri. Non. Octo.	(Veronæ l.67. De decur. [ad Seuerum PF. V.	10.31.28.
	(L.68. eod. tit. [ad Auxonium Vic. Diœces. Asianæ.	
	(L.17. De oper. publ. [ad Valentinianum Consul. Piceni.	
x. kal. Nou.	Med l.2. Tribut. in ips. spec. inferri. [ad Symmachum PF. V.	
Prid. Kal. Nou.	(Rom.l 10. De suscept. præpos. & arc. (ad Mamertinum PF. P.	10.70.3.
	(Philippol. vn. De equestri dignit. (	12.32.2.

*Valentinianus Valēs & Gratianus.

	Menses et dies		Codex Iust.
	Nouember.		
	v. Id. Nou.	Marcianop. l. 8. De famos. lib. [ad Florianum Com.	
	xv. Kal. Dec.	Hadrumeto l. 10. De iure fisc. [ad Dracontium Vic. Africæ. Med. l. 1. De fid Cathol. [ad Symmachum PF. V.	10.1.8.
	xviii. ka. Dec.	Marcianop. l 2 De mil. veste. [Auxonio PF. P.	
	x. Kal. Dec.	L. 4. De censu siue adsc. [ad Viuentium PF. P. Galliarum.	11 4 '.1.
	Prid. Kal. Dec.	L. vn. De emend. propinq. [ad Senatum.	9.15.1.
	December.		
	Kal Dec.	L. 5. De iurisdict & vbi quis conu. deb. [ad Felicem Vic. Macedoniæ. Triu. l. 12. De pist. & catabol. [ad Claudium Proc. Afr. Calcedone l. 14. De erog. mil. an. [Secundo PF. P.	
	IIII. Id. Dec.	Paris. l. 3. De metallis & metall. [ad Cresconium Comitem metallorum.	11.6.1.
	II. Id. Dec.	Cp. l. 8. De malef. & math. [ad Modestum PF. P.	9.18 8.
	Prid Id. Dec.	Paris. l 11. De num act scrin. [ad Rufinum PF. P.	12 50.3.
	Id. Dec.	Marcianop. l. 4. De murileg. & gynæc. [ad Auxonium PF. P.	11.7.4.
	xvii kal. Ian.	Med. l 4. Quib equ. vsus conc. [ad Valentinianum Consul. Piceni.	
	xiii. Kal. Ia.	Med l. 18. Quor. appell. non recip. [ad Symmachum PF. V.	
	iii. Kal. Ian.	Treu. l. 3. De relat. [ad Viuentium PF. P.	7 51.2.
		Post Consulatum Valentiniani & Valentis A A.	
	October.		
	xv kal. Nou.	Acc. xv. kal. Feb. Karth. l. 13. De an. & trib. [ad Dracontium Vic. Afr.	
		Gratiano NB. P. & Dagalaipho Cos.*	
* al. Gratiano I.	Aprilis.		
* Valentinianus, Valens & Gratianus.	Pr. Non. Apr.	Treu.* l 6. Ad S.C. Claud. [ad Secundum PF. P.	
	vii. Id. Apr.	L. 9. De diu. off. & app. [ad Germanianum PF. P.	
	Maius.		
	Kal. Maj.	Cp. l. 14. De an & trib. [ad Modestum PF. P.	11.47.4.
	xiv. kal Iun.	Remis l. 15. De an. & trib. [ad Probum PF. P.	
	Iunius.		
* Tribuitur Valētiniano, Valenti, & Gratiano, vt & sequens.	xviii. kal. Iul.	Rem l 2.* De can. frum. vrb. Rom. [ad Iulianum PF. Ann.	11.22 1.
	xvi. kal Iul.	Rem. l. 1. De postliminio. [ad Seuerianum Ducem.	8.51.19.
	September.		
	xi kal. Octo.	Manteb. l. 11. De suscept. præp. & arc. [ad Florentium Com. S. L.	1 70.4.
	October.		
* Valent, Valens & Gratianus.	viii. Id. Octo.	Rem. l. 10.* De pœnis. [ad Pretextatum PF. V.	
	Nouemb r.		
	iiii Id. Nou.	L. 12. De susc. præpos & arc. [ad Rufinum PF. P.	
	xv. kal. Dec.	Remis Acc. Florent. l. 8. De acc. & insc. [ad Maximinum Correctorem Tusciæ.	
	vii. kal. Dec.	Remis l 9. De acc. & insc. [ad Valerianum PF. V.	9.46.7.
* Valentinianus, Valēs & Gratianus.	vii. Id. Dec.	Veron.* l. 9. De Veteranis. [ad Dagalaiphum Magist. militum.	
		Post Consulatum Gratiani & Dagalaiphi.	
	Augustus.		
	Pr. Non Aug.	Nemas. l. 3. De ponder. & auri inl. [ad Dracontium.	
	October.		
	viii. kal. Nou.	Nicom. l. 6. De ann. & trib. [ad Dracontium.	
		Lupicino & Iouino Coss.	
	Ianuarius.		
	vi. Id. Ian.	Romæ. L. 4. De metall. & metall. [ad Germanianum Com. S.L. Romæ. L. 13. De susc. præp. & arc. [ad Germanianum Com. S.L.	11.6.2. 10.70.1.
	Februarius.		
	xvi. kal. Mar.	Remis l 10. De re milit. [ad Iouinum Magist. militum.	
	Aprilis.		
	v Id. Apr.	L. 11. De pœnis. [ad Viuentium PF. V.	
	v. kal Iun.	L. 5. De tironib. [ad Magnum Vicarium Vrb. Rom.	
	iiii Kal. Maj.	Remis l. 4. De præd. nauic. [ad Dracontium Vic. Afr.	
	Maius		
* Valentin. Val. & Grat.	ii. Non. Maj.	Rom.* l. 3. De indulg crim. [ad Viuentium PF. V.	
	vi Id Maj.	Marcian l. 1. Si curialis relicta cur &c. [ad Tatianum PF. Ægypt.	
	xiiii. kal. Iun.	Remis l. 4. De aduoc. fisc. [ad Rufinum PF. P.	
	iii Kal. Iun.	Marcianop. l. 1. De equor. conlat. [Alexandrino Com. R. P.	
	Iunius.		
	iii. Non Iun.	Remis l. 5. De censu siue adsc. [ad Florentium PF. P. Gall.	
	v. Id. Iun.	Treu l. 3. Ad l. Corn. de Falso. [ad Festum Proc. Afr.	

Ambian

	Mẽses & dies.		Codex Iustin.
	xv. Kal. Sept.	Ambian. l. vii. De ingr. lib. [ad Prætextatum PF. V.	8. 50. 1.
	September.		
*Valentinianus & Gratianus.	vii kal. Octo.	Dorostoli vel Dorostori. { L.14. De suscepr. præp. & arc. / L.11.* De iure fisci. { Alexandriano Com. R. P.	
	iii. Kal. Octo.	L.5. De præd. nauic. [ad Aurelianum PF. Ann.	
	October.		11. 2. 1.
	viii. Id. Octo.	Remis. l. 4. De suar. pec. & susc. { ad Prætextatum PF. V.	
	Nouember.		
	xiiii. kal. Dec.	Triu. Acc. iv. Id. Dec. l. 7. De priu. cor. qui in sac. pal.	
		Post Consulatum Lupicini & Iouini.	
	December.		
	iiii Non. Dec.	Triu. l.29. De curs. publ. [ad Domnum Consul. Siciliæ.	
		Sine die & Coss.	
		Acc. Aquil. lect. Act. l.2. De naufr. [ad Demetrianum PF. Ann. Afr.	
	Augustus.	*Sine Coss.*	
	iiii. Id. Aug.	L. 2. De pactis & transact. [ad Volusianum PF. V.	
	Nouember.	*Indictione* IV.	
	xv. Kal. Dec.	L.11. De curs. publ. [Helpidio PF. P.	
		Indictione XII.	
		L. vii. De classicis. [Auxonio PF. P.	11. 12. 1.
		IMPPP. VALENTINIANVS, VALENS ET GRATIANVS.	
	Aprilis.	*Valentiniano & Valente II. AA. Coss.*	
* Valẽs, Valentinianus & Gratianus.	x. Kal. Maj.	Treu.* l. 4. De hæreticis. [ad Hesperium PF. P.	
	Augustus.		
	x. kal. Sept.	Rom. l.19. Quor. app. non rec. [ad Olybrium PF. V.	7. 65. 4.
	Ianuarius.	*Valentiniano NB. P. & Victore Coss.*	
	vii. Id. Ian.	Sabariæ l.15. De suscept. præp & arc. { Probo PF. P.	
	xiv. kal. Feb.	Sirm. l.7. De Med. & professoribus.	10. 52. 8.
	v. Kal. Feb.	Triu. l.2. De centon. & dendroph. [ad Olybrium PF. V.	
	Februarius.		
	iii. Non. Feb.	Treu. l.6. De legat. & decr. legat. [ad Claudium Proc. Afr.	
	Id. Febr.	Med. l.1. Ne quid publ. læt. nunt. [ad Mamertinum PF. P.	
	x. Kal. Mart.	Treu. l.1. Ne oper. à conl. exig. [ad Viuentium PF. P.	10. 24. 1.
	Martius.		
	v. Id. Mart.	Marcianopoli l.7. De fals. mon. [ad Archelaum Com. S. L.	
	Pr. Id. Mart.	Treuer. l. 6. De fid. test. & instrum. [ad Olybrium PF. V.	
	iiii. kal. Apr.	L.1. De incorpor. [ad Florentinum Com. R. P.	10. 10. 3.
	Aprilis.		
	Kal. Apr.	Treueris. { L. 4. De off. Rect. prou. [ad Viuentium PF. P. / L.5. eod. tit. / Karthag. l. 7. De lustr. conl. { ad Probum PF. P.	
*Valentinianus & Valens.	vii Kal. Maj.	Treu.* l.1. De fruct & lit. exp. [Olybrio PF. V.	7. 51. 2.
	Pr. Kal. Maj.	Antioch. l. 5. De metallis & metall. [Fortunatiano Com. R. P.	
	Maius.		
	v. Non. Maj.	Marcianop. l.15. De erog. mil. an. [ad Auxonium PF. P.	12. 58. 4.
	iii. Non. Maj.	Treu. l.7. De bon. prosc. [ad Probum PF. P.	9. 49. 7.
	vi. Id. Maj.	Treu. l. 4. De relat. [ad Apodemium.	7. 61. 5.
	Pr. Id. Maj.	{ L.1. De discuss. [ad Arthemium Vic. Hispaniarum. / Treu. l.12. De nauicul. [ad Demetrianum PF. Ann. Afr.	10. 30. 1.
* Valẽtinianus & Valens vt seq.	xvi. Kal. Iun.	Complati l.10.* De diuers. off. & apparit. [ad Viuentium PF. P.	
	Iunius.		
	kal. Iun.	Triu. l.13. De pist. & catabol. [ad Olybrium PF. V.	
	Pr. Non. Iun.	Marcianop. l.6. De metallis & metall. { ad Probum PF. P.	
	vii. Id. Iun.	Sirmio l. vii. De oblat. equorum.	
	xiii. kal. Iul.	Alta ripa l. 4. De repar. appell. [ad Olybrium PF. V.	
	Iulius.		
	v. Non. Iul.	Nebioduni l.1. De vestib. olouer. [Archeleo Com. S. L.	11. 8. 1.
	iii. Non. Iul.	Nouioduno l.2. De fisc. debit. [ad Archelaum Com. Orientis.	10. 2. 4.
	viii. Id. Iul.	{ L.10. Quor. app. non recip. [ad Claudium PF. V. / L.1. De quæstion. [ad Olybrium PF. V.	1. 4. 2. / 9. 8. 4.
* Valẽtinianus & Valens.	xii Kal. Aug.	Marcianop.* l. 1. De vest. olou. & aur. [Archelao Com. S. L.	11. 8. 1.
	Augustus.		
	kal. Aug.	Rom. l.5. De an. ciuic. & pane grad. [ad Populum.	

	Menses & dies.		Codex Iustin.
	III. kal. Sept.	Brisiac l.8. De priuileg. eorum qui in sacro, &c. [ad Probum PF. P.	
	October.		
	Prid. Id. Octo.	Treu. l.2. De abolit. [ad Probum PF. P.	9. 44. 3.
	III. kal. Nou.	Antiochiæ l.24. De aquæduct. [Fortunatiano Comit. R. P.	
	Nouember.		
	III. Non. Nou.	Treu. l.1. De fide & iure hast. [ad Viuentium PF. P.	10. 3. 5.
	December.		
* Valentinianus & Valens.	IIII. Non. Dec.	Triu. * l.13. De nauicul. [ad Olybrium PF. V.	
	III. Id. Dec.	Marcianop.* l.11. De petit. & vlt. dat. [Alexandriano Com. R. P.	
	X. kal. Ian.	Triu. l.10. De veteranis. [ad Probum PF. P.	
		Valentiniano & Valente III. AA. *Coss.*	
* Valēs, Gratianus & Valentinianus.	*Ianuarius.*		
	IIII kal. Feb.	Triu. l. 8. De med. & profess. [ad Prætextatum PF. V.	10. 52. 9.
	Martius.		
	VI. Id. Mart.	L.9. De medicis & professoribus. { ad Olybrium PF. V.	10. 52. 16.
	IIII. Id. Mart.	Triu. l.1. De studiis lib. vrb. Rom. { ad Olybrium PF. V.	
	III. Kal. Apr.	Triu. l. 6. De censu siue adsc. [ad Viuentium PF. P.	
	Aprilis.		
	III. kal. Maj.	L.10. De med. & profess. [ad Principium PF. V.	
	Maius.		
	III. Non. Maj.	Treuer. { L.71. De decur. { ad Amphilocium Consul. Campan. siue Sophronium Consul. Piceni. / L.72. eod. tit. [ad Olybrium Consul. Tusciæ.	
	VI. Id. Maj.	Treu. l.8. De lustr. conl. [ad Claudium Proc. Afr.	
	Iunius.		
* Valentinianus & Valens.	Kal. Iun.	Treu. l.2. * De tabul. logog. & censu. [ad Artemium Vic. Hisp.	
	Iulius.		
	III. kal. Aug.	Rom. l.20. De Episc. Eccl. & cler. [ad Damasum Episcopū vrbis Rom.	
	Augustus.		
	XVIII. ka. Sep.	L.2. Ne operæ à conl. exig. [ad Catafronium Vic. Italiæ.	
	September.		
	IIII. ka. Oct.	Hierap. l.6. De tironibus. [ad Modestum PF. P.	12. 44. 1.
	Nouember.		
	Prid. Id. Nou.	Marcianop. l.2. De patroc. vic. [ad Auxonium PF. P.	
		Gratiano II. *& Probo Coss.*	
	Ianuarius.		
	Kal. Ian.	L. 1. De equis curul. [ad Ampelium PF. P.	
	XVII kal. Feb.	Cp. l. 7. De censu siue adscript. [ad Modestum PF. P.	
	Februarius.		
	III. Id. Feb.	Cp. { L.14. De nauicul. [ad Modestum PF. P. / L.1. De scænic. [ad Viuentium PF. P.	
	Martius.		
	Kal. Mart.	Cp. l. 74. De decur. [ad Modestum PF. P.	
	Aprilis.		
* Valentinianus & Valens.	VII. Id. Apr.	Cp. l.1. * De conl. ær. [Modesto PF. P.	
	Maius.		
	XVI. kal. Ian.	L. 21. De Episc. Eccl & cler. [ad Ampelium PF. V.	
	XIV. kal. Iun.	Treu. l.5. De ind. crim. { ad Senatum.	9. 43. 3.
	IIII. kal. Iun.	Treu. l. 9. De mal. & Math. { ad Senatum.	
	Iunius.		
	IIII. Kal. Iul.	Treuer. { L. 5. De murileg. & gynæc. [Filematio Com. S. L. / L. 75. De decur. [ad Viuentium PF. P.	
* Malè, Gratiano A. V. & Probo Coss.	III. Kal. Iul.	Contionaci l.5. * De cust. reor. [ad Probum PF. P.	
	Iulius.		
	IIII. Id. Iul.	Contionaci l.17. De an. & trib. [ad Crescentem Vic. Afr.	11. 58. 4.
		Ancyræ l.76. De decur. [ad Viuentium PF. P.	10. 31. 31.
	Augustus.		
	XVIII. ka. Sep.	Contionaci l.1. De natur. filiis & matr. [ad Ampelium.	
	September.		
	VIII. Id. Sept.	Magontiaci l. 2. De scænicis. [ad Iulianum Proc. Afr.	
	December.		
	VIII. Id. Dec.	L. 10. De malefic. & math. { ad Ampelium PF. V.	
	III. Id. Dec.	Triu. l. 32. De curs. publ. { ad Ampelium PF. V.	12. 51. 6.
	X. Kal. Ian.	L. 11. De diu. offic. & appar. [Seuero Magistro militum.	12. 60. 1.

Modesto

Modesto & Arintheo Coss.

Mensis et dies		Codex Iustin.
Februarius.		
xv. kal. Mart.	L. 8. De filiis mil. app. [ad Probum PF. P.	
viii. kal. Mar.	Tri. l. 14. De pist. & catabol. [ad Vrsinum PF. Ann.	
vii. kal. Mart.	Treu. l. 77. De decur. [ad Probum Vic. Vrbis.	
Martius.		
vi. Non. Mart	Treu. * l. 3. De hæreticis [ad Ampelium PF. P.	
Aprilis.		
Pr. Non. Apr.	Seleucia l. vn. Ne conlatio per logog. ccl. [ad Modestum PF. P.	
vii. Id. Apr.	Triu. l. 6. * De prædiis nauic. [ad Prouinc. Afros.	
Id. April.	Antioch. l. 19. * De præt. & quæst. [ad Senatum.	
viii. kal. Maj.	Triuer. l. 11. De re mil. [ad Seuerum Magist. militum. L. 7. De an. ciuic. & pan. grad. { Clearcho PF. V. L. 2. De studiis lib. Vrb. Rom. { Clearcho PF. V.	
vii. Kal. Maj.	Treu. l. 1. De spectac. [ad Probum PF. P.	
Maius.		
viii Id. Maj.	L. 20. De præt. & quæst. [Clearcho PF. V.	
xvii. kal. Iun.	L. 78. De decur. { ad Probum PF. P.	
xvi Kal. Iun.	L. 12. De cohort. princip. corn. { ad Probum PF. P.	12. 58. 4.
iii. Kal. Iun.	Nasson. Acc. vi. Kal. Dec. l. 32. De diu. off. & app. [ad Iulianū Proc. Afr.	
Iunius.		
iii. Non. Iun.	Nasson. l. 4. De hon. cod. [Ampelio PF. V.	
Non. Iun.	Beryti l. 1. De naufrag. [ad Modestum PF. P.	11. 5. 2.
vi. Kal. Iul.	Treu. l. 2. De locat. fund. iur. emphyt. [ad Probum PF. P.	
v. Kal. Iul.	L. 6. De murileg. & gynæc. [ad Modestum.	
iii. Kal. Iul.	L. 13. De diu. offic. & app. [ad Romanum Com. Afric.	
Prid. Kal. Iul.	Byrito l. 9. De lustr. conlat. [ad Leontium Consul. Fenicis.	
Iulius.		
iii. Non. Iul.	Nason. Acc. iiii. Non. Sept. { L. 1. De præf. P. siue Vrb. L. 1. De quæstorib. L. vn. De Magist. scrin. L. 1. De Com. rei mil. } ad Ampelium PF. V.	12. 12. 1.
Augustus.		
xii. Kal. Sept.	Ciliciæ l. 7. De murileg. & gynæc. [ad Filemarium Com. S. L.	11. 7. 5.
xi. kal. Sept.	Nassonaci l. 21. De præt. & quæst. [ad Baponem PF. V.	

Valentiniano & Valente IIII. *AA. Coss.*

Mensis et dies		Codex Iustin.
Februarius.		
xvi Kal. Feb.	L. 11. De veter. [ad Iouinum Magist. militum.	
x kal. Mart.	Treu. * l. 1. Ne sanct. bapt. it. [ad Iulianum Proc. Afr.	
Iunius.		
v. Id. Iun.	L. 22. De præt. & quæst. { ad Senatum.	
Id. Iun.	L. 23. De præt. & quæst. { ad Senatum.	
Augustus.		
xviii. kal. Sept.	Altino l. 5. De repar. appell. [ad Olybrium PF. V.	
November.		
v. Id. Nou.	Cp. l. 11. De acc. & insc. { ad Florianum Com.	
Id. Nou.	Marcianopoli l. 10. De acc. & insc. { ad Florianum Com.	
xiiii kal. Dec.	L. vn. Ne Præfect. exactoris, &c. [ad Zosimum Præsidem Epyri nouæ.	12. 53. 2.
Pr. Kal. Dec.	Treu. l. 73. De decur. [ad Symmachum Proc. Afr.	
December.		
vi. Id. Dec.	Cp. l. 6. De repar. appell. [ad Modestum PF. P.	

Gratiano III. *& Equitio Coss.*

Mensis et dies		Codex Iustin.
Ianuarius.		
vii Kal. Feb.	Sirm. l. 18. De oper. publ. [ad Probum PF. P.	
Februarius.		
Non. Feb.	Mediol. l. 10. De lustr. conl. [ad Italicum Vic. Italiæ.	
viii. Id. Feb.	Romæ l. 1. Ad l. Corn. de fic. [ad Probum PF. P.	9. 16. 8.
xvi. kal. Mart.	L. 5. De relat. L. 36. De appell. L. 21. Quor. app. non rec. } ad Eupraxium PF. V.	
Martius.		
v. Id. Mart.	Antioch. l. 1. De Fabric. [Tatiano Com. S. L.	
x. Kal. Apr.	L. 1. De his qui latrones vel in aliis, &c. [Simplicio Vic.	9. 39. 9.
Maius.		
xii. Kal. Iun.	Antioch. l. 8. De fals. mon. [Tatiano Com. S. L. Treu. l. 22. Quor. app. non rec. [ad Claudium PF. V.	

*Valentinianus & Valens.

*Valentinianus & Valens.

*Valentinianus & Valens.

CHRONOLOGIA.

Menses & dies.		Codex. Instit.
Iunius.		
xii. kal. Iul.	Triu. l. 4. De excus. artif. [ad Chilonem Vic. Afr.	12. 48. 8.
Iulius.		
vi. Id. Iul.	Robre l. 33. De curs. pub. [ad Constantium.	
Augustus.		
Prid. Id. Aug.	Carnuti l. 12. De acc. & insc. [Laodicio Præsidi Sardiniæ.	9. 2. 19.
Aprilis.	*Post Consulatum Gratiani A. III. & Equiti V. C. Coss.*	
v. Id. April.	Treu. l. 16. De susc. præp. & arc. [ad Chilonem.	10. 70. 6.
Iunius.		
iv. Non. Iun.	Antioch. l. 7. De tiron. [ad Modestum PF. P.	
Augustus.		
iii Non. Aug.	L. 7. De præd. nauic. [Chiloni Proc. Afr.	11. 2. 2.
December.		
Non. Dec.	Antioch. l. 79. De decur. [Modesto PF. P.	12. 58. 5.
Februarius.	*Valente V. & Valentiniano AA. Coss.*	
iii. Id. Feb.	Lecta in Sen. l. 13. De acc. & inscr. [ad Senatum.	
Martius.		
vi. Id. Mart.	Triu. l. 5. De scæn. [ad Hesperium Proc. Afr.	11. 40. 1.
Id. Mart.	{ L. 1. Ne præter crimen maiest. seruus &c. { L. 2. cod. tit. } ad Maximum PF. P.	
xvi. Kal. Maj.	Rom. l. 4. Ad l. Corn. de falso. } ad Maximum PF. P.	9. 22. 23.
Maius.		
xvi. kal. Iun.	Triu. l. 13. De Episc. Eccl. & cler. { Artemio, Euridico, Appio, Gerasino & cet. Episcopis.	
x kal. Iun.	L. 11. De med. & professſ. [Antonio PF. P. Gall.	
ii kal. Iun.	Antioch. l. 24. De præt. & quæst. } ad Senatum.	
Augustus.		
Id. Aug.	L. 8. De metall. & metallar. } ad Senatum.	
September.		
xv. kal. Octob.	Treu. l. 2. De quæst. [ad Antonium PF. P. Galliarum.	9. 41. 16.
December.		
kal. Dec.	L. 1. Ne quis in sua caus. iud. [ad Gracchum PF. P.	3. 5. 1.
Sine die.	L. 19. De oper publ. [ad Senatum.	
Ianuarius.	*Gratiano A. IIII. & Merobaude V. C. Coss.*	
Pr. Non. Ian.	Treu. l. 2. De quæstionib. [ad Gracchum PF. P.	12. 1. 10.
viii. kal. Feb.	Antioch.* l. 14. De diu. offic. & app. [Com. S. L.	12. 24. 2.
Februarius.		
xiiii. ka. Mar.	Triu. l. 15. De pist. & catabol. [ad Gregorium V. C. PF. An.	
iii. Kal. Mar.	Triu. l. 34.* De curs. publ. [ad Hesperium PF. P.	12. 51. 7.
Martius.		
iii Non. Mar.	L. 24. De Episc. Eccl. & cler. [ad Cataffonium.	1. 3. 6.
Aprilis.		
Pr. Non. Apr.	L. 17.* De erog. mil. an. [ad Modestum PF. P.	12. 38. 6.
Iulius.		
Pr. Non. Iul.	Hierapoli l. 3. De fisci debit. [Fortunatiano Com. R. P.	10. 2. 5.
v. Kal. Aug.	Morantiaco l. 6. De offic. Rect. prouinc. [ad Antonium PF. P.	
Augustus.		
v. Id. Aug.	Hierap l. 3. De milit. veste. [Modesto PF. P.	12. 40. 2.
xv kal. Octob.	Treu. l. 3. Tributa in ips. spec. inferri. [ad Probianum PF. P.	
October.		
xviii. ka. Nou.	Hierapol. l. 1. tit. 2. lib. 6.	
xvi. Kal. Nou.	Cp. l. 2. Ne sanctum baptis. iter. [ad Flauianum Vic. Afr.	
Ianuarius.	*Valente & Valentiniano II. AA. Coss.*	
Prid. Id. Ian.	{ L. vn. Victum ciuilit. agere. { L. 7. De fid. instrument. } ad Antonium PF. P.	9. 31. 1. / 4. 21. 24.
iii. Kal. Feb.	Treuer. { Acc vi. kal. Maj. l. 23. Qu. app. non rec. { L. 24. cod. tit. { L. 25. cod. tit. } ad Thalassiū Proc. Afr.	7. 65. 5.
Aprilis.		
xii. kal. Maj.	Triu. l. 35. De curs. publ. [ad Ausonium PF. P.	
Augustus.		
viii ka. Sept.	L. 9. De metallis & metall. [ad Vindicianum V. C. Vicarium.	

* Valētinianus, Valens & Gratianus.

* Valent, Valens & Gratianus.

* Valētinianus, Valēs & Gratianus.

Treu.

Menses & dies.		Codex Iustin.
III. Kal. Sept.	Treu. l. 37. De appellat. [ad Thalassium Proc. Afr.	
September.		
VII. kal. Octo.	L. 1. De domibus ad rem priu. pert. [Comitibus largitionum.	
Nouember.		
Prid. kal. Dec.	Treu. l. 12. De pœnis. [ad Antonium PF. P.	
	IMPPP. GRAT. VALENTINIANVS ET THEODOSIVS	
Februarius.	*Ausonio * & Olybrio VV. CC. Coss.*	
VI. kal. Mart.	Sirm. l. 1. De palat. sac. larg. [Asellæ.	
Aprilis.		
Non. Apr.	Treu. l. 16. Quor. app. non recip. [ad Hypathium PF. V.	7.63.6.
Iunius.		
XV. kal. Iul.	Thess. l. 12. De iur. fisci. [Pancratio Com. R. P.	
Iulius.		
VI. Non. Iul.	Aquil. l. 2. De desert. vel occ. eor. { ad Hesperium PF. P.	
III. Non. Iul.	Aquil. l. 11. De lustr. conlat. { ad Hesperium PF. P.	
Pr. Non. Iul.	Scopis l. 2. De palat. sac. larg. [Pancratio Com. R. P.	12.24.3.
XII. kal. Aug.	Constantinæ l. 15. De nauic. } ad Hesperium. PF. P.	
Pr. Kal. Aug.	Acc. IV. Kal. Sept. l. 6. De mat. bonis. } ad Hesperium. PF. P.	
Augustus.		
III. Non. Aug.	Med. Acc. XIII. kal. Sept. l. 5. De hæret. } ad Hesperium. PF. P.	
Pr. Non. Aug.	Triu. l. 1. De princ. agent. in reb. [ad Potitum Vic. Vrbis.	
IIII. Id. Aug.	Vico Aug. l. 4. De aur. coron. [Pancratio PF. V.	
XIIII. ka. Sept.	Bauxare l. 3. De palat. sac. larg. [Cateruio Com. S. L.	
September.		
XVIII. ka. Oct.	Triu. l. 12. De med. & profess. [Vindiciano.	
X. kal. Octob.	Rom. l. 2. De re iud. [ad Potitum Vicarium.	7.42.4.
October.		
Kal. Octob.	L. 2. De commeatu. [ad Syagrium Magistrum Offic.	11.43.2.
Id. Octob.	L. 1. Qui bonis ex l. Iul. ceder. &c. [ad Basilium Consul.	
VIII. kal. Nou.	L. 2. De exsec. & exact. [ad Potitum Vic.	
December.		
III. Non. Dec.	Treu. l. 7. De repar. appell. [ad Siburium PF. P.	
VIII. Id. Dec.	Sirm. l. 4. De palat. sac. larg. [ad Hesperium PF. P.	12.24.4.
Februarius.	*Post Consulatum Ausonij & Olybrij.*	
III. Kal. Mart.	L. 9. De murileg. & gynæc. [ad Eucherium.	11.7.6.
Martius.		
Prid. Id. Mar.	L. 10. De murileg. & gynæc. [ad Hesperium PF. P.	11.7.7.
Ianuarius.	*Gratiano * V. & Theodosio AA. I. Coss.*	
XVIII. ka. Feb.	Thess. l. 1. Ad l. Iul. repet. [Neotherio PF. P.	11.1.12.
VII. kal. Feb.	Thess. l. 2. De thensaur. [ad Populum Vrbis Constantin.	
IV Kal. Feb.	Cp. l. 8. De tironibus. [ad Prouinciales.	
III. Kal. Feb.	Thessal. l. 12. De petit. & vlt. dat. [Pancratio Rom. R. P.	
Februarius.		
IIII Non. Feb.	Thessal. l. 3. De tabul. logog. & censu. [Neotherio PF. P.	
VIII. Id. Feb.	Triu. l. 3. De naufrag. [Nauicul. Afr. salutem.	11.5.3.
V. Id. Feb.	Triu. l. 16. De nauic. [corpor. nauicul.	
X. Kal. Mart.	Triber. l. 9. De priuileg. eor. qui in sac. [ad Arborium PF. V.	
III. Kal. Mar.	Thessal. { L. 25. De Episc. Eccl. & cler. / L. 2. De fide cathol. [Edictum ad Popul. Vrb. Constant.	1.1.1.
Martius.		
IV. Id. Mart.	Hadrum. l. 2. De princ. ag. in reb. [ad Probum PF. P.	
	{ L. 80. De decur. / Thessal. l. 20. De op. publ. { Iuliano PF. Ægypti.	10.31.32.
XVI. Kal. Apr.	Thessal. { L. 81. De decur. / L. 82. eod. tit. { ad Neotherium PF. P.	
	L. 21. De oper. publ. [Eutropio PF. P.	
XV Kal. Apr.	Treu. l. 12. De extr. siue sord. mun. [ad Theodorum Com. R. P.	
VI. kal. Apr.	Thessal. l. 4. De quæst. [Albuciano Vicar. Macedon.	2.12.6.
Aprilis.		
VIII. kal. Maj.	{ Antiochiæ l. 3. De desert. vel occul. eor. [Neotherio PF. P. / Med. l. 4. De scæn. [ad Paulinum PF. V.	
VI. kal. Maj.	Antiochiæ l. 9. De tiron. [Neotherio PF. P.	

* al. Ausonio.

* al. Grat. VI.

Menses & dies.		Codex Instit.
v.kal. Maj.	Med. l.5. De scænic. [ad Paulinum PF. V.	
Maius.		
Prid.Id.Maj.	{ Damasco l.9. De filiis mil. app. / { Cp. l. 83. De decurionibus. } Petro Consul. Fenicis.	
viii.kal.Iun.	Thess. l.2. De quæst.& mag.offic.&c. [Restituto PF. V.	12.6.2.
Iunius.		
Prid. [illegible] Iun.	Thessal.l.3. De locat.fund.iur.emphy. [Pancratio Com. R. P.	
Id. Iun.	L.16. De pist. & catabol. [ad Arborium PF. V.	
xvii.Kal.Iul.	Thessal. l.1. De primic. & not. [Eutropio PF. P.	12.7.1.
xvi.Kal.Iul.	Thess. l.3. De ag. in reb. [ad Florum Magist. Offic.	
	Thessal. { L.8. De bon. prosc.	9.49.4.
	L.9. eod. tit.	
	L.6. De spons.& ante nupt. } Eutropio PF. P.	5.1.3.
xv.Kal.Iul.	L.1. Si prou. Rector.	5.2.1.
	L. 1. De vsur.rei iud.	
	L.vn. Si quac. præd. pot. [Neoterio PF. P.	5.7.1.
	L. quicumque De iis quæ adm.&c. [Floro PF.	
viii.kal.Iul.	L.38. De appell. [ad Syagrium PF. P.	7.62.[illegible]
v.Kal.Iul.	Aquil.l.10. De priuileg. eorum qui in sacro. [ad Probum PF. P.	
Iulius.		
viii.Id.Iul.	Thessal.l.10. De filiis mil.app. [ad Felicem Com. Orientis.	
iv. Id.Iul.	Triu.l.17. De pist.& catab. [ad Titianum Vic. Afr.	
Prid.Id.Iul.	Thessal.l.8. De an.ciuic. & pane grad. [Restituto PF. V.	
Id. Iul.	Rom. l.4. De desert. vel occ.eor. [ad Syagrium PF. P.	12.46.1.
xii Kal. Aug.	Heracl.l.2. De his qui cum dispens.contrax. [Palladio PF. P.	10.6.1.
vi kal. Aug.	Cp. l.7. De legat.& dec. legat. [Eutropio PF. P.	
Augustus.		
Pr. Kal. Sept.	Thess. l.13. De pet.& vlt.dat. [ad Prouinciales.	
September.		
xii.kal. Octob.	Thess. l.14. De pet. & vlt.dat. [Pancratio Com. R. P.	
Nouember.		
xvi.Kal. Dec	Thess. l.15. De pet. & vlt. dat. [Eutropio PF. P.	10.12.1.
December.		
vi.Id. Dec.	Sirmio l.11. De filiis mil. app. [Habe Neoteri k. Na.	
	Eucherio & Syagrio VV. CC. Coss.	
Ianuarius.		
iiii.Id.Ian.	Cp. l.6. De hæret. [Eutropio PF. P.	
xvii.kal. Feb.	L.5. De desert. vel occ. eor. [Neotherio PF. P.	
Februarius.		
iii Non.Feb.	Cp. { L.6. De curios. [ad Florum Magist. Offic. / { L.11. De priuilegiis eor. qui in sac. [Eutropio PF.P.	12.29.3.
xv.kal. Mart.	L.84. De decurion. [ad Camenium Vic. Afr.	
iii.kal. Mart.	L.36. De curs. publ. [ad Syagrium PF. P.	
Martius.		
xv kal. Apr.	L.39. De appell. & pœn.ear. [ad Macedonium Com.S.L.	
iiii. kal. Apr	Acc. xii. kal. Maj l.1. De primic. & not. { ad Valerianum PF. V.	
iii.Kal Apr	Med. l.5. De honorariis codic.	
Prid kal. Apr	Cp. l.26. De Episc. Eccl. & cler. [ad Tuscianum Com. Or.	
Aprilis.		
x.kal.Maj.	Aquil. l.2. De equis curul. { ad Valerianum PF. V.	
viii.kal.Maj	Triu. l.6. De scænicis.	11.40.3.
Maius.		
vi Non. Maj.	Cp. l.1. De apostatis. [ad Eutropium PF.P.	
	{ Cp. l.7. De hæret. [Eutropio PF.P.	
viii Id.Maj.	{ L.7. De scæn. / L.8. eod.tit. { ad Valerianum PF. V.	11.40.1.
iii.kal. Iun.	Cp. l.1. De secund. nupt. } Eutropio PF. P.	5.9.2.
Iunius.		
Pr.Non.Iun.	Cp. l.1. De cessit. peræq. & insp.	11.57.2.
iii.Kal.Iul.	Cp. l.8. De fid. test. & instrum.	1.5.7.
Iulius.		
xiiii.kal.Aug	Cp. l.8. De hæret. [ad Clearchum Com. Orient.	

Heracleæ.

CHRONOLOGIA.

Menses et dies.		Codex Iust.
xii Kal. Aug.	Heracleæ. L.2. De his qui cum disp. contr. [Palladio Com. S.L.	10.6.2.
	L.86. De decurionibus. [Eutropio PF. P.	
	Romæ l.6. De indulg. criminum. [ad Antidium V.C. Vic.	
iii. kal. Aug.	Heracleæ. L.6. De sepul. viol. [Pancratio PF. V.	
	L.87. De decurionib. [ad Florum PF. V.	
	L.3. De fid. Cath. [ad Auxonium Proc. Asiæ.	
v. kal. Sept.	Karth. l.9. De scænic. [Herasio Proc. Afr.	
September.		
Non. Sept.	Hadrianopoli l.10 De tiron. [Eutropio PF. P.	
October.		
vii Id. Octob.	L.15. De diu. offic. & app. [ad Syagrium PF. V.	
Prid. Id. Octo.	Treuer. l.2. Vnde vi. [ad Potitum Vic. Vrbis.	8.4.6.
Nouember.		
Prid. kal Dec.	Byrito l.3. De his qui cum disp. contr. [Palladio Magist. Offic.	
December.		
Id. Dec.	Cp. L.3. De primic. & not. / L.6. De hon. cod. { Floro PF. P.	
xii. kal Ian.	Cp. l.7. De pag sac. & templ.	
vi. Kal. Ian.	Aquil. l.18. De ann. & trib. [ad Populum.	
Martius.	*Post Consulatum Syagrij & Eucher.*	
iii. Kal. Apr.	Karth l.8. De leg. & dec. leg. [ad Seuerum PF. V.	
Aprilis.		
Id. Apr.	karth. l.13. De extr. siue sord. mun. [ad Hypatium PF. P.	10.47.13.
Iulius.		
iii Non. Iul.	Viminacio l.89. De decurion. [ad Syagrium PF. P.	
Ianuarius.	*Antonio & Syagrio VV. CC. Coss.*	
Prid. Id. Ian.	Cp. L.1. De habit. quo vti oportet. [ad Pancratium PF. V.	
Februarius.		
vii. Kal. Mart.	Cp. l.6. De diu. rescr. [Floro PF. P.	1.19.4.
Martius.		
viii. Id. Mart.	Cp. l.90. De decur. [Proculo Com. Orient.	
xii. kal. Apr.	Cp. l.4. De ag. in reb. [Palladio Magist. Offic.	
iiii. Kal. Apr.	Med. l.2. De prox. Com. dispos. [ad Valerianum.	
iii kal. Apr.	Cp. L.11. De num. act. scrin. & ex. [omnibus Rect. Prou.	11.50.4.
	L.2. De vest. olou. & aur. { Floro PF. P.	11.8.2.
Pr. Kal. Apr.	Cp. l.9. De hæreticis.	
Aprilis.		
Kal. Apr.	L.4. De calcis coctoribus. { ad Seuerum PF. P.	
iiii. Non. Ap.	Rom. l.6. De desert. vel occ. eor. / Med. l.13. De cohort. princ. cornic.	
Pr. Non. Ap.	Cp. l.3. De cognit & procur. [Pancratio PF. V.	2.12.24.
iii. Id Apr.	Cp. l.2. De his quæ ex publ conlat. [Hanc Lampadi k. Na.	10.73.2.
viii. kal. Maj.	Cp. l.38. De curs. publ. [Floro PF. P.	
Maius.		
vi Id. Maj.	Brixiæ l.9. De leg & dec. legat. [ad Prouinciales.	
Prid. Id Maj.	Cp. l.37. De curs. publ. [ad Palladium PF. Aug.	
Id. Maj.	Tyro metrop. PP. Byrito l.11. De tiron.	
xv. Kal. Iun.	Cp. l.3. De abolit. [Floro PF. P.	9.44.3.
xiiii kal. Iun.	Cp. l.16. De petit. & vlt. dat. [Nebridio Com. R.P.	
vii. Kal. Iun.	Med. l. vn. De superindicto. [ad Proc. Vicarios omnésque Rectores.	10.18.1.
Iunius.		
Prid. Id. Iun.	Cp. l.3. Ad l. Iul. rep. [Matroniano Duci & Præsidi Sardiniæ.	9.27.2.
xii. kal. Iul.	Patau. l. vn. De mend. non inual. [ad Seuerum PF. V.	11.25.1.
x. Kal. Iul.	Cp. l.3. De aquæd. [Clearcho PF. P.	
Iulius.		
xvii kal. Aug.	Cp. l.39. De curs. publ. { Floro PF. P.	
x Kal. Aug.	Cp. l.40. eod. tit.	12.51.9.
Augustus.		
Kal. Aug.	L.2. De luc. offic. [ad Seuerum PF. V.	
viii Id. Aug	Cp. l.91. De decur. [Dario Consul.	
v Kal. Sept.	Veron. l.13. De pœn. [Flauiano PF. P. Illyr. & Ital.	9.47.20.

Menses et dies		Codex Iustin.
x.kal.Sept.	Cp.l.3. De Sent.ex per.recit. [Clearcho PF. P.	
	L.4. Ad l.Iul.repet. [Floro PF. P.	9.27.1.
iii.Kal.Sept.	Cp. l.10. De metal. & metall. { ad Syagrium PF.P.	11.6.3.
	Capuæ l.14. De extr.siue sord.mun. { ad Syagrium PF.P.	10.47.11.
September		
xviii.kal.Oct.	Cp. l.13. De num. act. & scr. { Floro PF. P.	
xvii.kal.Oct.	Cp. l.numerarij De his quæ administ. { Floro PF. P.	
xii.Kal.Octo.	Byrit. l.41. De curs. publ. [Filagrio Com. Or.	12.51.10.
October.		
x.kal.Nou.	L.92. De decur. [Floro PF. P.	10.31.34.
vii kal.Nou.	Cp.l.17. De petit.& vlt. data [Panellino Cons.Lydiæ.	10.11. 6.
Nouember.		
vii. Kal. Dec.	L.93. De decurion. [Clearcho PF. P.	
Prid Kal.Dec.	Cp.l.8. De pagan.sac. & templ. [Palladio Duci Osdroënæ.	
December.		
v.Id.Dec.	L.15. De extr. siue sord.mun. { ad Hypatium PF. P.	10.47.13.
xviii.kal.Ian.	Patau.l.3. De proxim. Comit.disp. { ad Hypatium PF. P.	
xvi.Kal.Ian.	Cp.l.2. De sent.ex peric.rec. [Clearcho PF. P.	
vi.Kal.Ian.	L.2. De secund.nupt. [Floro PF. P.	
iii.Kal.Ian.	Cp.l.42. De curs. publ. [Constantiano Vicar. Diœceseos Ponticæ.	
	Sine die.	
	L.vn. De Consul. PF. Magistr. militum. [ad Senatum PF. V.	
	Post Consulatum Antonij & SyagrI.	
Aprilis.		
iii.Kal.Maj.	Cp.l.17. De susc.præp.& arc. [Habe Hypati K. Nu.	
	Merobaude iterum & Saturnino Coss.	
Ianuarius.		
iv.Id.Ian.	L.2. tit. 2. lib. 6. [ad Hypatium.	
xv.kal.Feb.	Cp.l.4. De loc.fund.patrim. [Nebridio Com. R. P.	11.58.6.
Prid.Kal.Feb.	Cp.l.94. De decur. [Constantiano Vic. Diœc. Ponticæ.	
Februarius.		
iiii Non.Feb.	Cp.l.4. Ne quid publ læt. nuntij. [Floro PF. P.	12.64.1.
xi.kal.Mart.	Med.l.3. De leg.her. [ad Hilarium PF. P.	
iv.Kal.Mart.	Med.l.95. De decurionibus. [ad Eusignium Proc. Afr.	
	L.8. De desert. vel occ. cor. { ad Flauianum PF. P.	
iii.kal.Mart.	L.2. De his qui latrones, &c. { ad Flauianum PF. P.	9.39.1.
Martius.		
	Cp. { L.96. De decurion. [Floro PF. P.	
	Cp. { L.12. De priuil. eorum qui in sac. [ad Cynegium Com. S.L.	
iii Non.Mar.	Med.l.8. De censu siue adsc. [ad Populum.	
viii Id.Mart.	Cp.l.97. De decur. [Cynegio Com. S.L.	11.47.9. & 10.25.1.
Aprilis.		
Prid.Non.Ap.	Med.l.5. Ad leg.Iul.repet. [Haue Marcelline k. Nb.	9.27.1.
viii. Id. Apr.	Cp. { L.10. De bon. prosc. { Postumiano PF. P.	10.31.35.
	Cp. { L.98. De decur. { Postumiano PF. P.	1.9.4.
xiiii.kal.Maj.	Med l.99. eod. tit. { ad Hypatium PF. P.	
viii.kal.Maj.	L.100. eod. tit. { ad Hypatium PF. P.	4.44.15.
Maius.		
	Med l.4. De contr. empt. { ad Hypatium PF. P.	
vi.Non.Maj.	L.18. De susc. præp.& arc. [Flauiano Proc. Asiæ.	
v.Non.Maj.	L.12. De exaction. [Constantiano Vic. Ponticæ.	
xiii.Kal.Iun.	Cp.l.2. De apostat. [Postumiano PF. P.	
xii kal.Iun.	Cp.l.3. eod. tit. { ad Hypatium PF. P.	
v.Kal.Iun.	Patau.l.5. De inoff.test. { ad Hypatium PF. P.	
Iunius.		
iii.Id.Iun.	Cp.l.22. De op.publ. [Haue Procule k. Nb.	8.12.5.
xvi.kal.Iul.	Rom.l.101. De decur. [ad Basilium Com. S L.	10.31.36.
xv.kal.Iul.	Veron.l.1. De mand.princ. [ad Eusignium Proc.Afr.	1.15.1.
xii kal.Iul.	Cp.l.10. De hæret. [Constantiniano Vic. Dioc. Ponticæ.	
Iulius.		
Prid.Non.Iul.	Cp l.14. De cohort. princ.corn. [ad Proculum Com.Orientis.	
iv Id.Iul.	Cp.l.7. De desert. vel occul.cor. [Constantino Vic.Dioc. Ponticæ.	
xiv.kal.Aug.	Cp. { L.1. Quid. probar. deb. &c. [Postumiano PF. P.	
	Cp. { L.102. De decurionibus. [Postumiano PF. P.	10.32.37.
viiii.kal.Aug.	Ceracleæ l.11. De murileg.& gynæc. [Trifolio Com. S. L.	11 7.8.

Cp.l.11.

Menses et dies.		Codex Iust.
VIII. Kal. Aug	C P. l.11. De hæret. [Postumiano PF. P.	
VI. Kal. Aug.	Salamariæ l.103. De decur. [ad Proculum Com. Orientis.	
Augustus.		
XII. kal. Sept.	L.18. De pet. & vlt. dat. [Nebridio Com. R. P.	
Prid. kal. Sept.	L.40. De appell. [ad Basilium Com. S. L.	
September.		
III. Non. Sept.	C P. l.12. De hæret. } Postumiano PF. P.	
October.		
V. Non. Octob.	L.19. De susceptor. præp. }	
V. Id. Octob.	C P. l.5. De palat. sac. larg. [Nebridio Com. R. P.	12. 24. 5.
November.		
VII. Id. Nou.	C P. l.104. De decurionibus. [Postumiano PF. P.	
X. Kal. Dec.	C P. l. 28. Quor. app. non rec. [Euchario Proc. Palæstinæ.	
December.		
XVII. Kal. Ian.	L.41. De appellat. [ad Ammianum Com. R. P.	
VI. kal. Ian.	Patau. l.14. De acc. & insc. [ad Marinianum Vic. Hispan.	2. 9. 4.
IV. kal. Ian.	C P. { L.1. Vt dignit. ord. seru. [ad Clearchum PF. V.	
III. kal. Ian.	{ L.7. De honor. codic. [Postumiano PF. P.	
	C P. l.1. De calumniat. [Hellibico Com. & Magist. vtriusque militiæ.	
Sine die.	L. 3. De offic. Iud. omnium. { Pars Act. habit. in Consistorio Grat. Aug.	
October.	*Post Consulatum Merobaudis secundò & Saturnini Coss.*	
VII. kal. Nou.	Med. l.6. De palat. sac. largit. [ad Probum PF. P.	12. 24. 6.
Ianuarius.	*Richomere & Clearcho V.C. Coss.*	
XV kal. Feb.	C P. { L.5. De auro coron. / L.23. De op. publ. } Cynegio PF. P.	10. 74. 1.
III. kal. Feb.	C P. l.13. De hæreticis.	8. 12. 6.
Prid. Kal. Feb.	Byrito. { L.4. Tribut. in ips. spec. infert. / L.2. De publ. compar.	
Februarius.		
Kal. Feb.	L.43. De curs. publ. [ad Neotherium PF. P.	
Prid. Id. Feb.	Byrito L.19. De an. & trib.	
Martius.		
VI. Non. Mar.	C P. l.44. De curs. publ. [Cynegio PF. P.	12. 51. 11.
III. Id. Mart.	Med. l.12. De lustr. conlat. [ad Atticum PF. P.	
XI. Kal. Apr.	Med. l.7. De indulg. crim. [ad Marcianum Vic.	
Prid. kal. Apr.	C P. l.42. De appell. [ad Agrestium Proc. Palæstinæ.	
Aprilis.		
IV. Id. Apr.	C P. l.12. De re militari. }	
III. Id. Apr.	C P. l.45. De curs. pub. }	
Maius.	} Cynegio PF. P.	12. 36. 11.
Pr. Non. Maj.	C P. l.105. De decur. }	
XII. Kal. Iun.	L.2. Vt dignit. ord. seru. [ad Pretextatum PF. V.	12. 8. 2.
Iunius.		
IIII. Id. Iun.	Heracl. l.7. De pal. sac. larg. [Trifolio Com. S. L.	12. 24. 7.
Iulius.		
VIII. Id. Iul.	Herac. l.106. De decurion. [Cynegio PF. P.	
VIIII. ka. Aug.	Heracl. l.11. De murileg. & gynæc. [Trifolio Com. S. L.	
VIII. kal. Aug.	Heracl.* L.1. De expens. lud. [ad Senatum.	11. 7. 8.
Augustus.		
Prid. kal. Sept.	Veron. l.107. De decurionib. [Cynegio PF. P.	
September.		
kal. Sept.	C P. l.3. tit. 2. lib. 6. Clearcho PF. P.	
XVI. Kal. Octo.	C P. l.3. De metat. [Palladio Magist. Offic.	
XV. Kal. Octo.	C P. l.4. De tabul. log. & censual.	
X. Kal. Octo.	L.5. De contr. empt. }	
October.	} Cynegio PF. P.	
III. Non. Octo.	C P. l.11. De metallis & metal. }	
IIII kal. Nou.	C P. l.43. De appell. [Merobaudi Duci Ægypt.	

* Valentinianus, Theodosius & Arcad.

Menses et dies.			Codex Iustin.
vi. Id. Mart.	C P. l.14. De med. & profess.	Cynegio PF. P.	
vi. Kal. Apr.	C P. l.116. De decurionibus.		
Aprilis.			
Kal. Apr.	C P. l.117. De decurionibus.		
xviii. kal. Mai.	L.3. Ne conl. transl. post.	ad Eusignium PF. P.	10.31.40.
Maius.			
xiiii. kal. Iun.	Med. l. 48. De appell. & pœn.		
Iunius.			
xviii. kal. Iul.	C P. l.6. De aur. coron.	[Gaddanæ Satrapæ Sofanenæ.	10.31.41.
Iulius.			
Prid. Non. Iul.	C P. l.118. De decurion.	[Cynegio PF. P.	
September.			
vi. Id. Sept.	L.4. De princ. ag. in reb.	[ad Pinianum PF. P.	
Martius.	*Theodosio A. II. & Cynegio V. C. Coss.*		
vi. Id. Mart.	Thessal. l.14. De hæreticis.	Cynegio PF. P.	
Pr. Id. Mart.	Thess. { L.2. De nuptiis.		1.9.5.
	L.5. Ad l. Iul. de adult.		1.9.5.
Aprilis.			
Pr. Kal. Mai.	Thess. l.vn. De priu. carc. custod.	[Erytrio PF. Aug.	
Iunius.			
xviii kal. Iul.	Stobis l.15. De hæreticis.	[Trifolio PF. P.	
xvi. Kal. Iul.	Stobis l.2. De his qui super relig. cont.	Tatiano PF. P.	
xi. kal. Iul.	Scupis l.119. De decurionibus.		
Augustus.			
v. Id. Aug.	C P. l.16. De hæretic.	[Cynegio PF. P.	
September.			
x. Kal. Octob.	Aquil. l. 6. De infirm. his quæ &c.	Trifolio PF. P.	
October.			
vi. Id. Octo.	Med. l. 7. De infirmandis his &c.		
xv. kal. Nou.	L.1. De fabric.	[Tatiano PF. P.	
Ianuarius.	*Timasio & Promoto Coss.*		11.9.1.
xviiii. ka. Feb.	Med. l.8. De infirmand. his &c.	[Constantiano PF. P. Galliarum.	
xiiii. kal. Feb.	Med. l.3. De decur. Vrb. Rom.	[Trifolio PF. P.	
x. kal. Feb.	Med. l.2. De testam. & cod.	[Proculo PF. V.	11.13.1.
Februarius.			
v. kal. Mart.	Med. l.4. De leg. hered.	[Constantiano PF. P. Galliarum.	
Maius.			6.54.9.
vi. Non. Mai.	Med. l.5. De denunt. vel ed. resc.	[ad Claudium Tusciæ Consul.	
iv. Non. Mai.	Med. l.5. Ne quid publ. læt. nunt.	[Habe Tatiane K. Ns.	
iii Non. Mai.	{ Med. l.17. De hæretic.	Tatiano PF. P.	
	L.16. De cohort. princ. & cornic.		
Iunius.			12.58.7.
xviii. ka. Iul.	Treu. l.3. Vnde vi.	[ad Messianum Com. R. P.	
xv. kal. Iul.	Rom. l.18. De hæretic.	[Albino PF. V.	8.4.7.
v. kal. Iul.	C P. l.9. De fals. mon.	[Habe Tatiane K. Ns.	
Iulius.			
xvi kal. Aug.	Rom. l. 25. De op. publ.	[Proculo PF. V. Constant.	
viii. kal. Aug.	Rom. l.49. De appell.	[Albino PF. V. Rom.	
vii. Kal. Aug.	Rom. l.9. De ann. ciuic. & pan. grad.	[Proculo PF. V. C P.	
Augustus.			
xvii. kal. Sept.	Rom. { L. vn. De mancip.	Albino PF. V. Romæ.	
	L.11. De malef. & math.		
xv. kal. Sept.	Romæ l.5. De suar. pec. & susc.		9.18.9.
viii. kal. Sept.	Rom. l.6. eod. titulo.		
v. Kal. Sept.	Rom. l.5. De aquæduct.		11.16.1.
September.			11.42.3.
iii. Non. Sept.	Valentiæ l.49. De curs. publ.	[Cæsario Magist. Offic.	
viii. Id. Sept.	Forosiam. l.5. De quæstion.	[Tatiano PF. P.	
Nouember.			
vi. Id. Nou.	Triu. l.5. De proxim. Com. disp.	[Constantio PF. P.	
vi. Kal. Dec.	Med. l.19. De hæret.	[Tatiano PF. P.	12.19.2.

Menses et dies.		Codex Iustin.
iv Kal. Dec.	Cp.l.23. De susc. præp. & arc. [Cynegio PF. P.	10.70.10.
December.		
xvi. Kal. Ian.	Med.l.120. De decur. [Tatiano PF. P.	
xv Kal. Ian.	Cp.l.5. Trib. in ipsi spec. inf. [Cynegio PF. P.	
vi. kal. Ian.	Med.l.3. De tut. & cur. creand. [Proculo PF. V.	5.33.1.
Sine die viii	Cp.l.4. De aquæduct. [Pancratio PF. V.	11.42.2.
Ianuarius.	*Valentiniano* IIII.* *A. & Neotherio V.C. Coss.*	
xviii. kal. Feb.	Med.l.12. De pall. sac. larg. [Seuero Com. & Castrensi.	
xvii kal. Feb.	Med.l.26. De op. publ. [Polemio PF. P. Illyrici & Italiæ.	
xii. Kal. Feb.	Med. l.4. De tut. & cur. creand. [Tatiano PF. P.	5.35.2.
Februarius.		
Pri. Non. Feb.	Med.l.4. De exhib. vel transm. reis. [Drepanio Proc. Afr.	9.3.3.
x. Kal. Mart.	Med.l.19. De acc. & insc. [Tatiano PF. P.	9.2.5.
xii. kal. Mar.	Cp. l.18. De nauicul. [Alexandro PF. Aug.	
Martius.		
vi. Non. Mar.	Cp.l.3. De thesaur. [Neotherio PF. P.	
viii. Id. Mart.	Med.l.3. De fabric. [Rufino Magist. Offic.	11.9.1.
Aprilis.	Mediolani. (L.27. De oper. publ. [Albino PF. V. Rom.	
Pr. Non. Apr.	Mediolani. (L.28. eod. tit. [Polemio PF. P.	
Maius.		
v. kal. Iun.	Med.l.7. De curiosis. [Neotherio PF. P.	
Iunius.		
Pri. Non. Iun.	Med.l.7. Ad leg. Iul. repet. [Seuerino Com. R.P.	9.27.5.
	(Triu.l.50. De curs. publ. [Floro PF. P.	12.51.13.
xv. Kal. Iul.	(Med.l.121. De decurionibus. } Tatiano PF. P.	
xi Kal. Iul.	Med.l.27. de Episc. Eccl. & cler. } Tatiano PF. P.	1.3.9.
Iulius.		
iii. Non. Iul.	Med.l.18. De extr. siue sord. mun. } Tatiano PF. P.	
Augustus.		
viii Id. Aug.	PP. in Foro Traiani l.6. Ad leg. Iul. de adult. [Orientio Vic. vrb. Rom.	
x. kal. Sept.	Veronæ l.28. De Episc. Eccl. & cler. } Tatiano PF. P.	
September.		
iv. Non. Sept.	Veron. l.122. De decur. } Tatiano PF. P.	
iii Non. Sept.	Veron. l.1. De monach. } Tatiano PF. P.	
vi. Id. Sept.	L.19. De nauicular. } Tatiano PF. P.	
Nouember.		
vi. Kal. Dec.	Med.l.6. De ag. in reb. [Proculo PF. V.	
	Sine Coss.	
Pri. Id. Mart.	L.3. De Episcopali Iudicio. [ad Optatum PF. Aug.	
	In atrio Mineruæ l. non patiamur. [ad Orientium Vic. vrb. Romæ.	
Februarius.	*Tatiano & Symmacho VV. CC. Coss.*	
iii. kal. Mart.	Med.l.10. De pag. sac. & templ. [ad Albinum PF. P.	10.47.16.
Martius.		
v Id. Mart.	Med.l.vn. De patr qui fil. dist. } Tatiano PF. P.	
[illegible]	Med.l.19. De extraord. siue sord. mun. } Tatiano PF. P.	
Maius.		
iii. Non. Maj.	Med.l.16. De cohort princ. corn. & prim. [Tatiano PF. P.	
	L.11. De fid. test. & instr. } Flauiano PF. P.	1.7.3.
v. Id. Maj.	L.4. De apostat. } Flauiano PF. P.	1.7.4.
	L.5. eod. tit. } Flauiano PF. P.	
iiii. kal. Iun.	Rom l.20. De hæreticis. [Exemplum sac. lit.	12.36.12.
	Veronæ. L.13. De re mil. [Richomeri Com. & Mag. vtriusque militiæ	1.14.2. & 1.8.11.
vi. Kal. Iun.	Veronæ. L.2. De Constit. Princ. } Flauiano PF. P. Illyr. & Ital.	
Iunius.	Veronæ. L.6. De contr. empt. } Flauiano PF. P. Illyr. & Ital.	4.38.8.
xvi. kal. Iul.	Aquil. l.vn. De poss. ab eo &c. [Proculo PF. V.	
xv. Kal. Iul.	Aquil. l.11. De pag. sac. & tẽpl. [Euagrio PF. Aug. & Romano Com. Ægyp	
Iulius.		
Kal. Iul.	L.2. Ad leg. Corn. de sic. [ad Prouinciales.	3.27.1.
xv. Kal. Aug.	Cp.l.4. De naufrag. } Tatiano PF. P.	11.5.4.
v. Kal. Aug.	Cp.l.123. De decurion. } Tatiano PF. P.	
September.		
[illegible]	C.* l.5. Sine censu vel reliq. } Tatiano PF. P.	

* In quibusdam v.

* Th. Arc. & Honorius.

	Menses & dies.		Codex Iustin.
	Iunius.	*Post Consulatum Tatiani & Symmachi VV. CC.*	
	XIII. kal. Iul.	Aquil. Acc. Id. Ian. Hadrum. l.3. De fide & iure hast. { ad Magnetum Vic. Afr.	4.44.19.
* Mali in quibusdā III.	Ianuarius.	*Arcadio A. II.* * *& Rufino Coss.*	
	III. Kal. Feb.	Cp. l.7. De iurisdict. [Marciano Com. Orientis.	10.39.9. & 12.1.13.
	Februarius.		
	XV. kal. Mart.	Cp. l.21. De naucul. [Apodemio PF. P. Illyrici & Afr.	
	XI. Kal. Mart.	Cp. l.12. De metallis & metall. [Romulo Com. S.L.	11.6.5.
	Martius.		
	III. Non. Mar.	Cp. l.2. De defens. ciuitat. [Potamio PF. Aug.	1.55.5.
	III. Id. Mart.	Cp. l.15. De pœnis. [Tatiano PF. P.	
	Aprilis.	IMPP. THEOD. ET ARCAD. HONOR.	
	III. Non. Apr.	Cp. l.124. De decurionibus. [Filoxeno Vic. Thraciarum.	1.55.6.
* Val. Theo. & Arcad.	VI. Id. Apr.	{ Cp. l.3.* De defens. ciuit. [Tatiano PF. P. { L.20. De pet. & vlt. dat. [Flauiano PF. P.	
	V. Id. Apr.	Cp. l.31. Quor. app. non recip. { Hypatio PF. Aug.	
* Val. Theo. & Arcad. vt in seq.	Prid. Id. Apr.	Cp. l.* 20. De nauiculariis. { Hypatio PF. Aug.	
	XV. kal. Maj.	Cp.* { L.2. De monachis. L.8. De Iud cæl. & Sam. } Tatiano PF. P.	
	VIII. Kal. Maj.	Cp. { L.8. De repar. appell. L.125. De decurion. } Victorio Proc. Asiæ.	
	Iunius.		
* Val. Theo. & Arcad.	XVII. kal. Iul.	Cp. l.21.* De hæretic. [Tatiano PF. P.	
	X. Kal. Iul.	Cp. l.126. De decur. [ad Potamium PF. Aug.	
	VII Kal. Iul.	Cp. l.10. De an. ciuic. & pan. grad. [Proculo PF. V.	11.24.1.
	Pr. Kal. Iul.	Cp. l.127. De decur. [Tatiano PF. P.	
	Iulius.		
* Val. Theod. & Arcad.	XV. Kal. Aug.	Cp. l.3.* De his qui sup. relig. cont. [Potamio PF. Aug.	
	V. Kal. August.	Cp. l.12. De leg. & dec. leg. [Apodemio PF. P. per Illyricum.	10.63.5.
* Val. Theo. & Arcad.	III. Kal. Aug.	Cp. l.51.* De curs. publ. [Potamio PF. Aug.	12.51.14.
	Pr. Kal. Aug.	Cp. l.128. De decur. [Abundantio Com. & Magist. vtr. militiæ.	10.31.42.
	Augustus.		
	VII. kal. Sept.	L.2. De tract. & statiu. [Rufino PF. P.	12.52.1.
	September.		
	IIII. Id. Sept.	Cp. { L.13. De legat. & decr. legat. [Apodemio PF. P. per Illyricum. L.1. De crim. pecul. [Rufino PF. P.	
	October.		
	XV. kal. Nou.	Cp. l.1. De his qui ad Ecc. confugiunt. [Romulo Com. S.L.	
	Nouember.		
	VI. Id. Nou.	Cp. l.12. De pag. sac. & temp. [ad Rufinum PF. P.	
	III. Id. Nou.	Cp. l. vn. De fideiuss. dot. [Marciano Com. Orientis.	
	X. kal. Dec.	Cp. l.129. De decurionibus. { Rufino PF. P.	
	December.		
	VII. Id. Dec.	Cp. l.7. Ad legem Iul. de adult. { Rufino PF. P.	9.9.34.
	Ianuarius.	*Theodosio III. A. & Abundantio V.C. Coss.*	
	Prid. Id. Ian.	Cp. l.13. De bon. prosc. [Drepanio Com. R. P.	
	Februarius.		
	Prid. Id. Feb.	Cp. { L.1. Quis in grad. præf. L.13. De metallis & metall. } Rufino PF. P. L.1. De offic. mil. Iud. [Comit. & Magist. vtriusque mil.	1.44.1.
	IV. Kal. Mart.	Cp. l.3. De Constit. Principum.	1.14.7.
	III. Kal. Mart.	Cp. { L.1. De præd. Sen. L.26. De præt. & quæst. L.130. De decurion. L.131. eod. titulo. L.29. De op. publ. L.30. eod. tit. } Aureliano PF. P.	8.12.8.
	Martius.		
	III. Id. Mart.	Cp. l.131. De decurionibus.	
* Gratianus Val. & Th.	XVII. kal. Apr.	Cp. l.14.* De met. & metall. [Paterno.	11.6.6.
	VII. Kal. Apr.	Cp. l.15. De med. & profess. [Rufino PF. P.	
	VI. Kal. Apr.	Cp. l.133.* De decurionib. { Siluano Duci & Correctori limitis Tripolitani.	

Cp. l.3.

	Menses et dies.		Codex Iust.
	Aprilis.		
	III Non. Apr.	Cp. l. 3. De censit. peræq. & inspect.	
* Valēt. Th. & Arc.	Prid. Non. Ap.	Cp. l. 50. * De appell. & pœn. ear. [Victorio Proc. Afr.	11 57. 4.
	Prid. Id. Apr.	Cp. { L. 134. De decurionibus. / L. 14. De exactione. } Rufino PF. P.	10. 31. 43.
	VI. Kal. Mai.	Cp. l. 11. De ann. ciu. & pan. grad. [Aureliano PF. V.	10. 19. 5.
	Maius.		
	Kal. Maj.	Cp. l. 11. De bon. prosc. } Rufino PF. P.	
	XII. kal. Iun.	Cp. l. vn. De quadr. breuib. } Rufino PF. P.	
	Iunius.		
	Prid. Non. Iun.	Cp. l. 135. De decurionib.	
* Val. Theo. & Arcad.	V. Id. Iun.	Cp. l. 51. * De appell. [Apodemio PF. P. II. Illyr. & Ital.	10. 44. 1.
	Iunius.		
	Prid. Id. Iun.	Cp. l. 12. De bon. prosc. [Rufino PF. P.	
	XV. kal. Iul.	L. 4. De cognit. & proc. [Victorio Proc. Asiæ.	
	VIIII. kal. Iul.	Cp. l. 136. De decur. [Rufino PF. P.	
	V kal. Iul.	Cp. l. 5. De reuoc. donat. [Victorio Proc. Asiæ.	
	Iulius.		
	III Non. Iul.	Heracl. l. 31. De op. publ. } Rufino PF. P.	8. 12. 9.
	III Id. Iul.	Cp. l. 10. De fals. mon. } Rufino PF. P.	9. 24. 3.
	VII. kal. Aug.	Cp. l. 15. De med. & prof. } Rufino PF. P.	
* Val. Theo. & Arcad. vt in 4. seq.	IIII. kal. Aug.	Cp. { L. 3. De salg. hosp. non præbendo. / L. 18. * De erog. mil. an. } { Abundantio, Stiliconi & ceteris Comit. & Magist. vtriusque mil.	
		L. 10. eod. tit. [Rufino PF. P.	12. 38. 7.
	Prid. kal. Aug.	Cp. l. 19. De erog. mil. an. } Albino PF. P.	3 12. 7.
	Augustus.		
	VII. Id. Aug.	Rom. l. 2. De feriis. } Albino PF. P.	
	V Id. Aug.	Cp. { L. vn. Si quis Imp. maled. / L. 137. De decurion. } Rufino PF. P.	
* Val. Theo. & Arc. vt in 2. seq.	XII Kal. Sept.	Cp. l. 4. * De Constit. Princ. [Victorio Proc. Asiæ.	10. 31. 44.
	Prid. kal. Sept.	Cp. l. 4. tit. 2. lib. 6. [ad Aurelianum PF. V.	
	September.		
	III. Non. Sept.	Cp. l. 22. De nauicul. } Rufino PF. P.	
	XI Kal. Octo.	L. 11. De scænicis. } Rufino PF. P.	
* Val. Theo. & Arcad.	VII. Kal. Oct.	Cp. l. 5. * De liber. causa. } Rufino PF. P.	
	IIII Kal. Oct.	Cp. { L. 5. De cognit. & proc. } Rufino PF. P. / { L. 52. De appell. [Haue Rufine K. N. B.	
* Val. Theo. & Arcad. vt in seq.	III Kal. Octo.	Cp. l. vn. * De carb. edict. [Rufino PF. P.	6. 27. 2.
	October.		
	VI. Kal. Nou.	Cp. l. 4. De metatis. [Theodoto Magist. Officiorum.	12. 41. 1.
	Nouember.		
	XII. kal. Dec.	Cp. l. 12. De ann. ciuic. & pan. grad. [Aureliano PF. V.	
	III. Kal. Dec.	Cp. { L. 4. De censit. peræq. & insp. [Rufino PF. P. / L. 9. De Iud. cæl. & Sam. [Addeo Com. & Magist. vtr. mil. }	11. 57. 5.
	December.		
	Pri. Non. Dec.	Cp. l. 8. Ad legem Iul. de adult. } Rufino PF. P.	9. 9. 34.
	VI. Id. Dec.	Cp. l. 138. De decurionibus. } Rufino PF. P.	
* Val. Theod. & Arcad.	III Id. Dec.	L. 23. * De nauiculariis. } Rufino PF. P.	
	III kal. Ian.	Cp. l. 9. Ad leg. Iul. de adult. [Gildoni Com. & Magist. vtr. mil. per Afr.	
	Prid. kal. Ian.	Cp. l. 5. De domest. & protect. [Addeo Com. domestic.	
		*Arcadio III. & Honorio II. * AA. Coss.*	
* Male in quibusdam III.	*Martius.*		
	IIII. Non. Mar.	Cp. l. 2. Si cert. pet. de suffr. [Rufino PF. P.	4. 3. 1.
	III. Id. Mart.	Cp. l. 14. De re milit. [Theodoto Magist. Offic.	
	Aprilis.		
	VII Kal. Maj.	Cp. l. 22. De hæretic. [Victorio Proc. Asiæ.	
	Maius.		
	III. kal. Iun.	Cp. l. 139. De decurionib. } Rufino PF. P.	
	Iunius.		
	XV. Kal. Iul.	Hadrianop. l. 23. De hæreticis. } Rufino PF. P.	
	III Kal. Iul.	Heracl. l. 12. De scænic. } Rufino PF. P.	11 40. 4.
	Iulius.		
	III. Non. Iul.	Cp. l. 31. De op. public. } Rufino PF. P.	
	VII Id. Iul.	Cp. l. 24. De hæreticis. } Rufino PF. P.	8. 12. 9.

IMPP. ARCADIVS ET HONORIVS.

Menses & dies.		Codex Iustin.
December.		
x. Kal. Ian.	Med. { L.2. De cond. in publ. hor. [Florentino PF. V.	11. 1. 5.
	L.26. De nauiculariis. [Eusebio PF. P.	
Ianuarius.	*Olybrio & Probino VV. CC. Coss.*	
vii. Id. Ian.	Med. l. 8. De iurisdict. [Pasifilo suo.	8.4.8. & 9.2.
v. Id. Ian.	Cp. l. vn. Ne quid on. pub. impon. [Rufino PF. P.	16. a 9.37.1.
xiiii. kal. Feb.	L. 140. De decurionibus. [Theodoro PF. P.	11. 4. 1.
		10.31.46.
Februarius.		
xii. Kal. Mart.	Med. l. 55. De curs. publ. [Florentino PF. V.	
v. Kal. Mart.	Cp. l. 19. De cohort. princip. corn. [Euthymio Vic. Asiæ.	
Martius.		
iii. Non. Mar.	Med. l. vn. De obl. vot. [Basilio PF. V.	12. 49. 1.
iii. Id. Mart.	Cp. l. 25. De hæretic. [Rufino PF. P.	
xv. Kal. Apr.	Med. l. 53. De curs. publ. [Dextro PF. P.	12. 51. 13.
x. Kal. Apr.	Med. l. 29. De Episc. Eccl. & cler. [Hierio Vic. Africæ.	
viiii. ka. Apr.	Med. l. 2. De indulg. debit. [Dextro PF. P.	
iii. kal. Apr.	Cp. l. 26. De hæret. [Rufino PF. P.	
Prid. Id. Apr.	Med. l. 2. Si quis pecun. conflau.	
xi Kal. Maj.	Med. l. 9. De infirm. his, &c. [Andromacho PF. V.	
vi. kal. Maj.	Med. { L. 54. De curs publ. [Dextro PF. P.	
	L. 10. De infirmandis his, &c. [Eulogio Com. R. P.	
Maius.		
	Med. { L. 5. De exsec. & exact. [Dextro PF. P.	
	L. 141. De decurionibus. } Ennoio Proc. Afr.	
	L. 142. eod. tit.	10.31.46.
xvii. kal. Iun.	L. 143. eod. tit.	
	L. 144. eod. tit.	
	L. 145. eod. tit.	
	* L. 5. De appellation.	7.62.17.
xv. Kal. Iun.	Med. l. 11. De infirmandis his, &c. [Andromacho PF. V.	
xii. kal. Iun.	Cp. l. 5. De princip. agent. in reb. [Theodoro PF. V.	11. 22. 2.
viii. kal. Iun.	Med * l. 54. De appell. & pœn. [Andromacho PF. V.	
vii. kal. Iun.	{ Med. l. 24. De nauic. [Prouinc. Afric.	4. 61. 6.
	Cp. l. 5. De princ. ag. in reb. [Theodoro PF. V.	
vi. kal. Iun.	Cp. l. 7. De ag. in reb. [Osio Magist. Offic.	
iiii. kal. Iun.	Cp. l. 6. De aquæduct. [Africano PF. V.	11. 42. 3.
Iunius.		
Kal. Iun.	Cp. l. 8. De curios. [Marcello Magistro Offic.	12. 23. 4.
Pr. Non. Iun.	Med. l. 3. De commeatu. [ad Andromachum PF. V.	
xvii. kal. Iul.	Med. { L. 6. De exsec. & exact. [ad Prouinciales & ad Proconsules.	11. 61. 1.
	L. 146. De decur. [Dextro PF. P.	
xv. Kal. Iul.	Med. l. 11. De infirmandis his, &c. [Eusebio PF. P.	
xi. Kal. Iul.	Med. l. 32. De oper. publ. [Eusebio Consul. Siciliæ.	8. 12. 10.
viiii. kal. Iul.	Med. l. 10. De extr. siue sord. mun. [Messiano Com. R. P.	10. 47. 16.
viii. kal. Iul.	Cp. l. 27. De hæret. [Cæsario PF. P.	
Iulius.		
iii Non. Iul.	Med. l. 33. De oper. publ. [Vincenti K. Ns.	11. 69. 3.
Non. Iul.	Med. l. 6. De cognit. & proc. { Andronico PF. P.	
Prid. Id. Iul.	Med. l. 7. De exsec. & exact.	11. 61. 2.
vi. kal. Aug.	Med. l. vn. Quor. bon. [Petronio Vic. Hispaniarum.	8. 2. 5.
Augustus.		
vii Id. Aug.	Cp. l. 13. De pag. sac. & templ. [Rufino PF. P.	
September.		
iii. Non. Sept.	Cp. l. 28. De hæret. [Aureliano Proc. Asiæ.	1. 5. 2.
xviii. ka. Oct.	L. 5 tit. 2. l. b. 6. [Florentio PF. V.	
iiii kal. Oct.	L. 148. De decurionibus. [Theodoro PF. P.	
Pr. Kal. Octo.	L. 3. De patrociniis vic. [Heracliano Com. Ægypti.	
October.		
v. Non. Octo.	Cp. l. 6. De domest. & prot. [Addeo Comiti & Magist. vtriusque mil.	

*Theod. Arc. & Honor. (margin, at L. 5. De appellation.)

*Theod. Arc. & Honor. (margin, at l. 54. De appell. & pœn.)

L. 8. De

CHRONOLOGIA.

Menses et dies.		Codex Iust.
v. Id. Octob.	L. 8. De pact. & transf. [Rufino PF. P.	2.5. 41.
Id. Octob.	Med. l. 7. De mater. bon. [Florentino PF. V.	6. 59. 2.
x. Kal. Nou.	Brixiæ l. 27. De præt. & quæst. [Dextro PF. P.	
November.		
xviii. Kal. Dec.	Med. l. 2. De incorporat. [Eulogio Com. R.	
viii kal. Dec	Cp. l. 29. De hæret. [Marcello Magist. Offic.	
iiii. Kal. Dec.	Cp. l. 13. De pal. sac. larg. [Osio Com. S. L.	
Prid. Kal. Dec.	Cp. l. vn. De greg. domin. [Cæsario PF. P.	11. 75. 1.
December.		
xv. Kal. Ian.	Cp. l. 56. De curs. pub. [Simplicio Magist. militum.	
xii kal. Ian.	Med. l. 24. De an. & trib.	
	Med. (L. 25. De nauicul. } Ennio suo Sal.	
vii. Kal. Ian.	(L. 149. De decurion.	6. 30. 26.
iii. Kal. Ian.	Cp. l. 150. De decurionibus. [Cæsario PF. P.	10. 31. 47.
Ianuarius.	*Arcadio* IV. *&* *Honorio* * III. *AA.* *Coss.*	
xvi. Kal. Feb.	L. 4. De mil. veste. } Martiniano Com. S. L.	12. 40. 3.
	(Cp. l. 14. De pal. sac. larg.	
xv. kal. Feb.	(L. 6. De prox Com dispos. } Osio Magist. Offic.	
vii. Kal. Feb.	Cp. l. 8. De agent. in reb.	
Prid. Kal. Feb.	Cp. l. 9. De ag. in reb.	
Februarius.		
Non. Feb.	Cp. PP. Alexandriæ l. 1. De Alex. pleb. primatib. [Gennadio PF. Aug.	1. 4. 6.
	Cp. l. 14. De bonis prosc. } Cæsario PF. P.	
Id. Febr.	Cp. (L. 7. De proxim. Com. disp.	
xvi. kal. Mart.	(L. 5. De censit. peræquat. & inspector. [Herodi.	
xv. kal. Mart.	Cp. l. 8. De proximis Com. dispos. [Claudio PF. V.	12. 19. 3.
xii. kal. Mart.	Cp. l. 15. De re milit. [Remistheo Duci Armeniæ.	5. 37. 24.
vi. kal. Mart.	Cp. l. 4. De administ. & per. tut. [Eutychiano PF. P.	
v. Kal. Mart.	Cp. l. 19. De cohort. princ. & corn. [Euthymio Vic. Asiæ.	12. 58. 8.
iii kal. Mart.	Cp. (L. 10. De agent. in reb. [Osio Magist. Offic.	
	(L. 10. De Iudæ cæl. & Sam. [ad Iudæos.	1. 9. 8.
Martius.		
v. Non. Mart.	Cp. l. 30. De hæret. [Clearcho PF. V.	1. 5. 3.
xiiii kal. Mar.	Med. l. 6. De censit. peræq. & insp. [Hilario PF. P.	
xii kal. Apr.	L. 3. De testam. & cod. [Æternali Proc. Asiæ.	6. 23. 17.
x. kal. Apr.	Cp. l. 6. De apostat. } Cæsario PF. P.	
viiii. kal. Ap.	L. 14. De oper. pub.	8. 12. 11.
viii Kal. Apr.	Cp. l. 24. De erogat. mil. ann. } ad Paulum.	12. 38. 19.
v Kal. Apr.	Cp l. 15. De iure fisc.	7. 38. 3. & 11. 66. 2.
iiii kal. Apr.	Med. l. 7. De censit. peræq. [Eusebio PF. P.	
	(L. 8. De diu. resc. } Remigio PF. Aug.	11. 57. 6.
iii. Kal. Apr.	(Cp. l. 7. De contr. emptione.	1. 23. 1.
Aprilis.		
Prid. Id. Apr.	Med. l. vn. De pretio panis ostiens. [Theodoro PF. P.	
xvi. Kal. Mai.	L. 21 De erogat. mil. an. [Cæsario PF. P.	
xiiii kal. Maj	Med. l. 3. De testimon. extrib. & prot. [Florentino PF. V.	
xi kal. Maj.	Cp. l. 31. De hæret. } Cæsario PF. P.	
x. Kal. Maj.	L. 32. eod. tit.	
	Cp. (L. 21. De petit. & vlt. dat. [Laurentio Com. R. P.	
viii. Id. Maj.	(L. 1. De iur. lib. [ad Cæsarium PF. P.	
	(L. 11. De Iudæ. cæl. & Samar. [ad Claudium Com. Orient.	
vii kal. Maj.	Cp. l. 1. De maiuma. [Cæsario PF. P.	11. 45. 1.
vi. kal. Maj.	Med. l. 9. De desert. & occ. eor. [ad Populum.	
Maius.		
Non. Maj.	Med. l. 151. De decurionib. [Petronio Vic. Hispaniarum.	
xiiii. kal. Iun.	L. 55. De appellat. [Messalæ PF. P.	
x. Kal. Iun.	Cp. l. 25. De erogat. mil. ann. [Eutychiano PF. P.	12. 38. 10.
iii kal. Iun.	Med. l. 22. De erog. mil. an. } Hilario PF. P.	
Iunius.		
xvi. kal. Iul.	L. 23. De erog. mil. an.	12. 38. 8.

* Perperam Honor. IIII. vel III.

Menses & dies.		Codex Iustin.
Iulius.		
VII. *Id. Iul.*	L.19. De pistor. & catab. [Eusebio PF. P.	
XI. *Kal. Aug.*	Cp. l.56. De appell. & pœn. ear. [Nebridio Proc. Asiæ.	7. 62. 28.
VI. *Kal. Aug.*	Mnizo l.57. De appellat. [Eutychiano PF. P.	l.4 6. & 7. 62. 29.
III. *kal. Aug.*	Cp. l. 13. De an. ciuic. & pan. grad. [Africano PF. V.	
Augustus.		
III. *Non. Aug.*	Cp. { L.18. De acc. & inscript. [Maximo PF. P. / L.152. De decurion. [Africano PF. V. / L.15. De bon. proscript. [Cæsario PF. P.	2. 7. 3. / 9. 49. 9.
IIII. *Id. Aug.*	Med.l.32. Quor. app. non recipiuntur. [Apollodoro Com. R. P.	7. 65. 8.
Pr. Id. Aug.	Cp. { L.2. De prædiis Senatorum. [Cæsario PF. P. / L.3. eod. tit. [Africano PF. V.	
Pr. kal. Sept.	Cp. l. 9. De indulg. crimin. [ad Cæsarium PF. P.	
October.		
Pr. Non. Octo.	Cp. { L. vn. Vnde lib. / L.5. De leg. her. } Aureliano PF. V.	
Nouember.		
VI. *kal. Dec.*	Cp. l.3. De incestis nupt. [Eutychiano PF. P.	5. 5. 6.
December.		
VI. *Id. Dec.*	Cp. l.14. De pag. sac. & templis. [Cæsario PF. P.	
XVIII. *kal. Ian.*	Cp. l. 2. Si curialis rel. ciu. rus. &c. [Eutychiano PF. P.	
XV. *Kal. Ian.*	Med. l. 4. Vnde vi. [Atriano Consul. Liguriæ.	
X. *Kal. Ian.*	Cp. l.18. De præt. & quæst. [Simplicio PF. P.	
VII. *Kal. Ian.*	Cp. l. vn. De vsu sellar. [Claudio PF. V.	
V. *kal. Ian.*	L.2. De conlat. ær. [Hilario.	
III. *Kal. Ian.*	Cp. l. 29. De præt. & quæst. [* PF. V.	10. 19. 2.
Prid. kal. Ian.	Cp. l.30. De præt. & quæst. [Eutychiano PF. P.	
	Sine die.	
	Regio l.35. De oper. publ. [Cæsario PF. P.	
Ianuarius.	*Cæsario & Attico VV. CC. Coss.*	
Prid. kal. Feb.	Med. { L. 21. De extraord. siue sord. mun. / L.30. De Episc. Eccl. & cleric. } Theodoro PF. P.	
Februarius.		
XV. *kal. Mart.*	Med. l. 7. De suar. pec. & suscept. [Florentino PF. V.	
XIIII. *ka. Mar.*	Cp. l.1. Ad legem Iul. de amb. [ad Cæsarium PF. P.	
XI. *Kal. Mart.*	Cp. l. vn. De argenti pretio quod thes. infer.	10. 76. 1.
V. *Kal. Mart.*	Cp. l.57. De curs. publ. [Remistco Duci Armeniæ.	12. 51. 16.
Martius.		
Pr. Non. Mart.	Cp. l. 1. De superexact. [Cæsario PF. P.	10. 20. 1.
XVI. *kal. Apr.*	Med.l.3. Quemadm. mun. ciuil. ind. [Probino Proc. Afr.	10. 31. 52.
XV. *kal. Apr.*	Med. l.3. De priuil. corp. vrb. Rom. [Florentio PF. V.	11. 14. 1.
Aprilis.		
kal. Apr.	Cp. l.33. De hæretic. [Eutychiano PF. P.	
VII. *Id. Apr.*	L. vn. Quib. mil. ad vrb. [ad Populum.	
VI. *Id. April.*	Cp. l.9. De proxim. Com dispo sit. [Cæsario PF. P.	
XVII. *kal. Maj.*	Med. { L. 27. De nauiculariis. / L.5. De naufragiis. / L.3. De can. frum. vrb. Rom. / L. 6. & 7. tit. 2. lib. 6. / L.31. De præt. & quæstor. } ad Senatum & Populum.	11. 32. 2.
XII *Kal. Maj.*	Med. l. 24. De susc præp. & arc.	
III. *Kal. Maj.*	Cp. l.8. tit. 2. lib. 6. [Cæsario PF. P.	
Maius.		
VIIII. *kal. Iun.*	Med. l.1. De collegiatis. [Graccho Consul. Campaniæ.	
Iunius.		
XV. *kal. Iul.*	Cp. { L.2. De his qui ad Eccl. confugiunt. [Archelao PF. Aug. / L.12. De Iudæ cæl. & Samar. [Anatolio PF. P. Illyrici. / L.12. De tironib. [Sperechio Com. R. P.	
VIIII. *Kal. Iul.*	Cp. l.10. De prox. Com. dispo sit. } Cæsario PF. P.	
Iulius.		
Kal. Iul.	Cp. l.13. De Iud. cæl. & Samar. } Cæsario PF. P.	
III. *Non. Iul.*	Med.l.11. De proxim. Com. dispositionum. [Hadriano Magist. Offic.	

Cp. l. 4.

mensis & dies.		Codex Iust.
vii id Iul.	Cp. l.4. De condit. in pub. horr. [Anatolio PF. P. Illyrici.	10. 26. 3.
iii. id. Iul.	Cp. l. omnes De iis quæ adm. &c. [Cæsario PF. P.	
Pr. kal. Aug.	Cp. l.32. De præt. & quæst.	
September.		
Pr. Non. Sept.	Ancyræ. { L.4. De prædiis Senat. / L.3. Ad leg. Corn. de fic. } Eutychiano PF. P.	
viii. kal. Octo.	Pataui l.13. De tironibus. [Theodoro PF. P.	9. 8. 5.
vi. kal. Octo.	Cp. l.4. De testam. & codic. [Africano PF. V.	6. 23. 18.
November.		
Kal. Nov.	{ L.36. De oper publ. / L.7. De aquæductu. } Asterio Com. Orientis.	11. 42. 4.
vi. Id. Nov.	Cp. l.3. Ne præter crimen maiest. &c. [Eutychiano PF. P.	
Prid. Id. Nov.	L. 14. De tironibus. [Mineruio Com. R. P.	
ix. kal. Dec.	Cp. l. 43. De vsuris.	
viii. kal. Dec.	Cp. l.9. De iurisdict. [Archelao PF. Aug.	
December.		
xvi. Kal. Ian.	Med. * l.14. De iure fisc. [Hyperechio Com. R. P.	
xv. kal. Ian.	Med. l.5. Vnde vi. [Petronio Vic. Hispaniarum.	7. 32. 11. & 8. 5. 2.
xii. kal. Ian.	Mediol. { L.2. De Com. rei milit. / L.19. De diu. off. & app. / L.154. De decurionibus. / L.155. eod. tit. / L.156. eod. tit. } Florentino PF. V.	10. 31. 49.
vii. Kal. Ian.	Med. l.5. tit. 2. lib. 6.	
	Sine die.	
	PP. in Foro Traiani. { L.2. De habitu quo vti oportet. / L. vn. De campo Martio. } ad Populum.	
	Honorio A. IV. & *Eutychiano* V.C. *Coss.*	
Ianuarius.		
Kal. Ian.	Med. l.37. De oper. publ. [Theodoro PF. P.	
v. Kal. Feb.	Cp. l.16. De re mil. [Theophilo Vic. Asiæ.	
Februarius.		
Kal. Feb.	Cp. l.17. De re milit. [Romuliano PF. V.	12. 36. 13.
iii. Non. Feb.	Cp. l.10. De iurisdictione. [ad Eutychianum PF. P.	1. 4. 7. & 1. 9. 8.
viii. Id. Feb.	Cp. l. 5. De metat. [Osio Magist. Offic.	12. 41. 5.
iii. Id. Feb.	Med. l. 157. De decur. [Theodoro PF. P.	
xvi Kal. Mar.	Cp. l.1. Si secundò nupf. mul. [Asterio Com. Orient.	
xii. kal. Mar.	Med. l.58. De curs. publ. } Vincentio PF. P.	12. 51. 17.
xi. Kal. Mart.	Med. l. vn. De Burgariis.	
Martius.		
iiii Non. Mar.	Cp. l.34. De hæret. [Eutychiano PF. P.	
ii. Non. Mart.	Cp. l.7. Ad S.C. Claudianum. [ad Anatolium PF. P. Illyrici.	
Non. Mart.	Cp. l.8. De censit peræq. & insp. [Eutychiano PF. P.	11. 58. 10.
v. Id. Mart.	Cp. l.3. De pascuis. [Simplicio Com. & Magistro vtriusque militiæ.	11. 60. 1.
iii. Id. Mart.	Med. l. 3. De calumniat. [Victorio Proc. Afr.	
viii kal. Apr.	Cp. l.24. De erog mil. ann.	
iii. Kal. Apr.	Med. l.10. tit. 2. lib. 6. [Felici PF. V.	
Aprilis.		
Prid. Id. Apr.	Med. l.4. De can frum. vrb. Rom. } Theodoro PF. P.	
xvii. kal. Maj.	Med. l.10. De pistor. & catab.	1. 3. 10.
vii kal. Maj.	Med. l.31. De Episc. Eccl. & cler.	
iii. Kal. Maj.	Med. l. vn. Qui cond. rei priu. &c. [Eulogio Com. R. P.	
Maius.		
x. kal. Iun.	Cp. l.25. De erog. mil. an. [Eutychiano PF. P.	
viiii. kal. Iun.	Med. { L. 11. De iurisdict. [Theodoro PF. P. / L.4. De conlat. fund. patr. [Firmino Com. S. L. }	
Iunius.		
iiii. kal. Iul.	Niciæ l.14. De numer. act. scrin. [Seuero PF. V.	12. 50. 6.
Iulius.		
v. Non. Iul.	Cp. l.38. De oper. publ. [Eutychiano PF. P.	
vii. kal. Aug.	L.32. De Episc. Eccl. & cler. [Cæsario PF. P.	

* Grat. Val. & Theodos.

Menses et dies.		Codex Iustin.
vi. Kal. Aug.	Mnizo. { L.16. De pœnis. / L.3. De his qui ad eccl. } { Eutychiano PF. P.	1.4.6. / 1.3.12.
iii. Kal. Aug.	Niso l.33. De Episc. Eccl. & cler.	
September.		
Id. Sept.	Med. l.158. De decur. [Theodoro PF. P.	
vi. Kal. Octo.	Med. l.12. De filiis mil. app. [Stiliconi & Magist. vtriusque militiæ.	
October.		
v. Id. Octob.	Cp. l.36. De oper. pub. [Seuero PF. V.	8.12.13.
viii. kal. Nou.	Cp. l.159. De decurion. [Eutychiano PF. P.	1.3.12. & 10.31.50.
vi. Kal. Nou.	Med. l.22. De petit. & vlt. dat. { Firmino * Com. S.L.	
Nouember.		
kal. Nou.	Med l.2. De dom. ad rem pr. pert.	
viii. kal. Dec.	Cp. l.160. De decurionibus. [Optatio PF. V.	
December.		
xviii. kal. Ian.	Cp. l.4. de fabricens. [Osio Magist. Offic.	11.9.3.
	Sine die.	
	PP. Prog. Vari V. C. Vic. Vrb. R. l.25. De ann. & trib. { Mineruio Com. R.P.	10.16.10.
	Theodoro V. C. Consule.	
Ianuarius.		
xvi. kal. Feb.	Cp. l.17. De pœnis. [Aureliano PF. P.	
iiii. kal. Feb.	Rau. l.15. De pag. sac. & templ. { Macrobio PF. P. Hispaniarum & Procliano Vicario V. Prouinciarum.	
Februarius.		
xiv. ka. Mar.	Med. { L.28. De nauicul. / L.8. De præd. nauic. } { Messalæ PF. P.	11.9.3.
Martius.		
vi. Id. Mart.	Cp. l.4. De patroc. vic. { Eutychiano PF. P.	
Prid. Id. Mart.	Cp l.1. De nauib non exc.	
xvii. Kal. Ap.	Med. l.11. De agent. in reb. [Hadriano Magist. Offic.	
xv. Kal. Apr.	Med. l.25. De susc. præp. & arc. [Firmino Com. R. P.	
Aprilis.		
Non. Apr.	Med. l.9. De censit. peræq. & inspect. { Messalæ PF. P.	
iii Id. Apr.	Med. l.14. De Iudæ. cæl. & Samar.	
iii. kal. Maj.	Med. l.4. De itin. mun.	
Maius.		
viii. Id. Maj.	Cp. l.16. De lustr. conlat. [Clearcho PF. V.	
xvi. kal. Iun.	Med. { L.3. De his quæ ex publ. conlat. [Messalæ PF. P. / L.35. De hæretic. [Dominatori Vic. Afr.	10.73.3.
viii. kal. Iun.	Cp. l.5. De patroc. vic. [Messalæ PF. P.	
Iunius.		
Prid. Non. Iun.	Med. l.17. De lustr. conlat. [Consul. Numidiæ.	
viii. Id. Iun.	Brixiæ l.3. De habit. quo vti oportet. [Flauiano PF V.	
vii. Id. Iun.	Med. l.58. De appellat. [Theodoro PF. P.	7.62.30.
Prid. Id. Iun.	Veronæ l.59. De appell. [Simplicio Præsidi Trip.	
xiii. Kal. Iul.	Med. l.26. De an. & trib. [Vincentio PF. P. Galliarum.	
vii. kal. Iul.	Brixiæ l.34. De Episc. Eccl. & cler. [Sapidiano Vic. Afric.	1.3.13.
Iulius.		
Prid. Non. Iul.	Cp. l.36. De hæretic. { Eutychiano PF. P.	
iii. Id. Iul.	Damaso l.16. De pag sac. & temp.	
xii. kal. Aug.	L. vn. De satur. & Suba. { Messalæ PF. P.	
Augustus.		
xvi. kal. Sept.	L.161. De decurionibus.	10.31.51.
xiiii. ka. Sept.	Pataui l.1. De religione. { Apollodoro Proc. Afr.	
xiii. kal. Sept.	Pataui l.17. De pag. sac. & temp.	
xii. Kal. Sept.	{ L.6. De quæstionibus. / L.8. De contr. empt. } { ad Messalam PF. P.	9.41.17. / 4.44.17.
iii. Kal. Sept.	L.18. De pagan. sac. & templ. [Apollodoro Proc. Afr.	
September.		
Kal. Sept.	Med. l.162. De decurionibus. [Benigno Vic. Vrb. Rom.	

* Mali Comit. R. P.

Altino

Menses et dies.	CHRONOLOGIA.	Codex Iustin.
Pr. Non. Sept.	Altino l.5. De can frum. Vrb. Rom. [Messalæ PF. P.	11.22.3.
Id. Sept.	Med. L.1. De excoct. & transl. an. [Stiliconi Comit. & Magist. vtriusque militiæ.	11.59.1.
	Med. L.vn. De centur. [Vincentio PF. P.	
vii. Kal. Octo.	Cp. l. vn. De Comit. consistor. [Seuerino PF. V.	12.10.1.
iiii. kal. Octo.	Altino l.6. De can. frum. vrb. Rom. [Messalæ PF. P.	11.22.3.
iii. Kal. Octo.	Altino l.15. De exactionibus. [Messalæ PF. P.	
October.		
vi. Non. Octo.	Cp. l. 2. De Maiuma. [Aureliano PF. P.	
viii. kal. Nou.	Med. l.12. De agent. in rebus. [Theodoro PF. P.	
Nouember.		
Prid. Id. Nou.	L.6. De princ. ag. in reb. [ad Anatolium PF. P. Illyrici.	
xii. Kal. Dec.	L.4. De dilation. [Messalæ PF. P.	3.11.7.
	Med. l.16. De iure fisc. [Apollodoro.	
December.		
kal. Dec.	Med. l.5. Quibus equor. vsus conc. [Benigno Vic. vrbis Romæ.	
	Altino l.16. De bon. prosc. [ad Peregrinum Com. & Procuratorem diuinæ domus.	
iii. Id. Dec.	L.163. De decur. [Eutychiano PF. P.	
xi. kal. Ian.	L.16. De pal. sac. larg. [Messalæ PF. P.	
x. Kal. Ian.	Med. l.17. eod. tit. [Longiano Com. S. L.	
v. kal. Ian.	Med. l.7. De aquæductu. [Messalæ PF. P.	
	L.164. De decurionibus. [Eutychiano PF. P.	
iii Kal. Ian.	L.165. De decurionibus. [Eutychiano PF. P.	1.9.9.
	Sine die.	
	Cp. l.15. De pal. sac. largit. [Constantio Com. S. L.	
	Stilicone & Aureliano VV. CC. Coss.	
Ianuarius.		
xvi. Kal. Feb.	Med. l.6. De metat. [Vincentio PF. P.	12.41.3.
xi kal. Feb.	Cp. l.8. De metatis. [Æmiliano Magist. Offic.	12.41.4.
viiii. ka. Feb.	Rom. in Foro Apr. l. 29. De nauic. [Flauiano PF. V.	11.1.5.
iii. Kal. Feb.	Med. l.12. De Veteranis. [Stiliconi Magist. vtr. militiæ.	
Februarius.		
Pr. Non. Feb.	Rau. l.35. De Episc. Eccl. & cler. [Hadriano PF. P.	
v. kal. Mart.	Rau. l.37. De hæret. [Hadriano PF. P.	
Martius.		
Pr. Id. Mart.	L.2. De superexact. [Apollodoro Proc. Afr.	10.20.1.
xiiii ka. Apr.	Med. l.18. De re milit. [Stiliconi Magistro militum.	12.36.14.
vi Kal. Apr.	Altino l.vn. De patron. horr. portu. [Messalæ PF. P.	
Maius.		
xvi. Kal. Iun.	Med. l.10. De desert. & occult. eor. [Vincentio PF. P. Galliarum.	
Pr. Kal. Iun.	Med. l. 2. Ad legem Iul. de ambitu. [Pompeiano Proc. Afric.	9.26.1.
Iunius.		
Kal. Iun.	Med. l. 60. De appell. & pœn. eat. [Pompeiano Proc. Afric.	
vi. Id. Iun.	Med. L.7. De metatis.	10.70.11
	Med. L.26. De suscept. præp. & arc. [Benigno Vic. vrb. Rom.	
xvii kal. Iul.	L.30. De nauicul. [Pompeiano Proc. Afr.	11.65.6.
iii. kal. Iul.	Med. L.1. De his qui condic. prop. rel. [Vincentio PF. P. Galliarum.	
	Med. L. 2. eod. [Vincentio PF. P. Galliarum.	
	Med. L. 3. eod. [Vincentio PF. P. Galliarum.	
Prid. Kal. Iul	Med. L. 18. De lustr. conlat. [Pompeiano Proc. Afr.	
	Med. L.166. De decurionibus. [Pompeiano Proc. Afr.	
Iulius.		
iiii Id. Iul.	Med. l. vn. Vtrum vi. [Vincentio PF. P. Galliarum.	11.47.14.
Augustus.		
viii. Id. Aug.	Rau. l.10. De indulgent. crim. [Romulo PF. P.	
xiv. Kal. Sept.	Brixiæ l.61. De appell. [Flauiano PF. V.	
September.		
iii. kal. Octo.	Aquil. l.vn. De consular. & Præf. [Messalæ PF. P.	
October.		
iii Non. Oct.	Rau. l.3. De conlat. don. vel rel. [Hadriano PF. P.	
Nouember.		
vi. Id. Nou.	Med. l.8. De aquæd. [ad Flauianum PF. V.	

Menses et dies.		Codex Iustin.
Id. Nou.	Rau.l.27.De an.& trib. [Saluino Com. R. P.	
IV. Kal. Dec.	L.59. De curs. publ. } Messalæ PF. P.	12.51.18.
VI.kal. Dec.	Med. l.5. De loc.fund.iur. emphy. } Messalæ PF. P.	
v.kal.Dec.	Med. { L. 60. De curs. pub. / L. 2. De discussoribus. / L.1.De his qui pot.nom. &c. } Messalæ PF. P.	10.30.2. / 2.15.1.
December.		
VI.Id.Dec.	Cp.l.1.De assess.domest. & canc. [Cæsario PF. P.	
V.Id.Dec.	Med.l.61. De cursu publ. [Vincentio PF. P.	
Prid.kal. Ian.	Med. { L.3. De concuss. aduoc. / L.28. De an. & trib. } Pompeiano Proc. Afr. / L.27.De susc. præp.& arc. [Pompeiano suo Sal.	12.62.3. / 10.70.12.
Februarius.	*Post Consulatum Stiliconis & Aureliani VV. CC.*	
III kal. Mart.	Med. l.28. De susc. præp.& arc. } Pompeiano Proc. Afr.	
Iulius.		
Prid. Id. Iul.	Med. l.36.De Episc.Eccl.& cler. } Pompeiano Proc. Afr.	
Ianuarius.	*Vincentio & Frauitta* *VV.CC. *Coss.*	
IIII.kal.Feb.	Cp. { L.17. De bonis prosc. / L.23. De pet. & vlt.dat. } Studio Com. R. P.	
Februarius.		
III. Non. Feb.	Cp. l.62. De curs.publ. [Cæsario PF. P.	
Id. Feb.	Med. l.2. De equor.conl. [Pompeiano Proc. Afr.	
IIII kal. Feb.	Med.l.15. tit.2.lib.6. [Troino Com. S. L.	
Martius.		
XII. Kal. Apr.	Med. l.3. De equor. conl. [* PF. P. & Com. S. L.	
VIII.Kal. Ap.	Med. l.5. De tabul logo. & censual. [Hadriano PF. P.	
v.kal. Apr.	L.1. De indictionibus. [Pompeiano Proc. Afr.	
Prid.kal. Apr.	Med. { L.26. De erog. mil. an. / L.63. De curs. publ. / L.25. De an. & trib. } Prouincialibus prouinciæ Proconsularis.	12.38.11.
Iunius.		
VII. Kal.Iul.	Med. l.3. De indulg. deb. [Andromacho PF. V.	
Iulius.		
II. Non. Iul.	Med. l.41. De oper publ. } Hadriano PF. P.	
III Id Iul.	Med l.16. De exactionib. } Hadriano PF. P.	10.19.7.
VI.kal. Aug.	L.6. De locat.fund.iuris emphy. [Nestorio Com. R. P.	11.72.1. & 4.44.18.
September.		
Pr.Id. Sept.	Cp.l.12. De prox Com.dispos. [Clearcho PF. V.	
III.Kal.Octo.	Altino l.1. De Offic. Vicar.	
Martius.	*Arcadio & Honorio AA. V. Coss.*	
XI.kal. Apr.	Cp.l.14. De ann.ciu.& pane grad. [Clearcho PF. V.	
December.		
VIII.Id. Dec.	Rau.l.15.De tironibus. [Decio PF. V.	
	Sine die & Coss.	
	L.vlt. De prætoribus. [Seuero PF. V.	
	IMPPP. ARCAD. HONOR. ET THEODOS.	
Februarius.	*Theodosio A. I. & Rumorido V.C. Coss.*	
X.Kal.Mart.	Rau. { L.17.* De lustr. conlat. / L.29. De suscept.præp. } Septimio * Proc. Afr.	
VI kal. Mart.	Rau.l.11. De desert.vel occ. cor. [Hadriano PF. P.	11.6.2
Martius.		
VIII.Id.Mar.	Rau. l. 21. De pist. & catabol. [Vitali PF. Ann.	
VII.Kal. Apr.	Rau.l.64.De curs. publ. [Septimino Proc. Afr.	12.51.19.
Maius.		
III.Kal.Iun.	Rau.l.3.Ad legem Iul.de ambit. [Strategio Vic. Afr.	9.29.1.
Iulius.		
Kal.Iul.	Rauen.l.13. De agent.in rebus. } Hadriano PF. P.	
IIII.kal. Aug.	Rau.l.12.De desert.vel occ cor. } Hadriano PF. P.	
October.	Idem } Hadriano PF. P.	
VI Non.Oct.	{ L.13.De desertor.vel occ.cor. / L.14.eod.tit. } Hadriano PF. P.	

* In plerisque, Frauitto.

* Arcad. & Honor.

* al. Septimino.

Honorio

CHRONOLOGIA.

	Menses et dies.	*Honorio A. VI. & Aristeneto Coss.*	Codex Iustin.
	Ianuarius.		
	IIII. kal. Feb.	Cp. l. 4. De his qui sup. rel. cont. [Anthemio Magist. Offic.	
	Februarius.		
* Arcad. & Honor.	III. Non. Feb.	Cp. l. 15.* De Iudæis cæl. & Sam. [Eutychiano PF. P.	
	IIII. kal. Mar.	Rom. l. 65. de curs. publ. } Hadriano PF. P.	
	Martius.		
	VIIII. ka. Apr.	Rom. l. 2. De excoct. & trans. } Hadriano PF. P.	12. 39. 2.
	Aprilis.		
* Arcad. & Honor.	X. kal. Maj.	Rom. l. 16.* De Iudæis cæl. & Sam. [Romuliano PF. P.	
	Iunius.		
	Prid. kal. Iul.	Cp. l. 14. De ag. in rebus. [Anthemio Magist. Offic.	12. 20. 2.
	Iulius.		
	VIII. Id. Iul.	Rom. l. 4. De decur. vrb. Rom. { Exsuperatio, Iulio & ceteris decurialibus.	11. 13. 2.
	Prid. Id. Iul.	Cp. l. 41. De op. publ. [Eutychiano PF. P.	
* Arcad. & Honor. vt in seq.	VIII. ka. Aug.	Rom. l. 17.* De Iud. cæl. & Sam. [Hadriano PF. P.	
	III. kal. Aug.	Cp. l. 5. De fabricens. [Anthemio Magistro Offic.	
	Augustus.		
	XV. kal. Sept.	L. 51. De nauicul. [Hadriano PF. P.	
	III. kal. Sept.	Cp. l. 37. De Episc. Eccl. & cler. } Studio PF. V.	1. 3. 15.
	September.		
	III. Id. Sept.	Cp. l. 5. De his qui sup. rel. cont. } Studio PF. V.	
	Nouember.		
	XIV. Kal. Dec.	Cp. l. 6. De his qui sup. relig. cont. [Eutychiano PF. P.	
	Februarius.	*Stilicone II. & Anthemio VV. CC. Coss.*	
	Pr. Non. Feb.	Rau. l. 2. De Episc. iud. [Hadriano.	
	Pr. Id. Feb.	Rau. { L. 38. De hæret. / L. 3. Ne sanct. bapt. iter. / L. 4. eod. tit. / L. 5. eod. tit. } Hadriano PF. P.	
	Martius.		
	III Non. Mar.	Rau. l. 2. De relig.] Diotimo Proc. Afr.	
	Iunius.		
	Prid. Id. Iun.	L. 4. De vsur. [Optato PF. V.	
	Iulius.		
	VI. Id. Iul.	Ancyræ l. 1. Ne quis in palatio maneat. [ad Anthemium PF. P.	
	XI kal. Aug.	Rau. l. 61. De appell. [ad Diotimum Proc. Afr.	
	X. Kal. Aug.	Ancyræ l. vn. De mensoribus. [Æmiliano Magistro Offic.	12 28. 1.
	Augustus.		
	Prid. Id. Aug.	Ancyræ l. 18. De palat. sac. larg. [Nestorio Com. R. P.	11. 24. 9.
	September.		
	VIII. kal. Oct.	Rau. l. 43. De op. publ. [Hadriano PF. P.	
	Nouember.		
	VIII Id. Nou.	L. 24. De petit. & vlt. dat. [Anthemio PF. P.	
	December.		
† ſ. Diotimo.	VI. Id. Dec.	Rau. l. 39. De hæret. [Diodimo † suo Sal.	
	Ianuarius.	*Arcadio A. VI. & Probo V.C. Coss.*	
	III. Id. Ian.	Rau. l. 2. De nauibus non exc. } Longiniano PF. P.	11. 3. 1.
	Februarius.		
	V. Id. Feb.	Rau. l. 10. De censit. peræq. } Longiniano PF. P.	
	Martius.		
	VIIII. kal. Ap.	Rau. l. 15. De desert. vel occ. ... } Longiniano PF. P.	12. 46. 3.
	Aprilis.		
	Kal. Apr.	Cp. l. 27. De erog. mil. an. { Anthemio PF. P.	
	V. Id. Apr.	Cp. l. 28. De erog. mil. an. { Anthemio PF. P.	12. 38. 12.
	XV. kal. Maj.	Rau. l. 16. De tironibus. { Prouincialibus.	
	XIII. kal. Maj.	Rau. l. 17. De tironibus. { Prouincialibus.	
	IIII. Kal. Maj.	Cp. l. 10. De famos. lib. [Anthemio PF. P. & Patricio.	

	Menses et dies.		Codex Iust.
	Iunius.		
	xv. Kal. Iul.	Cp. { L.13. De murileg & gynæc. [Filometori Com. S.L.	11.7.1?.
* Arc. & Honor.		{ L.44.* De oper. publ. } Æmiliano PF. V.	
	Iulius.		
	xiii. kal. Aug.	Cp. l.6. De denunt. vel ed. resc.	8.1.4.
	September.		
	Pr. Non. Sept.	Altino l.30. De an. & trib. [Sapidiano Vic. Afr.	
	October.		
	iii. Non. Oct.	Cp. l.167. De Decurionib. [Anthemio PF. P.	
* Arc. & Honor. ut in seq.	xi. Kal. Nou.	Cp. l.45.* De op. publ. } Æmiliano PF. V.	
	Nouember.		
	xi. Kal. Dec.	Cp. l.46. De op. publ.	8.11.9.
	v. kal. Dec.	Cp. l.1. Ne Com. & Trib. lau. præst. } Anthemio PF. P.	
	December.		
	Kal. Dec.	Cp. l. vn. De priuil. dom. Augustæ.	
	vii. Id. Dec.	Rau. l.33. Quot. app. non recip. [Nestorio Com. & Duci.	
* Melê Theodosio III.		**Honorio VII. & Theodosio * iterum AA. Coss.**	
	Ianuarius.		
	xvii. kal. Feb.	Rau. l.46. De hæret. [Theodoro PF. P. II.	
	viii. kal. Feb.	Cp. l.13. De proxim. Com. dispos.	
	Februarius.		
	viii. kal. Mar.	Rom. l.40. De hæret. [Senatori PF. P.	1.5.4.
	Martius.		
	xvi. Kal. Ap.	Cp. { L.20. De cohort. princ. / L.8. De mater. bonis. } Anthemio PF. P.	12.58.10.
	xi. Kal. Apr.	L.18. De tironibus. [Stiliconi Com. & Magistr. militum.	
	Aprilis.		
	vi. Id. Apr.	Rau. l.5. De decur. vrb. Rom. [Curtio PF. P.	
	iii. kal. Mai.	Rau. l.1. De terr. limitan. [Gaudentio Vic. Africæ.	
	Maius		
* Honorius & Theod.	iv. Non. Mai.	Cp. l.29.* De erog. mil. an. [Anthemio PF. P.	12.51.10.
	Iunius.		
	iii. Id. Iun.	L.4. De immun. concess. [Basilio Com. S. L.	
	Augustus.		
	iiii. Non. Aug.	Cp. l.66. De curs. publ. [Anthemio PF. P.	
	October.		
	Id. Octob.	Rau. l.14. De prox. Com. disp. [Epiphanio PF. V.	12.19.4.
	Nouember.		
	xvii. kal. Dec.	Rom. { L.38. De Episc. Eccl. & cler. / L.41. De hæreticis. } Porphyrio Proc. Afr.	
	viii. kal. Dec.	Cp. l.2. Ne quis in pal. man. [Anthemio PF. P.	
		Basso & Philippo VV. CC. Coss.	
	Ianuarius.		
* Arcad. & Honor. ut in seq.	xviii. Ka. Feb.	Rom. l.8.* De suar. pec. & susc. [Hilario PF. V.	11.16.1.
	xvi. kal. Feb.	L.19. De pal. sac. larg. [Monaxio PF. P.	
	vi. kal. Feb.	L.30. De susc. præpos. & arc. [Lucio Com. S.L.	10.70.13.
	Februarius.		
	iii. Non. Feb.	Rom. l.1. De offic. ciuil. Iud. [Curtio PF. P.	1.45.1.
	xv. kal. Mart.	L.15. De au. ciuic & pan. grad. [Monachio PF. V.	10.48.1.
		IMPP. HONOR. ET THEOD.	
	Aprilis.		
	iii. Id. Apr.	Cp. l.4. De equ. conlat. [Herculio PF. P.	
	v. kal. Maj.	Cp. l.7. De quæstion. [ad Anthemium PF. P.	
	Maius.		
	iiii. kal. Iun.	Cp. l.18. De Iud. cæl. & Sam. [Anthemio PF. P.	1.9.10.
	September.		
* Arcad. & Honor. ut in seq.	Id. Sept.	Med. l.4.* De indulg. debit. } Theodoro PF. P.	
	xv. Kal. Octo.	L.20. De pœnis.	
	xiiii. kal. Oct.	Cp. l.14. De legat. & dec. legat. [Anthemio PF. P. & Patritio.	
	xiii. kal. Oct.	Med. l.20. De bon. proscr. } Theodoro PF. P.	
	Nouember.		
	viii. Kal. Nou.	L.21. eod. titulo.	
* Arcad. & Hon.	iii. Id. Nou.	L.19.* De pœnis. [Donato Proc. Afr.	
	xviii. ka. Dec.	Rau. l.42. De hæret. [Olympio Magist. Offic. & Valenti.	

Rom.

	Menses et dies.		Codex Iustin.
* Arc. Hon. & Theod.	XVII. kal. Dec.	Rom. { L. 43. De hæret. / L. 19.* De pag. sac. & templ. } Curtio PF. P.	
	XV. Kal. Dec.	{ Rau. L. 4. De testim. extr. & prot. / L. 22. De bonis proscriptorum. } Theodoro PF. P.	
	VIII. kal. Dec.	Rau. l. 44. De hæret. [Haue Donate k. No.	
	VII. kal. Dec.	Rau. l. 19. De tiron. [Com. S. L.	12. 44. 3.
	V. kal. Dec.	Rau. l. 45. De hæret. } Theodoro PF. P.	
	December.		
* Arc. Hon. & Theod.	Kal. Dec.	{ Rau. l. 7. De Offic. Rect. pr. / L. 39.* De Episc. Eccl. & cler. }	1. 40. 11.
	VII. Id. Dec.	Cp. l. 17. De exaction. [Anthemio PF. P.	10. 23. 2.
	IIII. Id. Dec.	Rau. { L. 25. De pet. & vlt. dat. / L. 1. De litor. & it. cust. } ad Theodorum PF. P.	
		IMPP. HONORIVS ET THEODOSIVS.	
	Ianuarius.	*Honorio* VIII. & *Theodosio* III. *AA. Coss.*	
	XIIII. kal. Feb.	L. 32. De nauiculariis. [Anthemio PF. P.	11. 1. 6.
		Rau. { L. 13. De fid. test. & instr.	4. 20. 10.
		L. 5. De exhib. & transm. reis.	1. 51. 7.
	XII. Kal. Feb.	L. 6. eod. tit. } Cæciliano PF. P.	
		L. 2. Vt intra annum crim. act.	
		L. 3. De superexactionibus.	9. 44. 9.
		L. vnic. Ne pistor. dent. filij. }	1. 53. 9.
	X. Kal. Feb.	Cp. l. 11. De censit. peræq. & inspector. [Anthemio PF. P.	
* Arc. & Honorius.	VIII. kal. Feb.	Rau. l. 4.* De abolit. [Cæciliano PF. P.	9. 44. 3.
	Februarius.		
	Kal. Febr.	Rau. l. vn. Si nuptiæ ex resc. pet. [Theodoro PF. P.	5. 8. 1.
	XV. kal. Mar.	Rau. l. vn. Qui à præb. tir. & equor. [Melitio PF. P.	
	VIII. kal. Mar.	Cp. l. 47. De op. publ. [Monaxio PF. V.	8. 12. 16.
	V. Kal. Mart.	Cp. l. 2. De expens. lud. [Anthemio PF. V.	
	Martius.		
	XI. kal. Apr.	Rom. l. 12. De veteranis. [Stiliconi Com. & Magist. vtriusque militiæ.	
	X. Kal. Apr.	Cp. l. 30. De erog. mil. ann. [Anthemio PF. P.	12. 38. 13.
	Aprilis.		
	Kal. Apr.	Rau. l. 19. De Iud. cæl. & Sam. [Ionio PF. P.	1. 9. 11.
	I. Kal. Maj.	Cp. l. 1. De frum. vrb. Const. [Monaxio PF. V.	
	Maius.		
	XV. kal. Iun.	Cp. l. 68. De decurionib. } Anthemio PF. P.	
	XIIII. kal. Iun.	L. 4. Ne conl. transl. postul. }	
	Iunius.	Rau. { L. 7. De denunt. vel ed. resc. [Ionio PF. P.	
	VI. Kal. Iul.	L. 47. De hæreticis. [Iouino PF. P.	
	Iulius.		
	XI. kal. Aug.	Cp. l. 33. De nauic. } Anthemio PF. P.	11. 1. 7.
	XIII. kal. Aug.	L. vn. De auri publ. prosec. }	10. 72. 1.
	VII. kal. Aug.	Rau. { L. 3. De feriis. / L. 8. De exsec. & exact. } Ioanni PF. P.	1. 9. 13.
	Augustus.	{ Cp. l. 3. De spectacul. [Anthemio PF. P.	11. 40. 5.
	VIII. Id. Aug.	Karthag. l. 9. De metallis [Sapidiano.	
	September.		
	X. Kal. Octob.	L. 2. Quis in grad. præf. [Anthemio PF. P.	
	VII. Kal. Oct.	Rau. l. 6. De decur. vrb. Rom. [Bonosiano PF. V.	
	V. Kal. Octob.	Cp. { L. 169. De decurionibus. / L. 18. De exactionibus. } Anthemio PF. P.	
	Nouember.		
	VI. Kal. Dec.	Rau. l. 170. De decurionibus. [Liberio PF. P.	
	Pr. Kal. Dec.	Cp. l. 31. De erog. mil. ann. [ad Anthemium PF. P.	
	December.		
	VII. Id. Dec.	Rau. l. 171. De decurionibus. [Dardano PF. P. Galliarum.	
	IIII. Id. Dec.	Rau. l. 2. De postliminio. [Theodoro PF. P.	8. 51. 20. & 1. 4. 12.
	VIII. kal. Ian.	Cp. l. vn. De Hirenarchis. [Anthemio PF. P.	
		Post Consulatum HonorI VIII. & *Theodos*I III. *AA.*	
	Nouember.		
	VII. Kal. Dec.	L. 5. De indulg. debit. [Honoratis & possessoribus per Africam.	
* al. Varrone al. Varane.	Ianuarius.	*Varana* * *V. C. Consule.*	
	VI. Id. Feb.	Rau. l. 20. De tironibus. [Macedonio Com. R. P.	

	Menses & dies.		Codex Iustin.
	Prid. Id. Feb.	Rau.l.11.De indulg crim. [Gaisoni Com. & Magist.Offic.	
Martius.	VIIII.ka.Mar.	Cp.l.48.De hæretic. [Anthemio PF. P.	
	kal. Mart.	L.49.& 50.De hæret. [ad Strategium.	
Aprilis.	Pri.Non. Ap.	Cp.l.11. De cohort.princ.& cornic. { Anthemio PF. P.	
	VIII.kal. Maj.	Cp.l.2.De lit. & itin. custod.	
	Maius.		
	VIIII.kal.Iun.	Cp.l.172.De decurionibus. [Herculio PF. P. Illyrici.	
Iunius.	VIII kal. Iun.	L.20.De lustr. conlat. [Anthemio PF. P.	
	VIII. kal. Iul.	Cp.l.5.Ne conl. transl.post. [Herculio PF. P. Illyrici.	
	VII.kal.Iul.	L.6.De indulg. debit. [Macrobio Proc. Afr.	
Augustus.	VIII.Id. Aug.	Rau.l.12.De indulg.criminum. [Palladio PF. P.	
	XVIII.Ka.Sep.	Rau.l.34.De naufrag. [Faustino PF. P.	11.1.8.
	VIII. kal. Sept.	L.51.De hæretic. [Heracliano Com. Afr.	
	VII. kal. Sept.	Eudioxiop.l.172. De decur. [Monaxio PF. P.	
September.	Pr.Non. Sept.	L.2. & 3.De iure lib. [Isidoro PF. V.	
	VII.Kal.Octo.	Rau.l.7.De princ.ag.in rebus. [Palladio Proc. Afr.	12.22.3.
	V. Kal. Octob.	Cp. l.2.De venat. ferar. [Monaxio PF. P.	11.44.1.
October.	III.Id. Octob.	Rau.l.3.De religione. [Marcellino suo Sal.	
November.	XVI.kal. Dec.	L.15.De proxim.Com. dispos. [Melitio PF. P.	
	November.	*Post Consulatum Varanæ V. C.*	
	IIII kal. Dec.	L.48.De oper.publ. [Bonosiano PF. V.	
*al. Honor. VIII. & Th.	Ianuarius.	*Honorio* * VIIII. & *Theodosio* V. AA. *Coss.*	
v.al. Honor. VIIII. & Th. IIII.	VIII Kal. Feb.	Rau.l.12.De malef.& mathematicis. [Cæciliano PF. P.	
	V.Kal.Feb.	Cp.l.1.De frum.Alex. [Anthemio PF. P.	11. 4. 11.
*Male Hon. VIII. & Th. V.	III.Kal. Feb.	Rau.l.52.De hæreticis. { Seleucho PF. P.	11.27.1.
	Pr.kal.Feb.	Rau.* l.31. De ann.& trib. { Seleucho PF. P.	11.58.12.
*Male in excons. Hon. VIII & Theod. VI. aut reponendũ est Honorio VIII & Th. III. aut Hon. VIIII. & Theod. V.	Februarius.		
	Kal.Feb.	Rau.l.7.* De custod. reor. [Cæciliano PF. P.	
	XV. Kal. Mar.	Rau.l.23.* De extraord. siue sord. [Melitio PF. P.	10.47.16.
	XVI.kal.Mart.	Rau.l.10. De diuers.resc. { Ioanni PF. P.	
	XIII.kal. Mar.	Rau.l.4.De iure liber. { Ioanni PF. P.	
* Arc. Hon. & Theod.	Pr. kal. Mar.	L.32. De ann.& trib. { Euchario * Proc. Afr.	
		L.9.* De curios.	
		L.19. 20.& 21.De exaction.	
* Eucharia suo Sal.		L.31.De suscept.præp &arc.	
		Rau. L.22. & 23. De cohort.princ.corn. [Seleucho PF. P.	10.70.14.
* Arc. & Honor.		Rau. L.24.eod.tit. [Probo Com. S.L.	
	Martius.	Rau. L.17.De desert. vel occ.cor. [Constantio Magist. militum.	
		Rauennæ l.35. De nauicul. [Seleucho PF. P.	
	Pr.kal. Mart.	Med.l.53.De hæreticis. [Felici PF. P.	
	VI. Id. Mart.	Rau.l.174.De decurion. [Euchario Proc. Afr.	10.31.53.
	XVI. kal. Apr.	Rau. L.36.& 37. De nauic. { Nauiculariis per Afr.	
* al. XV.		Rau. L.8.De naufrag.	11.5.5.
	IIIII.*ka.Ap.	Rau l.2. De exposit. [Melitio PF. P.	
	IIII. Kal.Apr.	Rau. l.4. De priuileg. corp.vrb.Rom. [Palmato PF. V.	11.14.1.
Aprilis.	V.Id. Apr.	Cp.l.47.De oper.publ. [Herculio PF. P. Illyrici.	
Maius.	XV. Kal. Iun.	Cp. L.6.De fabricens. [Anthemio PF. P.	
		Cp. L.175.De decur. [Lupiano Com.& Magist. mil. per Orientem.	11. 9. 4.
	X.Kal.Iun.	Rau.l.3. De secund.nupt. [Ioanni PF. P.	
	VIII.Kal.Iun.	Rau.l.40.De Episc.Eccl.& cler. [Melitio PF. P.	1. 2. 5.
Iunius.	VIII. Id.Iun.	Rau.l.12.De censit.peræq.& insp. [Ioanni PF. P.	
Iulius.	III.Non.Iul.	Rau.l.21.De pœnis. [Honoratis & prouincialibus Afris.	
Augustus.	VII. kal. Aug.	Rau.l.20.De Iud.cæl. & Sam. [Ioanni PF. P.	
	VIII.Id. Aug.	Cp.l.21.De Iud cæl. & Sam. [Philippo PF. P. per Illyricum.	
	VI.Id.Aug.	Rau.l.4. De concuss.aduoc. siue app. [Euchario Proc.Afr.	
	XVI. kal. Sept.	Cp.l.32. De erog.mil.an. [Leontio viro inlustri PF. P. Illyrici.	
September.	X.Kal. Octob.	Cp.l.vn.De Nili agger.non corr. [Anthemio PF. P.	9.28.1.
October.		Rau. L.vn.De Comit.vac. [Epiphanio PF. V.	
	Id. Octob.	Rau. L.64. De appell. [Iuliano Proc. Afr.	
	VII. kal. Nou.	Cp.l.5.De itinere muniendo. [Anthemio PF. P.	
	IIII.kal. Nou.	Cp.l.5.De oper.publ. [Isidoro PF. V.	8.12.17.
November.	V.Id. Nou.	Cp.l.10. De curiosis. [Synesio.	
	VI.kal.Dec.	Rau.l.25. De cohort.princ.cornic. [Liberio PF. P.	

Rau.

Menses et dies.		Codex Inst.
December.		
VII. Id. Dec.	Rau.l.15.De agent.in reb. [Namatio Magistro Offic.	
III. Id. Dec.	Rau.l.41.De Episc.Eccl.& cler.	
Ianuarius.	*Post Consulatum* Honor. VIII. *&* TheodosI *V.*	
X. kal. Feb.	Rau. l.13.De scænic. [Diogeniano V.C.Tribuno Voluptatum.	
VI. kal. Feb.	Rau.l.176.De decurion. [Iuliano II. Proc.Afr.	
Februarius.		
XII.* ka. Mar.	Rau.l.6. De inoff. testamento. } Ioanni PF. P.	
Iunius.		
	Rau. { L.20.De pal. sac.larg. }	12.24.10.
VII. Id. Iun.	{ L.16.de desert.vel occ.eor. [Gaisoni Com.& Magistro militum.	
Prid. Id. Iun.	Rau.l.10.De metatis. [Ioanni PF. P.	12.41.5.
Augustus.		
III. Non. Aug.	Rau. l.13.De infirm. his. [Hadriano PF. P.	
Martius.	*Lucio V.C. Cons.*	
XV. Kal. Apr.	Cp.l.vn.De Com.qui inlust. agent.ads. } Prisciano PF. V.	12.11.1.
	L.vn.De Com.& Trib.scol.	12.12.1.
	L. vlt. De Com. rei mil.	12.13.1.
XII. kal. Apr.	Cp. { L.vn.De Com.& arch.sac.pal.	12.14.1.
	L.vn.De Com.qui prou.reg.	
	L.vn. De Com. ord. prim.art.	
	L.6.Ne Sanct.bapt.iter. } ad Anthemium PF. P.	
III. Kal. Apr.	Cp.l.7.Ne Sanct.bapt.iter.	
Aprilis.		
Prid. Non. Ap.	L.51.De oper.publ. } Anthemio PF. P.	
XVII. kal. Maj.	L.vn.De pretio pisc.	
XVI. Kal. Maj.	Cp.l.177.De decur. [Leontio PF. P. Illyrici.	
Maius.		
VIII. Id. Maj.	Rau.l.7.De ind.debit. [Ioanni PF. P.	
Iunius.		
VIII. Id. Iun.	Rau.l.16 De prox. Com.dispos. [Faustino PF. P.	12.19.5.
October.		
VIII Id. Octo.	L.16. De agent.in reb. [Anthemio PF.P.	
Ianuarius.	*Constantio & Constante VV.CC. Coss.*	
III. Id. Ian.	L.11. De metatis. [Probo Com. S. L.	
Martius.		
	Rau. { L.11.De curios. } Hadriano PF. P.	
V. Non. Mart.	L.33.De erog.mil.an.	
	L.12.De metatis. [Hadriano Proc. Afr.	12.41.6.
Pr. Non. Mar.	Rau. { L.3.De integ.rest. } Iuliano II. Proc. Afr.	2.22.8.
	L.6. vnde vi.	3.6.3.
Aprilis.		
III. Non. Apr.	Rau.l. 8.De indulg.debit. [Seleucho PF. P.	
V. Id. April.	Cp.l.9. De indulg. debit. { Anthemio PF. P. De eadem re ad Populum, ad Marcianum Com.S.L. Muselio Præposito sac.cubiculi de titulis ad sacram domum pertinentibus, & de metallariis ad Populum per prouincias Illyrici & ad Rectores prouinc.	
XIIII. ka. Maj.	L.22.De pœnis. [ad Anthemium PF. P.	9.47.23.
Maius.		
VI. Id. Maj.	Cp.l.12.tit.2.lib.6. [ad Monaxium PF. V.	
XIII. Kal. Iun.	L.1.De ven.fer. [Mauriciano Com. domest.& vic.agent.Magist.mil.	11.44.1.
Iunius.		
XV. Kal. Iul.	Rau.l.54.De hæret. } Iuliano Proc. Afr.	
Augustus.		
III. Kal. Sept.	Rom.l.55.De hæret.	7.52.6.
September.		
XV. Kal. Octo.	Rau.l.38.De nauicul. [Albino PF. V.	
Nouember.		
XIII. Kal. Dec.	L.34. De erogat. milat. ann. [Constantio Magistro militum.	12.38.14.
Prid. kal. Dec.	Cp. { L.16.De med. & profess. [Monachio PF. P.	10.52.11.
	L.17.eod.tit. [Helioni Magist. Offic.	

* al. XVI.

Menses et dies.		Codex Iustin.
	Honorio x. & Theodosio vi. AA. Coss.	
Ianuarius.		
vi. Id. Ian.	Rau. l. 12. De curiof. [Palladio PF. P.	
xii Kal. Feb.	Rau. { L. 178. De decurionibus. / L. 179. eod. titulo. } Seleucho PF. P.	
Februarius.		
xiii. kal. Mar.	Cp. { L. 6. De contrah. empt. [ad Populum.	2. 20. 12.
	L. 26. De cohort princ. corn. [Anthemio PF. P. }	12. 58. 11.
Martius.		
iii. Non. Mar	Cp. l. 2. De crim. pecul. [Aureliano PF. P. iterum.	9. 12. 9.
xvii. Kal. Ap.	Cp. l. 15. De num. actuariis scrin. [Hypatio Magist. mil. per Orientem.	
x. kal. Apr.	Cp. l. 8. De donationibus. } Aureliano PF. P. iterum.	
Maius.		
xvii. ka. * Iun. (* al. Ian.)	Cp. l. 4. De incest. nupt. } Aureliano PF. P. iterum.	
Iulius.		
v. Id. Iul.	Cp. l. 10. De ind. debit. } Aureliano PF. P. iterum.	
viii. kal. Aug.	{ L. 26. De petit. & vlt. dat [Maximo Com. R. P.	
	L. 20. De diuers. off. & app. [Graccho PF. V. }	12. 60. 5.
Augustus.		
viii kal. Sept	L. 56. De hæret. [Heracliano Com. Afr.	
v. Kal. Sept.	Rau. l. 65. De appell. & pœn. car. [Symmacho Proc. Afr.	8. 56. 13.
iii. kal. Sept.	Rau. l. 10. De pag. sac. & templ.	
September.		
Non. Sept.	{ L. 4. De pascuis. [Aureliano PF. P. & Patritio.	11. 60. 3.
	L. 5. De pasc. [Comitibus & Mag. militum. }	
October.		
v. Id. Octob.	Rau. l. 27. De pet. & vlt. dat. [Largo Proc. Afr.	
Pr. Kal. Nou.	Cp. l. 1. De dec. & fil. { Vrso PF. V. & Aureliano Com. Orient. & Strategio PF. P. Illyrici.	12. 16. 1.
Nouember.		
viii. Id. Nou.	Rau. l. 3. Ne Christ. mancip. [Annati Didascalo & Maioribus Iudæorum.	
iii. Id. Nou.	Cp. l. 17. De ag. in reb. [Helioni Magist. Offic.	12. 20. 2.
December.		
iii. Non. Dec.	L. 6. De patroc. vic. [Aureliano PF. P.	
Februarius.	*Theodosio vii. & qui fuerit nuntiatus.*	
vi. Id. Feb.	Cp. l. 1. De castrensianis.	12. 26. 1.
Ianuarius. (* al. vi.)	*Theodosio * vii. A. & Palladio Coss.*	
vii. Id. Ian.	Rau. l. 1. De indictionibus. [Palladio PF. P.	10. 17. 1.
xiii. kal. Feb.	Cp. l. 18. De agent. in rebus. [Helioni Magist. Offic.	
iii. Kal. Feb.	L. 21. De tironib. [Hadriano PF. P.	
Februarius.		
viii. Id. Feb.	Cp. l. 17. De prox. Com. dispos. { Eustatio viro inlustri quæstori & Helioni viro inlustri Magist. Offic.	12. 19. 6.
xiiii. ka. Mar.	Cp. l. 180. De decur. [Vrso PF. V.	
Martius.		
kal. Mart.	Rau. l. 14. De infirm. his quæ sub tyr. &c. [Constantio Com. & Patritio.	
iii. Id. Mart.	L. 5. De test. & cod. [ad Populũ vrb. Constãtinop. & omnes prouinciales.	6. 23. 20.
Id. Mart.	Rau. l. 4. Ad leg. Iul. de ambit. [Palladio PF. P.	
Maius.		
v. Non. Maj.	Rau. l. 181. De decurionibus. [Palladio PF. P.	10. 31. 54.
vi. Id. Maj.	L. 4. De Salg. hosp. non præb. [Aureliano PF. P. ii.	
Iunius.		
iii Kal. Iul.	Cp. l. 21. De palat. sac. larg. [Anysio Com. S. L. & Tauro Com. R. P.	12. 24. 11.
Iulius.		
iiii. Non. Iul	Rau. l. 13. De censit. peræquat. [Vrsacio Comi R. P.	
x Kal. Aug.	Cp. l. 2. De frum. vrbis Cp. [Vrso PF. V.	11. 23. 1.
Augustus.		
vii. Kal. Sept.	Eudoxiop. l. 182. De decur. [Monaxio PF. P.	
iii. Kal. Sept.	Eudioxiop. l. 23. De pœnis. [Monachio PF. P.	9. 47. 24.
September.		
v. Id. Sept.	{ Heracleæ l. 11. De indulg. debit. [Monaxio PF. P.	
	Rau. { L. 6. De relation. / L. 147. De decurionibus. } Palladio PF. P.	
x. Kal. Octob.	Rau. l. 9. De exsec. & exactoribus. } Palladio PF. P.	11. 61. 3.

Rau. l. 13.

CHRONOLOGIA.

Menses et dies.		*Codex Iust.*
VIII. kal. Oct.	Rau. l. 23. De Iud. cæl. & Sam. [Annati Didascalo & Maioribus Iudæorũ.	
III. Kal. Octo.	Cp. l. 42. De Episc. Eccl. & cler. } Monaxio PF. P.	
October.		1. 3. 17.
III. Non. Octo	Cp. l. 15. De leg. & decr. legat. } Monaxio PF. P.	
XIIII. kal. Nou.	Cp. l. 12. De Iud. cæl. & Sam. [Aureliano PF. P. II.	10. 63. 6.
Nouember.		
Pr. Non. Nou.	Cp. l. vn. De decanis. [Helioni Com. & Magist. Offic.	
III. Id. Nou.	Cp. l. vn. De præp. labor. [Monaxio PF. P.	12. 27. 1.
December.		12. 18. 1.
VII. Id. Dec.	L. 21. De pag. sac. & temp. [Aureliano PF. P.	
Prid. Id. Dec.	Rau. l. 4. De habitu quo vti op. [Probiano PF. V.	
XV. Kal. Ian.	Cp. { L. 8. De domest. & protect. / L. 9. eod. tit. } Monaxio PF. P.	
Martius.	*Honorio A. XI. & Constantio II. V. C. Coss.*	
	L. 9. De donat. [Monaxio PF. P.	
Pr. Id. Mart.	Rau. { L. 14. De censit. peræq. / L. 15. eod. tit. / L. 16. eod. tit. } Sebastio Com. primi ordinis.	11. 57. 7.
Aprilis.		
III. Id. Apr.	Cp. l. 4. Ne Christ. manc. Iud. hab. [Monaxio PF. P.	1. 10. 1.
Maius.	Rau. { L. 9. De præd. nau. / L. 13. tit. 2. lib. 6. } Sebastio Com.	
Prid. Id. Maj.		
Iulius.	L. 7. De locat. fund. iuris emphy. [Vrsacio Com. R. P.	
V. Kal. Aug.	L. 2. Ne Com. & Trib. lau. præst. [Anthemio PF. P.	
October.		
VIIII. ka. Nou	Cp. l. 16. De numer. act. scr. & exc. [Vitaliano Duci Libyæ.	
Nouember.		
V. Kal. Dec.	Cp. l. 19. De ag. in reb. [Helioni Magist. Offic.	
December.		
VII. Kal. Ian.	Rau. { L. 22. De pistor. & catabol. / L. 9. De suar. pec. & susc. } Palladio PF. P.	11. 54. 1.
Februarius.	*Honorio XII. & Theodosio VIII. AA. Coss.*	
III. Non. Feb.	Cp. l. 43. De Episc. Eccl. & cler. [Monaxio PF. P.	1. 3. 18.
Martius.		
VI. Id. Mart.	Rau. l. 14. De Iud. cæl. & Sam. [Palladio PF. P.	
XV. Kal. Maj.	Cp. l. 183. De decurionibus. [Monaxio PF. P.	
Iunius.		
X. kal. Iul.	Rau. l. 6. De testam. & cod. [Palladio PF. V.	
Augustus.		
XII. kal. Sept.	L. 21. De lustr. conlat. [Monachio PF. P.	
October.		
V. Id. Octob.	Rau. { L. 3. De incorporat. / L. 28. De petit. & vlt. dat. } Largo Proc. Afr.	
Nouember.		
XVII. kal. Dec.	Rau. l. 12. De indulg. debit. [Palladio PF. P.	
Martius.	*Monaxio & Plinta Coss.*	
VIII. Id. Mar.	Cp. l. 66. De appell. [Monaxio PF. P.	
Maius.		
IV. Non. Maj.	Cp. l. 22. De palat. sac. largit. [Anysio Com. S. L.	
Iunius.		
VI. Kal. Iul.	Rau. l. vn. De inquil. & col. [Palladio PF. P.	11. 47. 16.
Iulius.		
IIII. kal. Aug.	Rau. l. 10. De suar. pec. & sus. [Palladio PF. P.	
September.		
VIII. Kal. Oct.	Cp. l. 24. De pœnis. [Monaxio PF. P.	9. 47. 25.
October.		
III. Non. Oct.	Cp. l. 5. De calcis coctor. [Ætio PF. V.	
	Theodosio VIII. & qui fuerit nuntiatus.	
XIIII. kal. Oct.	L. 3. De lito. & itin. cust. [Eustathio PF. P.	11. 45. 1.
Martius.	*Theodosio VIIII. & * Constantio III. V. C. Coss.*	
VIII. Id. Mart.	Rau. l. 3. De rap. vel matr. sanct. [Palladio PF. P.	6. 4. 10.

* al. Constantio II. al. Constantino II.

Menses et dies.		Codex Iustin.
viii. Id. Maj.	Rau. l. 44. De Episc. Eccl. & cler. [Palladio PF. P.	1.3.19.
September.		
v. kal. Octob.	Rau. l. 6. De leg. her. [Maximo PF. P.	6.54.10.
December.		
iii. kal. Ian.	Cp. l. 17. De iure fisc. [Patritio Com. R. P.	10.9.9.
Martius.	*Eustathio* * *& Agricola VV. CC. Coss.*	
vi. Id. Mart.	Rau.* l. 2. De repudiis.	9.9.35.
Iulius.	Rau. { L. vn. De quinquennii praesc. L. 23. De bon. prosc. L. 20.* De pet. & vit. dat. L. 30. eod. titulo. } Palladio PF. P.	
viii. Id. Iul.		10.1.10. & 10. 10. 4.
Prid. Id. Iul.	L. 45. De Episc. Eccl. & cler. [Philippo PF. P. Illyrici.	1. 2. 6.
v. kal. Aug.	Rau. l. vn. Si cert. pet. de chirogr. [Palladio PF. P.	
Ianuarius.	*Honorio XIII. & Theodosio x. AA. Coss.*	
Prid. Id. Ian.	Cp. l. 2. De Castrensian. [Scolastico viro Spect. Com. & Castrensi S. Palatij.	12.26.2.
Februarius.		
x. kal. Mart.	L. 13. De indulg. debit. [Venantio Com. R. P.	
Martius.		
v. Non. Mart.	Cp. l. 13. De meratis. [Eustathio PF. P.	12.41.7.
x. Kal. Apr.	Cp. { L. 2. De asses. dom. & canc. L. 3. De postulando. } Eustasio PF. P.	1.49.7. 2.7.4.
Aprilis.		
iii. kal. Maj.	Cp. l. 23. De palat. sac. larg. [Asclepiodoto Com. S. L.	
Iunius.		
xiii. kal. Iul.	Cp. l. 27. De cohort. princ. corn. [Eustathio PF. P.	
Iulius.		
vii. Id. Iul.	Rau. l. 1. De pec. seq. proh.	4.4.1.
vi. Id. Iul.	Rau. l. 1. Quod iussu. } Ioanni PF. P.	4.26.13.
v. Id. Iul.	Rau. { L. 1. De act. ad pot. transl. L. vn. De peculio. L. 10. De exsec. & exact. } Ioanni PF. P.	2.14.2. 12.61.4.
Id. Iul.	Rau. l. 2. De pignoribus.	8.17.7. & 11.57.1.
Augustus.		
viii. kal. Sept.	In Foro Traiani l. 31. De pet. & vit. dat. [Proculo Com. R. P.	
November.	Rau. { L. 7. De spons. & ante nupt. don. L. 3. De dotibus. } ad Marinianum PF. P.	5.1.4.
iii. Non. Nou.		5.18.11. & 5. 19. 11.
viii. Id. Nou.	Cp. l. vn. De praepos. sac. cub. [Florentio PF. V.	12.5.1.
Februarius.	*Asclepiodoto & Mariniano VV. CC. Coss.*	
vi. Id. Feb.	Rau. l. 14. De indulg. debit. [Rufino Com. S. L.	
xvi. Kal. Mar.	Cp. l. 35. De erog. mil. an. } Asclepiodoto PF. P.	12.38.15.
xv. Kal. Mart.	{ L. 6 De itin. muniendo. Cp. l. 25. De Iudae cael. & Sam. } Asclepiodoto PF. P.	1.2.7.
v. Kal. Mart.	Rau. l. vn. De rei vindic. [Crispino Com. & Magistro Equitum.	
Martius.		
Non. Mart.	Cp. l. 2. De terr. limit. } Asclepiodoto PF. P.	11.59.2.
vii. Id. Mart.	{ Cp. l. 5. De milit. veste. Rau. l. 2. De dec. & fil. [Venantio PF. P.	12.40.4.
iii. kal. Apr.	Cp. { L. 67. De appellat. L. 2. De fruct. & lit. exp. L. 6. De repar. appell. } Asclepiodoto PF. P.	7.62.31. 7.51.3.
Aprilis.		
v. Id. Apr.	Cp. { L. 59. De haereticis. L. 26. De Iud. cael. & Sam. L. 5 Ne Christ manc. Iud. L. 22. De paga. sac. & temp. } Asclepiodoto PF. P.	1.9.5.
xvii. Kal. Maj.	Cp. l. 184. De decurionibus.	
Maius.		
xv. kal. Iun.	{ Rau. l. 10. De praed. nauic. [Proculo PF. P. Cp. { L. 14. De priuil. cor. qui in sac. pal. L. 28. De cohort. princ. cornic. } ad Asclepiodotum PF. P.	
xiv. kal. Iun.	In foro Traiani l. 4. De col. don. vel rel. poss. [Trigetio Com. R. P.	
Prid. kal. Iun.	Cp. l. 3. De adsess. domest. & canc.	1.49.8.
Iunius.		
vi. Id Iun.	Cp. { L. 27. De Iudae cael. & Sam. L. 23. De pag. sac. & templ. L. 24. eod. titulo. } Asclepiodoto PF. P.	

al. Eustasio.

* Hon. Th. & Constantius.

* Hon. Th. & Constantius.

Cp. l. 60.

	Menses et dies.		Codex Iustin.
	Iulius.		
	vi. Id. Iul.	Cp.l.60. De hæret. [Asclepiodoto PF. P.	
	Augustus.	Rau. { L.12. De iurisdict. / L.2. De libert. & cor. lib. / L.19. De acc. & insc. } Coss. Prætoribus Trib. plebis & Senatui.	
	viii. Id. Aug.		
	vii. Id. Aug.	Rau.l.4. Ne præt. crimen maiest. &c. [ad Senatum.	9.2.17.
	vi Id. Aug.	Eudoxiop. l.61. De hæret. } Asclepiodoto PF. P.	4.20.11.
	v Id. Aug.	Eudiox. l.2. De præd. & manc. cur. sine dec. } Asclepiodoto PF. P.	
		IMP. THEODOSIVS.	
		Victore V. C. Cons.	
	Ianuarius.		
* Honor. & Theod.	v. Id. Ian.	L. 52.* De oper. publ. [Seuerino PF. V.	
	xvii. Kal. Feb.	Cp.l.3. De vest. olou. & aur. [Maximino Com. S. L.	11.8.4.
	Februarius.		
	xvi. Kal. Mar.	Cp. l. 7. De test. & cod. } ad Asclepiodotum PF. P.	6.36.8.
	vii. Kal. Mar.	L.7. De inoffic. test. } ad Asclepiodotum PF. P.	
	Martius.		
	x kal. Maj.	Cp.l.4. De spectac. [Isidoro PF. P. Illyrici.	
	Maius.		
	iii. Id Maj.	Cp.l.5. De conlat. don. vel rel. poss. [Asclepiodoto PF. P.	
	Iulius.		
	v. Id. Iul.	Cp.l.15. De met. & metall. [Maximino Com. S. L.	
	October.		
	vi Id. Oct.	Cp.l.33. De ann. & trib. [Isidoro PF. P.	
*	xvii. kal. Nov.	Cp.l.14. De murileg. & gynæc. [Maximino Com. S. L.	1.2.8. & 10. 16.11.
	November.		
* Theod. & Valentinianus Cæsar.	xviii. ka. Dec.	Cp. { L.7.* De cognit. & proc. / L.1. De act. cert. temp. fin. } Asclepiodoto PF. P.	11.7.11.
	December.		7.39.3.
* Honor. & Theod.	iii. Non. Dec.	Cp.* l.36. De erog. mil. an. [Procopio Magist. militiæ per Orientem.	
	v. Id. Dec.	L.3. De conlat. ær. [Maximino Com. S. L.	
		IMPP. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS CÆSAR.	
		Theodosio XI. *& Valentiniano Cæs. Coss.*	
	Februarius.		
	iii. Kal. Mart.	Cp. l.3. De studiis lib. vrb. Rom.	11.18.1.
	Martius.		
	Id. Mart.	Cp. l. vn. De profess. qui in vrbe. [Theophilo PF. V.	12.15.1.
	Maius.		
	iii. Non. Maj.	L. vn. De imaginib. imper.	1.24.2.
	iii. Id. Maj.	Cp.l.32. De perit. & vlt. dat. [Valerio Com. R. P.	
	viiii ka. Iun.	L.15. De murileg. & gynæc. [Maximino Com. S. L.	11.7.12.
	Iulius.		
	Prid. Non. Iul.	Aquil.l.46. De Episc. Eccl. & cler. [Georgio Proc. Afr.	
	xvi. Kal. Aug.	Aquil.l.62. De hæret. [ad Faustum PF. V.	
	Augustus.		
	Pr. Non. Aug.	Aquil.l.63. eod tit. [Georgio Proc. Afr.	
	viii. Id. Aug.	Aquil.l.64. eod. tit. [Basso Com. R. P.	
	September.		
* al. Pisa.	x. Kal. Octob.	Topiso.* { L.4. De primic. & not. / L.8. De honor. codic. } Hierio PF. P. Orientis.	
	October.		
	viii. Id. Oct.	Aquil. l.47. De Episc. Eccl. & cler. [Basso Com. R. P.	
	November.		
	xv. Kal. Dec.	Cp. l.24. De palat. sac. larg. [Hierio PF. P.	
		Theodosio XII. *& Valentiniano* II. *AA. Coss.*	
	Ianuarius.		
	iii. Non. Ian.	Rom.l.2. De cond. & hom. dom. Aug. [ad Senatum vrbis Romæ.	
	x. Kal. Feb.	Cp.l.24. De bon. prosc. [Hierio PF. P.	9.49.10.
	iii. kal. Feb.	Rom.l.7. De legit. hered. [Albino PF. P.	6.58.5.
	Februarius.		
	vii. kal. Mart.	Cp.l.16. De murileg. & gynæc. [Acacio Com. S. L.	11.9.13.
* Male Th. & Arcad.	vi. kal. Mar.	L.14.* tit. 2. lib. 6. [ad Senatum vrbis Romæ.	
	Martius.		
	Pr. Non. Mar.	Rau.l.1. De cond. & hom. dom. Aug. } Basso PF. P.	11.71.2.
	iii kal. Mart.	Rau. l. 3. De libert. & cor. lib. } Basso PF. P.	

Menses & dies.		Codex Iustin.
Aprilis.		
VII. Id. Apr.	Rau.l.7. De apostatis. { Basso PF. P	
VI. Id. Apr.	Rau.l.18. De Iud. cæl. & Sam. { Basso PF. P	
Iunius.		
kal. Iun.	Nicomed.l.16. De legat. & decr. legat. { Hierio PF. P.	
x. kal. Iul.	Nicom.l.21. De diuers. off. & app. { Hierio PF. P.	12.50.7.
Iulius.		
Kal. Iul.	Nicom. { L.22. De diuers. offic. & app. [Theophilo PF. V. / L.23. eod. tit. [Acacio Com. S.L.	
Nouember.		
III. Id. Nou.	Rau.l.19. De maternis bon.	
II Id. Nou.	Rau. { L.vn. De respons. prud. / L.vn. De cret. vel bon. poss. / L.8. De leg. hered. / L.9. De mat. bon. / L.vn. De bon. quæ filiisfam. / L.6. De reuoc. donat. } ad Senatum vrbis Rom.	6.55.5. / 6.59.3. / 6.61.1. / 8.56.9.
XVIII. kal. Dec.	Cp.l.25. De pag. sac. & templ. [Isidoro PF. P.	
VII. kal. Dec.	Cp.l.18. De proximis Com. dispos. [Acacio Com. S. L.	
December.		
x. kal. Ian.	Cp. { L.20. De ag. in reb. [Hierio PF. P. / L.21. eod. tit. [Helioni Patricio & Magistr. Offic.	
VI. Kal. Ian.	Rom.l.33. De petit. & vlt. dat. [ad Senatum.	
	Hierio & Ardabure VV. CC. Coss.	
Martius.		
XVII. kal. Apr.	L.10. De domest. & protect. [Hierio PF. P.	
x. Kal. Apr.	Cp.l.17. De murileg. & gynæc. [Valerio Com. S. L.	11.7.15.
Iunius.		
x. Kal. Iul.	Cp. l.14. De metatis. [Hierio Patricio & Magist. Offic.	
Augustus.		
XIIII. kal. Sep.	L.18. De med. & profess. [Helioni Magistr. Offic.	12.41.8.
	Felice & Tauro Coss.	
Ianuarius.		
Pr. kal. Feb.	Cp. { L.15. tit. 2. lib. 6. / L.22. De ag. in reb. } Proculo PF. V.	
Februarius.		
I. Kal. Mart.	Cp. { L.1 De omiss. act. impet. / L.3. De nupt. / L.4. De dot. / L.2. De natur. filiis. / L.9. De leg. hered. } Hierio PF. P.	2.59.2. / 5.4.22. / 5.11.6.
v. kal. Mart.	Rau. l.22. De tiron. [Volusiano PF. P.	
Aprilis.		
XI. kal. Maj.	L.2. De lenonibus. } Florentio PF. P.	1.4.12. & 11.40.6.
Maius.		
III. kal. Iun.	Cp. l.65. De hæretic. } Florentio PF. P.	
Iunius.		
v. Id. Iun.	Cp. l.vn. De impon. luc. desc. } Florentio PF. P.	
Iulius.		
VI Id Iul.	Cp.l.19. De cohort. princ. cornic. } Florentio PF. P.	
III. Id. Iul.	Cp.l.19. De med. & profess. [Proculo PF. V.	
	Post Consulatum Felicis & Tauri VV. CC.	
Februarius.		
XVI. kal. Mart.	Rau.l.35. De an. & trib. [Volusiano PF. P.	
v. Kal. Mart.	Rau. { L.34. De an. & trib. / L.68. De appellation. } Celeri suo salutem.	
III. Kal. Mar.	Rau.l.32. De susc. præp. & arc. [Volusiano PF. P.	10.70.15.
Aprilis.		
v. Kal. Maj.	Rau. { L.185 De decur. / L.186. eod. tit. } Celeri Proc. Afr.	10.22.2. / 11.58.17.
	Florentio & Dionysio Coss.	
Maius.		
III Kal. Iun.	Cp.l.29. De Iud. cæl. & Sam. [Ioanni PF. P.	1.9.16.
Februarius.	*Theodosio* XIII. *& Valentiniano Cæs.* * *Coss.*	
Kal. Feb.	Cp. { L.vn. Ne sine iuss. princ. &c. / L.5. De spectaculis. [Asclepiodoto PF. P.	9.48.1.

* al. Valentiniano III. A.A. Coss.

Rau. l.33.

	Menses et dies		Codex Iustin.
	xv.kal.Mart.	Rau.l.33.De susc præp. & arc. [Theodosio PF. P.	
	iii.kal. Mart	L.3. De stud. lib. vrb. Rom.	12.18.1.
	Martius.		
* Hon. Th. & Valentinianus, malè.	Kal. Mart.	Cp.* l. 53. De op. publ. [Constantio PF. V.	
	December.		
	Prid kal. Ian.	Cp. l.6. De conl. don. vel rel. poss. [Antiocho PF. P.	
		Basso & Antiocho VV. CC. Coss.	
	Martius.		
* Adiicitur in * l. 5. & Consul.	x.kal. Apr.	Cp. { L.4. De his qui ad eccl.conf. / L.5.eod. titulo. } Antiocho PF. P. *	1.12.3.
	Aprilis.		
	iii. kal. Mai	L.36. De ann.& trib. [Flauiano PF. P.	11.74.1.
		Valerio & qui fuerit nuntiatus.	
	Martius.		
	v.kal.Apr.	Cp.l.6. De his qui ad Ecc.confug. [Hierio.	
		Ætio & Valerio VV. CC. Coss.	
	Martius.		
	viii. Kal. Ap.	L.3. De decur.& silent. [Flauiano PF. P.	12.16.2.
	Iunius.		
	iii.Id. Iun.	Cp. l.11. De domest.& protect. [Heliodoro PF. V.	12.17.2.
		Theodosio xiv. *A. & Maximo* V.C. *Coss.*	
	Aprilis.		
	x.kal.Maj.	L.16. De indulg. debit. [Tauro PF. P.	
	Iulius.		
	V. Non Iul.	Cp.l.17. De num.act. scrin. [Tauro PF. P.	
		Ariouindo & Aspare Coss.	
	Iunius.		
	xii. kal. Iul.	Cp. l.15. De indulg. debit. [Tauro PF. P. & Patricio.	
	November.		
	v.Kal. Dec.	Cp.l.3.De frum.vrb.Const. [Leontio PF. V.	11.23.2.
	December.		
	xviii. ka. Ian.	Cp.l.1. De bonis cler.& mon. [ad Taurum PF. P. & Patricium.	1.3.100.
		Theodosio XV. & qui fuerit nuntiatus.	
	Ianuarius.		
	v.Kal. Feb.	Cp.l.vn. De lusor.Dan. [Constanti Magist. mil. per Trachias.	
	iiii. kal. Feb.	Cp.l.8.De pr.ag.in reb. { Valerio Magistr. Offic. Isidoro PF. P. Illyr. Leontio PF. V. Theodoro Com. Ægypt. Abthartio Com. Orient. Cleopatro PF. Aug. Hesychio Proc. Achaiæ. Eustatio Vic. Asiæ, Nectario Vic. Ponticæ.	12.21.4.
	Februarius.		
* Theodosio xiii. & qui fuerit nuntiatus vt in seq.	viii.kal. Mar.	Cp. { L.15.* De metatis. [Ioanni Com & Magist.Offic. / L.34.De pet. & vlt.dat. [Thalassio Com. R. P. }	
	xv. Kal. Mart.	Nou.vn.De Cod.Th.auctor. [Florentio PF.P. Orientis.	
	Martius.		
	iii Id. Mart.	Cp.l.16.De metatis. [Valerio & Magist.Offic. & Exconsordinar.	
	Aprilis.		
	vii. Id. Apr.	Cp. Nou. vn.Ne cur.præd. alt.cond. [Florentio PF. P.	
* Male Theodosio. xvii.	xvi kal. Maj.	Cp.l. 23.* De ag. in reb. [Paulino Magist.Offic.	
	Maius.		
* Th. xiii. & qui fuerit nuntiatus.	vi.Id. Maj.	Cp.Nou. 1. De patr.rei dominic. [Marcellino Com. S. L.	
	Augustus.		
	iii.Non. Aug.	Cp.l.66. De hæret. [Leontio PF. P.	1.5.6.
	October.		
	vii.Id Octob.	Cp.l.5.De bon.vac. [Hieritocrati Com. R. P.	10.10.5.
		Isidoro & Senatore Coss.	
	Martius.		
	viii.Id.Mart.	Cp. l.18.De murileg. & gynæc. [Apollonio Com. S. L.	11.8.5.
	Aprilis.		
	iii.Non. Apr.	Cp. { L.30. De cohort.princ. corn. / L.187. De decurionibus. / L.188.eod. titulo. } Isidoro PF. P.	12.58.30. / 10.31.1. & 12.58.12.
	Iunius.		
	Pr. Non. Iun.	Cp. { L.2. De frum. Alexandr. / L.2. De Alex.pleb.primatibus. / L.3. De indictionibus. / L.189. De decurionibus. / L.190.eod. tit. / L.191. eod.tit. } Isidoro PF. P.	11.27.2. / 11.28.6. / 10.17.1. / 10.31.56. / 10.31.57. / 10.31.58.

Notae	Menses et dies.		Codex Iust.
	Iulius.		
	Prid. Id. Iul.	Cp. l. 17. De indulg. debit. } Isidoro PF. P.	
	Augustus.		
	Pr. Non. Aug.	Cp. l. 191. De decurion. } Isidoro PF. P.	10. 31. & 59.
	v. kal. Sept.	Apameæ. { L. 37. De an. & trib. { Dario PF. P.	
		Apameæ. { L. 4. De indictionibus. { Dario PF. P.	10. 17. 1.
		Post Consulatum Isidori & Senatoris.	
	Martius.		
	xviii. ka. Ap.	Cp. l. 4. De decur. & fil. [Dario viro inlustri PF. P. Orientis.	
		Theodosio A. XVI. & Fausto V. C. Coss.	
	Februarius.		
* Theodosio A. xvi. Cos. vt in seq.	v. Kal. Mart.	Cp. Nou.* vn. Ne Duciani vel limitanei milites. [Florentio PF. P.	
	Maius.		
	vi. Id. Maj.	Cp. Nou. 1. De patrimonial. rei dom. [Marcellino Com. S. L.	
	Iunius.		
* Th. xvi. & Festo V. C. Coss.	vii. Id. Iul.	Cp. Nou. vn. * De tutor. [Florentio PF. P. Orientis & Exconsule.	
	Nouember.		
* Mali Cos. P. B.	Pr. Non. Nou.	Cp. Nou. vn. De bonis fabric. [Aureliano* Com. R. P.	6. 61. 58. & 11. 9. 5.
		Theodosio XVII. A. Cons. & qui fuerit nuntiatus.	
	Ianuarius.		
	Pr. Kal. Feb.	Nou. vn. De Iud. Samar. hær. & pag. [Florentio PF. P.	
		Theodosio XVII. A. & Festo V. C. Coss.	
	Ianuarius.		
* Theodosio xvii. Cons.	xvii. kal. Feb.	Cp. Nou. vn.* De metatis. [Numo Magistr. Offic.	12. 41. 9.
	Martius.		
* Theod. xv. & Festo V. C. Coss.	Kal. Apr.	Rau. Nou.* vn. De succ. cur. [Maximo PF. P. II.	
	Aprilis.		
	vii. Id. Apr.	Nou. vn. De nauib. vltr. duor. mil. } Florentio PF. P. Orient.	11. 3. 2.
	vii. kal. Maj.	Cp. Nou. vn. De postulando. } Florentio PF. P. Orient.	3. 7. 6.
	vi. Id. Iun.	Cp. Nou. 2. De patr. rei dom. } Florentio PF. P. Orient.	11. 61. 13.
	Iulius.		
	vi. Id. Iul.	Nou. vn. De repudiis. } Florentio PF. P. Orient.	
	Augustus.		
	iii. Id. Aug.	Cp. Nou. vn. Contr. Sent. PF. P. [Talassio PF. P. Illyrici.	
	v. Kal. Sept.	Apam. l. 4. De indictionibus. [Dario PF. P.	10. 17. 2.
	September.		
	vii. Id. Sept.	Cp. Nou. vn. De patern. seu mat. bonis. } Florentio PF. P.	
	Prid. Id. Sept.	{ Nou. vnica De testamentis. } Florentio PF. P.	
		{ Nou. vn. Ne decur. ad Senat. digo. [ad Senatum Vrbis Cp.	
	October.		
	xiiii. ka. Nou.	Cp. Nou. vn. De competitionibus. [Florentio PF. P.	
	December.		
	viii. Id. Dec.	Nou. vn. De lenon. [Cyro & Alyppio PF. P. P. M.	
		Valentiniano A. V. & Anatolio V. C. Coss.	
	Ianuarius.		
* Valentiniano & Anatolio V. C. Coss.	v. Id. Ian.	Rau. Nou. 1.* De inuasor. [Pierio PF. P.	
	xv. kal. Feb.	Rom. Nou. vn.* De pretio sol. [ad Populum vrbis Rom.	
* Valentiniano A. Cons.	viii. Kal. Feb.	Rom. Nou. vn. In damnum publ. non valere. [Maximo PF. P. II.	
	Martius.		
* Anatolio V. C. Cons.	vi. Non. Mar.	Rom. Nou.* vn. De Pentapolis ad vrb. [ad Populum.	
	xiii. kal. Apr.	Rom. Nou. 1. De tir. & occ. des. [Sigisualdo Com. & Magistro vtr. mil.	
	Maius.		
	xiii. kal. Iun.	Cp. Nou. vn. De rescind. vend. [Eudoxio Comiti R. P.	11. 75. 7.
	Iunius.		
* Valentiniano & Anatolio V. C. Coss. vt in seq.	Pr. Non. Iun.	Rau. Nou. 1.* De palat. [ad Maximum PF. P. II.	
	viii. Kal. Iul.	Rom. Nou. vn. De redd. iur. arm. [ad Populum.	
	September.		
	xi. Kal. Oct.	Cp. { Nou. vn. De alluuionibus & pal. [Cyro PF. P. & Cons. designato.	
		Cp. { Nou. 2. De amot. mil. for. præs. } Cyro PF. P.	3. 23. 1.
* Valentiniano & Anatolio Coss.	December.		
	iiii. Kal. Ian.	Cp. Nou. 3.* De amot. mil. for. præsc. } Cyro PF. P.	
* Post Consulatum Valentiniani.		*Post Consulatum Valentiniani A. V. & Anatoli.*	
	Ianuarius.		
	vi. Kal. Feb.	Rau. Nou. 2.* De inuas. [Auxentio PF. V.	

Rau. Acc.

Menses & dies.		Codex Iustin.
Februarius.		
I. Kal. Mart.	Rau. Acc. prid. Id. Mart. Rau. Nou. in. Neque dolum diuinam, &c. [Maximo iterum PF. P.	
Martius.	*Cyro V. Conf.*	
Pr. Non. Mart.	Cp. Nou. 4. De amot. mil. for. præf. { Ariouindo Magistro militũ Eodem exẽplo, Aspari viro inlustri Com. Exmagistro militum & Exconsuli ordin.	
Aprilis.		
XV. Kal. Mai.	Cp. Nou. vn. De scolaribus. [Florentio Magist. Offic.	
Martius.	*Dioscoro & Eudoxio VV. CC. Coss.*	
VII. Id. Mart.	Cp. Nou. 2. De his qui sponte munus, &c. [Apollonio PF. P.	
Augustus.		
Id. Aug.	PP. Rom. in For. Traiani Nou.* vn. De postulando. [Fausto PF. P.	
September.		
V. Kal. Octob.	Spolet. Nou. 1. De palatinis. [Paterio PF. P.	
October.	*Maximo II. & Paterio* VV. CC. Coss.*	
III Non. Mar.	Rom. PP. in Foro Traiani Nou. vn. De honorat. [Storacio PF. V.	
Maius.		
VIII. kal. Iun.	Rau. Nou. 1. De tiron. & occ. desert. [Quadratiano PF. P.	
Iunius.		
II. kal. Sept.	Feodosiadæ Nou. vn. De loc. reip. [Apollonio PF. P.	
Augustus.		
XIII. Kal. Sept.	Rau. Nou. vn. tit. 50.	
September.		
Pr. Id. Sept.	Cp. Nou. vn. De amb. & loc. limit. [Numo Magist. Offic.	11. 59. 3.
October.		
XIIII. ka. Nou.	Nou. vn. De pec. Afr. cred. [Albino PF. P. II.	
December.		
XVI. kal. Ian	Cp. Nou. 1. De his qui sponte munus, &c. [Apollonio PF. P.	
Aprilis.	*Theodosio* XVIII. *Conf.*	
XIIII. kal. Maj	Cp. Nou. 1. De am. mil. for. præf. [Florentio PF. P.*	
Iulius.	*Theodosio A.* XVIIII.* & *Albino V.C. Coss.*	
Prid. Id. Iul.	Rau Nou. 5.* De tironibus & occult. des. [Hisiodoro Com.	
September.		
III. Id. Sept.	Rau. Nou. vn. De fructibus inter mar. [Albino PF. P.	
December.		
III. Id. Dec.	Cp. Nou. vn. De releu. adæt. [Hermocrati PF. P.	10. 18. 1. & 11. 58. 16.
Aprilis.	*Valentiniano A.* VI. & *Numo* V.C. *Coss.*	
XVIII. kal. Maj	Rom. Nou. vn. De corpor. vrb. Rom. [Auxentio PF. V. II.	
Iunius.		
VIII. Id. Iun.	Rom. Nou. vn.* De Episc. ordin. { Ætio* viro inlustri Comiti & Magist. vtriusque militiæ & Patritio.	
XIII. kal. Iul.	Rom. Nou. vn. De Manichæis. [Albino PF. P. II.	
XI. Kal. Iul.	Rom Nou. vn. De trib. fisc. [Albino PF. P.	
October.		
* V. Non. Oct.	Rom. Nou. vn. De Lampadariis. [Opilioni Magist. Offic.	
December.		
VI. Id. Dec.	Rom. PP. Prid. Id. Dec. in Foro Traiani Nou. vn. De homicidiis, &c. [Maximo PF. P. II. & Patritio.	
	IMPP. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS.	
October.	*Ætio* III. & *Q. Aurelio Symmacho VV. CC. Coss.*	
VII. Kal. Nou.	Rom. PP. in For. Traiani Antelata Edicto Albini iterum PF. P. & patr. Nou. 1. De testam.	
December.		
XIX. Kal. Ian.	Rom. Nou. vn. De offic. & num. PF. P. { Albino PF. II. & Patritio.	
VII. Kal. Ian.	{ Rom. Acc. VI. Kal. Ian. PP. V. Kal. Ian. in Foro Traiani Nou. 2. De testamentis. { Albino PF. II. & Patritio.	

Marginal notes:

* *Dioscoro V.C. Conf.*
* *al. Paterno.*
* *Theodosio XVIII. & Albino V. C. Coss.*
* *Valentiniano A. VI. Conf.*
* *Male Albio.*
* *Valent. A. VI & Albino Coss.*

Menses et dies.		Codex Iustin.
Octobr.	*Ardabure* V.C. *& qui fuerit nuntiatus.*	
Kal. Octob.	Cp.Nou.vn.* De confirm. legum Diui Theod. { Diuo Valent. Inclyto vict. ac triumphatori semper A. Filio.	
Martius.	*Calypio & Ardabure VV.* CC. *Coss.*	
III. Id. Mart.	{ Rom.Acc.VI.Kal.Mart.Apr.Ro. PP. in For.Traiani VIII. Id. Apr. antelata Edicto Albini vir. inlustris PF. P. II. & Patritij Nou. vn. De sepulc. Albino PF. II. & Patritio.	
Aprilis.		
VII. kal. Maj.	Rom. { Nou.vn.De negotiat. [Floriano. Nou.3.* De palat. [Floriano Comit. S. L.	
Iunius.		
III. Non. Iun.	{ Rom. PP. in Foro Tra. V. Id. Iun. Antela. Edicto Albini V. C. Nou. vn. De lib. & succ. eor. [ad Albinum PF. P. II. & Patritium.	
Maius.	*Postumiano & Zenone Coss.*	
Non. Maj.	Rau. Nou. vn. De confirm. legum Nou. DN. Th. { Albino PF. P. & Patritio.	
Iunius.	*Asturio & Protogene VV.* CC. *Coss.*	
XV. kal. Iul.	{ Rau. PP. in Foro Tra. XIII. kal. Aug. sub Edicto Firmini viri inlustris PP. F. Nou. vn. De XXX. an præs. &c. [Firmino PF. P.	
September.		
III. Id. Sept.	Rau. Nou. vn. De princ. Ag. in reb. [Opilioni Magist. Offic.	
Martius.	*Valentiniano* A. VII. *& Auieno V.C. Coss.*	
III. Non. Mar.	{ Rom. Rec. in Senatu per virum inlustrẽ Postumianũ Prid. Id. Mart. Nou. vn. De indulg. reliqu. [Coss. præt. Trib. pl. Senatui suo Sal. dicant.	
Iulius.	IMP. VALENTINIANVS.	
VIII. kal. Maj.	Rom. Nou. vn. De nauic. amn. [Epitineano PF. V.	
Octobr.		
V. Id. Octob.	Cp. Nou. I.* Neminem exhib. de prouincia. [Edictum.	
	Sine die & Coss.	
	Nou. 3. De patrimon. rei dom. [Cyro PF. P. Nou. vn. tit. 51.	
Ianuarius.	*Adelfio* V.C. *Cons.*	
Pr. kal. Feb.	Rom. { Acc. III. Nou. Feb.* Rom. PP. in For. Traiani Nou. vn. De col. vag. Nou. vn. De confirm. his, &c. [Firmino PF. P. & Patritio. Nou. vn. De parent. qui filios su. distraxerunt. [Ætio Patritio.	
Iulius.		
III. Id. Iul.	Rom. Nou. vn. De præd. pist. Afr. dep. [Firmino PF. P. & Patritio.	
	Sine die.	
	Nou. vn. * De indulg. reliq. [Palladio PF. P. Nou. vn. tit. 5.	

Herculano

* Adscribitur Theod. patri.

* Calypio V.C. Cons.

* Impp. Valent. & Marcianus.

* al. Sept.

* Valentin. & Martianus ut in seq.

Menses & dies.	CHRONOLOGIA.	Codex Iustin.
Aprilis.	*Herculano V. C. Conſ.*	
xvii. kal. Maj.	Rom.* Nou.vn.De epiſc. iud.&c. [Firmino PF. P. & Patritio.	
Iunius.	IMPP. VALENTIN. ET MARTIANVS.	
iii. kal. Iul.	Rom. Nou. vn. De ſuar. bon.& pec. [Firmino PF. P.	
Aprilis.	*Ætio & ſtudio VV. CC. Coſſ.*	
Pri. Non. Apr.	Cp. Nou.vn.De matrim.Senat. [ad Palladium PF. P.	
	IMP. MARTIANVS.	
Aprilis.	*Anthemio V. C. Conſ.*	
i.* Kal. Maj.	Cp. Nou.vn.De teſtam.cleric. [Palladio PF. P.	
Iannarius.		
xv. kal. Feb.	Cp. Nou.* vn.De prædiis ciuit.omn. [Palladio PF. P. Orientis.	
	Sine die & Coſſ.	
	Nou.vn. De foris tit.5. [Storacio PF. P.	
	IMP. MAIORIANVS.	
Ianuarius.	*Leone & Maioriano AA. Coſſ.*	
Id. Ian.	Rau.Nou.vn.De ort.Imp.D. Maior. [ad Senatum.	
Martius.		
viii. Id. Mart.	Rau.Nou.* vn.De defenſ.ciu. [vniuerſis Rect.prou.	
vii. Id. Mart.	Rau.Nou.vn.* De indulg.reliq. [Palladio PF. P.	
Iunius.	IMPP. LEO ET MAIORIANVS.	
v. Id. Iul.	Rau.Nou.vn.De ædific.publ. [Æmiliano PF. P.	
September.		
Pr. Non. Sept.	Rau.Nou.vn.De bonis caduc. [Ennodio Com.R. P.	
October.		
vii. kal. Nou.	Nou.vn.De ſanct.& vid. } Baſilio PF. P.	
Nouember.		
viii. Id. Nou.	Rau.Nou.vn.De cur. & agnat. } Baſilio PF. P.	
Aprilis.	*Richomere & Clearcho* VV.CC. *Coſſ.*	
xv. kal. Maj.	Arelat.Nou.vn.De adult. [Rogationi Conſul.Tuſciæ ſuburbicariæ.	
Martius.	*Magno & Apollonio VV. CC. Coſſ.*	
v. Kal. Apr.	Arel.Nou.vn.De epiſc.iud.&c. { Ricimero viro inluſtri Com.& Magiſtro vtr.militiæ atque Patritio.	
	IMPP. LEO ET SEVERVS.	
Februarius.	*Baſilio V. C. Conſ.*	
x. Kal. Mart.	Nou.vn.De abrog.capit.iniuſt. [Baſilio PF. P. & Patritio.	
September.	*Hermenericho & Baſiliſco Coſſ.*	
vii. Kal. Oct.	Nou.vn.De corporatis. [Baſilio PF. P. & Patritio.	

Marginal notes:

* Valent. & Marcianus.

* al. Kal. Maj.

* Valent. & Martianus & ſequẽs Nou.

* Maioriano A. Conſ. & tribuitur Leoni & Maioriano.

* Maioriano A. Conſ.

Menses et dies.		*Codex Iustin.*
	IMPP. LEO ET ANTHEMIVS.	
Februarius.	*Anthemio A. Cons.*	
X. kal. Mart.	Rom. Acc. Id. Mart. Rom. Nou. vn. De mulier quæ se seruis. } Luperciano PF. P.	
Martius.		
XIIII. kal. Ap.	Romæ Nou. vn. De confirmat. legum Diui Leon.	
Martius.	*Anthemio A. II. Cons.*	
XIIII. kal. Ap.	Rom. Nou. vn. De bonis vac.	

FINIS.

ADMONITIO,

Obseruandum est, candide Lector, in hac Chronologia τομικὴν *collationem legum Codicis Iustinianei cum tribus Codicibus Gregor. Hermog. & Theodos. ac Nouellis breuitatis gratia, numeris notari. Numerus autem prior huius collationis librũ Codicis Iustin. secundus titulum, tertius legem ipsam seu Cõstitutionem exprimit. Hoc autem, si diligenter animaduertas, facilius id quod illis numeris designatur, inuestigabis. Vale & boni consule Lutetiæ Paris.* V. Id. Mart. CIↃ. IↃ. LXXXVI.

VETERVM IVRISCONSVLTORVM RELIQVIÆ,

Quibus præponuntur

XII. TABVL. FRAGMENTA.

IN HOC CODICE CONTINENTVR.

Tituli Institut. Gaij.

Tit. lib. 1. Sententiarum Receptarum Pauli.

Libri secundi Tituli.

Libri tertij Tituli.

Libri quarti tituli.

Libri quinti Tituli.

DOMITII VLPIANI REGVLARVM LIBRI singularis Tituli.

Tituli Legis Dei.

Papiani

PAPIANI RESPONSORVM TITVLI.

Sequuntur Tituli per seriem literarum digesti.

ããã iij

INDEX TITVLORVM GAII, PAVLI, VLPIANI, LEGIS DEI ET PAPIANI. Per seriem literarum digestus.

Fidei-

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM QVÆ IN EPITOME CAII, SENTENTIIS PAVLI, ET LIB. Regularum Vlpiani, Lege Dei & veteri Consultatione reperiuntur.

Ætati

Conuentio

D.

E.

F.

G

H

Heredes

I

L

Legis

M.

Manumittendo

N.

O.

Obligationes

P.

Quadrantal.

Q.

R.

S.

Sponsalia

T.

Testamenti faciendi ius habet seruus publicus. Vlp. ib.

Transact.

Finis huius Indicis.

FRAGMENTA.

SCIENS. DOLO. MALO. INCENSIT. VINCTVS. VERBERATVSQVE. IGNI. NECATOR. SI. CASV. SARCITO. SI. MINVS. IDONEVS. ESCIT. LEVITER. CASTIGATOR.

SI. QVADRVPES. PAVPERIEM. FAXIT. DOMINVS. QVADRVPEDIS. SARCITO. QVADRVPEDEMVE. NOXAE. DEDITO.

. . . . RVPITIAS. . . . .

SI. ARBOR. IN. VICINI. AGRVM. INPENDET. ALTIVS. A. TERRA. PEDES. XV. SVBLVCATOR.

GLANDEM. CADVCAM. DOMINO. IN. ALIENO. FVNDO. LEGERE. IVS. ESTO.

PECV. ENDO. ALIENO. AGRO. INPESCERE. IVS. NE. ESTO.

QVI. FRVGEM. ARATRO. QVAESITAM. NOX. PAVIT. SECVITVE. PVBES. CERERI. SVSPENSVS. NECI. DATOR. INPVBES. PRAETORIS. ARBITRATV. VERBERATOR. NOXIAMQVE. DVPLIONE. DECERNITO.

QVI. FRVGES. EXCANTASIT. . . . .

QVI. MALVM. CARMEN. INCANTASIT. . . . .

. . . . NEV. ALIENAM. SEGETEM. PELLEXERIS . . . . .

SI. QVIS. REM. QVA. DE. CONTROVERSIA. SIET. IN. SACRVM. DELICASIT. DVPLIONE. MVLTATOR.

SI. QVIS. PLVS. VNCIARIO. FENORE. FENERASIT. QVADRVPLIONE. DAMNATOR.

SI. INIVRIA. ALTERI. FAXIT. XXV. POENAE. SVNTO.

SI. QVIS. OCENTASIT. SIVE. CARMEN. CONDIDISIT. QVOD. INFAMIAM. FAXIT. FLAGITIVMVE. ALTERI. CAPITAL. ESTO.

SI. MEMBRVM. RVPIT. NI. CVM. EO. PACIT. TALIO. ESTO.

SI. OS. FREGIT. . . . .

PATERFAMILIAS. VTI. LEGASIT. SVPER. PECVNIA. TVTELAVE. SVAE. REI. ITA. IVS. ESTO. AST. SI. INTESTATO. MORITVR. CVI. SVVS. HERES. NEC. EXTABIT. AGNATVS. PROXIMVS. FAMILIAM. HABETO. SI. AGNATVS. NEC. ESCIT. GENTILIS. FAMILIAE. HERES. ESTO.

SI. LIBERTVS. INTESTATO. MORITVR. CVI. SVVS. HERES. NEC. EXTABIT. PATRONVS. PECVNIAM. HABETO. PATRONIQVE. LIBERIS. VIRILIS. SECVS. FEMINISQVE. IN. EA. SIREMPS. IVS. ESTO.

NOMINA. INTER. COHEREDES. PRO. PORTIONIBVS. HEREDITARIIS. ERCTA. SVNTO.

STATVLIBER. ABALIENATVS. QVANDOQVE. CONDITIONI. PARVERIT. LIBER. ESTO.

SI. INTESTATO. MORITVR. CVI. INPVBES. SVVS. EXTABIT. HERES. AGNATVS. PROXIMVS. TVTELAM. NANCITOR.

. . . . PRODIGVS. . . . .

SI. FVRIOSVS. EXISTAT. AGNATORVM. GENTILIVMQVE. IN. EO. PECVNIAVE. EIVS. POTESTAS. ESTO.

SI. TVTOR. PVPILVM. FRAVSVS. ERIT. DVPLIONEM. LVITO.

HOMINEM. MORTVVM. IN. VRBE. NE. SEPELITO. NEVE. VRITO.

HOC. PLVS. NE. FACITO. ROGVM. ASCIA. NE. POLITO.

IN. FVNERE. TRIBVS. RECINIIS. DECEMQVE. TIBICINIBVS. VTIER. LICETO.

MVLIERES. GENAS. NE. RADVNTO. FACIEM. NE. CARPVNTO. NEVE. LESVM. FVNERIS. ERGO. HABENTO.

HOMINI. MORTVO. NE. OSA. LEGITO. QVO. POST. FVNVS. FACIAT. EXTRA. QVAM. SI. BELI. PEREGRIVE. MORTVVS. ESCIT.

SERVILIS. VNCTVRA. OMNISQVE. CIRCVMPOTATIO. SVMPTVOSAVE. RESPARSIO. LONGAEQVE. CORONAE. ACERAEQVE. TOLLVNTOR.

XII. TABVLAR.

QVI. CORONAM. PARIT. IPSE. PECVNIAVE. EIVS. VIRTVTIS. ERGO. ARGVITOR. IPSIQVE. MORTVO. PARENTIBVSQVE. EIVS. DVM. INTVS. POSITVS. ESCIT. FORISQVE. ECFERTVR. SE. FRAVDE. INPOSITA. ESTO.

MVRATA. POTIO. MORTVO. NE. INDITOR.

PLVRA. VNI. FVNERA. NE. FACITO. NEVE. LECTOS. PLVRES. INFERTO. NEVE. AVRVM. ADITO.

AST. QVOI. AVRO. DENTIS. VINCTI. ESCVNT. IM. CVM. ILO. SEPELIRE. VREREVE. SE. FRAVDE. ESTO.

ROGVM. BVSTVMVE. NOVVM. AEDES. ALIENAS. PROPIVS. $\overline{LX}$. PEDES. SI. DOMINVS. NOLET. NE. ADICITO.

FORI. BVSTIVE. AETERNA. AVCTORITAS. ESTO.

. . . . SVBVADES. . . . .

. . . . TVGVRIVM. . . . .

. . . . DETESTATVM . . . .

. . . . $\overline{X}$ MENSIBVS. . . . .

. . . . AST. EI. CVSTOS. NEC. ESCIT. . . . . . .

. . . . ORTVS. . . . .

. . . . HEREDIVM . . . .

. . . . HORTVS. . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

LECTORI S.

Qui hæc XII. *Tab. fragmenta edenda curauit, in illis disponendis sequutus ferè est ordinem librorum Caij ad easdem leges. Verba quæ putauit ipsa legum, rubrica designari voluit: quæ vero ex legis potius actionibus, charactere aliquanto minore exprimi. Cetera pro sui quisque ingenij captu ac lubito effinget, quod vix ipsi tentassent Ælij fratres. Vidit hæc ætas Germanicam, Hispanicã, Italicámque in isto periculo licentiam. Viderit nunc & in hacce rutuba Gallicam.*

FRAGMENTA

. . . .
. . . .
. . . .

SI. IN. IVS. VOCAT. NI. IT. ANTESTAMINO.

SI. CALVITVR. PEDEMVE. STRVIT. MANVM. ENDOIACITO.

SI. MORBVS. AEVITASVE. VITIVM. ESCIT. QVI. IN. IVS. VOCABIT. IVMENTVM. DATO. SI. NOLET. ARCERAM. NE. STERNITO.

. . . . . . AVT. STATVS. DIES. CVM. HOSTE. . . . .

. . . . MORBVS. SONTICVS. . . . . SI. QVID. HORVM. FVIT. VNVM. IVDICI. ARBITROVE. REOVE. EO. DIE. DIFENSVS. ESTO.

SI. QVI. IN. IVRE. MANVM. CONSERVNT. VTRIQVE. SVPERSTITIBVS. VINDICIAS. SVMVNTO.

SI. VINDICIAM. FALSAM. TVLIT. REI. SIVE. STLITIS. PRAETOR. ARBITROS. TRES. DATO. EORVM. ARBITRIO FRVCTI. DVPLIONE DAMNVM. DECIDITO.

ASIDVO. VINDEX. ASIDVVS. ESTO. PROLETARIO. CVI. QVIS. VOLET. VINDEX. ESTO.

CVI. TESTIMONIVM. DEFVGERIT. IS. TERTIIS. DIEBVS. OB. PORTVM. OBVAGVLATVM. ITO.

QVI. SE. SIRIT. TESTARIER. LIBRIPENSVE. FVERIT. NI. TESTIMONIVM. FARIATVR. INPROBVS. INTESTABILISQVE. ESTO.

QVI. FALSVM. TESTIMONIVM. DICASIT. DE. SAXO. DEICITOR.

REM. VBI. PAICVNT. RATVM. ESTO. NI. PAICVNT. ANTE. MERIDIEM. IN. FORO. AVT. IN. COMITIO. CAVSAM. CONICIVNTO. CVM. PERORANT. AMBO. PRAESENTES. POST. MERIDIEM. PRAESENTI. STLITEM. ADICITO. SI. AMBO. PRAESENTES. SOL. OCASVS. SVPREMA. TEMPESTAS. ESTO.

SI. QVIS QVEM. LIBERALI. CAVSA. MANV. ADSERIT. IVSTVMQVE. VADEM. DVIT. VINDICIAE. SECVNDVM. LIBERTATEM. DANTOR.

SI. IVDEX. ARBITERVE. IVRE. DATVS. OB. REM. DICENDAM. PECVNIAM. ACEPSIT. CAPITAL. ESTO.

PRIVILEGIA. NE. INROGANTO.

DE. CAPITE. CIVIS. NISI. PER. MAXIMVM. COMITIATVM. NE. FERVNTO.

. . . . PARICI. QVESTORES. . . . .

SI. QVIS. LIBERVM. HOMINEM. INDEMNATVM. MORTI. DVIT. PARICIDA. ESTO.

QVODCVMQVE. POSTREMVM. POPVLVS. IVSIT. ID. IVS. RATVMQVE. ESTO.

SI. NOX. FVRTVM. FAXIT. SI. IM. ALIQVIPS. OCISIT. IVRE. CAESVS. ESTO. SI. LVCI. FVRTVM. FAXIT. SI. IM. ALIQVIPS. ENDO. IPSO. CAPSIT. NI. PAICIT. VERBERATOR. ILIQVE. CVI. FVRTVM. FACTVM. ESCIT. ADICITOR. SERVVS. VIRGIS. CAESVS. DE. SAXO. DEICITOR. INPVBES. PRAETORIS. ARBITRATV. VERBERATOR. NOXIAMQVE. DECERNITO. SI. SE. TELO. DEFENSINT. IVRE. CAESI. SVNTO.

SI. ADORAT. FVRTO. QVOD. NEC. MANIFESTVM. ESCIT. NI. CVM. EO. PAICIT. DVPLIONEM. LVITO.

FVRTA. LANCE. LICIOQVE. CONCEPTA. ATQVE. VTI. MANIFESTA. VINDICANTOR.

QVI FVRTIM. INIVRIAVE. ALIENAS. ARBORES. CECIDERIT. IN. SINGVLAS. XXV. AERIS. LVITO.

FVRTIVAE. REI. AETERNA. AVCTORITAS. ESTO.

SI. SERVVS. SCIENTE. DOMINO. FVRTVM. FAXIT. ALIAMVE. NOXIAM. NOXIT. NOXAE. DEDITOR.

XII. TABVLAR.

AERIS. CONFESI. REBVSQVE. IVRE. IVDICATIS. XXX. DIES. IVSTI. SVNTO. POSTEINDE. MANVS. INIECTIO. ESTO. IN. IVS. DVCITO. NI. IVDICATVM. FACIT. AVT. QVIPS. ENDO. EO. IN. IVRE. VINDICIT. SECVM. DVCITO. VINCITO. AVT. NERVO. AVT. COMPEDIBVS. XV. PONDO. NE. MAIORE. AVT. SI. VOLET. MINORE. VINCITO. SI. VOLET. SVO. VIVITO. NI. SVO. VIVIT. QVI. IM. VINCTVM. HABEBIT. LIBRAS. FARIS. ENDO. DIES. DATO. SI. VOLET. PLVS. DATO. . . . . TERTIIS. NVNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLVS. MINVSVE. SECVERVNT. SE. FRAVDE. ESTO. SI. VOLENT. VLS. TIBERIM. VENVMDANTO.

RES. MANCVPI. LIBRIPENDE. CIVIBVSQVE. QVINQVE. PVBERIBVS. SVPERSTITIBVS. NE. MINVS. ALIENANTOR. AST. QVI. MANCVPIO. ACIPIT. LIBRAM. TENENS. ITA. FAMINO. HANC. EGO. REM. EX. IVRE. QVIRITIVM. MEAM. ESSE. AIO. EAQVE. MIHI. EMPTA. ESTO. HOC. AERE. AENEAQVE. LIBRA. POSTIDEA. RAVDVSCVLO. LIBRAM. FERITO. RAVDVSCVLVMQVE. A. QVO. MANCVPIO. ACIPIT. DATO.

QVVM. NEXVM. FACIET. MANCVPIVMQVE. VTI. LINGVA. NVNCVPASIT. ITA. IVS. ESTO. SI. INFICIAS. IERIT. DVPLIONE. MVLTATOR.

NEX . . . . FORCTI. SANATIQVE. SIREMPS. IVS. ESTO.

RES. VENDITA. TRANSQVE. DATA. EMPTORI. NON. ACQVIRITOR. DONICVM. SOLVTVM. SATISDATVM. SATISFACTVMVE. ESCIT.

SI. QVID. ENDO. DEPOSITO. DOLO. MALO. FACTVM. ESCIT. DVPLIONE. LVITOR.

SI. QVIS. PERDVELEM. CONCITASIT. CIVEMVE. PERDVELLI. TRANSDVIT. CAPITAL. ESTO.

PATRIBVS. CVM. PLEBE. CONVBII. IVS. NEC. ESTO.

MVLIERIS. QVAE. ANNVM. MATRIMONII. ERGO. APVD. VIRVM. MANSIT. NI. TRINOCTIVM. AB. EO. VSVRPANDI. CAVSA. ABESCIT. VSVS. AVCTORITAS. ESTO.

MATERFAMILIAS. VIRO. FILIAE. LOCO. DIVINI. HVMANIQVE. IVRIS. SOCIA. ESTO.

PATER. QVOD. CONTRA. FORMAM. HVMANI. GENERIS. CONVERSO. MORE. PROCREATVM. ERIT. SI. VOLET. ACTAE. LEGATO.

PATRI. ENDO. LIBERIS. IVSTIS. IVS. VITAE. NECISQVE. VENVMDANDIQVE. POTESTAS. ESTO.

SI. PATER. FILIVM. TER. VENVMDVVIT. FILIVS. A. PATRE. LIBER. ESTO.

SI. VIR. MVLIERI. REPVDIVM. MITERE. VOLET. CLAVES. ADIMITO. DOMO. EXIGITO. RES. SVAS. SIBI. HABERE. IVBETO.

PATRONVS. SI. CLIENTI. FRAVDEM. FAXIT. SACER. ESTO.

SODALES. DVM. NE. QVID. EX. PVBLICA. LEGE. CORVMPANT. PACIONEM. QVAM. VOLENT. SIBI. FERVNTO.

SI. QVIS. NOX. IN. VRBE. COETVS. AGITASIT. CAPITAL. ESTO.

TIGNVM. IVNCTVM. AEDIBVS. VINEAEVE. ET. CONCAPIT. NE. SOLVITO. QVI. IVNXIT. DVPLIONEM, PRAESTATO. . . . . . . QVANDOQVE. SARTA. DONEC. DEMPTA. ERVNT. . . . .

AMBITVS. INSVLAE. SESTERTIVS. PES. ESTO.

ADFINIBVS. INTRA. V. PEDES. VSVS. AVCTORITAS. NE. ESTO. SI. IVRGANT. FINIBVS. REGVNDIS. PRAETOR. ARBITROS. TRES. DATO.

VSVS. AVCTORITAS. FVNDI. BIENNIVM. ESTO.

ADVERSVS. HOSTEM. AETERNA. AVCTORITAS. ESTO.

VIA. IN. PORECTO. VIII. P. IN. AMFRACTO. XVI. P. LATA. ESTO.

AMSEGETES. VIAM. MVNIVNTO. SI. VIA. INMVNITA. ESCIT. QVA. VOLET. IVMENTVM. AGITO.

SI. AQVA. PLVVIA. NOCET. VICINO. ARCERE. IVS. ESTO.

SI. QVIS. AEDES. ACERVVMVE. FRVMENTI. IVXTA. DOMVM. POSITVM.

GAIVS LIBR. I.

INSTITVTIONVM.

* * *

EST autem mancipatio vt & supra quoque indicauimus, imaginaria quædam venditio, quod ipsum ius proprium Romanorum est ciuiũ. Eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus ciuibus Rom. puberibus, & præterea alio eiusdem condicionis, qui libram æneam teneat qui appellatur Libripens. Is qui mãcipium accipit, æs tenens ita dicit, Hunc ego hominem ex iure quiritium meum esse aio, isque mihi emptus ex hoc ære æneáque libra. Deinde ære percutit libram: idque æs dat ei, à quo mancipium accipit quasi pretij loco.

* * *

GAIVS LIB. II. INSTITVTIONVM.

* * *

IN iure autem cessio fit hoc modo. Apud Magistratum populi Rom. veluti apud Prætorem vel Præsidem prouinciæ is cui res in iure ceditur, remtenens ita vindicat. Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic vindicauerit, Prætor interrogat qui cedit eum; An contra vindicet: quo negante aut tacente, tunc ei qui vindicauerit eam rem addicit: ídque legis actio vocatur.

* * *

GAII INSTITVTIONVM EPITOME.

De Libertatibus seruorum. *Tit. I.*

GAij Institutionum liber primus dicit omnes homines aut liberos esse aut seruos. Sed ex his ipsis qui liberi sunt, alios esse ingenuos, alios libertinos. Ingenuos, qui ingenui nati sunt. Libertinos, qui pro iusta seruitute manumissi, liberi fiunt. Ingenuorum omnium vnus status est. Libertorum verò ideò non vnus est, quia tria sunt genera libertorum: quia liberti aut ciues Romani sunt, aut Latini, aut Dedititij. Tamen qui ciues Romani sint, qui Latini, qui Dedititij, breuiter explanandum est. Ciues Romani sunt, qui hiis tribus modis, id est, testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem fuerint manumissi. Latini sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione manumittuntur. Dedititij vero sunt, qui post admissa crimina suppliciis subditi, & publicè pro criminibus cæsi sunt: aut in quorum facie vel corpore quæcunque indicia aut igne aut ferro impressa sunt, & ita impressa sunt, vt deleri non possint: hij si manumissi fuerint, Dedititij appellantur. Sed inter hæc tria genera liberto-

rum ideo ciues Romani meliorem statum habent: quia & testamenta facere, & ex testamēto quibuscunque personis succedere possunt. Nam & Latini, & Dedititij nec testamenta concedere, nec sibi ex testamento aliorum aliquid dimissum possunt vllatenus vindicare. Tamen Latini certis rebus priuilegia ciuium Romanorum Libertorum consequi possunt: Dedititij verò nulla ratione possunt ad ciuium Romanorum Libertorum beneficium peruenire. Nam Latini patronorum beneficio, id est, si iterum ab ipsis aut testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem manumittantur, ciuium Romanorum priuilegia consequuntur. Non tamen omnes domini seruos suos manumittere possunt. Nam si aliquis multa debita habeat, cuius substantia à creditoribus teneatur obnoxia, si in fraudem creditoris sui seruos suos manumittere voluerit, collata manumissio non valet. Aut si libertus ciuis Romanus filios liberos non habuerit, & in fraudem patroni sui seruos suos manumittat, similiter data manumissio non valet. Præterea minor quicunque viginti annorum dominus, seruo suo libertatem dare non potest, nisi forte tantum minor manumissor, cui pater suus vel mater à patrono donati sunt, eosdem manumittat, aut certe pædagogum, aut conlactaneum manumittat. Nam quamlibet dominus, id est quatuordecim annos egressus, testamentum facere possit, & heredem instituere, & legata relinquere, libertatem tamen seruis non potest in hac ætate conferre.

De numero seruorum testamento manumittendorum. Tit. II.

Constitutum est, quantum seruorum numerum testamento, de quanta familia liceat manumitti, hoc ordine: vt si quis duos seruos habet, ambos manumittere possit: qui vero tres, duos testamento manumittat. Qui quatuor, similiter duos. Qui sex, tres, Qui octo, quatuor. Qui decem, quinque Qui vndecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim, decem & septem: similiter quinque. Qui decem & octo, sex. Et ab hoc numero vsque ad triginta, tertiam partem manumittere liceat. Qui amplius quàm triginta habuerit, vsque ad centum, quartam partem de numero seruorum manumittere potest. Qui vero plures quam cētum habuerit, quintam partem manumittere potest. Sed & hoc statutum est, vt de quamlibet grandi familia, nulli amplius, quàm centum testamento manumittere liceat. Nam qui voluerit aut in Ecclesia, aut ante Consulem, aut inter amicos, aut per epistolam manumittere, potest hiis manumissionibus omnem familiam iugo seruitutis absoluere. Nam si aliquis testamento plures manumittere voluerit, quàm continet numerus suprascriptus, ordo seruandus est: vt illis tantum libertas valeat, qui prius manumissi sunt, vsque ad illum numerum, quem explanatio continet superius comprehensa. Qui vero postea supra constitutum numerum manumissi leguntur, integre in seruitute eos certum est permanere. Quod si non nominatim serui, vel ancillæ in testamento manumittantur, sed confuse omnes seruos suos, vel ancillas is qui testamentum facit, liberos facere voluerit, nulli penitus firma esse iubetur hoc ordine data libertas, sed omnes in seruili condicione, qui hoc ordine manumissi sunt, permanebunt. Nam & si ita in testamento seruorum manumissio adscripta fuerit, id est, in circulo, vt qui primus, qui posterior

ſterior nominatus ſit non poſſit agnoſci, nulli ex hiis libertatem valere manifeſtum eſt, ſi agnoſci non poteſt qui primus qui poſterior manumiſſus fuerit. Nam ſi aliquis in ægritudine conſtitutus, in fraudem huius legis facere noluerit teſtamentum, ſed epiſtolis, aut quibuſcunque aliis rebus ſeruis ſuis pluribus quàm per teſtamentum licet, cõferre voluerit libertates, & ſub tempore mortis hoc fecerit, hij qui prius manumiſſi fuerunt, vſque ad numerum ſuperius conſtitutum, liberi erunt. Qui vero poſt ſtatutum numerum manumiſſi fuerint, ſerui ſine dubio permanebunt: nam ſi incolumis quoſcunque diuerſo tempore manumiſit, inter eos qui per teſtamentum manumiſſi ſunt nullatenus computentur.

De iure perſonarum. *Tit.* III.

ALiquæ perſonæ ſui iuris ſunt, aliquæ alieno iuri ſubiectæ ſunt. Itaque cum oſtenditur quæ perſonæ alieno iuri ſubiectę ſint, tunc euidenter agnoſcitur quæ ſui iuris ſint. In poteſtate itaque dominorum ſunt ſerui, quam poteſtatem omnes gẽtes habere certum eſt: ſed diſtringendi in ſeruos dominis pro ſua poteſtate permittitur, occidendi tantum ſeruos ſuos domini licentiam non habebũt: niſi forte ſeruus dum pro culpæ modo cæditur, caſu forſitã moriatur. Nam ſi ſeruus dignum morte crimen admiſerit, iis Iudicibus quibus publici officij poteſtas commiſſa eſt, tradendus eſt, vt pro ſuo crimine puniatur. In poteſtate etiam patrum ſunt filij, ex legitimo matrimonio procreati.

De matrimoniis. *Tit.* IIII.

LEgitimæ ſunt nuptiæ, ſi Romanus Romanam nuptiis interuenientibus, vel conſenſu ducat vxorem. Sed non omnes perſonas vxores ducere licet: quia nec patri filiam, nec filio matrem, nec auo neptem, nec nepoti auiam. Quod non ſolum de perſonis, quę nobis propinquitate coniunctæ ſunt, ſed etiam de adoptiuis, hoc eſt adfiliatis iuſſum eſt obſeruari. Nam etſi per emancipationem adoptio diſſoluatur, nuptias tamen inter has perſonas ſemper conſtat illicitas. Inter fratrem quoque & ſororem, ſiue eodem patre ac matre nati fuerint, ſiue diuerſis matribus aut patribus, matrimonia eſſe non poſſunt. Inter adoptiuos etiam fratres illicita ſunt coniugia, niſi forte adoptio emancipatione fuerit diſſoluta: nam ſi emancipatio interuenerit, nuptiæ inter huiuſmodi fratres licitò contrahuntur. Fratris quoque & ſororis filiam vxorem ducere non licet: ſororem quoque patris ac matris vxores accipere non licet: genero quoque ſocrum ſuam: nec ſocero nurum vxorem accipere licet, neque vitrico priuignam, neque priuigno nouercam. Fratres enim amitinos vel conſobrinos in matrimonium iungi nulla ratione permittitur. Sed nec vni viro duas ſorores vxores habere: nec vni mulieri duobus fratribus iungi permittitur. Quod ſi quis inceſtas vel nefarias, id eſt, quæ ſunt ſuperius comprehenſæ, nuptias inierit, nec vxorem habere videtur, nec filios. Nam hij qui ex huiuſmodi cõceptione nati fuerint, quamlibet matrem videantur habere, patrem vero nullatenus habere cenſentur, & tanquam ſi de adulterio concepti fuerint computantur: qui ſpurij appellantur, hoc eſt, ſine patre filij. Regula iuris hoc cõti-

net, vt qui legitimè concipiuntur, tempore conceptionis statum sumant: qui vero non de legimo matrimonio concipiuntur, statum sumant eo tempore quo nascuntur. Ac proinde legitima coniunctione conceptus, etiamsi mater eius statum mutet, id est, si ancilla fiat, ille qui legitime cõceptus est, ingenuus nascitur. nam qui non legitimo matrimonio concipitur, si mater eius ex ancilla dum pręgnans est, libera facta fuerit, liber nascetur: si vero ex ingenua ancilla prægnans facta fuerit, seruus nascetur: quia non legitimè, sed vulgo conceptus est.

De adoptionibus. *Tit. V.*

ADoptio naturę similitudo est, vt aliquis filiũ habere possit, quem non generauerit. Et ipsa adoptio duobus modis fit. vna quę arrogatio dicitur: alia, quæ adoptio. Arrogatio est, quando aliquis patrem non habens adoptatur, & ipse se in potestatem adoptiui patris dat. Et ideo arrogatio dicitur, quia & ille qui adoptat apud curiam interrogatur, vtrum illum quem adoptat filium habere velit: & ille qui adoptatur, interrogatur, vtrum id fieri velit. Illa vero alia adoptio est, vbi quis patrem habens, ab alio patre adoptatur: & ita ille qui adoptatur de certi patris potestate discedit, & in adoptiui patris incipit esse potestate. Nam & feminæ adoptari possunt, vt loco filiarum adoptiuis patribus habeãtur: feminæ vero adoptare non possunt, quia nec filios a se natos in potestate habent. Spadones autem qui generare non possunt, adoptare possunt. Et licet filios generare non possint, quos adoptauerunt filios habere possunt. Si quis vero filios habens se dederit adoptãdum, non solum ipse in patris adoptiui potestatem redigitur, sed & filij eius, si tamen auum paternum non habuerint, in adoptiui patris transeunt potestatem, tanquam nepotes.

Quibus modis filij exeunt de potestate patris. *Tit. VI.*

FIlij, qui in potestate patris sunt, mortuo patre sui iuris fiunt. Sed si hic filius, qui morte patris sui iuris effectus est, filios habeat, in eius post patris sui obitũ erunt filij potestate. Nam si pater moriatur, & auus paternus viuat, nepos ex filio sui iuris esse non potest: quia in aui remanet potestate, qui auo mortuo sui iuris efficitur. Itẽ si moriatur pater, & relinquat filium emancipatum, & ex eodem filio emancipato nepotes, tũc nepotes liberi & sui iuris erunt, & in patris emancipati potestatem nõ veniũt. Item de potestate patris exeũt filij, si pater eorum in exiliũ missus fuerit: quia non potest filium ciuem Romanum in potestate habere homo peregrinę cõdicionis effectus. Item filius si viuo patre in exilium missus fuerit, in potestate patris ciuis Rom. esse non potest, quia similiter peregrinæ cõdicionis factus cognoscitur. Item si ab hostibus pater captus sit, in potestate quandiu apud hostes fuerit filios non habet. Sed si de captiuitate euaserit, iure postliminij omnẽ, sicuti in aliis rebus ita & in filios recipit potestatem. Si vero pater, qui ab hostibus captus est, in captiuitate moriatur, ab eo tempore, quo ab hostibus captus est, filij sui iuris effecti intelliguntur. Item per emancipationẽ filij sui iuris efficiuntur. Sed filius masculus tribus emancipationibus de potestate

patris

patris exit, & sui iuris efficitur. Mancipatio autem, hoc est manus traditio, quædam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus præter illum, hoc est certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est manu tradit, a quo fiduciario patre naturalis pater vnum aut duos nummos, quasi in similitudinem pretij accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri mancipat & tradit. Hoc secundo & tertio fit, & sic de patris potestate exit. Quæ tamẽ mancipatio solebat ante præsidem fieri, modo ante Curiam facienda est, vbi quinque testes ciues Ro. in præsenti erunt, & pro illo qui Libripens appellatur, id est, staterem tenens, & qui Antestatus appellatur, alij duo, vt septem testium numerus impleatur: tamen cum tertio mancipatus fuerit filius à patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, vt ei à fiduciario patre remancipetur, & à naturali patre manumittatur: vt si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius succedat. Feminæ, vel nepotes masculi ex filio, vna emancipatione de patris vel aui exeunt potestate, & sui iuris efficiuntur. Et hij ipsi quamlibet vna mancipatione de patris vel aui potestate exeant, nisi à patre remancipati fuerint, & à naturali patre manumissi, succedere eis naturalis pater non potest, nisi fiduciarius à quo manumissi sunt. nam si remancipatum sibi naturalis pater vel auus manumiserit, ipse eis in hereditate succedit. Quod si habeat quis filium, & ex eo nepotes, & voluerit filium emancipare, & nepotes in sua potestate retinere, in arbitrio eius est: aut si voluerit nepotes emancipare, & filium in sua potestate retinere, & hoc ei pro iuris ordine licere manifestum est. Quod non solum de nepotibus, sed & de pronepotibus similiter facere potest.

De Tutelis. *Tit. VII.*

TVtores aut legitimi sunt, aut testamentarij. Legitimi sunt, qui pupillo per virilem sexum propinquitate coniunguntur: & qui proximior fuerit de agnatis, ad ipsum legitima tutela pertinet: quia is qui proximus fuerit ad tutelam, ipse proximus est ad hereditatem. Testamentarij sunt, quos patres aut aui paterni in testamento suo tutores filiis, aut nepotibus delegauerint. Quod si nec testamentarius tutor fuerit nec legitimus, tunc inquisitione iudicis pupillis tutores dantur.

De Curationibus. *Tit. VIII.*

PEractis pupillaribus annis, quibus tutores absoluuntur, ad curatores ratio minorum incipit pertinere. Sub curatore sunt minores ætate, maiores euersores, insani. Hij qui minores sunt, vsque ad viginti & quinque annos impletos sub curatore sunt. Qui vero euersores, aut insani sunt, omni tempore vitæ suæ sub curatore esse iubentur: quia substantiam suam rationabiliter gubernare non possunt.

De rebus. Tit. IX.

GAius superiori commentario de iure personarum aliqua disputauit. Nunc in hoc commentario de rebus iterum tractat. Omnes itaque res aut nostri iuris sunt, aut diuini, aut publici. Nostri iuris sunt, quæ in proprietate nostra esse noscũtur. Diuini iuris sunt Ecclesiæ, id est templa Dei, vel ea patrimonia ac substantiæ, quæ ad Ecclesiastica iura pertinent. Publici iuris sunt, muri, fora, portæ, theatra, circus, arena, quæ antiqui sancta appellauerunt, pro eo quod exinde tolli aliquid aut contingi non liceret: sed hæc omnia in nullius bonis sunt, ideo publici iuris esse dicuntur. Sed & res hereditariæ autequam aliquis heres existat, id est quando dubitatur, vtrum scriptus, an legitimus heres succedere debeat, in nullius bonis esse videntur. Præterea quædam res corporales sunt, quædam incorporales. Corporales sunt, quæ manu tangi possunt, velut ager, mancipium, vestis, aurum, argentum, & hiis similia. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea quæ non in corpore, sed in iure consistunt, sicut est hereditas & obligationes diuersis contractibus scriptæ. Et licet hereditas, vel emptio, aut diuersi contractus res corporales in se habeant, ius tamen ipsius hereditatis vel emptionis, aliorúmque contractuum incorporale est. Incorporalia etiam sunt iura prędiorum vrbanorum vel rusticorum. Prędiorum vrbanorum iura sunt, stillicidia, fenestræ, cloacę, altius erigendę domus, aut non erigendæ, & luminum, vt ita quis fabricet, vt vicinę domui lumen non tollat. Prędiorum vero rusticorum iura sunt, via vel iter, per quod pecus aut animalia debẽt ambulare, vel ad aquã duci, & aquęductus, quæ similiter incorporalia sunt. † Hęc iura tamen rusticorum prædiorum Seruitutes appellantur. Item regulariter constitutum est, vt superposita inferioribus cedant: id est, vt si quis in solo nostro, sine nostro permissu domum ædificauerit, ad eum cuius terra est domus ædificata pertineat. Vel si aliquis in agro nostro arbores, aut vineam, vel plantas quascunque posuerit, similiter superficies solo cedit. † Vel si messem in campo seminauerit, omnia hæc quæ in terram alienam iactantur, domino terræ acquiruntur. Quod & de chartis & pergamenis, si in alienis scribat, licet aureis vel argenteis literis similiter eius est scriptura, cuius charta aut pergamena fuerit. Quod & de tabula, hoc est, si aliquis in tabula mea picturam fecerit, obseruatur: quia statutum est, vt tabulæ pictura cedat. Quod si quis ex vuis meis vinum, aut spicis frumentũ, aut ex oliuis oleum fecerit, eius vinum, triticum, vel oleum est, cuius spicæ, aut vuæ, aut oliuæ fuerint. Si quis etiam ex tabulis alienis nauem aut armarium, aut quodcunque ad vsum pertinens, fecerit, simili ratione eius erunt quæ facta fuerint, de cuius ligno facta probantur. Similiter etiam, si ex lana vel lino alieno vestimentum fecerit, eius erunt vestimenta, cuius lana vel linum fuisse probabitur. Sed in hiis omnibus superius comprehensis, quicunque in terra aliena aliquid posuerit, aut ædificauerit, aut horum quæ dicta sunt aliquid fecerit, illis qui aliena præsumpserunt hoc competit, vt expensas vel impendia, quæ in hiis fecerint, à dominis, qui rem factam vindicant, recipere possint. Acquiritur autem nobis non solum per nosmetipsos, sed & per eos qui in potestate nostra sunt, sicut filij vel serui: quia quicquid hiis à qualibet persona donatum vel venditum fuerit, aut heredes fuerint instituti, id patribus & dominis sine aliqua dubitatione conquiritur:

† *yρ. Et iura tamen rusticorũ quã vrbanorũ prædiorũ.*

† *aliàs superficiem solo cedat.*

conquiritur: præter eos filios, quibus per leges castrense peculium habere permissum est. Hij vero serui qui in vsufructu nostro & in proprietate alterius sunt, hoc tantum vsufructuario acquirere possunt, quod opere aut manibus suis fecerint, aut de mercedibus operis sui acceperint. Nam si eis aut hereditas aut legatum dimittatur, aut donationis aliquid conferatur, hoc proprietario domino, non vsufructuario acquiritur.

De testamentis. *Tit. X.*

PEr vniuersitatem, hoc est, omnia simul bona acquirimus hereditate, emptione, adoptione: quia is qué adoptauerimus, si sine patre est, cum omnibus bonis suis ad nos transit. Id quoque statutum est, quòd non omnibus liceat facere testamentum. Sicut hij sunt, qui sui iuris non sunt, & alieno iuri subiecti sunt, hoc est, filij tam ex nobis nati, quàm adoptiui. Item testamenta facere non possunt impuberes, id est, minores XIIII. annorum, aut puellæ XII. Item & hij qui furiosi, id est mente insani fuerint, non possunt facere testamenta. Sed hij qui insani sunt, si interualla ipsius insaniæ habent, per interualla quibus sani sunt, possunt facere testamenta.

De exheredatione liberorum. *Tit. XI.*

IS qui filios in potestate habet, curá agere debet, vt testamentum faciens, masculum filium aut nominatim heredem instituat, aut nominatim exheredet. Nam si masculum filium in testamento præterierit, non valebit testamentum: si verò filiam præterierit, non rumpit testamentum filia prætermissa, sed inter fratres suos, legitimo stante testamento, suam sicut alij fratres consequitur portionem. Si vero testamento extranei heredes scripti fuerint, stante testamento filia medietatem hereditatis acquirit. Nam si facto testamento, in quo filius masculus prætermissus est, euenerit, vt viuente adhuc patre filius qui prætermissus est moriatur, sic quoque, quamlibet filius ille mortuus fuerit, testamentum quod factum est non valebit. Postumorum duo genera sunt: quia Postumi appellantur hij, qui post patris mortem de vxore nati fuerint: & illi qui post testamentum factum nascuntur. Et ideo nisi is qui testamentum facit, in ipso testamento comprehenderit: Quicunque filius aut filia mihi natus, natáve fuerit, exheres mihi sit: aut certe dicat, exheres sit, valere eius non potest testamentũ: quia sicut superius iam dictum est, legitime cõcepti pro natis habentur. Nisi quod melior condicio est postumæ quàm natæ. Quia nata si prætermissa fuerit, non rumpit testamentum, postuma verò, sicut masculus, testamentum rumpit. Si quis post factum testamentum adoptauerit apud populum illum, qui sui iuris est, hoc est, qui patrem non habet, aut apud Prætorem illum adoptauerit qui in potestate patris est, quasi ei filius natus sit, ita eius rumpitur testamentum: posteriore quoque testamento, quod iure factum est, id quod iure factum antè fuerat, rumpitur. Quod si facto posteriore testamento, heres scriptus, aut ante aditionem hereditatis moriatur, aut viuo testatore defecerit, aut condicio possibilis, sub qua heres institutus est, impleta non fuerit, is qui testamentum fecit intestatus mori videtur: quia testamentum quod prius fecerat, testamẽto posteriore rescissum est, & quod po-

ſterius factum eſt, hiis rebus quas diximus infirmatur. Alio quoque modo teſtamenta iure facta infirmantur, ſi aliquis poſt factum teſtamentum capite minuatur: id eſt, aut ab hoſtibus capiatur, aut pro crimine in exilium deputetur. Similiter & ſi qui adoptatus fuerit, teſtamẽtum quod antequam adoptaretur fecerat, non valebit.

Heredes autem ſui ſunt, aut neceſſarij, aut extranei. Sui heredes appellantur, filij aut nepotes ex filiis maſculis, quos in poteſtate auus vel pater habet. Neceſſarij ſunt heredes, ſerui qui cum libertate heredes inſtituuntur. Neceſſarij ideo, quia aut velint, aut nolint, neceſſe eſt eis heredes eſſe. Nam qui creditoribus tenentur obnoxij, & putant ſe non tantum in ſubſtantia, quantum in debitis relinquere, ipſi ſeruos ſuos manumittunt, & heredes neceſſarios faciunt, vt quò magis heres quàm dominus infamiam incurrat, cùm res eius, id eſt, hereditas domini pro debitis vẽditur, & creditoribus datur. Extranei ſunt, qui nullo propinquitatis gradu teſtatori iunguntur, ſed eos quicunque pro arbitrio ſuo ſcribit heredes.

De ſubſtitutionibus & de faciendis ſecundis tabulis. Tit. XII.

SVbſtitutio eſt, quæ poſt inſtitutionem à teſtatore fieri ſolet, id eſt ſecundi heredis appellatio. Et duæ ſunt, quarum vna vulgaris dicitur, alia pupillaris. Vulgaris dicitur: Ille heres mihi eſto, ſiue hoc filio, ſiue extraneo. Quod ſi hereditatem meã adire nolueris, illum ſubſtituo ad quem hereditas mea debeat pertinere. Pupillaris ſubſtitutio filiis tantummodo impuberibus dari poteſt, quę ita fit: Ille filius meus, ſi intra pubertatem deceſſerit, illũ ei ſubſtituo. Sed pupillaris ſubſtitutio ita ſecreta eſſe debet, vt ad notitiam ſubſtituti peruenire non poſſit, ne vitæ pupilli aliquas ſubſtitutus inſidias moliatur. Nam in extrema pagina teſtamenti fieri debet, vt pars illa in qua ſubſtitutio pupillaris ſcripta eſt, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obſignata permaneat, & prior pars teſtamenti, in qua heres ſcriptus eſt, reſeratur. Hoc etiam † & de donis fieri poteſt: Nam ſi extraneus heres ſcriptus ſit, etſi aliquem ſubſtituere nõ poſſumus, vt ſi heres extiterit, & intra aliquod tempus mortuus fuerit, alius ei heres ſit, poteſt tamen per fideicommiſſum obligari, vt alij, rogatus à teſtatore, hereditatem aut integram, aut pro parte reſtituat.

† itaq; eiſdẽ paginis.

De Legatis. Tit. XIII.

LEgatorum genera ſunt quatuor, vendicationis, damnationis, ſinendi modo, & pręceptionis. Vendicationis legatum eſt, ſi teſtator ſic loquutus fuerit: Illum ſeruum tibi do, aut lego: Vel, illam rem tibi præſume, habe, vindica. Quod poſt mortem teſtatoris ſtatim legatarius, non expectato herede, ſibi præſumit. Quam ſi præſumpſerit, nec pro præſumpto legato ab herede poteſt calumniam ſuſtinere, nec ſi aliena res fuerit quæ legata eſt, legatarius hoc poterit ab herede repetere. Si per vendicationem vna res multis legata ſit, & ſinguli hanc ipſam rem præſumere velint, æquales ſinguli de re legata capiunt portiones.

Per damnationem iſto ordine legatum dimittitur, vt teſtator in teſtamento ſcribat: Tu heres meus illi hoc da, aut illud illi ab herede meo dari iubeo. In quo genere legati, etiã alienæ res per legatum dimitti poſſunt. Et neceſſe eſt heredi

heredi aut redimere eam rem, quæ iuris alieni est, & legatario tradere, aut si is cuius est res, vendere noluerit, quantū res illa valebit, legatario in pretio compensare. Sed si testator rem alienam quasi suam credens, per hoc genus legatum reliquerit, legatarius hoc ab herede petere non potest, & inutile est legatum. Nam si sciens alienam esse, per legatum dederit, necesse est ab herede aut ipsam rem, aut ęstimationem rei in pretio legatario dari. Ceterum inter damnationis legatum & vendicationis hoc interest, quod per vendicationem res aliena relinqui nō potest: per damnationem eo pacto, quo superius comprehensum est, potest. Illæ etiam res, quæ in rerum natura non sunt, per damnationem legato dimitti possunt: velut si ita testator in testamento scribat: Fructus qui ex illo agro nati fuerint, aut id quod ex illa ancilla natū fuerit. Quod in legato vendicationis fieri non potest: quia non potest hęc legatarius testatore mortuo continuo vendicare. Inter legatum vendicationis & damnationis ista similitudo est, quod per legatum vendicationis, siue damnationis, si cōiunctim, id est, duobus aut pluribus vna res in legato dimissa fuerit, in vtroque legato simul ab omnibus præsumatur. Inter legatum vendicationis, & damnationis ista distantia est, vt si disiunctim, id est, singulis quæcunque res per legatum damnationis relicta fuerit, singulis integra debeatur. Id est, vt vnus rem ipsam accipiat, alij æstimationem rei ipsius in pretio ab herede percipiant. Sinendi modo hęc legati verba sunt: Ille heres meus rem illam illum permitte præsumere, & sibi habere. Nam & propriā rem testator & heredes sui, & alienam, per sinendi legatum relinquere potest. In quo legato nō quidem heres legatario rem quæ relicta est iubetur tradere, sed vendicanti legatario non permittitur prohibere. Præceptionis vero legatum, non nisi vni ex heredibus dari potest, vt aliquid ei ex hereditate præcipuum relinquatur, etsi aut coniunctim, id est multis, aut disiunctim singulis relinquatur, omnibus vna res tantum quæ nominata est debetur, non vni res, & alij æstimatio, sicut in legato damnationis est constitutum.

De lege Falcidia. *Tit. XIIII.*

LEge Falcidia constitutum est: quicunque heres fuerit institutus, quartam partem totius hereditatis habeat. Quod si testator hereditatem suam legatis exinanierit, hoc statutum est, vt Falcidiam sibi de imminutione legatorum heres retineat, constante nihilominus testamento. Hic de Pauli sententiis addendum.

De fideicommissis. *Tit. XV.*

POtest aliquis recto iure heredem instituere, & rogare eum, vt hereditatem suam, aut omnem, aut ex parte alij per fideicommissum reddat. Nam si heredem directo iure non instituerit, fideicommissarius non potest ad alium acceptam hereditatem transmittere. Sed in hac quoque re hoc obseruandum est, quod de Falcidia supra iam dictum est, vt heres institutus etiamsi omnem hereditatem alij restituere † iussus sit, ita hereditatem alij restituat, vt quartam sibi ex ipsa hereditate retineat. Et singulæ quæcunque res pęr fideicommissum dimitti possunt, hoc est, aut fundus, aut domus, aut mancipium, aut argentum. Ab ipso fideicom-

† *scriptum aliàs scriptus.*

commissario alteri fideicommissum dimitti potest. Et à legatario, licet legatum dimitti non possit, fideicommissum potest. Et non solum propriæ aut legatarij, aut cuiuslibet extranei, ne legatarius cui per testamentum res à testatore per fideicommissum dimitti possunt, sed etiam ipsius heredis, parum dimissum est, plus alij per fideicommissum, quàm id quod consequitur reddere iubeatur. Cùm autem aliena res per fideicommissum relinquitur, necesse est heredi, vel legatario, rem illam quæ per fideicommissum est relicta, aut redimere, & fideicommissario dare, aut pretium eiusdem rei, quãtum æstimata fuerit, fideicommissario numerare, sicut in damnationis legato fieri diximus. Libertates etiam seruis per fideicommissum dari possunt, vt heres vel legatarius ea mãcipia manumittãt, quę testator ab hiis vt manumitterẽt, sperauit. Nec interest, vtrum hoc testator de suis seruis, an de ipsius heredis vel legatarij, aut de alienis fieri iubeat. Quod si de alienis fecerit, similiter cogitur heres emere ipsum seruum & manumittere. Sed si illum dominus suus noluerit vendere, perit per fideicommissum data libertas: quia in hac re heres æstimationem in pretio dare non cogitur, sed cùm per fideicommissum libertas datur, is qui manumissus fuerit, non testatoris, sed heredis libertus est. Præterea inter fideicommissa & legata sunt quędam distantię. Fideicommissum ad eum, cui aliquid dimissum est, herede mortuo peruenire, si tamen talis fuerit condicio testamenti: nam legatum ita relinqui non potest. Item, legatum per codicillum relictum non valet, nisi codicilli testamento fuerint confirmati: fideicommissum vero etiamsi testamento codicilli non fuerint confirmati, nihilominus debetur. Item per legatarium legatum alteri relinqui non potest, sed fideicommissum potest. Item, per legatum seruo alieno directa libertas dari non potest, per fideicommissum potest. Item, per codicillos nemo heres institui potest, quamuis testamento confirmati sint, sed is qui testamento heres fuerit institutus, potest per codicillum rogari, vt hereditatem, quæ ei data est, alij totam, vel pro parte restituat. quod validum est, etiãsi codicilli testamẽto non fuerint confirmati. Item quãuis nõ possimus post mortem eius quem heredẽ instituimus, alium ei substituere, tamẽ per fideicommissum rogare eum possumus, vt cùm moriatur, alij eam hereditatẽ vel totã vel pro parte restituat. Et quia, sicut superius dictum est, etiam post mortem heredis fideicommissum ei, cui relictum est, dari potest, quod hoc ordine fit, vt testator scribat: Illum heredem instituo, & volo, vt cùm mortuus fuerit ad illum hereditas mea pertineat. Pręterea & in hoc alia fideicommissorum & legatorum condicio est, quia fideicõmissa, si tardius quàm scriptum est soluta fuerint, vsuræ & fructus debentur: legatorum vero vsuræ nõ debentur, sed ex mora solutionis, si per damnationem relicta fuerint, duplicantur.

De intestatorum hereditatibus. *Tit. XVI.*

INtestatorum hereditates primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes appellãtur, filius filia, nepos neptis, pronepos proneptis ex nepote: quia omnes per virilem sexum descendentes, sui vocantur. Naturales sunt hæ personæ, ac adoptiuæ. Adoptiuorum enim comparatione legitimi naturales appellantur. Sed ita nepos vel neptis ex filio auo sui heredes sunt, si pater eorũ de potestate patris, aut morte, aut

te,aut emancipatione discesserit:nam si eo tempore, quo aliquis moritur, filium in potestate habeat, & ex eo nepotes, illi viuo patre suo, & in potestate aui constituto, sui heredes auo esse non possunt. Similiter Postumi, qui si viuo patre nati fuissent,in potestate eius futuri erant,sui heredes sunt. Si quãdo aliquis moritur, & reliquerit filium, aut filiã, & ex alio filio mortuo nepotes, neptésve,filij vel nepotes ex filio defuncto, patri vel auo, hac ratione succedunt,vt filius vel filia suas portiones accipiant,& nepotes ex filio portionem, quam pater eorum erat habiturus,accipiant. Quia regulariter cõstitutum est, vt inter suos proximior longiore gradu positos non excludat,& non in capita,sed in stirpem diuidatur hereditas. Item si quis moriens filium non relinquat,sed ex duobus masculis filiis dimittat nepotes,hoc est,ex vno filio vnũ, vel duos nepotes, ex altero tres aut quatuor, similiter, sicut superius dictum est,in stirpem,non in capita hereditas diuidatur,hoc modo, vt illi duo nepotes ex vno filio medietatem percipiant, & illi quatuor ex alio filio aliam medietatem:hoc est,vt tales accipiãt portiones, quales patres eorum si vixissent, habituri erant. Si defuerint heredes sui,tunc hereditas defuncti pertinet ad agnatos. Agnati enim sunt per virilẽ sexũ defuncto propinquitate coniuncti, id est cõsanguinei fratres,hoc est,de vno patre nati. Nec disputari potest,si de diuersis matribus nascãtur, qui vno patre geniti sunt. Item patruus, id est frater patris, fratris sui filio agnatus est: ipso modo sunt fratres patrueles, hoc est,qui de singulis germanis nati sunt. Hoc ordine agnoscitur qui sint agnati, sicut suprà diximus,per virilem sexum propinquitate coniuncti. Non tamen omnibus simul agnatis lex hereditatem propinqui intestati dat, sed hiis qui defuncto mortis suæ tempore proximiores inueniuntur. In feminis vero alia condicio est: quia inter feminas sola tantum soror consanguinea habetur agnata,vt germano suo defuncto,ab intestato ei agnationis iure succedat. Reliquæ feminæ,hoc est,amita,id est,patris soror, vel fratris filia, nec in capiendis hereditatibus propinquorum legitimæ sunt, nec masculis propinquis agnationis iure succedunt. Ipsarum vero hereditates ad masculos propinquos agnationis condicione perueniunt. Regulariter constitutum est, vt inter agnatos proximior posterioré excludat, & inter eos non in stirpem,sed in capita ab intestato diuidatur hereditas. Nam inter suos, sicut superius diximus, alia ratio est, vt proximior posteriorem non excludat,& semper hereditas in stirpem, non in capita diuidatur. Nam si quis moriens dimittat germanum, & ex altero germano filios, germanus frater quia gradu proximior est, solus succedit,fratris filij non succedunt. Item si moriatur quis, & de duobus germanis fratribus dimittat filios duntaxat masculos, ex vno fratre dimiserit duos,ex alio quatuor,similiter masculos: omnes quidem fratrum filij patruo suo ab intestato succedunt, sed non in stirpes,sed in capita: ita vt illi duo ex vno patre duas accipiant portiones, & illi quatuor ex alio accipiant quatuor portiones. Nam si sorores habuerint, in patrui hereditatem non veniunt, sicut nec sororis filij in auunculi hereditate succedunt. Nam & hoc regulare est,vt cognati tunc intestatorum propinquorum hereditates capiant,quãdo aut sui,aut agnati defuerint.

De obligationibus. *Tit. XVII.*

OBligatio in duas species diuiditur. Nam omnes obligationes aut ex contractu nascuntur, aut ex culpa. Quæ ex contractu nascuntur quatuor genera sunt, quæ singula hoc ordine distinguuntur. Aut enim re † contrahitur obligatio, aut verbis, aut literis, aut consensu. Re † contrahitur, quoties aliqua cuicunque mutuo dantur, quæ in hiis rebus contingunt, quæ pōdere, numero, mensura continentur: hoc est, si pecunia numeretur, vel frumentum detur, vinum, aut oleum, aut æs, ferrum, argentum, vel aurum. Quæ omnia numerando, aut pensando, aut metiendo, ad hoc damus, vt eorum fiant qui ea accipiunt, & ad nos statuto tempore, non ipsæ res, sed aliæ eius naturæ, quales datę sunt, atque ipsius ponderis, numeri vel mensuræ reddantur. Propter quod mutuum appellatum est, quasi à me tibi ita datum sit, vt ex meo tuum fieret. Verbis contrahitur obligatio, ex interrogatione dantis, & responsione accipientis, ita vt si ille qui dat interroget: Hoc mihi dabis? qui accipiet, respondeat: Dabo. Aut in obligatione debitoris, si aliquis fideiussor accedat, ille † qui personam fideiussori tradit, interroget: Illum fide tua esse iubes? & ille respondeat: Fide mea esse iubeo. Hac cōdicione non solū ille qui debitor est, sed & is qui fideiussor existit, obligantur. Et non solum fideiussor ipse dum viuit: sed & heredes ipsius, si ille defecerit, tenentur obnoxij. Creditor autem, qui pecuniam dedit, in potestate habet ad reddendam pecuniam quem velit tenere, vtrum ipsum debitorē, an fideiussorē. Sed si debitorē tenere elegerit, fideiussorē absoluit. Si vero fideiussorē tenuerit, debitorē absoluit. Quia vno electo, quem idoneum creditor iudicat, alterum liberat. Sunt & aliæ obligationes, quæ nulla præcedente interrogatione contrahi possunt. Id est, vt si mulier siue sponso vxor futura siue iam marito dotem dicat. Quod tam de mobilibus rebus, quàm de fundis fieri potest. Et non solum in hac obligatione ipsa mulier obligabitur, sed & pater eius, & debitor ipsius mulieris, si pecuniam, quā ille debebat sponso creditricis, ipse debitor in dotem dixerit. Hæ tātum tres personæ, nulla interrogatione præcedente, possunt dictione dotis legitimè obligari. Aliæ vero personæ, si pro muliere dotem marito promiserint, communi iure obligari debent, id est, vt & interrogata respondeant, & stipulata promittant. Item & alio casu, vno loquente, & sine interrogatione alio promittente, contrahitur obligatio, id est, si libertus patrono aut donum, aut munus, aut operas se daturum esse iurauerit. Exponendū hic quid sit donum, munus, vel operæ: in qua re supradicti liberti uon tam verborum solēnitate, quàm iurisiurandi religione retinentur. Sed nulla altera persona hoc ordine obligari potest. Præterea inutilis est promissio, etiamsi stipulatione interueniente facta sit, si id aliquis daturum se promiserit, quod sui iuris non est, hoc est, si aut ingenuum hominem quasi seruum se daturū promittat. Aut si mortuum aliquis, quem viuum credebat, promiserit. Aut locum sacrum, aut sanctum, aut religiosum daturum se quicunque promiserit. Præterea inutilis est promissio, si aliquis rem sub tali condicione promittat, quæ impleri pro rei difficultate non possit. Præterea inutilis est interrogatio & promissio, si ita aliquis interroget debitorem: Post mortem meam vel tuam illud dari spondes? Quod propterea inutile visum est, quia à persona heredis obligatio incipere

† aere.

† aere.

† cui persona fideiussoris traditur.

pere non poteſt. Et ideo nec heredi creditoris ſub hac ſponſione obligatur debitor, nec debitoris heres creditori tenetur obnoxius. Item inutilis eſt obligatio, ſi dicat creditor: Pridie quàm moriar dare ſpondes? Vel interroget debitorem: Pridie quàm moriaris. Similiter & hæc ſtipulatio inutilis iudicatur, quia non poteſt ſciri, quando ſit pridie, quàm aliquis moriatur, niſi poſtquam mortuus fuerit. Item, ſi pure interroget creditor, & debitor, ſub cōdicione promittat. Vel ſi creditor decem ſolidos debitorem interroget, & debitor quinque promittat, hoc ordine integrum debitum vacillare cognoſcitur. Si quis nobis pecuniā debeat, poſſumus debitorem noſtrū compellere, vt pecuniā quam nobis redditurus erat, alteri ſe caueat redditurū. Neque poteſt ei, cui pro noſtro debito cauet, de cauto & nō numerato, ſicut fieri ſolet, aliquid diſputationis afferre, cùm id quod à nobis accepit, alteri cauerit redditurum. Literis obligatio fit, aut à re in perſonam, aut à perſona in perſonam. A re in perſonam, velut ſi id quòd ex emptione aut cōductione, aut ſocietate debes, alij reddas. A perſona in perſonam, velut ſi id quod mihi alter debet, alteri perſonæ delegē, vt reddere debeat. Conſenſu fiunt obligationes, ex emptionibus & vēditionibus, locationibus, cōductionibus, ſocietatibus & mādatis. Quia in eiuſmodi rebus, cōſenſus magis, quàm ſcriptura aliqua aut ſolēnitas quæritur. In quibus rebus etiā inter abſentes obligatio contrahi poteſt, quod in aliis rebus fieri non poteſt. Emptio igitur & vēditio cōtrahitur, cùm de pretio inter emptorem & vēditorem fuerit definitum, etiāſi pretium non fuerit numeratū, & nec pars pretij aut arra data fuerit. Locatio & cōductio ſimili ratione cōſiſtunt, vt cōſenſu, etiā verbo definitio inter cōſentiētes firma permaneat. Societatē inire poſſumus, aut omniū bonorū, aut vnius alicuius negotiationis. Et poteſt ita iniri ſocietas; ſi tamen hoc inter ſocios conuenit, vt vnus pecuniam det, alter operam ſuam pro pecunia ponat. Et huius rei definitio etiam verbo inita valet, ita vt quicquid ſocietatis tempore quolibet modo fuerit acquiſitum, ſociis commune ſit. Permanet autem inita ſocietas, donec quandiu in ipſo conſenſu ſocij perſeuerant: quia ſicut conſenſu contrahitur, etiam diſſenſu diſſoluitur. Diſſoluitur ergo ſocietas aut morte vnius ſocij, aut contraria voluntate, aut capitis diminutione, id eſt, ſi vnus ex ſociis, ſicut frequenter ſuprà diximus, capite fuerit diminutus. Similiter & mandari verbo poteſt. Et cum verbis mandatum fuerit, obligatio contrahitur. Poſſumus etiā aut noſtra negotia, aut aliena cuicunque agenda mandare, dummodo honeſtum aliquid agi mandemus. Nam ſi contra mores bonos aliquid mandare voluerimus, hoc eſt, ſi cuicūque mandemus, vt alicui furtum faciat, aut homicidium, aut adulteriū admittat, in his rebus mandati obligatio non contrahitur. Soluitur autem mandatum aut morte, cui mandatum eſt, aut contraria illius voluntate qui mandauit. Sed is cui mandatur, mandati formam egredi non poteſt. Aut ſi egreſſus fuerit, & mandatori teneatur obnoxius, & quod extra mandatum egit, non præiudicet mandatori.

Quibus modis obligatio tollatur. *Tit. XVIII.*

TOllitur obligatio ſoluti debiti. Pręterea aliquoties tollitur obligatio, etiam ſi aliquid quàm cautum fuerat à debitore creditori reddatur. Nam ſi quicunque pro pecunia, quam creditori cauit, acquieſcente creditore, aurum, aut argentū, aut mancipia, vel alias quaſlibet ſpecies, habita

æstimatione consentiente creditore dederit, obligatio euidenter tollitur.

Quia de obligationibus, quæ ex contractu nascuntur, diximus, superest vt de his obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, simpliciter disputemus. Ex delicto nascuntur obligationes, si aliquis furtum fecerit, vel bona aliena rapuerit, vel damnum alteri dederit, aut iniuriam fecerit. Quarum omnium rerum vno genere ex delicto nascitur obligatio. Furtorum autem sunt genera quatuor, manifesti, nec manifesti, cõcepti, & oblati. Manifestum furtum dicitur, siquando fur cum cuiuscunque rem tollit, in ipso furto deprehenditur. Nec manifestum furtum appellatur, quod quamlibet dum fieret inuentum non est, tamen furtum factum fuisse probatur. Conceptum furtum dicitur, cùm apud aliquem alterum res furtiua inueniatur. Oblatum furtum dicitur, cùm res furtiua alicui ita à fure datur, vt apud ipsum furem inueniri non possit. Præterea, qui rem alienam inuito aut nesciente domino cõtingit, vel tollere, aut de loco mouere præsumit, furtum facit: & si quis rem vtendam acceperit, aut commendatam apud se habuerit, & aliter ea vsus fuerit quàm accepit, furti actione tenetur. Præterea si quis iumẽtum alterius ad hoc accepit, vt eum quinque milibus duceret, si id decem milibus, aut longius quàm ab illo qui dedit fuerit constitutum †duxerit, furti reus erit. Et multa præterea quæ horum similia sunt: secũdum quæ & ille furti tenetur, qui vt fieret, opem aut consilium, aut studium commodarit: velut si quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excusserit, vt alij eam rapere possent.

† *aliàs adegerit,*

EXPLICIT EPITOME GAII.

VOLVSII METIANI DISTRIBVTIO.

Item vocabula ac notæ partium in rebus pecuniariis pondere, numero, mensura.

SÆpenumero, Censor, animaduerti ægrè ferẽtem te, quòd Assis distributionem & in heredum institutione, & in aliis multis necessariam, ignotam haberes. Quæ ne tam exigua res ingenium tuum vllo modo moraretur, cùm partes ipsas, tum vocabula & notas proponendas existimaui. Et deprehẽdes distributionem quidem partium infinitam, oppidò autem quàm exigua vocabula ac notas.

Prima diuisio solidi, id est libræ, quod AS vocatur, in duas partes dimidias deducitur. Pars dimidia, SEMIS vocatur. nota eius S. Sequẽs diuisio fit in tres tertias partes. pars tertia TRIENS vocatur. nota eius ═ ═. Sequitur diuisio in quatuor quartas partes. pars quarta QVADRANS vocatur. nota eius ═ —. Deinceps fit diuisio in sex sextas partes. sextæ partis nomẽ est SEXTANS. cuius nota est ═. Deinde diuiditur in octo octauas, quæ SESCVNCIÆ vocãtur. quarum est nota ΣI. Item in nouem nonas. nona pars vocatur vncia duę sestulæ. nota —═. Diuiditur itẽ AS in duodecim partes duodecimas. vocãtur singulæ, VNCIA. cuius nota —. Hæc velut elemẽta primæ de asse distributionis, æqualitatem seruant. Siquid quibusdam earum detrahas, vel conferas, fient dispares: quare si quadranti sextantem, vel trienti vnciam applices, facies QVICVNCEM: qui constat ex quinque vnciis, hoc est, quinque duode-

duodecimis. Nota quincuncis ═—═. Si semissi applices vnciam, vel quincunci sextãtem, vel trienti quadrãtem, efficies SEPTVNCEM, hoc est septem duodecimas. Nota septuncis 𝔖. Si septunci applicueris vnciam, vel semissi sextantem, vel quincunci quadrãtem, vel trienti tantundem, facies BESSEM, id est duodecimas octo. Nota bessis —S— Si bessi applicueris vnciã, vel septunci sextantem, vel semissi quadrantem, vel quincunci trientẽ, DODRANTEM efficies, hoc est nouem duodecimas. Nota dodrantis S Z. Si dodrãti applicueris vnciam, vel bessi sextantẽ, vel septunci quadrantem, vel semissi trientem, vel quincunci tantundẽ, facies DEXTANTEM, hoc est decem partes duodecimas. Nota dextantis S ═ ═. Si dextanti applicueris vnciã, vel dodranti sextantem, vel bessi quadrantem, vel septunci trientẽ, vel semissi quincũcem, facies DIVNCEM, hoc est vndecim duodecimas. Nota diuncis S═—═.

Ex his apparet, in quas partes æqualiter, in quas dispares AS diuidatur. Quò tamẽ faciliùs & memoria res teneatur, summa diuisionis hęc est. In ASSE sunt vnciæ decẽ duæ, hoc est, partes duodecimę duodecim: vnciæ & binæ sextulę, nouem, hoc est, nouẽ nonæ: sescunciæ octo, id est, octo octauæ: sextãtes sex, id est, sex partes sextę: quadrãtes quatuor, id est, quatuor partes quartę: triẽtes tres, id est, tres partes tertię: semisses duo, id est, duę partes dimidię. Cetereę partes inęqualem faciunt diuisionẽ. In DEVNCE sunt vnciæ vndecim, sextantes quinque & vncia, quadrantes tres & sextans, trientes duo & quadrans, quincunces duo & vncia, semis & quincunx, septũx & triens, bes & quadrãs, dodrans & sextans, dextans & vncia. Deest assi vncia. In DEXTANTE sunt vnciæ decẽ, sextãtes quinque, quadrãtes tres & vncia, trientes duo & sextans, quincunces duo, semis & triens, sexptũx & quadrãs, bes & sextãs, dodrãs & vncia. Deest assi sextãs. In DODRANTE sunt vnciæ nouẽ, sextãtes quatuor & vncia, quadrãtes, tres triẽtes duo & vncia, quincunx & triẽs, semis & quadrãs, septũx & sextãs, bes & vncia. Deest assi quadrãs. In BESSE sunt vnciæ octo, sextãtes quatuor, quadrãtes duo & sextans, triẽtes duo, quincunx & quadrãs, semis & sextãs, septũx & vncia, Deest assi triẽs. IN SEPTVNCE sunt vnciæ septẽ sextãtes tres & vncia, quadrãtes duo & vncia, triẽs & quadrãs, quincunx & sextãs, semis & vncia. Deest assi quincũx. In SEMISSE sunt vncię sex, sextantes tres, quadrãtes duo, triẽs & sextãs, quincũs & vncia. Deest assi alter semis. In QVINCVNCE sunt vnciæ quinque, sextãtes duo & vncia, quadrãs & sextãs, triẽs & vncia. Deest assi septũx. In TRIENTE sunt vnciæ quatuor, sextãtes duo, quadrãs & vncia. Deest assi bes. In QVADRANTE sunt vnciæ tres, sextãs & vncia. Deest assi dodrãs. In SEXTANTE sunt vnciæ duæ. Deest assi dextãs. Huc vsq; diuisio maiorũ, vt ita dictũ sit, partiũ, & celebris & nota est: sed quum in se natura infinitã partiẽdi pręstet facultatẽ, succedit VNCIÆ quoq; (quæ est assis, vt supra dictũ est, pars duodecima) diuisio, nõ tã celebris quidẽ, sed tamẽ nõ adeo ignota. Vt assis, ita vncię prima diuisio fit in duas partes dimidias: quæ vocãtur SEMVNCIÆ. Nota semũciæ Σↄ. Itẽ diuiditur vncia in tres partes, quę vocãtur BINÆ SEXTVLÆ. Nota binarũ sextularũ Ιↄ. Item diuiditur vncia in quatuor SICILICOS, id est quatuor quartas. Nota sicilici. ↄ Itẽ in sextulas sex, id est sex sextas. Nota sextulæ /. Itẽ in duodecimas duodecim: quas singulas partes, DIMIDIAS SEXTVLAS vocamus. Nota dimidiæ sextulæ ✢. Itẽ in SCRIPTVLA vigĩtiquatuor. Scriptuli nota ℲH. Est autẽ assis SEMVNCIA pars vicesima &

quarta: duæ sextulæ, pars tricesima sexta: sicilicus, quadragesima octaua: sextula, sepuagesima secúda, dimidia sextula, cētesima quadragesima quarta: scriptulū, ducētesima octogesima octaua. SEMVNCIA habet sicilicos duos, sextulas tres, dimidias sextulas sex, scriptula duodecim. DVÆ SEXTVLÆ habent sicilicū & dimidiā sextulā, sextulas duas, dimidias sextulas quatuor, scriptula octo. SICILICVS habet sextulā & dimidiā, dimidias sextulas tres, scriptula sex. SEXTVLA habet dimidias sextulas duas, scriptula quatuor. Dimidia sextula habet scriptula duo. Has quoq; partes in quantúlibet diuidere possis: verū infra eas neque notas, neq; propria vocabula inuenies. Præterea dimidiū scriptulū audio quosdā ratiocinatores SIMPLIVM vocare: quod erit totius assis quingētesima septuagesima sexta. Quā & ipsam partem infinitò separare possis. Nec mirū, si infra has partes partitio facta, & nominibus & notis caret, quū etiam inter partes superiores, primásque diuisiones, pleræque partes & nominibus & notis careant. Statim nāque vndecim vndecimæ assem efficiunt: nec aut nomē propriū, aut notā habēt. Perinde decē decimæ. Nā nona assis facit vnciā duas sextulas. Octaua, vt supra redditū est, sescúcia vocatur. Septem septimæ, quæ & ipsę assem implent, nec nomē propriū, nec notam habēt. Sextæ, sextantes vocantur. Ne quintæ quidem aut nomen propriū, aut notā habēt. Iam verò tertias, trientes: quartas quadrantes: sicut duodecimas, vncias vocari ostēsum est. Infra has ceteræ vsque sextā decimam, nomine proprio notáque carent: sed sextadecima, semúcia, sicilicus dicetur. Nam sedecim semúcię, octo sunt vncię. sedecim sicilici, quatuor vncię fiunt. iūctę vnciis octo, assem implent. Septimadecima deinde interiecta, nomine notáque caret. Octauadecima vocabitur semúcia sextula. Nā hę decies octies ductæ, assem efficiēt. Post has inferiores partes (excepta semuncia, duabus sextulis, sicilico, sextula, dimidia sextula, scriptulo) neque vocabula propria, neque notas habent: centesimáque cōmodia, vt vsurarū nomine ad sortē applicaretur, sicilico, id est C auerso, eo notari: quod quum C centum significaret, conuertebatur ad eā summam, cuius centesima futura erat: & siue vna conuenerat, vnus sicilicus: siue plures, tot sicilici ponebantur. Sicut autem assis appellatio ad rerum solidarū, hereditatísque totius, diuisio autem eius ad partium demonstrationem pertinet: ita & ad pecuniam numeratā refertur: quæ olim in ære erat, postea & in argento feriri cœpit: ita vt omnis nummus argenteus ex numero ęris potestatē haberet. Eo in numero sunt hi ARGENTEI NVMMI: DENARIVS, cuius est nota X. QVINARIVS, cuius nota V. SESTERTIVS, cuius nota est HS. VICTORIATVS enim nunc tantúdem valet, quantū quinarius olim. At peregrinus nummus loco mercis, vt nunc tetradrachmum & drachma, habebatur. DENARIVS primò asses decem valebat, vnde & nomen traxit. QVINARIVS, dimidiū eius, id est, quinque asses: vnde & ipse vocatur. SESTERTIVS duos asses & semissem, quasi semis tertius. Græca figura, ἕβδομον ἡμιτάλαντον. Nam sex talenta & semitalentum eo verbo significantur. Lex etiam duodecim tabularū argumento est: in qua duo pedes & semis, sestertius pes vocatur. Núc Denarius sedecim, victoriatus & Quinarius octo, Sestertius quatuor asses valet. Infra quā diuisionē sequitur alia quædā subdiuisio, notas æquè ac propria vocabula habens. Quare si ad denariam rationē cōficias assem, hac nota scribas, ac voces semuncia sicilicus X Ƨ. Semúciæ enim sedecim, & sicilici sedecim, assem

assem efficiunt. DVPONDIVM hac nota scribas, & voces sescúcia X Σ. Nam sedecim sescúciæ dupondiũ efficiũt. TRESSIS hac nota scribas, ac voces sextãs sicilicus ⟗—. Aequè enim sedecim sextãtes, totidémque sicilici tres asses efficiunt. QVARTVSSIS hac nota scribas, vocésque quadrans X═. Sedecim enim quadrãtes quartussis efficiunt. QVINQVÆS hac nota scribas, vocésq; quadrans semúcia sicilicus X ═? Σ. Nam sedecim quadrãtes ac totidẽ semunciæ sicilicíque, faciũt quinquæs. SEXSIS hac nota scribas, nominésque triens semúcia X═ ═ Σ. Aequè enim triẽtes & semunciæ sedecies ducti, sexis efficiũt. SEPTVS hac nota scribas, ac nomines quincunx sicilicus X—═—. Simili enim modo quincũces ac sicilici multiplicati septus efficiunt. OCTVS hac nota scribas, ac nomines sonus. Quibus eodẽ modo multiplicatis, octus reperias. NONVS hac nota scribas, appellésque semis semuncia sicilicus X S Ƨ. Vt semissem hanc quoque notã, quæ vocatur semissis vncia sicilicus multiplicatũ nonus inuenies. DECVS hac nota scribas, atque nomines septũcem semunciam X S Ƨ. Septuncẽ quoque ac semunciam totiens si duxeris, decus efficies. VNDECIÆS hac nota scribas, appellésque bessicilicus X S ═. Nam bessicicili totiẽs ducti, vndecieris efficiunt. DVODECIAES hac nota scribas ac voces dodrans X S. Dodrãtes eodẽ modo computati, duodeciæs efficiunt. TRDECIAES hac nota scribas, vocésque dodrans semuncia sicilicus X S═—Ƨ. Dodrantibus semunciis sicililis eadem ratione multiplicatis tredecim asses efficies. QVATVORDECIAES hac nota scribas, ac voces dextans semuncia X S═ ═Ƨ. Dextantes semunciæq; sedecim æquè quatuordeciæs efficiũt. QVINDECIÆS hac nota scribas, ac appelles deunx sicilicus X S ═ ═Ƨ. Deunx quoq; ac sicilicus sedecies ducti, quindecies efficiũt. Ingeniosissimè autẽ quum ad denariũ ratio cõficeretur, excurrẽtis æris nota inuẽta est: quæ sedecies multiplicata id efficeret. Nanq; quum denarij nota præscribatur, eique subiũgatur æris excurrẽtis nota, manifestũ est eam sedecies ducendã ex adnotatione denarij. Ad quinariũ & victoriatũ rationẽ Romæ cõfici nescio: quẽadmodum tamẽ, si velis, conficias, faciliùs apparebit, si priùs inspexeris, ad quem modũ sestertiaria ratio conficiatur. tũc enim excurrẽtis æris licet exẽplum denariariæ rationis & dimidiã duces, vel sestertiaria & duplicabis. Ad sestertiũ ratio si cõficiatur, semis hac nota scribitur—T. Vocatur libella terũcius. Est autẽ LIBELLA sestertij decima pars, TERVNCIVS quadragesima: quæ duæ partes iunctæ, octauã sestertij, id est, semissẽ efficiunt. Nã octo libellis, id est, octo decimis, teruncij octo, id est, octo quadragesimæ, quæ fiũt quatuor vicesimæ, hoc est duæ decimæ adiectæ cõplent sestertiũ. Sunt enim in sestertio libellæ decẽ, SINGVLÆ viginti teruncij quadraginta. Infra semissem nemo rationem tenere sestertiariam ducit, potest tamen. Nam quadrans, qui est pars sextadecima sestertij, poterit notari SINGVLA, quæ est vicesima sestertij, & dimidio teruncio, qui est octogesima sestertij. Nam vtraque hæc pars iuncta, efficit sextamdecimam. AS notari debet ═Ƨ. Hæc ad sestertium nota vocatur. Duæ libellæ singula, fiunt duodecimæ & vicesima, hoc est quarta pars sustertij. Nam quater binæ libellæ, octo fiunt decimæ: quatuor singulæ, quatuor fiunt vicesimæ, hoc est duæ decimæ, quæ superioribus iunctæ sestertium complent. ASSEMIS dotari debet Ↄ— Ƨ T. Vocatur tres libellæ singula terũcius: & sunt tres deci-

mæ, vna vicesima, vna quadragesima, hoc est quarta & octaua sestertij. Supersunt octauæ quinque, id est semisses quinq;, vt cópleát sestertiú. DVPONDIVS hac nota S vocantur quinq; libellæ, quæ sunt quinq; decimæ. Hæ duplicatæ sestertiú implét. DVPONDIVS semis hac nota S ∽ T. Vocátur sex libellæ teruncius. Sunt auté sex decimæ & quadragesima, id est dimidia & octaua totius. supersunt octauæ tres, id est, semisses tres, vt sestertiú cópleant. TRESSIS hac nota S═ς. Vocatur septé libellæ singula. Sunt auté pars dimidia & duæ decimæ & vicesima, hoc est, pars dimidia & quarta. Desunt duæ octauæ, id est quarta quæ iúcta impleat, sestertiú. TRESSIS SEMIS hac nota S═—ς T. Vocatur octo libellæ singula terúcius. Sunt pars dimidia & tres decimæ & vicesima & quadragesima, hoc est pars dimidia & quarta & octaua. Superest octaua, quæ adiecta sestertiú cópleat. LIBELLA dicta creditur, quasi pusilla libra. Ná quum olim ASSES librales essent, & DENARIVS decé asses valeret, & decima pars denarij librá, quæ eadé as erat: singula selibrá, quæ eadé semis erat: teruncius quadranté haberet, siue denariaria, siue sestertiaria ratio conficeretur, iisdé notis, id est libellarú, & singularú, & terunciorum, præposita nota denarij vel sestertij, vt erat ratio, æra exprimebátur. Postea quàm in sedecim asses denarius distributus est, denariaria ratio expeditius cófici cœpit, vt supra dictú est: sestertiaria mansit sub iisdem notis. Aucta tamen computatione, hæc quoque libella, exemplo maiorum, in duos velut semisses, qui singulæ vocátur, & quatuor velut quadrantes, qui teruncij vocantur, diuiditur.

PONDERIS eadem diuisio est, quæ æris. Nam in quas partes as diuiditur, in has & libra dispenditur. Ita AS quidem seu de diuisione solidi, seu de pódere seu de numerata in ære pecunia agatur: LIBRA auté in pondere, NVMMI verò argentei in pecunia, forma publica duntaxat nomen accipiunt.

MENSVRARVM liquoris atque grani expeditior & forma & appellatio est. Nam QVADRANTAL, quod nunc plerique AMPHORAM vocant, habet VRNAS duas, MODIOS tres, SEMODIOS sex, CONGIOS octo, SEXTARIOS quadraginta octo, HEMINAS nonaginta sex. QVARTARIOS centum nonaginta duos, Cyathos quingentos septuaginta sex.

NOTÆ MENSVRARVM.

Quadrantal	ꝗ
Vrna	ꝗˢ
Modius	3̊
Semodius	3̊ˢ
Congius	Ɛ
Sextarius ad vinum	)
Ad granum	S,
Hemina	)s
Quartarius	ꝗm.
Cyathus	Ci.

PAPINIANVS LIB. I. RESPONSORVM SVB TITVLO DE PACTIS INTER VIRVM ET VXOREM.

Inter virum & vxorem pacta non solum verbis sed ex voluntate contrahentium constituuntur, vt neuter coniugum locupletior fiat.

Iulij

IVLII PAVLI

SENTENTIARVM RECEPTARVM AD FILIVM LIB. I.

De pactis & conuentis. *Tit. I.*

DE his rebus pacisci possumus, de quibus transigere licet. Ex his enim pacti obligatio solummodo nascitur.

In bonæ fidei contractibus pactum conuẽtum alio pacto dissoluitur, & licet exceptionem pariat, replicatione tamen excluditur.

INTERPRETATIO. *Omne pactum posteriore pacto dissoluitur licet pariat exceptionem, & si de vna re inter ipsas personas duæ pactiones fiãt, posterior valebit.*

Pacto conuento Aquiliana stipulatio subiici solet, sed consultius est huic pœnam quoque subiungere: quia rescisso quoquo modo pacto, pœna ex stipulatu repeti potest.

Neque contra leges neque contra bonos mores pacisci possumus.

INTERPRETATIO. *Si inter aliquos conueniat, vt de admittendo crimine, vel inferenda violentia, vel faciendo quod legis auctoritas prohibet, aut de rebus alienis, aut si de bonis viuentis aliquid paciscantur, hæc pactio valere non potest.*

De rebus litigiosis & conuenire & transigere possumus.

• Post rem iudicatam pactum, nisi donationis causa interponatur, seruari non oportet.

INTERPRETATIO. *Post rem iudicatam pactio inter eos qui litigauerũt, tunc obtinet firmitatem, si de summa, quam iudicio constat addictam, ab eo qui vicit aliquid concedatur.*

Functio dotis pacto mutari non potest, quia priuata conuentio iuri publico nihil derogat.

De criminibus propter infamiam nemo cum aduersario pacisci potest.

De cognitoribus. *Tit. II.*

OMnes infames qui postulare prohibentur, cognitores fieri non possunt, etiam volentibus aduersariis.

INTERPRETATIO. *Infames sunt, qui propter aliquam culpam notantur infamia. Et ideo tales personæ ad agendas causas nec mandatum dare, nec suscipere ab altero possunt, etiam si hoc eorum aduersarij acquiescant.*

Feminæ in rem suam cognitoriam operam suscipere non prohibentur.

INTERPRETATIO. *Feminæ licet procurationem suscipere prohibeantur, tamen si dominæ & procuratrices fiant, pro re iam sua agere possunt.*

In rẽ suá Cognitor Procuratórve ille fieri potest, qui pro omnib. postulat.

INTERPRETATIO. *Nec Procurator in causa aliena, & dominus vt pro re sua agat infamis persona fieri potest.*

Actio iudicati non solum in dominum aut domino, sed etiam heredi & in heredem datur.

INTERPRETATIO. *Actio de executione iudicatarum rerum, non solum ipsi auctori qui egit competit, sed & heredi similiter debetur: Nam & heres victi ab herede victoris ad solutionem iudicati nihilominus retinetur.*

De Procuratoribus. *Tit. III.*

Mandari potest procuratio præsenti & nudis verbis, & per literas, & per nuntium, & apud acta præsidis, & magistratus.

Ista interpretatione non eget.

Procurator aut ad litem, aut ad omne negotium, aut ad partem negotij, aut ad res administrandas datur.

INTERPRETATIO. *Procurator eas tantum res agere potest, quas ei euidenter constiterit fuisse commissas.*

Voluntarius Procurator, qui se alienis negotiis offert, rem ratam dominũ habiturum cauere debet.

Actoris Procurator non solum absentem defendere, sed & rem ratam dominum habiturum satisdare cogitur.

Petitoris Procurator rem ratam dominum habiturum desiderante aduersario satisdare cogendus est, quia nemo in re aliena idoneus est sine satisdatione.

Si satis non det Procurator absentis, actio ei absentis nomine non datur.

De negotiis gestis. *Tit. IIII.*

Qui negotia aliena gerit, & bonam fidem, & exactam diligẽtiam rebus eius, pro quo interuenit, præstare debet.

Tutor post finitam tutelam si in administratione duret, actione negotiorum gestorum pupillo vel curatori eius tenebitur.

INTERPRETATIO. *Tutor si peracta tutela, id est impletis pupillaribus annis, voluerit in ipsa administratione persistere, de actis negotiis pupillo vel curatori eius, non tutelæ, sed negotiorum gestorum cogendus est reddere rationem.*

Si pecuniæ quis negotium gerat, vsuras quoque totius temporis præstare cogetur, & periculum eorum nominum quibus collocauit agnoscere, si litis tempore soluẽdo non sint. Hoc enim in bonæ fidei iudiciis seruari conuenit.

INTERPRETATIO. *Qui pecuniam exercuit alienam, vsuras eius reformare cogendus est. Et si minus idoneis personis de hac ipsa pecunia fortasse crediderit, pro ipsorum personis, quæ soluere non possunt, damnum ipse qui talibus personis credidit, sustinebit.*

Mater, quæ filiorum suorum rebus interuenit, actione negotiorum gestorum & ipsis & eorum tutoribus tenebitur.

INTERPRETATIO. *Mater, quæ se in retinendis rebus filiorum miscuerit, tam ipsis, quàm tutoribus eorum negotiorum gestorum cogitur reddere rationem.*

Filiusfamiliâs aut seruus, si negotium alicuius gerat, in patrem dominúmve peculio tenus actio dabitur.

INTERPRETATIO. *Si filiusfamiliâs, aut seruus sine iussu patris aut domini negotia gesserint aliena, & ex hoc inueniantur obnoxij, tantum damni pater vel dominus sustinebit, quantum in eorum peculio inueniri potuerit.*

Si pater vel dominus, seruo vel filiofamiliâs, aliena agenda negotia commiserit, in solidum tenebitur.

Pater, si emancipati filij res sine vlla exceptione à se donatas administrauerit, filio actione negotiorum gestorum tenebitur.

INTERPRETATIO. *Si pater ea quæ emancipato filio sine aliqua condicione donauerat, administrare præsumpsit, filio emancipato pro hiis quæ in rebus eius gessit, negotiorum gestorum tenebitur actione.*

Qui cũ tutor curatórve nõ esset, si pro tutore curatoréve res pupilli, adultíve administrauerit, actione negotiorũ gestorũ pro tutore curatoréve tenebitur.

De Calumniatoribus. *Tit. V.*

CAlumniosus est, qui sciens prudénsque per fraudem negotium alicui comparat.

Et in priuatis, & in publicis iudiciis omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectuntur.

INTERPRETAT. *Qui apud cinctos, aut priuatos Iudices fuerit de calumniæ obiectione cõuictus, non expectata ordinis sententia, prout causa fuerit, supplicio subdetur.*

De fugitiuis. *Tit. VI.*

SEruus à fugitiuario comparatus, intra x. annos manumitti contra prioris domini voluntatem non potest.

Contra decretum amplissimi ordinis, fugitiuum in fuga constitutum nec emere nec vendere permissum est, inrogata pœna in vtrumque sestertiorum D. Milium.

Limenarchæ & stationarij fugitiuos deprehẽsos, recte in custodiã retinẽt.

Magistratus municipales ad officium Pręsidis prouinciæ, vel Proconsulis, comprehensos fugitiuos recte transmittunt.

Fugitiui in fundis fiscalibus quæri & comprehendi possunt.

Fugitiui qui à domino non agnoscuntur, per officium Præfecti vigilum distrahuntur.

Intra triennium venditionis, agniti fugitiui emptor, pretium à fisco repetere potest.

De reis institutis. *Tit. VII.*

DE hiis criminibus, quibus quis absolutus est, ab eo qui accusauit, refricari accusatio non potest.

Filius accusatoris, si hoc crimen, quod pater intendit, post liberatum reum persequi velit, ab accusatione remouendus est.

Crimen in quo alius destitit, vel victus recessit, alius obiicere non prohibetur.

De integri restitutione. *Tit. VIII.*

INtegri restitutio est redintegrandæ rei vel causę actio. Intègri restitutionem Pretor tribuit ex hiis causis, quæ per metum, dolum, & status permutationem, & iustum errorem, & absentiam necessariam, & infirmitatem ætatis gesta esse dicuntur.

INTERPRETAT. *Integri restitutio dicitur, si quãdo res quælibet aut causa quæ perierat, in priorem statum reparatur, vel id quod alicui sublatum est reformatur. Hoc*

enim quod per Prætorem antea fiebat, modo per Iudices ciuitatum agendum est, ita ut eorum causæ vel res in integrum reuocētur: qui aut per timorem potestatis alicuius compulsi sunt, aut fraude vel errore decepti sunt, aut per captiuitatem, vel quacunque iniusta necessitate, substantiam suam aut statum ingenuitatis perdidisse noscuntur. Aut si qui pro necessitate longinquæ peregrinationis absentant, vel ad restauranda ea quæ in damnis minorum gesta esse probantur.

Integri restitutio plus quàm semel non est decernenda: ideóque causa cognita decernitur.

INTERPRETATIO. *Vt in integrum res vel causa redeat, non nisi semel potest à Iudice cognita causa præstari.*

Integri restitutio aut in rem competit, aut in personam. In rem actio competit, vt res ipsa qua de agitur reuocetur. In personam aut quadrupli pœna intra annum, vel simpli post annum peti potest.

INTERPRETATIO. *Quoties de reuocanda re vel causa integri restitutionis beneficium petitur, aut in rem, aut in personam agendum est, id est, vt res ipsa de qua agitur, quæ sublata est recipiatur. Et cùm in personam actio intendi cœperit, is qui rem indebite abstulisse conuincitur, id quod sublatum est, intra annum in quadruplum reformare debet: post annum vero in simplum reddendum est.*

Si aliquis, vt se de vi latronum vel hostium, vel populi liberaret, aliquid mancipauit vel promisit, ad metum non pertinet: mercedem enim depulsi metus tribuit.

INTERPRETATIO. *Quicunque aliquid, vt se de hostibus, vel de seditione populi, aut de latronum impetu liberaret, causa mercedis vt euaderet aut promisit, aut dedit, hoc per metum se dedisse non poterit allegare, nec reuocare quod dedit.*

Seruus per metum mancipatus, quicquid acquisierit, vel stipulatus sit, ei acquirit, qui vim passus est.

INTERPRETATIO. *Si cum domino vis infertur, seruum metu interueniente dederit, & apud eum cui datus fuerat, aliquid quolibet pacto acquisierit, cùm seruum ipsum dominus, cui vis est illata, receperit, ad eum omnia quæ seruus acquisierat, pertinebunt.*

Vis est maior rei impetus, qui repelli non potest.

Ista interpretatione non indiget.

Qui quem in domo inclusit, vt sibi rem manciparet, aut promitteret, extorsisse mancipationem videtur.

INTERPRETATIO. *Qui aliquem in domo sua clausum tenuerit, quascunque ei scripturas extorserit, non valebunt.*

Qui quem ferro vinxit, vt sibi aliquid traderet vel venderet, vim intulisse videtur.

Qui in carcerem quem detrusit, vt aliquid ei extorqueret, quicquid ob hanc causam factum est, nullius est momenti.

Interpretatione non indiget.

De dolo malo. Tit. VIIII.

DOlus malus est, cùm aliud agitur, aliud simulatur.

Qui dolum vel metum adhibuit, vt res ad alium transiret, vterque de vi & de dolo actione tenebitur.

De

De Minoribus 25. annorum. Tit. X.

MInor xxv. annorum, si aliquod flagitium admiserit, quod ad publicam cohertionem expectet, ob hoc in integrum restitui non potest.

INTERPRETATIO. *Minores ætate si crimina grauiora cōmiserint, per ætatem se non poterunt excusare.*

Qui minori mandauit, vt negotia sua agat, ex eius persona in integrum restitui non potest, nisi minor sua sponte negotiis eius interuenerit.

INTERPRETATIO. *Si quis maior annis, minori per mandatum negotia sua agenda commiserit, ex persona minoris integri restitutionem accipere non potest, nisi forsitan minor sine mandato voluntarie se causis miscuerit alienis.*

Si maior effectus, res quas minor egit, pacto vel silentio comprobauit, aduersus hoc quoque in integrum restitui frustra desiderat.

INTERPRETATIO. *Si quis id quod minor ætate gessit, postquam maior effectus est, id est, vsque ad expletum* XXVIII. *annum silentio suo & taciturnitate reuocare noluit, de hac re integri restitutionem petere non potest.*

Si minor minori heres existat, heres ex sua persona, non ex defuncti in integrum restitui potest.

INTERPRETATIO. *Si minor minori successerit, nō ex persona defuncti ille qui heres est, sed ex sua agere potest: hoc est, si ille qui defunctus est* XXIII. *annorum sit, & succedens* XX. *ex istius qui successit ætate tempora computanda sunt.*

Minor se in hiis quæ fideiussit, vel fide promisit, vel spopondit, vel mandauit, in integrum restituendo reum principalem non liberat.

INTERPRETATIO. *Si minor maiorem fide dicat, licet ipse teneri non possit, tamen quem fide dixit teneri potest.*

Qui sciens prudensque se pro minore obligauit, si id consulto cōsilio fecit, licet minori succurratur, ipsi tamen non succurretur.

INTERPRETATIO. *Qui sciens minorem, hoc argumēto pro eo fideiussor accessit, vt excusatione minoris ætatis fideiussionem suam in posterū liberet, minor quidem ætatis beneficio liberatur, sed ad soluendum debitum fideiussor qui hoc argumento vsus est, retinetur.*

Minor aduersus emptorem in integrum restitutus, pretio restituto fundū recipere potest: fructus enim in compēsationem vsurarum penes emptorem remanere placuit.

INTERPRETATIO. *Si minor prædium quod vendiderat per integri restitutionē reddito emptori pretio, receperit: fructus ab emptore præceptos recipere non potest, sed eos quanti fuerint in compensationem vsurarum iussum est imputari.*

Minor aduersus distractiones eorum pignorum & fiduciarum, quas pater obligauerat, si non ita vt oportuit à creditore distractæ sint, restitui in integrum potest.

INTERPRETATIO. *Minor annis, ea quæ pater eius oppignorauerat, vel fiduciæ causa posuerat, si viliore pretio, quàm oportebat, à creditore distracta cōuicerit, potest soluto debito ad recipiendam rem suam integri restitutionis auxilium promereri.*

De plus petendo. Tit. XI.

CAusa cadimus aut loco, aut summa, aut tempore, aut qualitate. Loco, alibi. Summa, si plus quàm damus petimus. Tempore, repetẽdo ante tempus. Qualitate, eiusdem speciei rem meliorem postulantes.

INTERPRETATIO. *Causam perdit, quicunque aut commendatum siue commodatum aliquid alibi sibi quàm placuit dari petierit, aut plus quàm datum est reddi poposcerit, aut ante tempus quàm redhibitio promissa est petierit reformari, aut meliorem speciem quàm dederat postularit.*

De satisdando. Tit. XII.

QVoties hereditas petitur, satisdatio iure desideratur, & si satisdatio non detur, in petitorem hereditas transfertur.

Si petitor satisdare noluerit, penes possessorem possessio remanet: In pari enim causa potior est possessor.

INTERPRETATIO. *Si quicunque hereditatem ex defuncti voluntate, aut testamenti condicione possideat, quam alter sibi debitam esse contendit, petitor iure postulat, vt ei à possessore satisdatio detur, quæ omnia hereditaria corpora salua futura esse promittat, vsque in cognitionis euentum. Et si possessor ex hac re conuentus huiusmodi satisdationem non prouiderit, dato à petitore fideiussore, ad eum hereditaria corpora transferuntur. Si vero nec petitor satisdatorem non dederit, penes possessorem vsque ad euentum iudicij possessio remanebit.*

Vsufructuarius & de vtendo vsufructu satisdare debet, se perinde vsurum, ac si ipse paterfamiliâs vteretur.

INTERPRETATIO. *Vsufructuarius proprietatis domino satisdatorem dare compellitur, se vsufructu suo non aliter vsurum, quam ipse proprietatis dominus vti potuit diligenter.*

De iudiciis omnibus. Tit. XIII

HI qui falsa rescriptione vsi fuerint, lege Cornelia de falsis puniuntur.

INTERPRETATIO. *Hi qui in causis suis falsa Principum rescripta detulerint, vt falsarij puniantur.*

Ex hiis qui ancillam corrupit alienam, aliam reformare cogendus est.

Qui falsum nesciens allegauit, falsi pœna non tenetur.

In caput domini patronive nec seruus, nec libertus interrogari potest.

Pregnantes neque torqueri, neque damnari, nisi post editum partũ possunt.

Qui rescriptum à principe falsa allegatione elicuerint, vti eo prohibentur.

Qui de se confessus est, in alium torqueri non potest, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperauit.

De iudicato. Tit. XIIII.

QVi exhibiturum se aliquem iudicio cauerit, mortuo eo pro quo cauerat, periculo cautionis liberatur.

Filusfamiliâs iussu patris manumittere potest, matris non potest.

Is qui Album raserit, corruperit, sustulerit, mutauerit, quídve aliud propositum edicendi gratia turbauerit, extra ordinem punitur.

INT.

INTERPRETATIO. *In eum qui Album Curiæ raserit, vitiauerit, vel quodcũque aliud scripturæ genus sua præsumptione turbauerit, in eum capitaliter, non expectata ordinis sententia vindicatur.*

Si id quod emptum est, neque tradatur, neque mancipetur, venditor cogi potest, vt tradat aut mancipet.

INTERPRETATIO. *Si eam rem quam aliquis accepto pretio, facta venditione distraxit, tradere distulerit, ad traditionem rei quam vendidit, omnimodis compellendus est.*

Deteriorem seruum facit, qui fugam suaserit, & qui furtum, & qui mores eius, corpúsve corruperit.

Qui ancillam alienam virginem immaturam corruperit, pœna legis Aquiliæ tenebitur.

INTERPRETATIO. *Hæ duæ sententiæ secundum legem Aquiliam similem pœnã habent, vt cum hijs, quæ animo vel corpore corruperunt, alia similia mãcipia huiusmodi præsumptores exoluant.*

Si hereditas vel quid aliud petatur. *Tit. XV.*

IN petitione hereditatis ea veniunt, quæ defunctus mortis tempore reliquit, vel ea, quæ post mortem ante aditam hereditatem ex ea quæsita sunt.

Possessor hereditatis pretia earum rerum, quas dolo alienauit, cũ vsuris præstare cogendus est.

Rerum ex hereditate alienatarum æstimatio in arbitrio petitoris consistit.

Petitio hereditatis, cuius defunctus litem non erat contestatus, ad heredem non transmittitur.

INTERPRETATIO. *Si auctor de petitione hereditatis sibi debita ita silentium gessit, id est, vt nullam proponeret actionem, heres eius ab hereditatis ipsius petitione repelletur.*

Hereditas pro ea parte peti debet pro qua ad nos pertinet, alioquin plus petendi periculum incurrimus & causam perdimus.

Qui petit hereditatẽ, ipse probare debet ad se magis quam ad eum qui possidet siue ex testamento siue ab intestamento pertinere.

Eas res quas quis iuris sui esse putat petere potest, ita tamen vt ipsi incumbat necessitas probandi eas ad se pertinere.

Possessor hereditatis qui ex ea fructus capere vel possidere neglexit, duplam eorum æstimationem præstare cogitur.

Hi fructus in restitutione præstãdi sunt petitori quos vnusquisque diligẽs paterfamil. & honestus colligere potuisset.

De via publica. *Tit.* XVI.

QVi viam publicam exarauit, ad munitionem eius solus compellitur.

Si quadrupes damnum intulerit. *Tit. XVII.*

SI quadrupes pauperiem fecerit, damnúmve dederit, quídve depasta sit, in dominum actio datur, vt aut damni æstimationem subeat, aut quadrupedem dedat, quod etiam lege Pesolonia de cane cauetur.

INTERPRETATIO. *Si alienum animal cuicunque damnum intulerit, aut alicuius fructus læserit, dominus eius aut æstimationem damni reddat, aut ipsum animal tradat. Quod etiam de cane similiter est statutum.*

Feram bestiam in ea parte qua populo iter est, colligari prætor prohibet. Et ideo siue ab ipsa, siue propter eam ab alio alteri damnum datum fuerit, pro modo admissi extra ordinem actio in dominum vel custodem datur, maxime si ex eo homo perierit.

INTERPRETATIO. *Fera bestia in ea parte qua populi transeunt vel frequentãt, ligari vel custodiri prohibetur: ne aut ipsa aliquem noceat, aut terrore eius quolibet casu aliquis ab altero fortasse lædatur. quod si factum fuerit, in dominum, si hoc præcepit, vel in custodem eius, damni vel cuiuscunque læsionis actio, non expectata ordinis sententia, reuertetur.*

Ei qui irritatu suo feram bestiam, vel quancunque aliam quadrupedem in se proritauerit, eáque damnum dederit, neque in eius dominum, neque in custodem actio datur.

INTERPRETATIO. *Quicunque feram bestiam, vel quancunque quadrupedem prouocando, quocunque modo aduersum se incitauerit, nec domino, nec custodi eius poterit imputari: quia suo vitio incurrisse dinoscitur.*

De finium regundorum. *Tit.* XVIII.

IN eum, qui per vim terminos deiecerit vel amouerit, extra ordinem animaduertitur.

Non indiget interpretatione.

De seruitutibus. *Tit.* XVIIII.

VIam, iter, actum, aquæductum, qui biennio vsus non est, amisisse videtur: nec enim ea vsucapi possunt, quæ non vtendo amittuntur.

INTERPRETATIO. *Viam, qua eũdo ad rem nostram vti solemus, vel iter, quo per rem alienam ad nostram pergimus, & actum, id est, quà pecora minare consueuimus, vel aquæductum biennio non vtendo, si quis vsus non fuerit, perire ei certissimum est.*

Seruitus hauriendę aquæ vel deducendæ, biennio omissa intercidit, & biennio vsurpata recipitur.

INTERPRETATIO. *Vsus hauriendæ aquæ vel ducendæ, si biennio destiterit, nõ vtendo perit. Et si iterum biennio in vsum fuerit reducta, recipitur.*

De familia herciscunda. *Tit.* XX.

ARbiter familiæ herciscundæ plus quàm semel dari non potest. Et ideo de hiis, quæ diuisa eo iudicio non sunt, communi diuidũdo arbiter postulatus partietur.

INTERPRETATIO. *Propter diuisionem bonorum communium si quando inter fratres intentio vertitur, diuidendæ rei non plus quàm semel arbiter deputatur, vt inter eos quæ sunt communia, habita æquitate distribuat. Quod si deputatus à Iudice arbiter indiuisum aliquid dimiserit, ex communi consensu postea qui sit diuisioni medius eligatur.*

De omnibus rebus hereditariis Iudex cognoſcere debet, celebrata diuiſione, vt ſemel de omnibus pronuntiet.

Iudici familiæ herciſcundæ conuenit, vt ea quæ quis ex communi accepit ipſa aut æſtimationem eorum repręſentet, vt inter coheredes diuidi poſſint.

Iudex familiæ herciſcundæ nec inter paucos coheredes, ſed inter omnes dãdus eſt, alioquin inutiliter datur.

Omnes res quæ ſociorum ſunt communi diuidundo iudicio inter eôs ſeparantur.

Quemadmodum actiones per inficiationem duplentur. Tit. XXI.

QVędam actiones, ſi à reo inficientur, duplantur, velut iudicati, depenſi, legati per damnationẽ relicti, damni iniuria legis Aquiliæ; item de modo agri, cum à venditore emptor deceptus eſt.

INTERPRETATIO. *Aliqua, quæ cum ab hiis quibus ſunt debita repetuntur, ſi a debitoribus negata fuerint, dupli ſatisfactione redduntur, id eſt res iudicata, legati per dãnationem relicti, id eſt, ſi quid heres legati titulo dare iuſſus eſt, & petitũ negauerit: vel ſi damnum alicui per iniuriam factum quis ſarcire noluerit: vel de modo agri, cum à venditore emptor fuerit circunſcriptus, vt minus inueniatur, quam probatur ſcriptum. Quæ omnia ſuperius comprehenſa, ſecundum legem Aquiliam duplicantur.*

Ex hiis cauſis, quæ inficiatione duplantur, pacto decidi non poteſt.

INTERPRETATIO. *Hæ cauſæ, quæ pulſatorum negatione duplãtur, per pactum finiri non poſſunt.*

De fideiuſſore & ſponſore. Tit. XXII.

INter fideiuſſores ex edicto Prętoris, ſi ſoluendo ſint, licet ſinguli in ſolidum teneantur, obligatio diuidetur.

INTERPRETATIO. *Cum multi fideiuſſores pro vna re extiterint, etiamſi ad ſoluendum quæ promiſerunt probantur idonei, & poſſint omnes in ſolidum retineri: tamen reſtitutio debiti inter eos diuidenda eſt, vt vnuſquiſque id, quod eum pro portione ſua contingit, exoluat.*

De ſepulchris & lugendis. Tit. XXIII.

OB incurſum fluminis, vel metum ruinæ, corpus iam perpetuæ ſepulturę traditum, ſolemnibus redditis ſacrificiis, per noctem in alium transferri locum poteſt.

Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra ciuitatis, & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.

Intra muros ciuitatis corpus ſepulturæ dari non poteſt, vel vſtrina fieri.

Qui corpus perpetuæ ſepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudauerit & ſolis radiis oſtenderit piaculum committit. Atque ideo ſi honeſtior ſit, in inſulam, ſi humilior in metallum dari ſolet.

Qui ſepulchrum violauerint, aut de ſepulchro aliquid ſuſtulerint, pro perſonarum qualitate aut in metallum dantur, aut in inſulam deportantur.

Qui ſepulchrum alienum effregerit, vel aperuerit, eóque mortuum ſuum alienúmve intulerit, ſepulchrum violaſſe videtur.

Vendito fundo religiosa loca ad emptorem non transeunt, nec in his ius inferre mortuum habet.

Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam euerterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnámve sustulerit, sepulchrum violasse videtur.

In eo sarcophago vel solo vbi corpus iam depositum est, aliud corpus inferri non potest, & qui intulerit, reus sepulchri violati postulari non potest.

Qui alienum mortuum sepelierit, si in funus eius aliquid impenderit, recipere id ab herede, vel à patre vel à domino potest.

Maritus id quod in funus vxoris impendit, ex dote retinere potest.

Neque iuxta monumentum, neque supra monumentum habitandi ius est. Adtactu enim conuersationis humanæ piaculum admittitur, & qui contra ea fecerit, pro qualitate personæ vel opere publico vel exilio multatur.

Parentes & filij maiores sex annis anno lugeri possunt, minores mense, maritus decem mensibus, & cognati proximioris gradus octo. Qui contra fecerit, infamium numero habetur.

Qui luget, abstinere debet à conuiuijs, ornamentis, purpura & alba veste.

Quicquid in funus erogatur, inter æs alienum primo loco deducitur.

INTERPRETATIO. *Quicquid in sepultura defuncti expensum fuerit, prius, quam alijs creditoribus de mortui hereditate reddendum est.*

IVLII PAVLI
SENTENTIARVM RECEPTARVM AD FILIVM LIB. II.

De rebus creditis & iureiurando. *Tit. I.*

IN pecuniariis causis si alter ex litigatoribus iusiurandū deferat, audiendus est. Hoc enim & compendio litium, & æquitatis ratione prouisum est.

INTERPRETATIO. *Cum de repetitione pecuniæ agitur, & probatio debitæ pecuniæ nulla profertur, iubet huius rei ambiguitatem sacramentorum interpositione finiri.*

Deferre iusiurandum prior actor potest: Contrarium autem de calumnia iusiurandum reo competit.

INTERPRETATIO. *Licet prior petitor offerat sacramentum: tamen cum nulla probatio debiti est, is qui calumniam se pati dicit, potest fidem suam iusiurandi religione firmare.*

Si reus cum iurare velit, actor illi necessitatem iurisiurādi remisit, & hoc liquidò appareat, actio in eum non datur.

IN-

INTERPRETATIO. *Si quando pulsatus repetenti pecuniam obtulerit sacramentum, & ille ei iurisiurãdi necessitatem vltro concesserit, non potest ab eo postea debitum postulare.*

Heredi eius, cum quo contractum est, iusiurãdum deferri non potest, quoniam contractum ignorare potest.

INTERPRETATIO. *Heres eius cui pecunia credita dicitur, ad sacramentum vocari non potest: quia quæ egerit auctor suus ad integrum scire non potuit.*

Ei qui debitum quocunque modo confessus docetur, ex ea re actio creditori non datur, sed ad solutionem compellitur.

De pecunia constituta. *Tit. II.*

SI id quod mihi Lucius Titius debet, soluturum te constituas, teneris actione pecuniæ constitutæ.

INTERPRETATIO. *Si quis pro alterius debito se pecuniam promiserit redditurum, ad solutionem statutæ promissionis est retinendus.*

De contractibus. *Tit. III.*

STipulatio est verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus respondit, velut: Spondes? Spondeo. Dabis? Dabo. Promittis? Promitto. Fidei tuæ erit. Et tam pure, quàm sub condicione concipi potest.

INTERPRETATIO. *Stipulatio est inter præsentes, hæc verba quibus se inuicẽ partes obligare possunt, vbi necesse est, vt interrogatione petẽtis pulsatus ad interrogata respõdeat. Veluti si quis pro alio fideiussorem se dicat accedere, qui cum se hac responsione obligauerit, ad solutionem etiam sine scriptura poterit retineri.*

De commodato & deposito, pignore fiduciáve. *Tit. IIII.*

QVicquid in rem commodatam, ob morbum vel aliam rationem impensum est, à domino recipi potest.

Si facto incendio, ruina, naufragio, aut quo alio simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur eo nomine is, cui commodata est, nisi forte cum possit rem commodatam saluam facere, suam prætulit.

Seruus vel equus si à latronibus vel in bello, vel in aliam causam commodati occisi sunt, actio commodati datur. Custodia enim & diligentia rei cõmodatæ præstanda est.

INTERPRETATIO. *Si seruum vel equum, vel quæcunque alia aliquis ab altero ad vsum tantummodo seruiendi commodata susceperit, & eos ad pugnam, vel vbi vitæ periculum incurrant, duxerit, ad redhibitionem commodatæ rei merito à domino retinetur.*

Si rem æstimatam tibi dedero, vt ea districta, pretiũ ad me deferres, eaq; perierit: siquidem ego te rogaui, meo periculo perit. Si tu de vendenda promisisti, tuo periculo perit.

INTERPRETATIO. *Si facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque tradiderit, & dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Ceterum si rem acceptam, non rogante domino, sed promittente eo qui accepit, dum vellet venundare perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum.*

De pignoribus. *Tit. V.*

CReditor, si simpliciter sibi pignus depositum distrahere velit, ter ante denuntiare debitori suo debet, vt pignus absoluat, ne à se distrahatur.

INTERPRETATIO. *Creditor si sine cōdicione pignus sibi depositū tenens, ter debitorem cōuenerit, vt soluto debito pignora sua recipiat. Quod si debitor noluerit post tres admonitiones soluto debito pignora sua recipere, creditor distrahendi pignoris habebit liberam potestatem.*

Fœtus vel partus eius rei, quæ pignori data est, pignoris iure nō tenetur, nisi hoc inter contrahentes conuenerit.

INTERPRETATIO. *Si quis gregem equarum, vaccarum, vel ouium, accepta mutua pecunia, pignori creditori dederit, fœtus earum ad debitorem, non ad creditorem pertinet. Ita est & si ancillam dederit, & partum ediderit, ad debitorem pertinet, non ad creditorem.*

Compensatio debiti ex pari specie, & causa dispari admittitur. Velut si pecuniam tibi debeam, & tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut cetera huiusmodi, licet ex diuerso cōtractu compensare vel deducere debes, si totū petas plus petendo causa cadis.

INTERPRETATIO. *Si quis alicui debeat solidos decem, & illi qui debet de quacūque ratione debeantur à creditore suo solidi quinque: & veniat creditor, & totos decem solidos à debitore petat, si probauerit ille debitor sibi ab eo quinque solidos deberi, quare illum in solidum pro totis decem solidis conuenit, causam perdit, qui noluit debitum compensare. Similis ratio est & de frumento, & de aliis speciebus.*

De exercitoribus. *Tit. VI.*

FIliusfamiliàs si voluntate patris nauem exerceat, patrem in solidum, ob ea quæ salua receperit, obligat.

Ad legem Rhodiam. *Tit. VII.*

LEuandæ nauis gratia iactus commercium factus, omnium intributione sarciatur, quod pro omnibus datum est.

Iactu nauis leuata si perierit, extractis aliorum per Vrinatores mercibus, eius quoque rationem haberi placuit, qui merces salua naue iactauit.

Naue vel arbore vi tempestatis amissa, vectores ad contributionem non tenentur, nisi ipsis arborem salutis causa eruentibus, nauis salua sit.

Leuandæ nauis gratia merces in scapham transiectas, atque ideo amissas intributione earum, quæ in naui saluę erunt, refici conuenit: naue autem perdita conseruatæ cum mercibus scaphæ ratio non habetur.

Collatio intributionis ob iactum salua naue fieri debet.

De institoribus. *Tit. VIII.*

SIcut commoda sentimus ex actu præpositi institoris, ita & incōmoda sentire debemus. Et ideo in eum, qui seruum siue filium, filiám ve familiàs, siue ancillam præposuit negotio vel mercibus exercendis, eorum nomine in solidum conuenitur.

Si quis pecuniæ fœnerandæ, agróque colendo, condendis vendendísque frugibus præpositus est, ex eo nomine quod cum illo cõtractum est, in solidum fundi dominus obligatur: nec interest seruus an liber sit.

INTERPRETATIO. *Quicunque quamlibet personam aut ad exercendum negotium aut pro ratione culturæ, & condendis vendendisque frugibus præposuisse cognoscitur, si quid damni per eius actum accesserit, ad eum qui ipsum instituit, pertinebit, siue seruus, siue liber sit.*

Quod cum discipulis eorum, qui officinis, tabernis præsunt, contractũ est, in magistros vel institores tabernæ in solidum actio dabitur.

INTERPRETATIO. *Si quid cum discipulis vel mercenariis tabernariorum, vel cuiuslibet officinæ actum fuerit, ad magistrum officinæ, vel institorem tabernæ damnum quod accesserit pertinebit.*

De in rem verso. Tit. IX.

Seruus vel filiusfamiliâs, si acceptam pecuniam in rem patris vel domini verterit, hoc modo, agrum puta colendo, domum fulciẽdo, mancipia vestiendo, mercando, vel creditori soluendo, vel quid tale faciendo, de in rem verso, in solidum vel patrem, vel dominum obligat, si tamen ob hanc causam pecunia data sit.

INTERPRETATIO. *Si seruus vel filiusfamiliâs mutuam pecuniam à quocũque susceperit, & in vtilitatibus patris vel domini, necessariisque rebus eam expendisse probatur, pro hoc debito patrem vel dominum ad solutionem necesse est retineri.*

De Senatusc. Macedoniano. Tit. X.

Qui filiofamiliâs, cõtra interdictũ amplissimi ordinis pecuniam mutuam crediderit, post mortẽ patris ex eo, quod viuo patre credidit, cum eo agere non potest.

INTERPRETATIO. *Qui filiofamiliâs contra interdicta legum inscio patre pecuniam commodauit, eam nec viuente nec mortuo patre ab eodem poterit postulare*

Ad Senatusc. Velleianum. Tit. XI.

In omni genere negotiorum & obligationũ, tam pro viris quàm pro feminis intercedere mulieres prohibentur.

INTERPRETATIO. *In omni genere causarum, pro quibuscunque personis mulieres fidem suam interponere prohibentur.*

Mulier, quæ pro tutoribus filiorum suorum indemnitatẽ promisit, ad beneficium Senatusconsulti non pertinet.

INTERPRETATIO. *In hac tantum mulier fideiußione tenetur, vt si Tutores filiis suis petat, & pro eis fideiussor existat, filiis teneatur obnoxia.*

De deposito. Tit. XII.

Si sacculum vel argentum signatum deposuero, & is penes quem depositum fuit, me inuito cõtrectauerit, & depositi, & furti actio mihi in eum competit.

In iudicio depositi, ex mora fructus veniunt, & vsurę rei depositæ postulantur.

INTERPRETATIO. *Cum in iudicio de rebus agitur commēdatis si mora in reddendo ab eo cui commendatæ sunt afferatur, prout res fuerit commendata, aut vsuræ, si pecunia: aut fructus si prædia fuerint, debebuntur.*

In causa depositi compensationi locus non est, sed res ipsa reddenda est.

De lege commissoria. *Tit. XIII.*

Debitor distractis fiduciis à creditore, de superfluo aduersus eū habeat actionem.

INTERPRETATIO. *Si quis creditor, debitore in solutione tardāte, rem sibi pro debito positā distraxerit, si quid amplius acceptum fuerit quàm debebatur, quod plus acceptum est, restitui iussum est debitori.*

Quicquid creditor per fiduciarium seruum quæsiuit, sortem debiti minuit.

INTERPRETATIO. *Quicquid creditor per oppignoratum sibi pro debito seruum acquisierit, de summa debiti retrahitur.*

Debitor creditori fiduciam vendere non potest, sed aliis si velit, vēdere potest, ita, vt ex pretio eiusdem pecuniam offerat creditori, atque ita remācipatam sibi rem emptori præstet.

INTERPRETATIO. *Creditor rem sibi oppignoratam à debitore emere non potest. Sed debitor cum alia persona inire contractum potest, vt accepta ab emptore pecunia, debitum restituat creditori. Et sic postea rem suam à debitore liberam, cui voluerit vendat.*

Si per suppositam personam creditor pignus suum inuito debitore cōparauerit, emptio non videtur. Et ideo quādoque lui potest. Ex hoc enim causa pignoris vel fiduciæ finiri non potest.

INTERPRETATIO. *Creditor pignus quod à debitore accepit, nec per suppositam personam emere potest. Quod si factum fuerit, agente debitore, soluto debito, emptio non valebit.*

Si inter creditorem & debitorem conuenerit, vt fiduciam sibi vendere non liceat, non soluente debitore, creditor denuntiare ei solenniter potest, & distrahere. Nec enim ex tali conuentione fiduciæ actio nasci potest.

INTERPRETATIO. *Si conueniat inter creditorem & debitorem, vt pignus à creditore non vendatur, non soluēte debitore debitum, creditor pignus post trinam conuentionem vendere potest.*

Si creditor rem fiduciæ datam, vni ex heredibus, vel extraneo legauerit, aduersus omnes heredes actio fiduciæ competit.

INTERPRETATIO. *Si creditor rem, quam à debitore pignori acceperit, vni ex heredibus, vel extraneo legati titulo derelinquat, debitor pro pignore suo, oblato debito, omnes heredes creditoris poterit conuenire.*

Si creditor rem fiduciariam fecerit meliorem, ob ea recuperanda quę impendit, iudicio fiduciæ debitorem habebit obnoxium.

INTERPRETATIO. *Si quis creditor prædium sibi fiducia obligatum, studio & opere suo meliorauerit, quidquid se pro melioranda re impendisse probauerit, ei à debitore reddendum est.*

Nouissimus creditor priorem oblata pecunia, quo possessio in eum transferatur,

feratur, dimittere poteſt. Sed & prior creditor ſecundum creditorem, ſi voluerit, dimittere non prohibetur, quanquam ipſe in pignore potior ſit.

Si duo creditores vnum pignus debitoris habeant obligatum, & poſterior creditor priori creditori pecuniam offerat, poteſt pignus obligatum ad ſe transferre. Item ſi prior creditor, licet potior ſit in pignore retinendo, ſi offerat pecuniam, poteſt apud ſe pignus retinere.

Seruus, ſi mutuam pecuniam ſeruitutis tempore acceperit, ex ea obligatione poſt manumiſſionem conueniri non poteſt.

De vſuris. *Tit.* XIIII.

SI pactum nudum de præſtandis vſuris interpoſitum ſit, nullius eſt momenti: ex nudo enim pacto inter ciues Romanos actio non naſcitur.

INTERPRETATIO. *Pactum nudum dicitur, ſi cautio creditori à debitore, in qua centeſimam ſe ſoluturum promiſit, ſine ſtipulatione fiat. Et ideo vſuræ ex nuda cautione creditori penitus non debentur.*

Vſuræ ſupra centeſimam ſolutæ, ſortem minuunt, conſumpta ſorte repeti poſſunt.

INTERPRETATIO. *In pecuniis creditis, cum ſolutio vſurarum ſortem æquauerit, ſi quid amplius creditori datum fuerit, de capite debiti ſubtrahitur: ſi vero & centeſima, & caput impletum eſt, quod amplius creditor accepit, reddere cogetur debitori.*

Traiectitia pecunia, propter periculum creditoris, quamdiu nauigat nauis, infinitas vſuras recipere poteſt.

INTERPRETATIO. *Traiectitia pecunia dicitur, quæ in naui vt ad tranſmarina deferatur, deponitur: quia maris periculo committitur, in quantas conuenerit vſuras, hãc pecuniam dare creditor poteſt.*

Vſuræ quæ centeſimam excedunt, per errorem ſolutæ, repeti poſſunt.

Interpretatione non indiget.

Si quis pignora debitoris citra auctoritatem iudicantis abduxerit, violentiæ crimen admittit.

Tutor in vſuras non conuenitur, ſi pecuniam pupillarem ideo non collocauit, quod idonea nomina non habebat, cui pecunię collocentur. cuius rei cõteſtatio apud Præſidem prouinciæ deponenda eſt.

De mandatis. *Tit.* *XV.*

OB ſubitam valetudinem, ob neceſſariam peregrinationem, ob inimicitiam, & inanes rei actiones, integra adhuc cauſa, mandati negotio renuntiari poteſt.

INTERPRETATIO. *Propter ſubitam infirmitatem, & neceſſitatem peregrinationis, vel propter inimicitias maioris perſonæ ne cuiuſcunque videatur actio vacillare, integra adhuc cauſa, is qui ſuſceperit, ſuſceptum negotium renuere poteſt.*

Si meis nummis mandato tuo aliquid tibi comparauero, & ſi rem poſtea accipere nolis, mandati actio mihi aduerſus te competit. Non enim tantũ quod impenſum eſt, ſed & vſuras eius conſequi poſſum.

Certo pretio rem iuſſus diſtrahere, ſi minoris vendiderit, mandati iudicio

pretij ſumma poterit integrari. Venditionem enim diſſolui non placuit.

INTERPRETATIO. *Si quis cuilibet mandet, vt rem ſuam decem ſolidis vendat, & ille eam octo vendiderit, pretium quod ei mandatum eſt, quicquid minus ab emptore percepit, mandatori complere compellitur. Venditio tamen reſcindi non poteſt.*

Pro ſocio. *Tit.* XVI.

SIcut lucrum, ita & damnum inter ſocios cõmunicatur, niſi quid culpa ſocij, vel fraude euerſum ſit.

Ex empto & vendito. *Tit.* XVII.

VEnditor, ſi eius rei quam vendiderit, dominus non ſit, pretio accepto auctoritatis manebit obnoxius. Aliter enim non poteſt obligari.

INTERPRETATIO. *Si quis rem alienam vendiderit, & pretium acceperit, ad redhibitionem duplæ pecuniæ manebit obnoxius.*

Si res ſimpliciter traditæ euincantur, tanto venditor emptori condemnandus eſt, quanto ſi ſtipulatione pro euictione cauiſſet.

INTERPRETATIO. *Si quicunque rem ſimpliciter, id eſt, ſine pœnæ interpoſitione emptori tradiderit, & de eadem re emptor fuerit ſuperatus, in tantum ei venditor manebit obnoxius, velut ſi euictionis pœnam, id eſt, duplum ſe redditurum pretium in venditione promiſerit.*

Res empta, mancipatione & traditione perfecta ſi euincatur, auctoritatis venditor nullatenus obligatur.

Diſtracto fundo, ſi quis de modo mentiatur, in duplo eius quod mentitus eſt, officio Iudicis æſtimatione facta conuenitur.

Redhibitio vitioſi mancipij intra ſex menſes fieri poteſt, propter latens vitium.

Si vt ſeruum quis pluris venderet, de artificio eius, vel de peculio mentitus eſt, actione ex empto conuentus, quanto minoris valuiſſet, emptori præſtare compellitur, niſi paratus ſit eum redhibere.

INTERPRETATIO. *Si venditor, cum mancipium diſtraheret, de artificio eius, vel de peculio, pro caritate pretij mentitus eſt, emptori, in quantum ſine peculio vel artificio valere potuerat, tantum reddere compellatur, aut certe mancipium venditum recipere, reddito pretio, acquieſcat.*

Ex die emptionis ſi pretium numeratum ſit, & fructus, & operæ ſeruorum & fœtus pecorum, & ancillarum partus ad emptorem pertinent.

Fundum alienum mihi vendidiſti, poſtea idem ex cauſa lucratiua meus factus eſt, competet mihi aduerſus te ad pretium recuperandum actio ex empto.

INTERPRETATIO. *Si quis agrum alienum cuicunque vendiderit, & poſtea hic ipſe ager ab alio domino cuius erat, emptori donatus ſit, venditor emptori in redhibitione pretij quod accepit manebit obnoxius.*

Poſt rem traditam niſi emptor pretium ſtatim exſoluat, vſuras eius præſtare cogendus eſt.

Mutus emere & vendere poteſt, furioſus autem neque emere, neque vendere poteſt.

Seruus bona fide comparatus ſi ex veteri vitio fugerit, non tantum pretium dominus, ſed & ea quæ per fugam abſtulit reddere cogetur.

Heredibus

Heredibus debitoris aduersus creditorem, qui pignora vel fiducias distraxit, nulla actio datur nisi à testatore inchoata ad eos transmissa sit.

Cum probatio prioris fugæ defecerit, serui responsioni credendum est: In se enim interrogari, non pro domino, aut in dominum videtur.

In eo contractu, qui ex bona fide descendit, instrumentorum oblatio sine causa desideratur, si quo modo veritas de fide contractus possit ostendi.

INTERPRETATIO. *In contractibus empti & venditi, qui bona fide ineuntur, venditionis instrumenta superflue requiruntur, si quocunque modo res vendita, dato & accepto pretio, qualibet probatione possit agnosci.*

Fundus eius esse videtur, cuius nomine comparatus est, non à quo pecunia numerata est, si tamen fundus comparatori sit traditus.

INTERPRETATIO. *Si ager alterius nomine, & alterius pecunia fuerit comparatus, eius esse dignoscitur, cuius nomine comparatus est, si tamen ipsi comparatori agrum traditum fuisse constiterit, illi vero pecuniam quam dederant à possessore recipiant, sicut multis alijs speciebus habetur expositum.*

Electo reo principali, fideiussor vel heres eius liberatur: non idem in mandatoribus obseruatur.

INTERPRETATIO. *Si quis contempto fideiussore, debitorem suum tenere maluerit, fideiussor vel heres eius à fideiussionis vinculo liberatur. Si vero procurator litis victus fuerit, mandator eius ad solutionem tenetur.*

De locato & conducto. *Tit.* XVIII.

HOmo liber, qui statum suum in potestate habet, & peiorare eum & meliorem facere potest. Atque ideo operas suas diurnas nocturnásque locat.

Fundi deterioris facti, & cultura non exercitati, & ædificiorum non refectorum culpa, arbitrio Iudicis domino à conductore sarciri potest.

De nuptijs. *Tit.* XIX.

SPonsalia tam inter puberes quàm inter impuberes contrahi possunt.

Eorum qui in potestate patris sunt, sine volútate eius matrimonia iure non contrahuntur, sed contracta non soluuntur. Cõtemplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur.

INTERPRETATIO. *Viuentibus patribus, inter filiosfamiliâs sine voluntate patrum matrimonia non legitime copulantur, sed si coniuncta fuerint, non soluuntur: quia ad publicam vtilitatem antiquitas pertinere decreuit, vt procreandorum liberorum causa coniunctio facta non debeat separari.*

Inter seruos & liberos matrimonia contrahi non possunt, contubernium potest.

Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed contractum matrimonium furore non tollitur.

INTERPRETATIO. *Si qui matrimonium sani contraxerint, & vni ex duobus amentia aut furor accesserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solui non possunt.*

Vir absens vxorem ducere potest, femina absens nubere non potest.

Si vir in peregrinis aliqua fuerit occasione detentus, absente eo constituto die, possunt

nuptiæ celebrari, vt ab amicis vel parentibus eius puella suscepta ad domum mariti ducatur. Nam sicut viro absente hoc ordine possunt nuptiæ celebrari, ita femina absente non possunt.

Libertum qui nuptias patronæ, vel vxoris filiæque patroni affectauerit, pro dignitate personæ metalli pœna, vel operis publicis coherceri placuit.

Libertus si ad coniunctionem patronæ, vel patroni filiæ aspirare tentauerit, in metallum detrudatur.

De concubinis. *Tit.* XX.

EO tempore quo quis vxorem habet, concubinam habere non potest. Concubina igitur ab vxore solo delicto separatur.

INTERPRETATIO. *Qui vxorem habet, eo tempore cõcubinam habere prohibetur, ne ab vxore eum dilectio separet concubinæ.*

De mulieribus quæ se seruis alienis iunxerint, vel ad S. C. Claudianum. Tit. XXI.

SI mulier ingenua ciuísque Romana vel Latina alieno se seruo coniunxerit, si quidem inuito & denuntiante domino in eodem contubernio perseuerauerit, efficitur ancilla.

Si seruo pupilli ingenua mulier se coniungat, denuntiatione tutoris efficitur ancilla.

Mulier & si * tamen eíque se seruo iunxerit denuntiando adquirit ancillam.

Procurator & filiusf. & seruus iussu patris aut domini denuntiando faciunt ancillam.

Si peculiari seruo filiif. libera se mulier coniunxerit nulla discretione paternæ voluntatis iure solemni decurso adquiret ancillam.

Liberta sciente patrono alieni serui secuta contubernium, eius qui denuntiauit efficitur ancilla.

Liberta si ignorante patrono seruo se alieno coniunxerit, ancilla patroni efficitur ea condicione ne aliquãdo ab eo ad ciuitatem Romanam perducatur.

Filijf. seruo quem ex castrensi peculio habet, si se ingenua mulier coniunxerit, eius denuntiatione efficitur ancilla.

Filiaf. si inuito vel ignorante patre seruo alieno se iunxerit, etiam post denuntiationem statum suum retinet, quia facto filiorum peior condicio parẽtum fieri non potest.

Filiaf. si iubente patre inuito domino serui alieni contubernium secuta sit, ancilla efficitur, quia parentes deteriorem filiorum condicionem facere possunt.

Liberta serui patroni contubernium secuta etiam post denuntiationem in eo statu manebit, quia domum patroni videtur deserere noluisse.

Errore quæ se putauit ancillam atque ideo alieni serui contubernium secuta est, postea liberam se sciens, in contubernio eodem perseuerauerit, efficitur ancilla.

Si patrona seruo liberti sui se coniunxerit etiam denuntiatione conuentam ancillam fieri non placuit.

Sciens

Mulier ingenua quæ se sciens seruo municipum iunxerit, etiam citra denũtiationem ancilla efficitur, non idem si nesciat. nescisse autem videtur quæ comperta condicione contubernio se abstinuit, aut libertum putauit.

Libera mulier contubernium eius secuta qui plures dominos habuit, eius fit ancilla qui prior denuntiauit, nisi forte ab omnibus factum sit.

Si mater seruo filij se iunxerit, non tollit S. C. Claudianum erubescendam matris etiam in re turpi reuerẽtiam exemplo eius quæ se seruo liberti sui coniunxerit.

Tribus denuntiationibus conuenta etsi ex S. C. facta videatur ancilla, domino tamen adiudicata citra auctoritatem interpositi per Præsidem decreti non videtur. ipso enim debet auferre qui dare potest libertatem.

Filiaf. mortuo patre si in serui contubernio perseuerauerit, pro tenore S. C. Claudiani conuenta efficitur ancilla.

De dotibus. *Tit.* XXII.

DOs aut antecedit, aut sequitur matrimonium. Et ideo vel ante nuptias, vel post nuptias dari potest: sed ante nuptias data, earum expectat aduentum.

INTERPRETATIO. *Dos dicitur, quæ à parte sponsarum viris datur: quæ tamen potest & ante nuptias, & post nuptias dari.*

Lege Iulia de adulteris cauetur, ne dotale prædium maritus, inuita vxore alienet.

Non indiget interpretatione.

De *pactis inter virum & vxorem.* *Tit.* XX*III.*

FRuctus fundi dotalis cõstante matrimonio percepti, lucro mariti cedunt, etiam pro rata anni eius quo factum est diuortium.

INTERPRETATIO. *Fructus agri dotalis, manente coniugio, ad maritum pertinent, sed & illius anni, quo matrimonium diuortio separatur, ad maritum pertinere certissimum est.*

Omnibus pactis stipulatio subiici debet, vt ex stipulatu actio nasci possit.

De donationibus inter virum & vxorem. *Tit.* XXIIII.

MOrtis causa donatio est, quæ impẽdente metu mortis fit, vt est valetudinis, peregrinationis, nauigationis, vel belli.

Manumissionis gratia inter virum & vxorem donatio, fauore libertatis recepta est, vel certe, quod nemo ex hac fiat locupletior. Ideóque seruum manumittendi causa inuicem sibi donare non prohibentur.

INTERPRETATIO. *In coniugio hæc sola donatio ex hac lege permittitur, vt mãcipia sibi inuicem quæ manumittant, non quæ habeant donare possint.*

Inter virum & vxorem, nec per interpositam personam donatio fieri potest.

Inter virum & vxorem contemplatione donationis, imaginaria venditio contrahi non potest.

Superstite eo qui matrimonij tempore donauerat, ante decedente cui fuerat donatum, id quod donatum est, penes donatorem remanet.

INTERPRETATIO. *Si manente coniugio vir vxori, vel vxor marito aliquid donauerit: ſi is cui donatum eſt prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quæ donata fuerant remanebunt.*

Quocunque tempore contemplatione mortis, inter virum & vxorem donatio facta eſt, morte ſequuta conualeſcit.

INTERPRETATIO. *Si inter maritum & vxorem, matrimonij tempore, mortis cauſa fuerit facta donatio, morte vnius conualeſcit. Nam in donationibus, quæ mortis cauſa fiunt, hæc verborum ſolennitas cuſtoditur: illum agrum, aut illam domum te malo habere quàm me, te, quàm heredes meos.*

De liberis agnoſcendis. Tit. XXV.

SI ſerua conceperit, & poſtea manumiſſa pepererit, liberum parit.

Si libera conceperit, & ancilla facta pepererit, liberum parit. Id enim fauor libertatis expoſcit.

Si ancilla cōceperit, & medio tempore manumiſſa ſit, rurſus facta ancilla pepererit, liberum parit. Media enim tempora libertati prodeſſe, non enim nocere poſſunt.

Ex ea muliere natus, quæ ex cauſa fideicommiſſi manumitti debuit, ſi poſt moram libertati factam naſcatur, ingenuus naſcitur.

INTERPRETATIO. *Si ea mulier, quæ per fideicommiſſum manumitti iuſſa eſt, fideicommiſſario in præſtanda libertate, quæ ei mandata eſt, moram faciente pepererit, qui natus eſt ingenuus naſcitur: quia fideicommiſſarij tarditas ingenuitati eius obeſſe non poteſt.*

Si mulier diuortio facto grauidam ſe ſciat, intra triceſimum diem viro denuntiare debet, vel patri eius, vt ad ventrem inſpiciendum, obſeruandúmque cuſtodes mittant, quibus miſſis partum mulieris omnimodis cogũtur agnoſcere.

INTERPRETATIO. *Si quæcunque mulier matrimonio per diuortium diſſoluto, prægnantem ſe eſſe ſenſerit, & hoc in notitiam mariti vel patris eius detulerit, vt ad inſpiciendum vel obſeruandum ventrem ſuum cuſtodes mittant, quos dum miſerint, partum mulieris, id eſt, natiuitatem ſui heredis compelluntur agnoſcere.*

Si prægnantem mulier ſe eſſe non denuntiauerit, vel cuſtodes vẽtri miſſos non admiſerit, liberum eſt patri vel auo, natum non alere. Ceterum negligẽtia matris, quo minus ſuus patri heres ſit, obeſſe non debet.

INTERPRETATIO. *Si poſt diuortium prægnantem ſe mulier marito non indicauerit, vel cuſtodes ad obſeruationem ventris miſſos cuſtodire non permiſerit, poteſt pater vel auus eum qui natus fuerit non nutrire: ſed negligentiam matris ſtatutum eſt ei, qui natus eſt, in ſucceſſione patris nocere penitus non debere, quin poſt mortem patris ſine dubio ſuccedat.*

Si mulier ſe ex viro prægnantem negat, permittitur marito ventrem inſpicere, & ventri cuſtodes dare.

Venter inſpicitur per quinque obſtetrices, & quod maxima pars earum denuntiauerit, pro vero habetur.

INTERPRETATIO. *Quoties de mulieris prægnatione dubitatur, quinque obſtetrices, id eſt, Medicæ, ventrem iubentur inſpicere. Et quod plures ex ipſis ſe agnouiſſe dixerint, hoc certiſſimum iudicatur.*

Obſtetricem

Obstetricem, quæ partum alienum attulit, vt supponi possit, summo supplicio affici placuit.

Quemadmodum filij sui iuris efficiantur. *Tit. XXVI.*

PAter ab hostib⁹ captus, desinet habere filios in potestate. Postliminio vero reuersus, tam filios, quàm omnia sui iuris in potestatem recipit, ac si nunquam ab hostibus captus sit.

Singulæ mãcipationes, iisdem vel aliis testibus fieri possunt, vel eodem die, vel intermisso tempore.

Emancipatio etiam die feriato fieri potest.

Apud magistratus municipales, si habeant legis actionem, emancipari & manumitti potest.

Filiusfamiliâs † emancipari inuitus non cogitur.

† al. emancipare.

De adulteriis. *Tit. XXVII.*

CApite secundo legis Iuliæ de adulteriis permittitur patri tam adoptiuo quam naturali, adulterum cum filia cuiuscunque dignitatis domi suæ vel generi sui deprehensum sua manu occidere.

Filiusfamiliæ pater si filiam in adulterio deprehenderit, verbis quidem legis prope est vt non possit occidere, permitti tamen ei debet vt occidat.

Capite quinto legis Iuliæ cauetur, vt adulterum deprehensum xx. horis adtestando vicinos retinere valeat.

Maritus in adulterio deprehensos non alios quam infames & eos qui corpore quæstum faciunt, seruos etiam excepta vxore quam prohibetur, occidere potest.

Maritum qui vxorem deprehensam cum adultero occidit, quia hoc impatientia iusti doloris amisit, lenius puniri placuit.

Occiso adultero dimittere statim maritus debet vxorem, atque ita triduo proximo profiteri cum quo adultero, & in quo loco vxorem deprehenderit.

Inuenta in adulterio vxore maritus ita demum adulterum occidere potest, si eum domi suæ deprehendat.

Eum qui deprehensam in adulterio vxorem non statim dimiserit, reum lenocinij postulari placuit.

Duos vno tempore vxoris adulteros accusari posse sciendũ est, plures vero non posse.

Cum his quæ publice mercibus vel tabernis exercendis procurant adulterium fieri non placuit.

Qui masculum liberum inuitum stuprauerit capite punitur.

Qui voluntate sua stuprum flagitiúmque impurum patitur, dimidia parte bonorum suorum multatum, nec testamẽtum ei ex maiore parte facere licet.

Adulterij conuictas mulieres dimidia parte dotis & tertia parte bonorum ac relegatione in insulam placuit coerceri: adulteris vero viris pari in insulam relegatione dimidiam bonorum partem auferri, dummodo in diuersas insulas relegentur.

Incesti pœnam quæ in viro in insulam deportatio est, mulieri placuit remitti, hactenus tamen, quatenus lege Iulia de adulteriis non apprehenditur.

Ancillarum sane stuprum nisi deteriores fiant ad per eas ad dominam affectet, citra noxam habetur.

Serui tam mariti quam vxoris in causa adulterij torqueri possunt, nec his libertas sub specie impunitatis data valebit.

In causa adulterij dilatio postulata impetrari non potest.

De excusationibus tutorum. *Tit.* XXVIII.

INimicitiæ capitales, quas quis cum patre pupillorum habuit, à tutelis excusant, ne paterno inimico pupilli committantur.

INTERPRETAT. *Si cum patre minorum aliquis graues inimicitias habuisse cognoscitur, à tutela pupillorum merito excusatur, ne inimico paterno paruulorum defensio committatur.*

Ad curam eius, cuius quis tutelam administrauit, inuitus vocari nō potest.

De potioribus nominandis. *Tit.* XXIX.

NOn recte potiorem videtur nominare, qui causam nominati potioris non expresserit.

Potior quis esse debet, non solum gradu generis, sed & substantia rei familiaris.

INTERPRETATIO. *Qui potior ad tutelam eligendus est, non solum pupillo generis adfinitate propinquior, sed & facultatibus debet magis idoneus approbari.*

Qui potiores nominare non poßint. *Tit.* XXX.

LIbertus, quem pater Tutorem dedit, si minus idoneus dicatur, excusari quidem non potest, sed adiungi illi curator potest.

INTERPRETATIO. *Si à patre filiis minoribus libertus Tutor fuerit derelictus, si parum idoneus videtur, excusari quidem ab actione tutelæ non potest, sed potest illi Curator adiungi.*

Ad orationem Diui Seueri. *Tit.* XXXI.

DOlo Tutoris, Curatorísve detecto, in duplum eius pecunię condemnatione conueniuntur, qua minorem fraudare voluerunt.

De furtis. *Tit.* XXXII.

FVr est, qui dolo malo rem alienam contrectat.

INTERPRETATIO. *Fur est, qui rem alienam fraude interueniente contigerit.*

Furtorum genera sunt quatuor, manifesti, nec manifesti, concepti & oblati. Manifestus fur est, qui in faciēdo deprehensus est, & qui intra terminos eius loci, vnde quid sustulerat, deprehēsus est, vel antequam ad eum locum, quo destinauerat, perueniret. Nec manifestus fur est, qui in faciendo quidem deprehensus non est, sed eum furtum fecisse negari non potest. Concepti actione is tenetur, apud quem furtum quæsitum & inuentū est. Oblati actione

actione is tenetur,qui rem furtiuam alij obtulit,ne à se inueniretur.

Furti actione is agere potest,cuius interest rem non perisse.

Concepti is agere potest,qui rem concepit & inuenit.

Oblati is agere potest,penes quem res concepta & inuenta est.

Manifesti furti actio,& nec manifesti, & cõcepti & oblati, heredi quidem competit,sed in heredem non datur.

INTERPRETATIO. *Furtorum genera heres eius,qui furtum pertulit, prosequi potest,eius vero heredes,qui furtum fecerit,ad pœnam criminis teneri non possunt.*

Seruus,qui furtum fecerit, damnúmve dederit, nisi id pro sui quãtitate dominus sarcire sit paratus,noxæ dedi potest.

INTERPRETATIO. *Si seruus alicui furtum fecerit,vel damnum dederit, si dominus eius pro eo reddere noluerit,tradere eum vindictæ pro qualitate facti debebit.*

Si seruus furtum fecerit,deinde manumissus fuerit,aut alienatus,cum ipso manumisso,vel emptore agi potest:noxa enim caput sequitur.

Si seruus furtum fecerit, & postea aut manumissus,aut venditus fuerit,aut is qui manumissus est, pro furti redhibitione tenebitur, aut emptor eius:quia noxa semper caput sequitur.

Filiusfamiliâs si furtum fecerit,deinde emancipetur,furti actio in eum datur,quia in omnibus noxa caput sequitur.

Non tantum qui furtum fecerit, sed etiam is, cuius opera aut consilio furtum factum fuerit,furti actione tenebitur.

Rei hereditariæ antequam ab herede possideatur furtum fieri non potest.

† Qui meretricem libidinis causa rapuit, & cælauit, eum quoque furti actione teneri placuit. † *Te. Qui non.*

Furti manifesti actio,præter pœnam quadrupli, ipsius rei persecutionem genere vendicationis & condictionis continet.

Furti manifesti pœna quadrupli est, & ipsius rei quæ est sublata,redhibitio.

Furti † oblati actio,aduersus eum, qui obtulit, tripli est pœna, & ipsius rei repetitio. † *concepti.*

INTERPRETATIO. *Is qui rem furtiuam alteri obtulit,ne apud ipsum inueniretur,tripli pœna est, & ipsius rei redhibitio,quæ sublata cognoscitur.*

Furti quocunque genere condemnatus,famosus efficitur.

Quæcunque in caupona,vel in meritorio stabulo, diuersorióve perierint, in exercitores eorum furti actio competit.

Qui furtum quæsiturus est,antequam quærat debet dicere quid quærat,& rem suo nomine & sua specie designare.

Rem pignori datam, debitor creditori subtrahendo furtum facit, quam si & ipse similiter amiserit,suo nomine persequi potest.

Pater, vel dominus, de ea re,quæ filiofamiliâs, vel seruo surrepta est, furti agere potest:Interest enim ei deferri actionem,qui de peculio conuenitur.

INTERPETATIO. *Si filiofamiliâs, vel seruo, furto aliquid sublatum fuerit, ad patrem vel dominum furti actio pertinebit: quia merito eis hæc actio datur, ex quorum personis solent aliquoties conueniri.*

Si rem,quam tibi commendaui,postea surripui,furti actio competere tibi non poterit. Rei enim nostræ furtum facere non possumus.

Qui furtum quæsiturus est, antequam quærat debet dicere quid quærat,

& rem suo nomine & sua specie designare.

Si cùm furtum quis quærit, damnum iniuriæ dederit, actione legis Aquiliæ tenebitur.

INTERPRETATIO. *Si cùm furtum quis quærit, damnum alicui dederit, vel iniuriam fecerit, secundum legem Aquiliam in duplum damni illati redhibitione multatur.*

Ob indicium comprehendendi furis præmium promissum, iure debetur.

Siue seges per furtum, siue quælibet arbores cæsæ sint, in duplum eius rei nomine reus conuenitur.

Si seruum communem quis furatus sit, socio quoque actio furti dabitur.

Qui pro derelicto rem iacentem occupauit, furtum non committit, tametsi à domino derelinquendi animo relictam.

Si seruus furtum fecerit cum domino, præter rei condictionem furti actio in dominum datur.

Fullo & sarcinator qui polienda vel sarcienda vestimenta accepit, si forte hiis vtatur, ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur, quia non in eam causam ab eo videntur accepta.

Frugibus ex fundo subreptis tam colonus quam dominus furti agere possit, quia vtriusque interest rem persequi.

Qui ancillam non meretricem libidinis causa subripuit, furti actione tenebitur: & si suppressit, pœna legis Fauiæ coërcetur.

Qui tabulas cautionésve surripuit, in adscriptam summam furti actione tenebitur. Nec interest cancellatæ nec ne sint, quia ex hiis debitum dissolutum interest comprobari.

INTERPRETATIO. *Qui tabulas aut cautiones furto abstulerit, ad eam summam redhibitionis, quam tabulæ, vel chartæ sublatæ continent, furti actione tenebitur. Nec interest, vtrum cautiones ipsæ sine aliqua litura sint, an fuerint caraxatæ, aut forsitan iam solutæ.*

Qui seruo fugæ consilium dedit, furti quidem actione non tenetur, sed serui corrupti.

Res subrepta si in domini potestatem reuersa sit, cessat furti actio.

Qui furandi animo conclaue effregit vel aperuit, sed nihil abstulit, furti actione conueniri non potest, iniuriarum potest.

Qui rem suam furatur, ita demum furti actione non tenetur, si alteri ex hoc non noceatur.

Seruus qui in fuga est, à domino quidem possidetur, sed dominus furti actione eius nomine non tenetur: quia in potestate eum non habet.

De operis libertorum. *Tit. XXXIII.*

EGentem patronum, libertus obligatione doni, muneris & operarum solutus, alere cogẽdus est pro modo facultatum suarum.

INTERPRETATIO. *Si quis ita fuerit manumissus, vt nec donum, nec operas patrono præstare deberet, & patronus eius egens fuerit effectus, eum pro modo facultatum suarum pascere, & sustentare compellitur.*

IVLII PAVLI

SENTENTIARVM RECEPTARVM AD FILIVM. LIB. III.

De Carboniano edicto. *Tit. I.*

SI fratri puberi controuersia fiat, an pro parte impuberis differri causa debeat, variatum est. Sed magis est, vt differri non debeat.

INTERPRETATIO. *Si quis contra duos fratres, id est, vnum puberem, cuius ætas Curatorem habere potest, & alterum impuberem causam habeat, si frater qui senior est, propter personam fratris iunioris, ne causam dicat, se voluerit excusare, ille qui senior est pro sua causa vel persona respõdere compellitur. Quod etiamsi Curatorem non habeat, adhibere sibi cogetur. Nam adultus se per personam pupilli penitus non excusat.*

De bonis liberti. *Tit. II.*

IN bonis liberti prior est patronus, quàm filius alterius patroni. Itémque prior est filius patroni, quàm nepos alterius patroni.

Libertus duos patronos † heredes instituit, alter eorum viuo liberto moritur, is qui superest contra tabulas testaméti bonorum possessionem recte postulat.

† *eq. habuit.*

INTERPRETATIO. *Si libertus duos patronos heredes scripserit, & vnus ex ipsis patronis viuente liberto mortuus fuerit, ad illum patronum qui superest, quod ambobus dimiserat pertinebit.*

Libertorum hereditas in capita, non in stirpes diuiditur. Et ideo si vnius patroni duo sint liberti, & alterius quatuor, singuli viriles, id est, æquales portiones habebunt.

Patronus, vel patroni liberi, ex parte dimidia heredes instituti, æs alienum liberti pro portionibus exsoluere coguntur.

INTERPRETATIO. *Si liberto mortuo patronus, vel patroni filij, cùm secundum paginam testamenti in dimidia eius hereditate successerint, debitum liberti pro portionum suarum quantitate restituant.*

De lege Fabiana. *Tit. III.*

EA quæ in fraudem patroni à liberto quoquo modo alienata sunt, Fabiana formula tam ab ipso patrono, quàm à liberis eius reuocantur.

INTERPRETATIO. *Si libertus aliqua ex bonis suis hoc animo alienauerit, ne ad patronum, vel filios patroni inter hereditaria corpora perueniant, id quod hoc ordine per fraudem alienatum constiterit, potest à patrono, vel à filiis ipsius reuocari.*

De testamentis. *Tit. IIII.*

TEstamentum facere possunt masculi, post impletum quartum decimum annum, feminæ post duodecimum.

Spadones eo tempore testamentum facere possunt, quo plerique pubescunt, id est, annorum decimo octauo.

Filiusfamiliâs, qui militauit, de castrensi peculio tam communi, quàm proprio iure testamentum facere potest. Castrense enim peculium est, quod in castris acquiritur, vel quod proficiscenti ad militiam datur.

Cæcus testamentum potest facere, quia scire potest adhibitos testes, & audire sibi testimonium perhibentes.

Furiosus tempore intermissi furoris testamentum facere potest.

Mulieri quæ luxuriosè viuit bonis interdici potest.

Moribus per Prætorem bonis interdicitur hoc modo: Quando tibi bona paterna auitáque nequitia tua disperdis, liberósque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ære † commercióque interdico.

† *are.*

Qui ab hostibus captus est, testamentum quasi seruus facere non potest. Sanè valet testamentum id quod ante captiuitatem factum est, si reuertatur iure postliminij: Aut si ibidem decedat, beneficio legis Corneliæ: qua lege etiam legitimæ tutelæ hereditatésque firmantur.

INTERPRETATIO. *Qui ab hostibus captus fuerit, in captiuitate positus, quia seruus est, non potest facere testamentum. Sed si quod testamentum antè fecit, si redierit, iure postliminij valet. Si ibidem defecerit, beneficio legis Corneliæ valet.*

In insulam relegatus, & in opus publicum ad tempus damnatus, quia retinet ciuitatem, testamentum facere potest, & ex testamento capere.

INTERPRETATIO. *Qui pro aliquo crimine ad tempus aut in insulam relegatur, aut in metallum deputatur, quia perpetuam damnationem non habet, & testamentum facere potest, & si quid ei ex testamento relictum fuerit, obtinebit.*

Plures quàm septem ad testamentum adhibiti non nocent. Superflua enim facta prodesse iuri tantum nocere non possunt.

In aduersa corporis valetudine mente captus, eodem tempore testamentum facere non potest.

Prodigus recepta vitæ sanitate, ad bonos mores reuersus, & testamentum facere, & ad testamenti solennia adhiberi potest.

Ex hiis qui ad testamentum adhibentur, si qui sint qui Latinè nesciant, vel non intelligant, si tamen sentiant, cuius rei intersint, adhibiti non vitiant testamentum.

De institutione heredum. *Tit. V.*

COndicionum duo sunt genera: Aut enim possibilis est, aut impossibilis. Possibilis, quæ per rerum naturam admitti potest. Impossibilis, quæ non potest. Quarum ex euentu altera expectatur, altera impossibilis submouetur.

INTERPRETATIO. *Si aliquis in testamento suo condicionem heredi constituat, quam prius impleat, quàm hereditatem presumat, merito ad eam implendam, quia possibilis videtur, expectandum tempus est, vt non præsumatur hereditas, quamdiu condicio impleatur. Nam si impossibile aliquid heredi fuerit iniunctum, quod impleri penitus*

non

non potest, talis condicio statim submouenda est: quia nullum scripto heredi impedimentum facit.

Cōdiciones cōtra leges, & decreta Principum, vel bonos mores adscriptæ, nullius sunt momenti, veluti: Si vxorē non duxeris: Si filios non susceperis: Si homicidium feceris: Si laruali habitu processeris, & hiis similia.

Quoties non apparet quis sit heres institutus, institutio non valet. Quod euenit, si testator plures amicos vnius nominis habeat.

INTERPRETATIO. *Quoties in testamento heres euidenter qui sit scriptus non exprimitur, nulla firmitas est heredis: nam si euenit, vt testatori amici plures vno nomine nuncupentur, debet testator, quem de illis heredem appellat, rebus euidentibus declarare.*

Heredes aut instituti, aut substituti dicuntur. Instituuntur primo gradu, substituuntur secundo, vel tertio scripti.

INTERPRETATIO. *Qui testamēta faciunt, sicut instituere heredes, ita & substituere possunt. Nam qui primo gradu heredes scripti sunt, instituti appellantur: qui secundo substituti: qui tertio, scripti vocantur. Quia vsque ad tertium gradum heredes substituere, pro testatoris voluntate permissum est: hoc est, vt secundum voluntatem testatoris ita substitutio ordinata seruetur, ea tamen ratione, vt sicut committitur fidei heredis, sic quibuscunque verbis testator iniunxerit, hereditas defuncti ab instituto ad substitutum valeat peruenire.*

Substituere quis & pure, & sub condicione potest, & tam suis quàm extraneis, tam puberibus, quàm impuberibus.

INTERPRETATIO. *Substitutio & pure, id est, sine condicione fieri potest: hoc est, vt cùm ad substitutum hereditas peruenerit, ad tertium heredem nō debeat peruenire: Sub condicione autem ita quis substituitur, vt cum ille mortuus fuerit, ad tertium heredem, id est scriptum, hereditas quæ est ab eo tenta perueniat. Quæ tamen substitutio tam in suos heredes, quàm in alienos, & tam puberes, quàm impuberes fieri potest: hoc est, & in pupillos, & in adultos.*

In quot vult vncias testator hereditatē suam diuidere potest, impleto asse, sine parte heredis instituti, ad prioris assis semissem æquis portionibus veniunt.

INTERPRETATIO. *In quot vult vncias testator assem suum per diuersos heredes diuidere potest, vt faciat si voluerit, & XV. & XX. vncias, & maiori numero. Aut certe, si voluerit, & minori potest, hoc est, aut VII. aut IX. Aut quot voluerit in minori modo vncias facere potest. Si verò XII. vncias impleuerit, id est, totum assem in testamento suo, & postmodum alteri dicat, Ille heres mihi esto, & non dicat in quot vncias: quia nihil impleto asse in hereditate remansit, illi, qui in XII. vncias heredes nominatim instituti sunt, medietatem tollunt, & medietatem ille, qui post impletum assem heres est posterior sine portione aliqua nominatus. Quod si heredes instituti in XII. vncias inueniantur, & postmodum heredem hiis verbis testator instituat, vt dicat: Ex reliqua parte ille heres mihi esto, ei qui sic institutus est, nihil debetur, quia impleto asse, nihil quod ei testator reliquerit, dinoscitur remansisse.*

Seruus alienus cum libertate heres institutus, institutionem non infirmat, sed libertas, vt alieno, superuacuè data videtur.

INTERPRETATIO. *Si seruum alienum aliquis, data libertate, heredem instituerit, institutio quidem facta valebit, sed libertas alieno seruo data valere non poterit.*

Filio & extraneo æquis partibus heredibus institutis, si præterita accrescat, tantum de suo auocabit, quantum extraneo. Si vero duo sint filij instituti, suis tertiam, extraneis dimidiam tollit.

INTERPRETATIO. *Si quis filium suum & extraneum æquis partibus testamento scribat heredes, filia prætermissa tantum de portione germani sui, quantum de extraneis reuocabit. Si vero duo filij fuerint heredes scripti, filia prætermissa duobus fratribus tertiam tollit, & extraneis dimidiam.*

Talis est Postumorum institutio, si qui post mortem meam Postumi nati fuerint, heredes sunto, si viuo eo nascantur, rumpunt testamentum.

INTERPRETATIO. *Si pater moriens, in testamento suo, sciens vxorem se prægnantem habere, ita scribat: vt, si qui filij post mortem ipsius nati fuerint, heredes sint. Si post mortem patris nati fuerint, valeat testamentum. Nam si post testamentum viuo patre nati fuerint, & testamentum pater non mutauerit, rumpent testamentum.*

Nepos Postumus, qui in locum patris succedere potest, ab auo aut heres instituendus est, aut nominatim exheredandus, ne agnoscendo rumpat testamentum.

Qui semel constituit ad se hereditatem pertinere, ac se rebus eius immiscuit, repudiare eam non potest, etiamsi damnosa sit.

Ad Senatusconsultum Syllanianum. *Tit. VI.*

Hereditas eius, qui à familia occisus esse dicitur, ante habitam quæstionem audiri non potest, neque bonorum possessio postulari.

INTERPRETATIO. *Quicunque à familia sua occisus fuerit, hereditas illius ab herede adiri nõ potest, nisi prius de familia quæstio fuerit ventilata, & mors occisi fuerit vindicata.*

Occisus videtur, non tantum qui per vim, aut per cędẽ interfectus est, vel iugulatus, aut præcipitatus, sed & is qui veneno necatus dicitur. Honestari enim heredis conuenit, qualemcunque mortem testatoris inultam non prętermittere.

Domino occiso, de ea familia quęstio habenda est, quæ intra tectum fuerit, vel certe extra tectum, cum domino eo tempore cùm occidebatur.

Qui occisus dicitur, si constet eum sibi quoquo modo manus intulisse, de familia eius quæstio non est habenda, nisi forte prohibere potuit, nec prohibuit.

Neroniano Senatusconsulto cauetur, vt occisa vxore etiam de familia viri quæstio habeatur: idémque iuxta vxoris familiam obseruetur, si vir dicatur occisus.

Serui, qui sub eodem tecto fuerint, vbi dominus probatur occisus, & torquentur, & puniuntur, etsi testamento occisi manumissi dicantur. Sed & hij torquentur, qui cum occiso in itinere fuerunt.

Serui de proximo, si cùm possent ferre auditis clamoribus auxilium domino, non tulerunt, puniuntur.

Seruos, qui in itinere circundatum à latronibus dominum per fugam deseruerunt, apprehensos & torqueri, & summo supplicio affici placuit.

Habebitur de familia quęstio, & si heres testatorem occidisse dicatur. Nec interest, extraneus, an ex liberis sit.

Hereditas à fisco vt indignis aufertur his primum qui cùm interfectus esset testator,

testator, apertis tabulis testamenti vel ab intestato adierunt hereditatem, bonorúmve possessionem acceperunt, amplius his & in C. millia sestertiorum pœna irrogatur, nec refert à quibus paterfamiliàs nec quẽadmodũ occidatur.

In disponenda eorum quęstione quorum dominus dicitur interemptus, hic ordo seruatur, primum vt constet occisum dominum, deinde vt liqueat de quibus ea quæstio habenda sit, atque ita de reis inquirendum.

Et si percussor certus sit, tamen de familia habenda quæstio est, vt cædis mandator inueniri possit.

Omnibus, qui contra voluntatem defuncti faciunt, vt indignis aufertur hereditas, si nihil testamento in fraudem legis fuerit cautum.

INTERPRETATIO. *Heredi scripto, qui aliquid contra vltimam defuncti fecerit voluntatem, vt indigno aufertur hereditas: si tamen nihil contra leges in eius testamento fuerit comprehensum.*

Siue falsum, siue ruptum, siue irritum dicatur esse testamentum, salua eorum disceptatione, scriptus heres iure in possessionem mitti desiderat.

Si inter heredem institutum & substitutum controuersia sit, magis placuit eum in possessionem rerum hereditariarum mitti, qui primo loco scriptus est.

INTERPRETATIO. *Si inter institutum & substitutum heredem intentio de hereditate nata fuerit, ille in possessionem rerum hereditariarum mittendus est, qui institutus magis probatur, quàm is qui legitur substitutus.*

Scriptus heres vt statim in possessionem mittatur, iure desiderat. hoc post annum impetrare non poterit.

In eo testamento heres scriptus, quod neque vt oportuit oblatũ nec publice recitatum est, heres scriptus in possessionem mitti frustra desiderat.

In possessionem earum rerum, quas mortis tempore testator non possedit, heres scriptus, priusquam iure ordinario experiatur, improbe mitti desiderat.

De legatis. *Tit. VII.*

PEr pręceptionem vni ex heredibus nummi legati, qui domi nõ erant, officio Iudicis familiæ herciscundæ, à coheredibus præstabuntur.

INTERPRETATIO. *Si testator vni ex heredibus pecuniam, quam in substantia non reliquit, dari præceperit, nummi qui in legato relicti sunt, legatario tempore diuisionis, à coheredibus implebuntur.*

Ante heredis institutionem legari non potest, inter medias heredum institutiones, siue alter, siue vterque adeat, potest. Interdum dimidium, interdum totum debetur: dimidium, si per vendicationem legatum sit totum, si per damnationem.

Post diem legati cedentem actio quæ inchoata non est ad heredem non transmittitur.

Communi seruo cum libertate, & sine libertate legari potest, totúmque legatum socio testatoris acquiritur.

Post mortem heredis legari non potest: quia nihil ab herede heredis relinqui potest.

INTERPRETATIO. *Constitutũ est, vt si quis heredi suo iniunxerit, vt eius heres*

cui dixerit ſoluat, hæc condicio valere non debeat: quia ille qui heres relinquitur, quem ſit heredem habiturus incertum eſt.

In mortis tempus tam ſuæ, quàm heredis eius legata confirmari poſſunt, hoc modo: Lucio Titio cùm morietur do, lego. Aut, heres meus dare damnas eſto.

INTERPRETATIO. *Si quis faciens teſtamentum iniungat heredi, vt tempore, quo ipſe heres moritur, legatum legatario tradat, valet legatum.*

Per vendicationem legatum, etſi nondum conſtituerit legatarius ad ſe pertinere, atque ita poſt apertas tabulas ante aditam hereditatem deceſſerit, ad heredem ſuum tranſmittit.

INTERPRET. *Conſtitutum eſt, vt legatum vendicationis, id eſt, quod non expectato herede legatarius præſumit, etiã non præſumptum à legatarij hærede præſumatur.*

Si res obligata creditori, cuius cauſam teſtator non ignorauit, per damnationem legata ſit, luitio ad heredis ſollicitudinem ſpectat.

INTERPRETATIO. *Si pro debito pignus depoſitum fuerit creditori, & teſtamento ſuo debitor id quod pignus depoſuerat, per damnationem ipſi creditori legati titulo derelinquat, creditor ſecundum teſtamentum legatum poſſidet, & debitum ab heredibus recipiet teſtatoris.*

Seruo fataliter interempto legatarij damnum eſt, quia legatum nulla culpa heredis intercidit.

INTERPRETATIO. *Seruus nominatim legati titulo dimiſſus: ſi mortuus fuerit, legatario non debetur.*

Damnari heres poteſt, vt alicui domum extruat, aut ære alieno eum liberet.

Sinendi modo tam corporales res, quàm quæ in iure conſiſtunt, legari poſſunt: & ideo debitori id quod debet recte legatur.

Eius rei quę legata eſt, exemplo heredis partem agnoſcere, partem repudiare legatarius non poteſt.

Legatũ, niſi certæ rei ſit, & ad certã perſonã deferatur, nullius eſt momenti.

Si quis ſibi & Titio legatum adſcripſerit, magis eſt vt totum legatum ad coniunctum pertineat.

INTERPRET. *Si quis ſibi & alij in alterius teſtamẽto legatũ conſcripſerit, ad illũ quẽ ſibi adiunxerit, magis quã ad eũ qui pro ſe ſcripſerit, totum legatũ poterit pertinere.*

Qui ſe filio teſtatoris impuberi Tutorem adſcripſerit, vt ſuſpectus à tutela remouendus eſt, ad quam vltro videtur affectaſſe.

Rem legatam teſtator ſi poſtea pignori vel fiduciæ dederit, ex eo voluntatem mutaſſe non videtur.

Vſusfructus vniuſcuiuſque rei legari poteſt, & aut ipſo iure conſtituetur, aut per heredem præſtabitur: ex cauſa quidem damnationis per heredem præſtabitur: ipſo autem iure per vendicationem.

† Furioſo & ægrotanti, & infanti vſusfructus vtiliter relinquitur. Horum enim alius reſipiſcere, alius conualeſcere, alius creſcere poteſt.

† *ſę. Furioſi & ægrotãtis & infantis.*

Ancillæ vſufructu legato, partus eius ad fructuarium non pertinent.

Gregis vſufructu legato, grege integro manẽte, fœtus ad vſufructuarium pertinent, ſaluo eo, vt quicquid gregi deperierit ex fœtibus impleatur.

Areæ vſufructu legato, ædificia in ea conſtitui non poſſunt.

Acceſſio alluuionum ad fructuarium fundum, quia fructus fundi non eſt, non

non pertinet. Venationis verò, & aucupij redditus ad fructuarium pertinent.

Seruos nec torquere, neque flagellis cædere, neque in eum casum facto suo perducere vsufructuarius potest, quo deteriores fiant.

Fructu legato, si vsus non ascribatur, magis placuit, vsumfructum videri ascriptum: Fructus enim sine vsu esse non possunt.

Si alteri vsus, alteri fructus legatus sit, fructuarius in vsum concurrit. Quod in fructu vsuarius facere non potest.

INTERPRETATIO. *Si duobus ita legetur, vt alteri vsus, alteri fructus legetur, relictus fructuarius, cum fructu vsum præsumit, quod ei qui vsum acceperit, de fructibus non licebit.*

Cùm coniunctim duobus vsumfructum do lego: legatum altero mortuo, ad alterum in solidum pertinebit.

INTERPRETATIO. *Si duobus in communi vsusfructus legati titulo dimittatur, & vnus ex ipsis mortuus fuerit, legatus vsusfructus ex integro ad eum qui superfuerit pertinebit.*

Vsufructu legato, de modo vtendi cautio à fructuario solet interponi. Et ideo perinde omnia se vsurum, ac si optimus paterfamiliàs vteretur, fideiussoribus oblatis cauere cogetur.

Vsusfructus amissus ad proprietatem recurrit. Amittitur autem quinque modis, capitis minutione, rei mutatione, non vtendo, in iure cessione, dominij comparatione.

Capitis minutione amittitur, si in insulam fructuarius deportetur, vel si ex causa metalli seruus pœnæ efficiatur, Aut si statum ex arrogatione, vel adoptione mutauerit.

Non vtendo amittitur vsusfructus, si possessione fundi biennio fructuarius non vtatur, vel rei mobilis anno.

Rei mutatione amittitur vsusfructus, si domus legata incendio conflagrauerit, aut ruina perierit, licet postea restituatur.

In iure cessione amittitur vsusfructus, quoties domino proprietatis eum fructuarius in iure cesserit.

Finitur vsusfructus aut morte, aut tempore: Morte, cùm vsufructuarius moritur. Tempore, quoties ad certũ tempus vsusfructus legatur, velut biennio aut triennio.

Fundo vel seruo legato, tam fundi instrumentum, quam serui peculium ad legatarium pertinet.

Quærendorum fructuum causa esse videntur, qui opus rusticum faciunt, & monitores, & villici, & saltuarij. Item boues aratorij, aratra, bidentes, & falces putatoriæ, frumentum quoque ad sementem repositum.

Cogendorum fructuum causa comparata, instrumento cedunt, velut corbes, aluei, falces messoriæ & fœnariæ, item molæ oliuariæ.

Conseruandorum fructuum causa comparata, instrumento cedunt, velut dolia, cupæ, vehicula rustica, cebaria, pistores, asini, focariæ. Item ancillæ, quæ vestimenta rusticis faciunt, scutra quoque & sutor continebuntur.

Vxores eorum qui operantur, magis est, vt instrumento cedãt. Pecora quoque & pastores eorum stercorandi causa parata, instrumento continentur.

Ea autem quæ custodiæ magis causa, quam ad vsus patrisfamiliàs eò delata

ſunt,inſtrumenti nomine non continentur.

Vxores verò eorum, qui mercedes præſtare conſueuerunt, neque inſtructionis,neque inſtrumenti appellatione continentur.

Piſcatoris & venationis inſtrumentum ita demum inſtruméto fundi continetur,ſi ex hiis maxime fundi reditus cogatur.

Fructus percepti inſtrumento fundi ita demum cedunt, ſi ibidem abſumi à teſtatore conſueuerant.

Fundo cum omni inſtrumento ruſtico, & vrbano, & mancipiis, quæ ibi ſunt,legato,ſemina quoque & cibaria debebuntur.

Fundo cum omni inſtrumento ruſtico, & vrbano, & mancipiis, quæ ibi ſunt,legato,tam ſuppellex,quàm æramentum,itémque argentum, & veſtes, quæ ibi paterfamiliâs inſtruendi gratia habere ſolet,debebuntur. Itẽ ea mancipia,quæ vſui patrifamiliâs eſſe ſolét. Itémque aues & pecora,quæ inſtruendarum epularum gratia in fundo comparata ſunt,exceptis hiis,quæ ibi cuſtodiæ cauſa depoſita ſunt.

Fundo legato,ita vt optimus maximúſque eſt, retia apraria,& cetera venationis inſtrumenta continebuntur. Quæ etiam ad inſtrumentum pertinent, ſi quæſtus fundi ex maxima parte in venationibus conſiſtat.

Fructus qui ſolo cohęrebant,mortis teſtatoris tempore,ad legatarium pertinent. Ante percepti,ad heredem.

Fundo legato cum mancipiis & pecoribus, & omni inſtrumento ruſtico & vrbano,peculium actoris ante teſtatorem defuncti, ſi ex eodẽ fundo fuerit,magis placet ad legatarium pertinere.

Actor vel colonus ex alio fundo in eodem conſtitutus, qui cum omni inſtrumento legatus erat,ad legatarium non pertinet,niſi eum ad ius eius fundi teſtator voluerit pertinere.

Adiunctiones, quas fundo legato teſtator ex diuerſis emptionibus applicauerat,legatario cedere placuit.

Inſtructo prædio legato,fabri ferrarij,item † tignarij,putatores, & qui inſtruendi fundi gratia ibidem morabantur,legato cedunt.

† *lignarij.*

Inſtructo fundo legato, libri quoque & bibliothecæ quæ in eodem fundo ſunt,legato continebuntur.

Seruum ſtudẽdi gratia, ex eodem fundo qui cum mancipiis fuerat legatus, aliò tranſlatum,ad legatarium placuit pertinere.

INTERPRETATIO. *Si aliquis agrum cum mancipiis per legatum reliquerit,quicunque exinde diſcendi artificij cauſa alibi tranſlatus fuerit,inter alia eius fundi mancipia ad legatarium pertinebit.*

Fundo ita vt poſſederat legato, mancipia tam vrbana quàm ruſtica, itémque argentum & veſtes, quæ eodem tempore in fundo comprehenduntur, ad legatarium pertinent.

Paſcuaria quæ poſtea comparata ad fundum legatum teſtator adiunxerat, ſi eius appellatione contineantur,ad legatarium pertinent.

Quicquid in eadem domo,quam inſtructam legauit paterfamiliâs,perpetuo inſtruendi ſe gratia habuit,legatario cedit.

Inſtructa domo legata,ea legato continentur, quibus domus munitior vel tuta ab incendio præſtatur, tegulæ, ſpecularia, & vela legato continebuntur.

Item

Item æramenta, lecti, culcitæ, puluini, subsellia, cathedræ, mensæ, armaria, delphicæ, pelues, conchæ, aquimanilia, candelabra, lucernæ, & similia quacũque materia expressa.

INTERPRETATIO. *Hic de domus conuersatione, non de villa dicit.*

Domo legata, balneum eius quod publicè præbetur, nisi aliâs separetur, legato cedit.

Domo cum omni iure suo, sicut instructa est, legata vrbana familia, item artifices, & vestiarij, & zetarij, & aquarij, & eidem domui seruientes legato cedunt.

Omnibus quæ in domo sunt legatis, cautiones debitorum, rationésque seruorum legato cedunt.

Mobilibus legatis, aurum vel argentum non debetur, nisi de hiis quoque manifeste sensisse testatorem possit ostendi.

Instrumento cauponio legato, ea debentur quæ in cauponis vsum parata sunt, velut vasa in quibus vinũ defunditur, † escaria quoque & popularia vasa debentur. Sanè ministri earum rerum legato non cedunt. † *scaria*

Instrumento medici legato, collyria, & emplastra, & apparatus omnis conficiendorum medicamentorum, itémque ferramenta legato cedunt.

Instrumento pictoris legato, colores, penicilli, cauteria, & temperandorum colorum vasa debebuntur.

Pistoris instrumento legato, cribra, asini, molæ, & serui qui pistrinum exercent, item machinę, quibus farinæ subiguntur, legato cedunt.

Instrumento balneatorio legato, balneator ipse, & scamma, & hypodia fistulæ, miliaria, epitonia, rotæ aquariæ, iumenta quoque quibus ligna deferuntur, legato cedunt.

Instrumento piscatoris legato, & retia, & nassæ, & fuscinæ, & nauiculæ, hami quoque, & cetera eiusmodi vsibus destinata debentur.

Supellectile legata, capsæ, armaria, non solum librorum, aut quæ vestis ponendæ gratia parata sint debebuntur, sed & byssina, & crystallina, & argentea, & vitrea vasa, tam † escaria quàm popularia & vestes stratoriæ legato cedunt. † *scaria*

Villis vel agris separatim legatis, alterum alteri cedit.

INTERPRETATIO. *Si quis per testamentum cuicunque legati titulo agrum reliquerit, & villam reliquisse videtur. Si vero villam reliquerit, & agrum reliquisse cognoscitur.*

Seruis legatis, ancillę quoque debebuntur. Non item serui, legatis ancillis. Sed ancillarum appellatione tam virgines, quàm seruorum pueri continẽtur, ijs scilicet exceptis, quæ fiduciæ datæ sunt.

INTERPRETATIO. *Seruis legati titulo dimissis, tam pueri quàm ancillæ debentur: quia masculorum appellatione etiam feminæ continentur. Ancillis vero legatis, serui non continentur. Ancillarum autem appellatione tam virgines, quàm puberes vel impuberes accipiendæ sunt, exceptis quæ testator loco pignoris posuerit.*

Seruis amanuensibus legatis, omnes qui ex conuersatione vrbana & in ministerio fuerint, debebuntur, nisi ex his aliqui perpetuo ad opus rusticum transferantur.

Venatores serui, vel aucupes, an inter vrbana ministeria contineantur, du-

bium remansit: & ideo voluntatis est quæstio. Tamen si instruendarum quotidianarum epularum gratia habentur, debentur.

Muliones, & institutores inter vrbana ministeria continentur, item obsonatores, & vestiarij, & cellararij, & cubicularij, & arcarij, & coqui, placentarij, tonsores, pistores, lecticarij.

Pecoribus legatis, quadrupedes omnes continentur, quæ gregatim pascuntur.

Iumentis legatis, boues non continentur. Equis vero legatis, equas quoque placuit contineri. Ouibus autem legatis, agni non continentur, nisi annuales sint.

Grege ouium legato, arietes etiam continentur.

Auibus legatis, anseres, phasiani, gallinæ, & auiaria debebuntur. An autem phasianarij, & pastores anserum, voluntatis quęstio est.

Dulcibus legatis, sapa, defrutum, mulsum, dulce etiam vinum, palmæ, caricę, vuæ passæ debebuntur. Sed in hoc quoque voluntatis est quæstio: quia & in spe pomorum comprehendi possunt.

Frugibus legatis, tam legumina, quàm ordeum & triticum continentur.

Veste legata, ea cedunt, quæ ex lana & lino texta sunt, item serica & bombicina, quæ tamen indutui, operiendi, cingendi, sternendi, iniiciendíque causa parata sunt, pelles quoque indutorię continebuntur.

Veste virili legata, ea tantummodo debebuntur, quę ad vsum virilem saluo pudore virilitatis attinent. Stragula quoque huic legato cedunt.

Muliebri veste legata, omnia quæ ad vsum muliebrem spectant, debebuntur.

Lana legata, siue succida, siue lota sit, siue pectinata, siue versicoloria, legato cedit. Purpura vero, aut stamen subtiménve hoc nomine non continentur.

Mundo muliebri legato, ea cedunt, per quę mūdior mulier, lautiórque efficitur, velut speculum, conchæ, situli, item pixides, vnguenta, & vasa in quibus ea sunt. Item sella balnearis, & cetera huiusmodi.

Ornamentis legatis, ea cedunt, per quæ ornatior efficitur mulier, veluti anuli, catenę, reticuli, & cetera, quibus collo, vel capite, vel manibus mulieres ornantur.

Argento legato, massæ tantummodo debebuntur: Vasa enim, quæ proprio nomine separantur, legato non cedunt: quia nec lana legata, vestimenta debebuntur.

Vasis argenteis legatis, ea omnia continentur, quæ capacitati alicui parata sunt. & ideo tam potoria, quàm escaria. Item ministeria omnia debebuntur, veluti vrceoli, patinæ, lances, piperatoria, cochlearia quoque, itemque trullæ, calices, scyphi, & hiis similia.

Libris legatis chartæ, volumina, vel membranæ, & philuræ continentur. Codices quoque debentur. Librorū enim appellatione non volumina chartarum, sed scripturæ modus, qui certo fine concluditur, æstimatur.

Auro legato, gemmæ quoque inclusæ, itemq́ue margaritæ & smaragdi legato cedunt. Sed magis est voluntatis esse quęstionem: infectum enim aurum debetur: factum enim ornamentorum genere continetur.

INTER-

INTERPRET. *Ista species in inferiore parte vtilius per se euidenter exposita est.*

Vasis argenteis legatis, emblemata quoque ex auro infixa legato cedunt.

Argento potorio legato, omnia quæ ad poculorum speciem cõparata sunt, debebuntur, veluti pateræ, calices, scyphi, vrceoli, œnophora, & conchæ.

Carruca cum iunctura legata, mulæ quoque legatæ, necnon & mulio videtur, propter quotidianam loquendi consuetudinem.

INTERPRETATIO. *Si carruca cum iunctura per legatum dimissa fuerit, carpẽtum cum iunctura, & mulæ debentur, mulio autem non debetur.*

Prolatis codicillis, vel alio testamento, quibus ademptum est legatum, vel certe rescissum, perperam soluta repetuntur.

INTERPRETATIO. *Si quis facto testamento, in quo aliquibus legata reliquerat, aliud postmodum fecerit testamentum, & illa legata, quæ priori testamento dederat, abstulerit, vel codicillis fortasse remouerit, si illud prius testamentum post mortem testatoris prolatum fuerit, & legata heres scriptus absoluerit, quæ in posteriore testamento vel codicillo remota sunt, is qui ex priori testamento legatum consecutus est, reddere iubetur, quod sequentibus scripturis ostenditur fuisse sublatum.*

De mortis causa donationibus. *Tit. VIII.*

MOrtis causa donat, qui ad bellum proficiscitur, & qui nauigat, ea scilicet condicione, vt si reuersus fuerit, sibi restituatur. Si perierit penes eum remaneat cui donauit.

Donatio mortis causa, cessante valetudine, & sequuta sanitate, pœnitentia etiam reuocatur: morte enim tantummodo conualescit.

Ad legem Falcidiam. *Tit. IX.*

EXhausta legatis, aut fideicommissis, vel mortis causa donationibus hereditate, auxilio Falcidiæ institutus heres quadrantem retinere potest.

INTERPRETATIO. *Si quis faciat testamentum, & heredem instituat, & omnem hereditatem suam legatariis, aut fideicommissariis, vel mortis causa donationibus conferat, valet quidem testamentum, sed heres scriptus quartam sibi ex omnibus bonis retinet testatoris.*

Quoties de modo quartæ retinendæ quæritur, propter periculum plus petẽdi, officio iudicis omnibus æstimatis, quarta faciẽda est, quę apud heredem remaneat: aut certe exigenda cautio à legatario, vt quod plus dodrante percepit restituat.

Ea quæ mater viua filio donauit, in quartam non imputantur.

INTERPRETATIO. *Ea quæ mater superstes filio per legitimam scripturam donauit, in Falcidiam ei post mortem matris à germanis eius non possunt imputari, sed in partem sibi debitam, salua donatione succedit.*

Ex mora præstandorum fideicommissorum, vel legatorum, fructus & vsuræ peti possunt. Mora autem fieri videtur, cum postulanti non datur.

IVLII PAVLI

SENTENTIARVM RECEPTARVM AD FILIVM. LIB. IIII.

De fideicommissis. *Tit. I.*

AB vxore, cui vir dotem prælegauit, fideicommissum relinqui nō potest: quia non ex lucratiua causa testamento aliquid capit, sed proprium recipere videtur.

INTERPRETATIO. *Vxori, cui maritus testamēto suo dotem, quam ab ea accepit, legati titulo dereliquit, ex ea fideicommissum, si hoc testator iubeat, dare non cogetur: quia non de mariti bonis aliquid consequitur, sed quod dederat recepisse videtur.*

A postumo herede instituto fideicommissum dari potest.

Ab Imperatore herede instituto, legatum & fideicommissum peti potest.

A surdo, vel muto, siue legatum acceperit, siue heres institutus sit, vel ab intestato successerit, fideicommissum relinquitur.

INTERPRETATIO. *Si à quocunque per testamentum surdus aut mutus heres fuerit institutus, aut ab intestato fortasse successerit: si quid aut per testamentum, aut per legitimum numerum fideicommissi nomine vt dare debeat, fuerit delegatus, id dare omnimodis compellitur.*

Qui fideicommissum relinquit, etiam cum eo cui relinquit, loqui potest velut, peto Gai Sei contentus sis illa re: aut volo tibi illud præstari.

INTERPRETATIO. *Qui fideicommissum cuicunque dimittit, potest hiis verbis ad eum, cui reliquerit, loqui: volo tibi de rebus meis illud esse donatum: aut spero à te, vt illa re digneris esse contentus. Quod tamen debet aut testamenti serie, aut testium professione constare.*

Fideicommittere hiis verbis possumus, rogo, peto, volo, mando, deprecor, cupio, iniungo, desidero quoque & impetro: verba vtile faciunt fideicommissum. Relinquo vero, & commendo, nullam fideicōmissi pariūt actionem.

INTERPRETATIO *Si quando fideicommissum relinquitur, precatiuis verbis relinqui potest, vt roget quis iniungat, petat, speret, vt id quod fidei suæ commissum est, ad eum, quem testator voluit, sicut iniunxit, ita faciat peruenire. Nam si dicat quis: dimitto hoc illi, vel commendo, quia verba directa sunt, fideicommissi locum habere non possunt.*

Tam nostras res, quàm alienas per fideicommissum relinquere possumus: sed nostræ statim, alienæ autem æstimatæ aut redemptæ præstantur.

Per fideicommissum vnusquisque potest tam proprias res, quàm alienas dimittere. Sed si suas dimiserit, ipsæ quæ relictæ sunt dantur. Si vero alienas, aut æstimationem dimissæ rei dare, aut ipsas redimere, & dare heres, cui fideicommissum est, iure compellitur.

Si alienam

Si alienam rem tãquam suam testator per fideicommissum reliquerit, non relicturus si alienam sciSSet, vt solet legatum, ita inutile erit fideicommissum.

INTERPRETATIO. *Si quis per fideicommissum rem alienam ideo reliquerit, quia suam esse credebat, non vtique dimissurus si sciSSet alienã, sicut & in legatis damnationis constitutum est, non potest propter hoc heres, cui fideicommissum est, retineri.*

Testator superuiuens, si eam rem quam reliquerat vendiderit, extinguitur fideicommissum.

Codicillis, qui testamento confirmati non sunt, adscriptum fideicommissum iure debetur.

INTERPRETATIO. *Per codicillos fideicommissum iure debetur, etiamsi codicilli testamento non fuerint confirmati.*

Filio quibuscunque verbis à patre fideicommissum relictum, iure debetur: sufficit enim inter cõiunctas personas quibuscunque verbis, vt in donatione, volũtas expressa. Et ideo etiam pridie quàm moriatur, recte relictum videtur.

In tempus emancipationis, vel cum sui iuris erit, fideicõmissum relictum, quocunque modo patria potestate liberato debetur.

INTERPRETATIO. *Si ita fideicommissum filio familiâs relinquatur, vt cum emancipatus à patre fuerit, vel cum sui iuris factus fuerit, fideicommissum relictum, quocunque modo patria potestate fuerit liberatus, id quod ei relictum est iure debetur.*

Rogati inuicem sibi si sine liberis decesserint, hereditatem restituere, altero decedente sine liberis, hereditas ad eum peruenit, qui superuixit, nec ex eo pacisci contra voluntatem testatoris possunt.

INTERPRETATIO. *Si aliquis ita hereditatẽ duobus reliquerit, & eos rogauerit, vt vnus ex hiis sine filiis mortuo, ei qui superfuerit omnis hereditas acquiratur, vno ex ipsis sine filiis mortuo, ad superstitem integra hereditas pertinebit. Et si aliquid hij ipsi dum viuunt, pacisci de ea hereditate voluerint, id quod depecti fuerint, non valebit.*

Heres ante aditam hereditatem, legatarius antequam legatum accipiat, fideicommissum præstare non possunt.

INTERPRETATIO. *Neque heres antequàm relictam sibi hereditatem adeat, neque legatarius, antequàm legatum quod ei dimissum est, accipiat, aliquid per fideicommissum de eo quod illi relictum est, ad alias possunt transferre personas.*

Rem fideicommissam si heres vendiderit, eamque sciens comparauerit, nihilominus in possessionem eius fideicommissarius mitti iure desiderat.

INTERPRETATIO. *Si rem, quæ fideicommisso alicui relicta est, cuicunque heres vendiderit, & eam sciens relictam alij aliquis comparauerit, fideicommissarius in possessionem sibi deputatam mitti iure deposcit.*

Quoties libertis fideicommissum relinquitur, ad eos tantummodo placuit pertinere, qui manumissi sunt, vel qui in eodem testamento libertatem intra numerum legitimum consecuti sunt.

INTERPRETATIO. *Si quando libertis fideicommissum relictum fuerit, hiis debetur qui manumissi sunt, vel eis qui intra legitimum numerum libertatem fuerint consecuti. Legitimus autem numerus est, qui secundum legem Fusiam Canintã custoditur.*

Cui ab herede fideicommissum non præstatur, non solum in res hereditarias, sed & in proprias heredis inducitur.

Ius omne fideicommissi non in vendicatione, sed in petitione consistit.

INTERPRETATIO. *Quoties fideicommissum relinquitur, sicut peti potest, ita*

non potest vendicari.

De Senatusconsulto Trebelliano. *Tit. II.*

SEnatusconsulto Trebelliano prospectum est, ne solus heres omnibus hereditariis actionibus oneretur. Et ideo quoties hereditas ex causa fideicommissi restituitur, actiones eius in fideicommissarium transferuntur: quia vnicuique damnosam esse fidem suam non oportet.

De Senatusconsulto Pegasiano. *Tit. III.*

INter heredem & fideicommissarium, cui ex Pegasiano hereditas restituitur partis, & pro parte stipulatio interponitur, vt heredi instituto pro quarta actiones, pro ceteris vero portionibus fideicommissario competant.

INTERPRETATIO. *Inter heredem, & eum cui hereditatem per fideicommissum iussus est reformare, ita interposita stipulatione obseruandum est, vt heres pro quarta, quam sibi retinet, quartæ partis excipiat actiones. Et fideicommissarius pro tribus tantum partibus, quæ ad eum ex hereditate perueniunt oneretur.*

Totam hereditatem restituere rogatus, si quartam retinere nolit, magis est, vt eam ex Trebelliano debeat restituere. Tunc enim omnes actiones in fideicommissarium dantur.

INTERPRETATIO. *Si is qui totam hereditatem per fideicommissum alteri reddere iussus est, quartam sibi iure concessam noluerit retinere, necesse est, vt fideicommissario integram hereditatē restituat. Quo facto, sicut omnis hereditas, ita ad eum omnes hereditariæ transeunt actiones.*

Lex Falcidia, itemq; Senatusconsultum Pegasianum, deducto omni ęre alieno, Deorumque donis quartam residuę hereditatis ad heredem voluit pertinere.

INTERPRETATIO. *Lex Falcidia, similiter & Pegasianum Senatusconsultum, facta hereditarij debiti ratione, & separatis hiis quæ in honorem Dei Ecclesiis relinquuntur, quartam hereditatis ex omnibus ad scriptum heredem censuit pertinere.*

Qui totam hereditatem restituit, cum quartam retinere ex Pegasiano debuisset, si non retineat, repetere eam non potest. Nec enim indebitū soluisse videtur, qui plenam fidem defuncto præstare maluit.

INTERPRETATIO. *Is qui integram hereditatem fideicōmissario restituit, cum quartam sibi iure concessam retinere potuerit, postea eam repetere non potest: quia nec aliquid indebitum soluit, sed integram fidem defuncto exhibuisse videtur.*

De repudianda hereditate. *Tit. IIII.*

REcusari hereditas non tantum verbis, sed & re potest & aliquouis indicio voluntatis.

Heres per magistratus municipales, ex auctoritate Præsidis fideicommissario postulante, hereditatem adire, & restituere compellitur.

Fideicommissarius, si affirmet heredem nolle adire hereditatem, absente eo interponi decretum, & in possessionem mitti iure desiderat.

INTERPRET.

INTERPRETATIO. *Si is qui heres scriptus est, & alteri hereditatem restituere iussus est, adire hereditatem dissimulet, potest fideicommissarius obtinere, vt is, qui heres hoc ordine scriptus est, hereditatem adire, & restituere iubeatur.*

Suspectam hereditatem adire compulsus, omnia ex Trebelliano restituit.

INTERPRET. *Qui hereditatem, quam restituere iussus est, adire dubitabat, si eam fuerit compulsus suscipere, integram eam fideicommissario reformare compellitur.*

De inofficiosi querela. *Tit.* V.

INofficiosum dicitur testamẽtum, quod frustra liberis exheredatis, non ex officio pietatis videtur esse conscriptum.

Post factum à matre testamentum, filius procreatus, non mutata ab ea, cum posset, voluntate, ad exemplum præteriti, inofficiosi querelam recte instituit.

INTERPRETATIO. *Si mulier post factũ testamẽtum filium pepererit, & testamentum suum nato filio non mutauerit, filius præteritus de inofficioso matris testamẽto agere potest.*

Testamentũ, in quo Imperator scriptus est heres, inofficiosũ argui potest. Eum enim qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenit.

Qui inofficiosum dicere non potest hereditatem petere non prohibetur.

Filius ex asse heres institutus, inofficiosum dicere non potest. nec interest, exhausta nec ne sit hereditas, cum apud eum quarta, aut legis Falcidiæ, aut Senatusconsulti Pegasiani beneficio sit remansura.

INTERPRETATIO. *Si pater filium heredem ex asse instituat, & per fideicommissa, aut legata ipsam hereditatem totam diuersis distribuat, filius contra patris testamentum de inofficioso agere non potest: quia quartam sibi aut per legem Falcidiam, aut per Senatusconsulti beneficium retinebit.*

Quartæ portionis portio liberis, deducto ære alieno & funeris impensa, pręstanda est, vt ab inofficiosi querela excludantur. Libertatis quoque eam portionem minuere placet.

INTERPRETATIO. *Quoties filiis Falcidia computanda est de asse hereditatis, primo loco defuncti debita retrahuntur, & expensaque in funere eius est præstita. Sed & collatæ libertates nihilominus debebuntur. Et sic liberis. Falcidia id est, vniuscuiusque portionis quartæ portio debetur.*

Filius in iudicio patris si minus quarta portione consecutus, sit, vt quarta sibi à coheredibus fratribus citra inofficiosi querelã impleatur, iure desiderat.

INTERPRETATIO. *Filio herede scripto, cui ex ordinatione defuncti patris minus, quàm quarta portionis suæ fuerit deputata, suppleri eam sibi à coheredibus fratribus iure desiderat: quia in tali casu inofficiosi actio remouetur.*

Pactio talis ne de inofficioso testamẽto dicatur, querelam super iudicio futurã non excludit: Meritis enim liberos, quàm pactionibus astringi placuit.

INTERPRETATIO. *Si talis pactio viuo patre inter filios fiat, vt post obitum patris de inofficioso filij non querantur, talis pactio non valebit. Sed cui competit, de inofficioso agere potest.*

Rogatus hereditatem restituere, etsi inofficiosi querelam instituerit, fideicommisso non fit iniuria: quartam enim solummodo hereditatis amitit, quam beneficio Senatusconsulti habere potuisset.

INTERPRETATIO. *Si is qui à defuncto rogatus est, vt relictam hereditatem alteri restituat, de inofficiosi querela instituerit actionẽ, id quod fideicommissum est, vt redderet ei, cui reddere iussus est, penitus non peribit. Sed ille, qui inofficiosi querelam proposuit, quartam quam ex fideicommisso Senatusconsulti beneficio erat habiturus, suo vitio perdit.*

Heres institutus habẽs substitutum, si de inofficioso dixerit, nec obtinuerit, non id ad fiscum, sed ad substitutum pertinebit.

De Vicesima. *Tit. VI.*

TAbulæ testamenti aperiuntur hoc modo: Vt testes, vel maxima pars eorum adhibeatur, qui signauerint testamentum, ita vt agnitis signis, rupto ligno aperiatur & recitetur, atque ita describendi exempli fiat potestas, ac deinde signo publico obsignatum in Archiuum redigatur, vt si quando exemplũ eius interciderit, sit vnde peti possit.

Testamenta in municipiis, colonia, oppidis, præfectura, vico, castello, conciliabulo facta, in foro vel basilica, præsentibus testibus vel honestis viris, inter horam secundam & decimam diei recitaríque debebunt, exemploque sublato ab iisdem rursus magistratibus obsignari, quorum præsentia constat apertum.

Testamentum lex statim post mortem testatoris aperiri voluit, & ideo quamuis sit rescriptis variatum, tamen à præsentibus intra triduum vel quinque dies aperiendæ sunt tabulæ. Ab absentibus quoque intra eos dies, cum superuenerint: nec enim oportet testamentum heredibus & legatariis, aut libertatibus, quàm necessario vectigali moram fieri.

De lege Cornelia. *Tit. VII.*

QVi testamentũ falsum scripserit, recitauerit, subiecerit, signauerit, suppresserit, amouerit, resignauerit, deluerit, pœna legis Corneliæ de falsis tenebitur: id est, insulam deportatur.

Non tantum is qui testamentum subiecit, suppressit, deluit, pœna legis Corneliæ coërcetur, sed & is, qui sciens dolo malo id fieri iussit, faciendumque curauit.

Testamentum supprimit, qui sciens prudensque tabulas testamenti in fraudem heredum, vel legatariorum, fideicommissorum, aut libertatum non profert.

Supprimere tabulas videtur, qui cum habeat, & proferre possit, eas proferre non curat.

Codicilli quoque si lateant, nec proferantur, supprimi videbuntur.

Edicto perpetuo cauetur, vt si tabulæ testamenti non appareant, de earum exhibitione interdicto reddito, intra annum agi possit, quo ad exhibendum compellitur qui supprimit. Tabularũ autem appellatione chartæ quoque & membranæ continentur.

De

De intestatorum successione. Tit. VIII.

INter agnatos & cognatos hoc interest: quod in agnatis etiam cognati continentur, inter cognatos vero agnati non comprehenduntur. Et ideo patruus & agnatus est & cognatus: auunculus autem cognatus tantummodo.

INTERPRETATIO. *Agnati sunt, qui per virilem sexum descendunt: agnati autem, qui per femineum, & ideo patrui, vel patruorum filij & agnati, & cognati sunt. Auunculi vero, & auunculorum filij cognati sunt, non agnati.*

Si sint fratres defuncti, & fratris filij vel nepotes, fratre non existente, filius fratris nepoti præfertur.

Legitimi heredes iure ciuili intra centesimum diem, nisi adierint hereditatem, ad proximos eadem successio transfertur.

Feminæ ad hereditates legitimas vltra consanguineas successiones non admittuntur, idque iure ciuili Voconia rogatione videtur effectũ. Ceterum lex XII. Tabularum nulla discretione sexus cognatos admittit.

INTERPRETATIO. *Feminæ, nisi fratribus consanguineis intestatis aliter cum agnatis succedere non possunt: quia nec cognati masculi ad successionem intestatorum vocantur, nisi quando agnatos deesse constiterit. Sanè deficientibus agnatis, cum cognati succedunt, possunt feminæ cum viris, quæ æqualis gradus sunt, iure succedere.*

In hereditate legitima successioni locus non est. Et ideo fratre decedente, antequam adeat aut repudiet hereditatem, fratris filius admitti non potest: quia omnis successio proximiori defertur.

INTERPRETATIO. *Si quando quis intestatus moriatur, qui fratrem & fratris filium derelinquat, ad fratrem, non ad fratris filium hereditas pertinebit. Quod si frater defuncti hereditatem repudiauerit, vel adire noluerit, tunc fratris filius hereditatem patrui sibi poterit vendicare.*

Ab hostibus captus, neque sui, neque legitimi heredis ius amittit postliminio reuersus. Quod & circa eos qui in insulam deportantur, vel serui pœnæ effecti sunt, placuit obseruari, si per omnia in integrum indulgẽtia principali restituantur.

Pro herede gerere, est destinatione futuri dominij aliquid ex hereditariis rebus vsurpare. Et ideo pro herede gerere videtur, qui fundorum hereditariorum culturas rationesque disponit, & qui seruis hereditariis, iumẽtis, rebúsve aliis vtitur.

Ex pluribus heredibus, iisdemque legitimis, si qui omiserint hereditatẽ vel in adeũdo aliqua ratione fuerint impediti, hiis qui adierũt, vel eorum heredib⁹, omittentiũ portiones accrescũt. Quod in herede instituto† eũ qui acceperat substitutũ euenire non poterit: diuersa enim causa est scripti & legitimi.

† *fe. eóque coherede substituto.*

INTERPRETATIO. *Siquando multi heredes legitimi fuerint derelicti, & aliqui eorum hereditatem prætermiserint, vel adire noluerint, portiones eorum qui omiserint, vel adire noluerint, hiis legitimis qui adierint acquiruntur. Sed in herede instituto, cui alter substitutus est, alia condicio est: quia in heredibus scriptis testamenti ordo tenendus est, vt institutis, vel substitutis de adeunda hereditate scripturæ forma seruetur.*

Ad S.C. Tertullianum. *Tit. IX.*

MAtres tam ingenuæ, quàm libertinæ, ciues Romanæ, vt ius liberorum consecutę videantur, ter & quater peperisse sufficiet, dummodo viuos & pleni temporis pariant.

Quæ semel vno partu tres vel duos filios edidit, ius liberorum non consequitur: non enim ter peperisse, sed semel partum fudisse videtur: nisi forte per interualla pariat.

Mulier si monstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit, nihil proficit: non sunt enim liberi, qui contra formam humani generis conuerso more procreantur.

Partum, qui membrorum humanorum officia duplicauit, quia hac ratione aliquatenus videtur effectus, matri prodesse placuit.

Septimo mense natus, matri prodest: ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, vt aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.

Aborsus & abactus venter partum efficere non videtur.

Libertina, vt ius liberorum consequi possit, quater eam peperisse, vt ingenuam sufficit.

Latina ingenua, ius Quiritium consecuta, si ter pepererit, ad legitimam filij hereditatem admittitur: non est enim manumissa.

INTERPRET. *Ius Quiritium hoc est ciuitatem Romanam consecuta.*

Ius liberorum mater habet, quæ tres filios aut habet, aut habuit: aut neque habet, neque habuit. Habet, cui supersunt: habuit, quæ amisit. Neque habet, neque habuit, quæ beneficio principis ius liberorum consecuta est.

Ad S.C. Orfitianum. *Tit. X.*

FIlij vulgò quæsiti ad legitimam matris hereditatẽ adspirare non prohibentur: quia pari iure, vt ipsorum matribus, ita ipsis matrum hereditates deferri debuerunt.

Ad filiam ancillam vel libertam ex S.C. Claudiano effectam, legitima matris intestatæ hereditas pertinere non potest: quia neque serui neque liberti matrem ciuilem habere intelliguntur.

Ad legitimam intestatæ matris hereditatem filij ciues Romani, non etiam Latini admittuntur. Ciues autem Romanos eo tempore esse oportet, quo ab iisdem legitima hereditas aditur.

Filius maternam hereditatem eandemque legitimam, nisi adeundo quærere non potest.

De Gradibus. *Tit. XI.*

PRimo gradu superiori linea continentur, pater, mater: inferiori, filius, filia, quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.

Secundo gradu continentur, superiori linea, auus, auia: inferiori, nepos neptis: transuersa, frater soror. Quæ personæ duplicantur: auus enim & auia, tam ex patre, quàm ex matre. Nepos, neptis, tam ex filio, quàm ex filia. Frater, soror, tam ex patre quàm ex matre accipiuntur.

Quæ

Quę personę sequentibus quibuscunque gradibus similiter pro substantia earum,quæ in quoquo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur.

INTERPRET. *Istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo aui sunt, paternus & maternus. Item duo genera nepotum sunt, siue ex filio, siue ex filia procreati. Frater & soror ex transuerso veniunt, qui & ipsi hoc ordine duplicantur.*

Tertio gradu veniunt, supra, proauus, proauia. Infra, pronepos, proneptis. Ex obliquo, fratris sororisque filius, filia, patruus, amita, id est patris frater & soror. Auunculus, matertera, id est matris frater & soror.

Quarto gradu veniunt, supra, abauus, abauia. Infra, abnepos, abneptis. Ex obliquo, fratris & sororis nepos, neptis, frater patruelis, soror patruelis, id est patrui filius, filia. Consobrinus, consobrina, id est, auunculi & materteræ filius, filia: amitinus, amitina, id est, amitæ filius, filia. Itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascũtur. Quibus accrescit, patruus magnus, amita magna, id est, aui paterni frater & soror. Auũculus magnus, & matertera magna, id est, auiæ tam paternæ quàm maternæ frater & soror.

INTERPRETATIO. *Hanc plus exponi opus non est, quàm lectio ipsa declarat.*

Quinto gradu veniũt, supra quidem, atauus, atauia. Infra, atnepos, atneptis. Ex obliquo, fratris & sororis, pronepos proneptis, fratris patruelis, sororis patruelis, amitini amitinæ, consobrini consobrinæ, filius filia: proprius sobrinus sobrina, id est, patri magni, amitæ magnę, auũculi magni, materterę magnę, filius filia. Hiis accrescunt propatruus, proamita: hij sunt proaui paterni frater & soror. Proauunculus, promatertera, hij sunt proauiæ paternæ maternęque frater & soror, proauique materni.

INTERPRETATIO. *Hec species nec aliis gradibus, quàm scripta est, nec aliis vocabulis declarari potest.*

Sexto gradu veniunt, supra, tritauus tritauia. Infra, trinepos trineptis. Ex obliquo, fratris & sororis abnepos, abneptis, fratris patruelis, sororis patruelis amitini amitinæ, consobrini consobrinę, nepos neptis: patrui magni, amitę magnę, auũculi magni, materterę magnæ, nepos neptis, id est, propioris sobrini filius filia, qui consobrini appellantur. Quibus à latere accrescunt propatrui, proamitę, proauunculi, promaterteræ filius filia, abpatruus, abamita. Hij sunt ab aui paterni frater & soror. Abauunculus abmatertera, hij sunt abauię paternę maternęque frater & soror, abauique materni.

INTERPRET. *Hæc quoque explanari amplius non potest, quàm vt auctor ipse disseruit.*

Septimo gradu qui sunt cognati, recta linea supra infraque, propriis nominibus non appellãtur, sed ex transuersa linea continẽtur, fratris, sororisque atnepos atneptis, consobrini filij filiæque.

Successionis idcirco gradus septem constituti sunt, quia vlterius per rerum naturam nec nomina inueniri, nec vita succedentibus prorogari potest.

INTERPRET. *In hiis septem gradibus omnia propinquitatũ nomina continentur, vltra quos nec affinitas inueniri, nec successio potest amplius propagari.*

De manumißionibus. Tit. XII.

SEruum communem vnus ex dominis manumittendo Latinum facere non poteſt, nec magis quàm ciuem Romanũ, cuius portio eo caſu, quo ſi proprius eſſet, ad ciuitatem Romanam perueniret, ſocio adcreſcit.

INTERPRET. *Si aliquis ſeruum cõmunem manumiſerit, eundem manumittendo, nec Latinum, nec ciuem Romanum facere poteſt. & ideo portio eius mãnumiſſori perit, & alteri domino ex integro, quaſi eius tantum proprius fuiſſet, acquiritur.*

Mutus & ſurdus ſeruum vindicta liberare non poſſunt. Inter amicos tamen & per epiſtolam manumittere non prohibentur. Vt autem ad iuſtam libertatem peruenire poſſit, condicione venditionis excipi poteſt.

Tormentis apud Pręſidem ſubiectus, & de nulla culpa confeſſus, ad iuſtam libertatem perduci poteſt.

Fideicommiſſa libertas data facto heredis non mutatur, ſi ſeruum, quem manumittere iuſſus eſt, vinxerit.

INTERPRET. *Per fideicommiſſum data libertas ab herede, per hoc reuocari non poteſt, ſi ſeruum, quem manumittere iuſſus eſt, crimine obiecto in vincla redegerit.*

Communem ſeruum vnus ex ſociis vinciendo, futuræ libertati non nocebit. Inter pares enim ſententias clementior ſeueriori præfertur. Et certè humanæ rationis eſt, fauere miſerioribus & prope innocentes dicere, quos abſolute nocentes pronuntiare non poſſunt.

INTERPRETATIO. *Si communem ſeruum vnus ex dominis in vincula redegerit, propter hoc libertati eius, ſi poſtea manumiſſus fuerit non nocebit: quia in tali re indulgentioris domini ſententia, qui nihil in eum fecit, melior iudicatur. Et ideo ſi ab vtroque domino manumiſſus fuerit, ciuis Romanus effici poteſt.*

Debitor, creditórve ſeruũ pignoris vinciẽdo, dedititium facere non poſſunt: alter enim ſine altero cauſam pignoris deteriorem facere non poteſt.

Seruus furioſi domini vel pupilli iuſſu vinctus, dedititiorum numero non efficitur: quia neque furioſus neque pupillus exacti conſilij capax eſt.

Non tãtum ſi ipſe dominus vinciat, nocet libertati, ſed & ſi vincire iubeat, aut vinciẽtis procuratoris actorísve factum comprobet. Quod ſi antequàm ſciret vinctum, ſolutionis eius cauſas approbauerit, libertati futuræ vincula non nocebunt.

INTERPRETATIO. *Si ſeruum non ſolum dominus, ſed procurator eius, vel actor in vincula redegerit, & dominus hoc iuſte factum adquieuerit, futuræ impedit libertati. Nam ſi eum ab actore ligatum dominus ſolui præceperit, futuræ libertati non poterit impedire.*

Cæco curator dari non poteſt: quia ipſe ſibi procuratoré inſtituere poteſt.

De fideicommißis libertatibus. Tit. XIII.

EA condicione heres inſtitutus, ſi liberos ſuos emancipauerit, omnimodis eos cogendus eſt emancipare: pro condicione enim hoc loco emancipatio videtur adſcripta.

Decedente eo à quo fideicommiſſa libertas relicta eſt, heredes eius eam præſtare cogendi ſunt.

INTERPRET.

INTERPRETATIO. *Si testator per fideicōmissum seruum iusserit manumitti, & ita euenerit, vt antè quàm manumissio daretur, is cui fideicommissa libertas est, moriatur, heres eius ad manumissionem præstandam, quam auctor suus daturus erat, iure compellitur.*

Si decedens seruis suis libertatem ita dederit: Illum & illum liberos esse volo, eósque filiis meis tutores do, impeditur fideicommissa libertas: quia pupilli sine tutoris auctoritate manumittere non possunt: & habentibus tutores, tutor dari non potest. Sed interim vice absentium pupilli habebuntur, vt ex decreto amplissimi ordinis primum libertas, ac deinde tutela competere possit.

INTERPRETATIO. *Si quis moriens seruis suis libertatem dandam filiorum fidei commiserit, eósque filiis suis tutores esse præceperit, hoc ordine fideicommissa libertas aliquatenus impeditur: quia nec pupilli sine tutoris auctoritate seruos manumittere possunt, & qui tutores à patre nominatim relictos habēt, alios tutores habere non possunt. Sed in tali casu ordinis consilio & ratione prospectum est: vt pupilli velut absentium vice, dum libertas seruis tribuitur, habeantur, vt data hiis à Iudice secundum formam testamenti primitus libertate, etiam tutores esse praualeant.*

Ad legem Fusiam Caniniam. Tit. XIIII.

Nominatim serui testamento manumitti secundū legem Fusiam possunt. Nominatim autem manumittere intelligitur hoc modo: Stichus liber esto. Cùm autem obsonatorem, vel qui ex ancilla illa nascitur, liberum esse volo, ex Orficiano Senatusconsulto perinde libertas competit, ac si nominatim data sit. Officiorum enim & artium appellatio nihil de significatione nominum mutat, nisi forte plures sint, qui eo officio designentur: tunc enim nomen adiungendum est, vt eluceat de quo testator sensisse videatur.

Codicillis testamento confirmatis, datę libertates cum hiis quæ tabulis testamenti datæ sunt, concurrunt. Et siue antecedant, siue sequantur testamentum, nouissimo loco adhibentur: quia ex testamento vtræque confirmantur.

INTERPRETATIO. *Quoties per testamentum & codicillos libertates dantur, qui in codicillo manumissi sunt, siue ante testamentum factus sit codicillus, siue post, & testamento confirmatus sit, posteriori loco tamen habendi sunt, qui per codicillos fuerint manumissi. Et ideo computatis primum, qui testamento manumissi sunt, tum illis, qui in codicillis manumissi numerantur. Et si maior numerus per codicillum, quàm in lege Fusia Caninia continetur, illi libertatem perdunt, qui in codicillo super legitimū numerum manumissi inueniuntur.*

Quoties numerus seruorum, propter legem Fusiam Caniniam, ineundus est, fugitiui quoque, quorum semper possessio animo retinetur computandi sunt.

Lege Fusia Caninia cauetur, vt certus seruorum numerus testamento manumittatur. Subductis igitur duobus vsque ad decem, pars dimidia: à decem vsque ad triginta, pars tertia: vsque ad centum, pars quarta: à centum vsque ad quingentos, pars quinta. Plures autem quàm centum ex maiori numero seruorum manumitti non licet.

IVLII PAVLI SENTENTIARVM RECEPTARVM AD FILIVM LIB. V.

De liberali cauſa. *Tit. I.*

QVI contemplatione extremæ neceſſitatis,aut alimentorum gratia filios ſuos vendiderint,ſtatui ingenuitatis eorum non præiudicant. Homo enim liber nullo pretio æſtimatur. Iidem nec pignori ab hiis,aut fiducię dari poſſunt.Ex quo facto ſciēs creditor deportatur: Operæ tamen eorum locari poſſunt.

Veritati & origini ingenuitatis manumiſſio quocunque modo facta fuerit,non præiudicat.

INTERPRETATIO. *Quicunque ingenuam perſonam fraudis ſtudio manumittendam eſſe crediderit,prẹiudicium ex hoc ingenuitas non incurrit.*

Deſcriptio ingenuorum ex officio fiſci inter fiſcalem familiam facta, ingenuitati non præiudicat.

Qui metu & impreſſione alicuius terroris apud acta Prẹſidis ſeruum ſe eſſe mentitus eſt,poſtea ſtatum ſuum defendenti non præiudicat.

Poſt ſuſceptum liberale iudicium,ſi Aſſertor cauſam deſeruerit,in alium aſſertorem omne iudicium transferri placuit.In priorem vero quod prodendę libertatis gratia factum eſt,extra ordinem vindicatur. Non enim oportet ſuſceptam ſtatus cauſam,nulla cogente neceſſitate,deſtitui.

De vſucapione. *Tit. II.*

POſſeſſionem acquirimus & animo & corpore. Animo vtique noſtro:corpore vel noſtro,vel alieno.Sed nudo animo adipiſci quidem poſſeſſionem non poſſumus, retinere tamen nudo animo poſſumus,ſicut in ſaltibus hybernis ęſtiuiſque contingit.

INTERPRETATIO. *Aliqua ſunt, quæ animo & corpore poſſidemus: aliqua,quæ tantum animo. Animo & corpore ea poſſidemus, quæ in præſenti tenere videmur vel vtimur. Animo vero ea poſſidemus, quæ in longinquo poſita ſunt, & in noſtro iure conſiſtunt, & ea proprietati noſtræ poſſumus vendicare.*

Per liberas perſonas, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, acquiri nobis nihil poteſt.Sed per Procuratorē acquiri nobis poſſeſſionem poſſe, vtilitatis cauſa receptum eſt. Abſente autem domino comparata, non aliter ei quàm ſi rata ſit quæritur.

INTERPRETAT. *Per liberas perſonas,quæ nobis nulla condicione obligatæ ſunt, acquirere nihil poſſumus. Sed per Procuratores acquiri nobis poſſeſſionem certum eſt.*

Nam

Nam si aliquid absente domino fuerit comparatum, non aliter ei acquiritur, nisi hanc ipsam venditionem sibi acceptam dominus constituerit.

Longi autem temporis præscriptio, inter præsentes cōtinuo decennij spatio, inter absentes vicennij comprehenditur.

Viginti annorum pręscriptio etiam aduersus rempublicam prodest ei, qui iustum initiū possessionis habuit, nec medio tempore interpellatus est. Actio tamen, quanti eius interest, aduersus eos reipublicæ datur, qui ea negotia defendere neglexerunt.

INTERPRETATIO. *Vtriusque viginti annorum non repetita possessio, si tamen iustum possidendi initium intercessisse probatur, possessori prodesse certum est. Iustum autem initium est emptionis, hereditatis, donationis, legati, fideicommissi, & ceterarum similium, quæ per legitimas scripturas atque contractus, ad ius & vniuscuiusque dominium transire noscuntur. Huius autem rei præscriptio, inter præsentes decennij est, inter absentes vero vicennij computatur.*

Si post motam intra tempora quæstionem, res ad nouum dominum emptione transierit, & is per viginti annos non fuerit inquietatus, auelli ei possessionem non oportet.

De hiis quæ per turbam fiunt. *Tit. III.*

IN eos, qui per turbam seditionémve damnum alicui dederint, dandúmve curauerint: siquidem res pecuniaria est, æstimatione dupli sarcitur. Quod si ex hoc corpori alicuius, vitæ, membrísve noceatur, extra ordinem vindicatur.

INTERPRETATIO. *Si quis collecta multitudine, aut concitata seditione damnum cuicunque intulerit, si pecuniæ damnum fiat, dupli redhibitione componitur. Nam si corpus alicuius, vel membra cæde pulsata fuerint, huiusmodi admissum à Iudice vindicatur.*

Quicquid ex incendio, ruina, naufragio, nauíque expugnata raptum, susceptum, suppressúmve, eo anno in quadruplum eius rei quam quis suppresserit, celauerit, rapuerit, conuenitur. Postea vero in simplum.

Hij, qui ædes aliquas villásve expilauerint, effregerint, expugnauerint, siquidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniuntur. Telorum autem appellatione, omnia ex quibus saluti hominis noceri possit, accipiuntur.

Receptores aggressorum, itémque latronū, eadem pœna afficiuntur, qua ipsi latrones. Sublatis enim susceptoribus, grassantium cupido conquiescit.

Fures, vel raptores balnearum, plerunque in metallum, aut in opus publicum damnantur: nonnunquam, pro frequentia admissorum, iudicantis sententia temperatur.

Incendiarij, qui consulto incendium inferunt, summo supplicio afficiuntur. Quod si incuria eorum ignis euaserit, dupli compendio damnum eiusmodi sarciri placuit.

INTERPRETATIO. *Si aliquis malitiæ studio incendium miserit, de hoc crimine conuictus, pœnis grauissimis iubetur interfici. Quod si per negligentiam factum incendium comprobatur, damnum quod cuicunque illatum fuerit, res quæ incendio perierint, dupli satisfactione sarcientur.*

De iniuriis. Tit. IIII.

INiuriã patimur, aut in corpus, aut extra corpus. In corpus, verberibus & illatione ſtupri. Extra corpus, conuiciis, & famoſis libellis. Quod ex affectu vniuſcuiuſque patientis & facientis æſtimatur.

Furioſus, itémque infans, affectu doli, & captu contumeliæ carent, idcirco iniuriarum agi cum hiis non poteſt.

Si liberis, qui in poteſtate ſunt, aut vxoris fiat iniuria, noſtra intereſt vindicare. Ideóque per nos actio inferri poteſt, ſi modo is qui fecit, in iniuriam noſtram id feciſſe doceatur.

Corpori iniuria infertur, cùm quis pulſatur, cuíque ſtuprum infertur, aut de ſtupro interpellatur. Quæ res extra ordinem vindicatur, ita vt pulſatio pudoris pœna capitis vindicetur.

Sollicitatores alienarum nuptiarum, itémque matrimoniorum interpellatores, etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt, propter voluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur.

Iniuriarum actio aut lege, aut more, aut mixto iure introducta eſt. Lege XII. tabularum de famoſis carminibus, membris ruptis, & oſſibus fractis. Moribus, quoties factum pro qualitate ſui arbitrio Iudicis æſtimatũ; cõgruentis pœnæ ſupplicio vindicatur. Mixto iure iniuriarũ actio ex lege Cornelia conſtituitur, quoties quis pulſatur, vel cuius domus introitur ab hiis, qui vulgò Directarij appellantur, in quos extra ordinem animaduertitur, ita vt prius ingruentis conſilium pro modo commentæ fraudis pœna vindicetur exilij, aut metalli, aut operis publici.

Iniuriarum ciuiliter damnatus, eiúſque æſtimationem inferre iuſſus, famoſus efficitur.

INTERPRETATIO. *Qui pro iniuria mediocri, æſtimatæ iniuriæ damna ſubire compellitur, quamuis ciuiliter videatur addictus, tamen infamis efficitur.*

Atrox iniuria æſtimatur, aut loco, aut tempore, au perſona. Loco, quoties in publico irrogatur. Tempore, quoties interdiu. Perſona, quoties Senatori, vel Equiti Romano, Decurioni, vel aliàs ſpectatæ auctoritatis viro, etſi plebeius, vel humili loco nat⁹, Senatori, vel Equiti Romano, Decurioni, vel Magiſtratui, vel Ædili, vel Iudici, quilibet horum, vel ſi hiis omnibus plebeius.

Qui per calumniam iniuriæ actionem inſtituit, extra ordinem punitur. Omnes enim calumniatores exilio vel inſulæ relegatione, aut ordinis amiſſione puniri placuit.

Iniuriarum non niſi præſentes accuſare poſſunt. Crimen enim quod vindictæ, aut calumniæ iudicium expectat, per alios intendi non poteſt.

Fit iniuria contra bonos mores, veluti ſi quis fimo corrupto aliquem perfuderit, cœno, luto oblinierit, aquas ſpurcauerit, fiſtulas, lacus, quídve aliud in iniuriam publicam contaminarit. In quos grauiter animaduerti ſolet.

Qui puero prætextato ſtuprum, aliúdve flagitium, abducto ab eo vel corrupto comite perſuaſerit, mulierem, puellámve interpellauerit, quídve corrumpendæ pudicitiæ gratia fecerit, donum præbuerit, pretiúmve, quo id perſuadeat, dederit, perfecto flagitio, capite punitur, imperfecto, in inſulam deportatur, corrupti comites ſummo ſupplicio afficiuntur.

Qui-

Qui carmen famosum in iniuriam alicuius, vel alia quælibet cantica, quo agnosci possit, composuerit, ex auctoritate amplissimi ordinis in insulam deportatur. Interest enim publicæ disciplinæ, opinionem vniuscuiusque turpi carminis infamia vindicare.

INTERPRETATIO. *Carmen facit non tantum qui satyras & epigrammata, sed illegitimam insectandi alicuius causam, quídve aliud alio genere componit. de ratione, & de personarum dignitate nil cauetur: quoniam omnimodo deformanda est eius persona, contra quem venimus. Sed in hoc modus quidem & ratio adhibenda est: existimatio enim etiam hoc modo læditur.*

Psalterium, quod vulgò dicitur Canticum, in alterius infamiam compositum & publicè cantatum, tam in eos qui hoc cantauerint, quàm in eos qui composuerint, extra ordinem vindicatur, eò acrius, si personę dignitas ab hac iniuria defendenda sit.

In eos auctores qui famosos libellos in contumeliam alterius proposuerint, extra ordinem vsque ad relegationem insulæ vindicatur.

Conuicium Iudici ab appellatoribus fieri non oportet, alioqui infamia notantur.

Maledictum, itémque conuicium publice factum, ad iniuriæ vindictam reuocatur. Quo facto condemnatus infamis efficitur.

Non tãtum is, qui maledictum aut conuicium ingesserit, iniuriarum conuictus famosus, efficitur, sed & is, cuius ope consilióve factum esse dicitur.

INTERPRETATIO. *Conuicium contra bonos mores fieri videtur, si obscœno nomine, aut inferiore parte corporis nudatus, aliquis insectatus sit, quod factum contemplatione morũ, & causa publicæ honestatis vindictã extraordinariæ vltionis expectat.*

Seruus, qui iniuriam, aut contumeliam fecerit: siquidem atrocem, in metallum damnatur: si vero leuem, flagellis cæsus, sub pœna vinculorum temporalium domino restituitur.

De effectu sententiarum & finibus litium. *Tit. V.*

Res iudicatæ videntur ab hiis, qui imperiũ potestatémque habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur, itémque à magistratibus municipalibus vsque ad summam, qua ius dicere possunt, itémque ab hiis, qui ab Imperatore extra ordinem petuntur. Ex cõpromisso autẽ Iudex sumptus, rem iudicatã non facit. Sed si pœna inter eos promissa sit, pœna rei in iudicium deductæ ex stipulatu peti potest.

Confessi debitores pro iudicatis habentur, ideóque ex die confessionis tempora solutionis præstituta computantur.

Confiteri quis in iudicio, non tantum sua voce, sed & literis, & quocunque modo potest. Conuinci autem non nisi scriptura, aut testibus potest.

Eorum qui de debito confessi sunt, pignora capi & distrahi possunt.

Confessionem suam reus in duplum reuocare non potest.

Ea quæ altera parte absente decernuntur, vim rerum iudicatarum non obtinent.

Trinis literis vel edictis, aut vno pro omnibus dato, aut trina denuntiatione conuẽtus, nisi ad Iudicem, ad quem sibi denuntiatum est, aut cuius literis, vel edicto conuentus est, venerit, quasi in contumacem dicta sententia, au-

ctoritatem rerum iudicatarum obtinet. Quinimo nec appellari poteſt ab ea.

INTERPRETAT. *Quicunque tribus auctoritatibus Iudicis conuentus, vel tribus edictis ad iudicium fuerit prouocatus, aut vno pro omnibus peremptorio, id eſt, quod cauſam extinguit, fuerit euocatus, & præſentiam ſuam apud eum Iudicem, à quo ei denuntiatum eſt, exhibere noluerit, aduerſus eum, quaſi in contumacem iudicari poteſt. Quinimo nec retractari per appellationem negotia poſſunt.*

Quoties in contumacem fuerit iudicatum, ab ea ſententia, quæ aduerſus contumaces data eſt, neque appellari, neque in duplum reuocari poteſt.

Res olim iudicata, poſt longum ſilentium in iudicium deduci non poteſt, nec eo nomine in duplum reuocari. Longum autem tempus, exemplo longæ præſcriptionis, decênij inter præſentes, & inter abſentes vicênij computatur.

In cauſa capitali abſens nemo damnatur, neque abſens per alium accuſare aut accuſari poteſt.

Falſis inſtrumentis religio Iudicis circunducta, ſi iam dicta ſententia prius de crimine admiſſo conſtiterit, eius cauſæ inſtauratio iure depoſcitur.

Ratio calculi ſæpius ſe patitur ſupputari, atque ideo poteſt quocunque tempore retractari, ſi non longo tempore euaneſcat.

De interdictis. Tit. VI.

Retinendæ poſſeſſionis gratia comparata ſunt interdicta, per quę eam poſſeſſionem, quam iam habemus, retinere volumus. Quale eſt: Vti poſſidetis, De rebus ſoli: & Vtrum vi, De re mobili. Et in priore quidē is potior eſt, qui redditi interdicti tempore nec vi, nec clàm, nec precario ab aduerſario poſſedit. In altero vero potior eſt, qui maiore parte anni retrorſum numerati, nec vi, nec clàm, nec precario poſſedit.

INTERPRETATIO. *Interdicta dicuntur, quaſi non perpetua ſententia, ſed ad tempus interim dicta, hoc eſt, à Iudice momentum priori reddere poſſeſſori. Id eſt, vt ſi quis poßidens intra anni ſpatium, quod amiſiſſe videtur, præſentibus litigatoribus, Iudice ordinãte recipiat, & poſtmodum ſi voluerit, tam de vi, quàm de rei proprietate confligat. Nam ſi talis caſus emerſerit, vt aduentitiam quolibet titulo rem nouus poſſeſſor adeat, & eam maiore parte anni, id eſt, plus quàm ſex menſibus teneat, & ab alio hæc res quam tenuit, auferatur, & ille qui abſtulit, quatuor aut quinque menſibus teneat. Si intra ipſum annum de momēto fuerit actum, priori poſſeſſori, qui maiore parte anni poſſedit, res à Iudice, partibus præſentibus, merito reformatur, ita vt de negotij qualitate partes ſequenti actione confligant. Sin verò qui abſtulit maiori parte anni poſſedit, ante iudicium momenti beneficium reddere non compellitur.*

Vt interdictum, ita & actio proponitur, ne quis via publica aliquem prohibeat. Cuius rei ſollicitudo ad viarum curatores pertinet, à quarum munitione nemo exceptus eſt. Si quis tamen in ea aliquid operis fecerit, quo commeantes impediantur, demolito opere condemnatur.

Non tantum ſi ipſe dominus poſſeſſione deiiciatur, vtile interdictum eſt, ſed etiam ſi familia eius. Familiæ autem nomine etiam duo ſerui cōtinentur.

Vi deiicitur non tantum qui oppreſſu multitudinis, aut fuſtium, aut telorum, aut armorum metu terretur, ſed & is, qui violentiæ opinione comperta, poſſeſſione ceſſit: ſi tamen aduerſarius eam ingreſſus ſit.

De

De naui vi deiectus hoc interdicto experiri non potest. Sed vtilis ei actio de rebus recuperandis, exemplo de vi bonorum raptorum datur. Idémque de eo dicendum est, qui carruca aut equo deiicitur: Quibus non abductis iniuriarum actio datur.

Vi deiectus videtur, & qui in prædio vi retinetur, & qui in via territus est ne ad fundum suum accederet.

Qui vi, aut clàm, aut precario possidet, ab aduersario impune deiicitur.

INTERPRETATIO. *Vi possidet, qui impetu efficaci depulso aduersario possidet. Clàm possedisse videtur, qui ignorante & inscio domino possessionem occupat. Precario, qui per precem postulat, vt ei in possessionem permissu domini vel creditoris fiduciam morari liceat.*

Ex rebus vi possessis si aliquæ res arserint, vel serui decesserint, licet id sine dolo eius qui deiecit, factum sit; æstimatione tamen condemnandus est, qui ita voluit adipisci rem iuris alieni.

INTERPRETATIO. *Si ex rebus, quas violenter aliquis occupauit, qualibet quacũque occasione perierint, aut arserint, vel serui violẽter occupati, mortui fuerint, quamlibet fraude illius qui occupauit, id quod perit factum non videatur; tamen ab ipso quæcunque perierint reddenda sunt, qui rem iuris alieni violenter visus est occupasse.*

Si inter vicinos ex communi riuo aqua ducatur, interdici prius debet & hiis vicibus, quibus à singulis duci consueuit. Ducenti autem vis fieri prohibetur. Alienam autem aquam vsurpanti, nummaria pœna irrogatur. Cuius rei cura ad sollicitudinem Præsidis expectat.

Redditur interdicti actio, quæ proponitur ex eo, vt quis quod precario habet restituat. Nam & ciuilis actio huius rei, sicut commodati competit, eò vel maxime, quod ex beneficio suo vnusquisque iniuriam pati non debet.

INTERPRETATIO. *Si quando alicuius precibus exorati, aliquid cuicunque possidendum ad tempus fuerit præstitum, & ad primam admonitionem hoc ipsum reddere noluerit, datur aduersùs eum interdictum, & actio iusta proponitur, quæ actio ciuilis est, velut si de commodato agatur, vt res ipsa præstita sine aliqua difficultate reddatur. Quia pro beneficio suo pati quemcunque iniuriam non oportet.*

Precario possidere videtur, non tantum qui per epistolam, vel quacunque alia ratione hoc sibi concedi postulauit, sed & is qui nullo volũtatis indicio, patiente tamen domino possidet.

Heres eius, qui precariam possessionem tenebat, si in ea manserit, magis dicendum est clàm videri possidere: nullæ enim preces eius videntur adhibitæ. Et ideo persecutio eius rei semper manebit, nec interdicto locus est.

INTERPRETATIO. *Si heres eius in ea possessione, quam auctor suus precario possederat, post mortem illius manserit, magis æstimandus est clàm, id est, occultè manere. Actio tamen proprietatis domino aduersus eum, qui ita manserit, iure competit.*

Arbor, quæ in alienas ædes, vel in vicini agrum imminet, nisi à domino sublucari non potest: isque conueniendus est, vt eam sublucet. Quod si conuentus dominus id facere noluerit, à vicino luxuries ramorum compescitur. Idque qualiscunque dominus facere non prohibetur.

Aduersus eum, qui hominem liberum vinxerit, suppresserit, incluserit, operámve, vt id fieret, dederit, tam interdictum, quàm legis Fabiæ super ea re actio redditur. Et interdicto quidem id agitur, vt exhibeatur is qui detinetur.

Lege autem Fabia, vt etiam pœna nummaria coherceatur.

INTERPRETATIO. *Si quicunque hominem liberum ligauerit, absconderit, incluserit, aut vt id fieret, solatium præbuerit, aduersus eum legis Fabiæ actio datur, id est, vt exhibeatur is, qui in clustra, aut in vinculis detinetur, ab eo qui fecisse conuincitur: Aut secundum legem Fabiam puniendus est, aut secundum æstimationem Iudicis pœna nummaria feriendus est.*

Bene concordans matrimonium separari à patre Diuus Pius prohibuit, itémque à patrono libertum, à parentibus filium filiámque: nisi forte quæratur, vbi vtilius morari debeat.

Omnibus bonis, quæ habet, quæque habiturus est, obligatis, nec concubina, nec filius naturalis, nec alumnus, nec ea quæ in vsu quotidiano habet, obligantur. Ideóque de hiis nec interdictum redditur.

INTERPRETATIO. *Si quis debitor creditori suo talem fecerit cautionem, vt omnia ei quæ in bonis suis habet, vel quæ habiturus est, oppignorasse videatur, in tali condicione nec concubina, nec filius naturalis, nec alumnus, nec ea quæ in vsu quotidiano habet, obligata videri possunt. Nec momentum, si creditor petat, de hiis rebus quas superius diximus, accipere potest.*

De obligationibus. Tit. VII.

OBligationum firmandarum gratia stipulationes inductæ sunt, quę quadam verborum solennitate concipiuntur. Et appellatę, quod per eas firmitas obligationum constringitur. Stipulum enim veteres firmum appellauerunt.

Verborum obligatio inter præsentes, non etiam inter absentes contrahitur. Quod si scriptum fuerit instruméto, promisisse aliquem, perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit.

INTERPRETATIO. *Verborum obligatio ideo inter præsentes constare videtur, quia necesse est, vt is, qui aliquid redditurum se promittit, ad creditoris interrogata respondeat, si interrogatus fuerit, Istud dabis? Ille respondet: Dabo. Si interrogatus fuerit: Promittis? Ille respondet: Promitto. Sed si scribat aliquis, se quamcunque summam redditurum, ita habetur, quasi ad interrogata responderit. Ideo ad redhibitionem secundum scripturæ ordinem retinetur.*

Fructuarius seruus, si quid ex re fructuarij, aut ex operis suis acquirit, ad fructuarium pertinet. Quicquid autem aliunde, vel ex re proprietaria acquirit, domino proprietatis acquirit.

Cum facto promissoris res in stipulatum deducta intercidit, perinde agi ex stipulatu potest, ac si ea res extaret. Ideo promissor æstimatione eius punitur, maxime si in dolum quoque eius concepta fuerit stipulatio.

INTERPRETATIO. *Qui aliquid se cuicunque redditurum esse promiserit, si eius facto res promissa depereat, ita eam is, cui promissa est, ab eo recipere potest, tanquam non perierit. Ideóque promissor, æstimatione habita, pretium eius rei quæ perierit, reformare compellitur. Quod in eo magis obseruandum est, si promissoris fraude fuerit factum.*

De nouationibus. Tit. VIII.

NOn solum per nosmetipsos nouamus quod nobis debetur, sed per eos etiam, per quos stipulari possumus, veluti per filiumfamiliàs, vel per seruum iubendo vel ratum habendo. Procurator quoque noster ex iussu nostro receptum est vt nouare possit.

INTERPRETATIO. *Nouatio est, quoties causa nouatur.*

De stipulationibus. Tit. IX.

SVbstitutus heres, ab instituto, qui sub cõdicione scriptus est, vtiliter sibi institutum hac stipulatione cauere compellit, ne petita bonorum possessione res hereditarias diminuat. Hoc autem casu, ex die interpositæ stipulationis, duplos fructus præstare compellitur. Huius enim præiudicium à superiore differt, quo quæritur, an ea res de qua agitur, maior sit centum sestertiis. Ideóque in longiorẽ diem concipitur.

INTERPRETAT. *Substitutus heres, eum qui sub condicione heres institutus est, adita hereditate compellere potest, vt sibi heres institutus caueat, id est, cautione promittat, hanc ipsam hereditatem à se in nullo penitus minuendam. Quo facto, si quid de hereditate fuerit imminutum, duplos fructus eius rei à die cautionis institutus aut heres instituti redhibere compellitur.*

Ex die accepti iudicij dupli fructus computantur. Et tam dantes quàm accipientes, heredes quoque eorum, Procuratores, cognitorúmque personæ, itémque sponsores eadem stipulatione comprehenduntur, eorum quoque quorum nomine promittitur.

INTERPRETATIO. *Ex die, qua de causa fuerit iudicatum, si in redhibitione mora facta fuerit, dupli fructus computantur, & tam hij qui addicti fuerint, quàm etiã heredes eorum, vel Procuratores, aut cognitores, vel fideiussores eadem promißio comprehendit, qui etiam tenendi sunt, quorum nomine facta fuerit promissio.*

Quoties iudicatum solui stipulatione satisdatur, omissa eius actio rei iudicatæ persecutionem non excludit.

INTERPRETATIO. *Si quãdo causa per iudicium fuerit terminata, & iudicati solutio fideiussione interposita fuerit repromissa, si is cui fideiussio præbita est, huius rei actionem qualibet ratione tardauerit, à persecutione rei quæ addicta est non excluditur.*

Emancipati liberi pręteriti, si velint se miscere paternæ hereditati, & cum hiis, qui in potestate remanserint, communis patris diuidere hereditatem, antequam bonorum possessionem petant, de conferendo cauere cum satisdatione debebunt. Quod si satisdare non possunt, statim ex fide bonorum confusionem, excepto peculio castrensi, facere cogendi sunt.

INTERPRETATIO. *Emancipati filij si patris testamento fuerint prætermissi, & se paternæ hereditati cum reliquis fratribus miscere voluerint, de cõfundendis rebus, quas à patre emancipationis tempore perceperint, fideiussores dare compelluntur, qui eos omnia diuisioni refusuros sua fideiusßione promittant. Quod si huiusmodi fideiussores non dederint, statim fide media confusionem rerum omnium, quas acceperũt, facere compelluntur: exceptis tamen rebus, quas de castrensi peculio habere probantur.*

De contrahenda auctoritate. *Tit. X.*

OB metum impendentis damni vicinus vicino satisdare debet, additis sponsoribus super eo, quod damni acciderit. De communi pariete, vtilitatis causa hoc cœpit obseruari, vt ædificet quidem, cui ædificare interest: cogatur verò socius portionis suæ impensas agnoscere.

INTERPRETATIO. *Si quando aliquibus vicinus paries ruinæ metum videatur ostendere, inuicem sibi datis fideiussoribus, promittere debent, vt si cui vicinus paries damnum fecerit, à socio sarciatur. Sed si ab vno ex hiis communis paries propter metum ruinæ fuerit reparatus, expensas fabricæ socius illi pro portione sua præstare cogẽdus est.*

De donationibus. *Tit. XI.*

SPecies extra dotem à matre, in honorem nuptiarum, præsente filia genero traditæ, donationem perfecisse videntur.

Probatio traditæ, vel nõ traditæ possessionis, non tam in iure, quàm in facto consistit. Ideóque sufficit ad probationem, si rem corporaliter teneant.

INTERPRETATIO. *Si inter aliquos de tradita, aut non tradita re nascatur intentio, huius rei probatio non in iure, aut in scriptura, sed in facto constat. Ideo ad omnem probationem sufficit, si res ab eo, qui sibi traditam asserit, teneatur.*

Pater si filiofamiliæ aliquid donauerit, & in ea voluntate perseuerans decesserit, morte patris donatio conualescit.

Cũ vnius rei in duos donatio cõfertur, potior est ille cui res tradita est. Nec interest, posterior quis, an prior acceperit, & exceptæ nec ne personæ sint.

INTERPRETATIO. *Si aliquis vnam rem duobus per legitimas scripturas donauerit, vni prius, & alteri postea, non quærendum est in hiis donationibus, qui prior, qui posterior sit, sed qui rem tradẽte donatore possederit, is eam, cui est tradita possidebit. nec interest, vtrum in parentes, an in extraneos talis sit facta donatio.*

Inuitus donator de euictione rei donatæ promittere non cogitur, nec eo nomine, si promiserit, oneratur. Quia lucratiuæ rei possessor ab euictionis actione ipsa iuris ratione depellitur.

INTERPRETATIO. *Si aliquis rem iuris sui, scriptura interueniente, donauerit, euictionis pœnam sibi constituere inuitus non compellitur. Ad quam etiam si volens promiserit, non potest retineri. Quia res quæ lucrum alteri facit, damnum pro munere sui donatori inferre non poterit. Et si ad hanc rem is, cui donatum est, donatorem voluerit attinere, ab hac actione omnimodis remouetur.*

Ei qui aliquem à latrunculis, vel hostibus eripuit, in infinitum donare non prohibemur, si tamen donatio, & non merces eximij laboris appellanda est, quia contemplationem salutis certo modo æstimari non placuit.

INTERPRETATIO. *Si quis aliquem de imminenti periculo, id est, de latronum aut hostium persecutione, vel manu eripuit: quicquid vel quantum, aut si omnia ei is qui liberatus est, pro salutis suæ mercede donauerit, nec ab ipso donatore, nec ab heredibus eius repeti potest. Quia vitæ præmium nulla potest æstimatione pretij pensari.*

De

De iure fisci & populi. *Tit.* XII.

EIus bona, qui sibi ob aliquod admissum flagitium mortem consciuit, fiscus vendicat. Quod si tædio vitæ, aut pudore æris alieni, vel valetudinis alicuius impatientia hoc admisit, non inquietabuntur, sed ordinaria successione relinquentur.

INTERPRETATIO. *Si quis sibi pro aliquo admisso crimine mortem intulerit, facultates eius fiscus vendicat. Nam si ingratitudine malæ vitæ, aut propter verecundiam contracti enormis debiti, vel impatientia valetudinis, mortem sibi intulerit, bona eius suis, aut legitimis heredibus nullatenus auferuntur.*

Ei etiam velut indigno aufertur hereditas, qui affinem vel cognatum, cui ipse ab intestato successurus erat, testamentum facere prohibuit, aut ne iure subsisteret, operam dedit.

Si pater vel dominus id testamentum, quo filius eius vel seruus heredes instituti sunt, aut legatum acceperunt, falsum redarguant, nec obtineant, fisco locus est.

Ætati eius, qui accusat testamentum, si non obtineat, succurri solet in id, quod ita amisit: maxime, si Tutoris, aut Curatoris consilio actio instituta sit.

In ea prouincia, ex qua quis originem ducit, officium fiscale administrare prohibetur, ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videatur.

Quoties sine auctoritate iudicati Officiales alicuius bona occupant vel describunt, vel sub obseruatione esse faciunt, adito Procuratore, iniuria submouetur, & rei huius auctores ad Præfectos Prætorio puniendi mittuntur.

Litem in perniciem priuatorum fisco donari non oportet, nec ab eodem donata suscipi.

INTERPRETATIO. *Imperatorem litis causa heredem institui inuidiosum est. Nec enim calumniandi facultatem ex Principali maiestate capi oportet.*

Ex nuda pollicitatione nulla actio nascitur. Ideóque eius bona, qui se heredem Imperatorem facturum esse iactauerat, à fisco occupari non possunt.

Priuilegium fisci est, inter omnes creditores primum locum retinere.

Quicunque à fisco conuenitur, non ex indice, vel exemplo alicuius scripturæ, sed ex autentico conueniendus est, etsi contractus fides possit ostendi. Ceterum calumniosam scripturam vim iustę petitionis in iudicio obtinere non conuenit.

Eius bona, qui falsam monetam percussisse dicitur, fisco vendicătur. Quod si serui, ignorante domino, id fecisse dicantur, ipsi quidem summo supplicio afficiũtur, domino tamen nihil aufertur. Quia peiorem domini causam serui facere, nisi forte scierit, omnino non possunt.

De delatoribus. *Tit.* XIII.

OMnes omnino deferre alterum, & causam pecuniariam fisco nuntiare prohibentur. Nec refert, mares istud an feminæ faciant, serui aut ingenui, an libertini, an suos, an extraneos deferăt: omni enim modo puniuntur.

Serui fiscales, qui causam domino prodere, ac nuntiare contĕdunt, deferre non vidĕtur, subornati sanè reum prodere cogũtur, qui quod per se non potest, per alium deferat. Perinde autem subornatores ac delatores puniuntur.

INTERPRETATIO. *Si serui fiscales aliquid domino nuntiauerint atque prodiderint, delatores esse non videntur. Sane si aliquis eos ad hanc rem immiserit vel instigauerit, eum prodere compelluntur. Qui cùm proditus ab illis fuerit, ita puniri iubetur, quemadmodum delatores pro iuris ordine puniuntur.*

Damnati serui, siue post sententiam, siue ante sententiã dominorum facinora confessi sint, nullo modo audiuntur, nisi forte eos deferant maiestatis.

De quæstionibus habendis. Tit. XIIII.

IN criminibus eruendis quæstio quidem adhibetur, sed non statim à tormentis incipiẽdum est. Ideóque prius argumentis quærendum est, etsi suspicione aliqua reus vrgueatur, adhibitis tormentis de sociis & sceleribus suis confiteri compellitur.

Vnius facinoris plurimi rei ita audiendi sunt, vt ab eo primum incipiatur, qui timidior, & teneræ ætatis esse videatur.

De testibus. Tit. XV.

SVspectos gratiæ testes & eos vel maxime, quos accusato de domo produxerit, vel vitæ humilitas infamauerit, interrogari non placuit. In teste enim & vitæ qualitas expectari debet, & dignitas.

In affinem vel cognatum inuiti testes interrogari non possunt.

Aduersus se inuicem parentes & liberi, itémque liberti nec volentes ad testimonium admittendi sunt. Quia rei veræ testimonium necessitudo personarum plerunque corrumpit.

INTERPRETATIO. *Aduersus se inuicem testimonium parentes & filij, vel liberti dicere prohibentur. Quia veritatis professionem propinquitatis affectio impedire cognoscitur.*

Testes cùm de fide tabularum nihil dicitur, aduersus scripturam interrogari non possunt.

Qui falsa vel varia testimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut Curia submouentur.

In re pecuniaria tormenta, nisi cùm de rebus hereditariis quæritur, non adhibentur. Aliàs autem iureiurando, aut testibus explicantur.

De seruorum quæstionibus. Tit. XVI.

SEruum de facto suo in se interrogari posse, ratio æquitatis ostendit: Nec enim obesse ei debet, qui per seruum aliquid sine cautione commodat aut deponit.

INTERPRETATIO. *Seruum de facto suo in se interrogari posse præceptum est, vt si aliquid dominus eius per eum cuicunque sine cautione transmiserit, aut commodauerit, si ille, cui traditum est, negare voluerit, responsione serui, per quem res acta est, possit rei probatio non deesse.*

Iudex tutelaris, itémque C. viri, si aliter de rebus hereditariis, vel de fide generis instrui non possunt, poterũt de seruis hereditariis habere quæstionem.

INTERPRETATIO. *Si quando rerum hereditariarum quantitas. Tutore agente requiritur, vt possit hereditatis quantitas inueniri, de seruis hereditariis haberi quæstionem iure præceptum est. Et si fortasse de filiis aliqua dubitatio habeatur, vt veritas inueniri possit, torqueri serui hereditarij iubentur.*

Serui

Serui alieni in alterius caput non nisi singuli torqueri possunt. Et hoc inuito domino non est permittendum, nisi delator, cuius interest quod intendit probare, pretia eorum, quanti dominus taxauerit, inferre sit paratus, vel certe deterioris facti serui subire taxationem.

Seruo, qui vltro aliquid de domino confitetur, fides non accommodatur: Nec enim oportet in rebus dubiis salutem dominorum seruorum arbitrio committi.

Serui in caput domini, neque à Præside, neque à Procuratore, tam in pecuniariis, quam in capitalibus causis interrogari non possunt.

Communis seruus in caput alterius ex dominis torqueri non potest.

Qui seruum ideo comparauit, ne in se torqueretur, restituto pretio poterit interrogari.

Seruus in caput eius domini, à quo distractus est, cuique aliquando seruiuit, in memoriam prioris dominij interrogari non potest.

Si seruus ad hoc fuerit manumissus, ne torqueatur, quæstio de eo nihilominus haberi potest.

Quæstioni eius latronis, quem quis obtulit, cum de eo confiteretur, fidem accommodari non conuenit, nisi id forte velandæ conscientiæ suæ gratia, quam cum reo habuit, fecisse doceatur.

INTERPRETATIO. *Si latro quæstioni subditus, de eo qui ipsum quæstioni obtulit, confiteatur, credulitatem confessioni eius non conuenit adhiberi, nisi forte pro tegenda conscientia sua eum quæstioni obtulisse rebus euidentibus approbatur.*

Neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest, nisi ingratum libertum patronus accuset, aut rei absentia defendatur.

INTERPRET. *In criminalibus causis nec accusator, nisi per se aliquem accusare potest, neque accusatus per Procuratorem, aut aliam personam se defensare permittitur, nisi forte ingratum libertum patronus accuset.*

Si pecunia data à Iudice reus absolutus esse dicatur, idque in eum fuerit comprobatum, ea pœna damnatur, qua reus damnari potuisset.

In conuictum reum, siue torqueri possit, siue non possit, pro modo admissi sceleris statuendum est.

INTERPRETATIO. *In eum reum, qui de obiecti criminis veritate conuincitur, siue torqueri possit, siue non possit, iudex quod ei visum fuerit iudicabit.*

Reis suis edere crimina accusatores cogendi sunt: Scire enim oportet, quibus sint criminibus responsuri.

De abolitionibus. *Tit. XVII.*

POst abolitionem publicam à delatore suo reus intra tricesimum diem repeti potest, postea non potest.

Summa supplicia sunt, crux, crematio, decollatio. Mediocrium autem delictorum pœnæ sunt, metallum, ludus, deportatio. Minimæ, relegatio, exilium, opus publicum, vincula. Sanè qui ad gladium dátur, intra annum consumendi sunt.

De abactoribus. *Tit. XVIII.*

ABactores sunt, qui vnum equum, duas equas, totidemq́; boues vel capras decem aut porcos quinque abegerint. Quicquid vero intra hunc numerum fuerit ablatum in pœna furti pro qualitate eius, aut in duplum, aut in triplum conuenitur, vel fustibus cæsus, in opus publicum vnius anni datur, aut sub pœna vinculorum domino restituitur.

Si ea pecora, de quibus quis litigat, abierit, ad forum remittendus est atq́;, ita conuictus, in duplum, vel in triplum, furis more, damnatur.

De sacrilegiis. *Tit. XIX.*

QVi noctu & manu facta, prędandi ac depopulandi gratia, templum irrumpunt, bestiis obiiciũtur. Si vero per diem leue aliquid de templo abstulerint, vel deportantur honestiores, vel humiliores in metallum damnantur.

INTERPRETATIO. *Ista quæ de templo dicta sunt, de Ecclesia loqui intelligenda sunt, de reliquo interpretatione non eget.*

De incendiariis. *Tit XX.*

INcendiarij qui quid in oppido prædandi causa faciunt, capite puniuntur.

Qui casam aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum, aut in opus publicum damnantur, honestiores in insulam relegantur.

Fortuita incendia quæ casu venti ferente vel incuria ignem supponentis adusque vicini agros euadunt, si ex eo seges vel vinea vel oliuæ vel fructiferæ arbores concrement, datum damnum æstimatione sarciatur. Commissum vero seruorum, si domino videatur, noxæ deditione sarciatur.

Messium sane per dolũ incensores, vinearum oliuarúmve aut in metallum humiliores damnantur, aut honestiores in insulam relegantur.

Qui noctu fructiferas arbores, manu facta, ceciderint, ad tẽpus plerunque in opus publicum damnantur, aut honestiores damnum sarcire coguntur, vel Curia submouentur, vel relegantur.

De vaticinatoribus, & Mathematicis. *Tit. XXI.*

VAticinatores, qui se Deo plenos assimulant, idcirco ciuitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicuius rei corrumperentur: vel certe ex eo populares animi turbarẽtur. Ideoq́ue primum fustibus cæsi ciuitate pelluntur, perseuerãtes autem, in vincula publica coniiciuntur, aut in insulam deportantur, vel certe relegantur.

Qui nouas, & vsu, vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moueantur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur.

Qui de salute Principis, vel sũma reipublicæ, Mathematicos, Ariolos, Haruspices, Vaticinatores consulit, cum eo qui responderit capite puniuntur.

Non tantum diuinatione quis, sed ipsa scientia, eiúsque libris melius fecerit abstinere. Quod si serui de salute dominorum cõsuluerint, summo supplicio, id est cruce afficiuntur. Consulti autem si responsa dederint, aut in mettallum damnantur, aut in insulam relegantur.

De seditiosis. *Tit.* XXII.

AVctores seditionis & tumultus, vel cõcitatores populi, pro qualitate dignitatis, aut in crucem tolluntur, aut bestiis obiiciuntur, aut in insulam deportantur.

Qui terminos effodiunt, vel exarant, arborésve terminales euertunt, vel qui conuellunt bodones, siquidem id serui sua spõte fecerint, in metallum damnantur, humiliores in opus publicum, honestiores in insulam, amissa tertia parte bonorum, relegantur, aut exulare coguntur.

Ciues Romani, qui se Iudaico ritu, vel seruos suos circuncidi patiuntur, bonis ademptis in insulam perpetuo relegantur: medici capite puniuntur.

Iudæi si aliæ nationis comparatos seruos circunciderint, aut deportantur, aut capite puniuntur.

Ad legem Corneliam de sicariis & veneficis. *Tit.* XXIII.

LEx Corneliam pœnam deportationis infligit eis, qui hominem occiderint, eiúsve rei causa, furtíve faciendi cum telo fuerint. Et qui venenum hominis necandi causa habuerit, vendiderit, parauerit, falsum testimonium dixerit, quo quis periret, mortísve causas præstiterit. Ob quæ omnia facinora, in honestiores pœna capitis vindicari placuit: humiliores vero in crucem tolluntur, aut bestiis obiiciuntur.

qui hominem occiderit aliquando absoluitur. Et qui non occidit, vt homicida damnatur. Consilium enim vniuscuiusque, non factum puniendum est. Ideoque qui cum vellet occidere, id casu aliquo perpetrare non potuerit, vt homicida punietur. Et is, qui casu iactu teli hominem imprudẽter occiderit, absoluitur.

Qui latronem cædem sibi inferentem, vel aliàs quẽlibet stupro occiderit, puniri non placuit. Alius enim vitam, alius pudorẽ publico facinore defendit

Iudex, qui in caput fortunasq; hominis pecuniam accepit, in insulam, bonis ademptis deportetur.

Mandatores cædis perinde vt homicidæ puniuntur.

Si putator ex arbore cum ramum deiiceret, non proclamauerit, vt vitaretur, atque ita prætereiens eiusdem ictu perierit, etsi in legem non incurrit, in metallum damnatur.

Qui hominem inuitum, libidinis aut promercij causa castrauerit, castrandúmve curauerit, siue is seruus, siue liber sit, capite punitur. Honestiores, publicatis bonis in insulam deportantur.

Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi id dolo non faciant, tamen mali exempli res est. Humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum relegantur. Quod si ex hoc homo aut mulier perierit, summo supplicio afficiuntur.

Qui sacra impia nocturnáve vt quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint, faciendáve curauerint, aut cruci suffiguntur, aut bestiis obiiciuntur.

Qui hominem immolauerint, éxve eius sanguine litauerint, phanum, templúmve polluerint, bestiis obiiciuntur: vel si honestiores sint, capite puniuntur.

Magicæ artis conscios summo supplicio affici placuit, id est, bestiis obiici, aut cruci suffigi. Ipsi autem Magi viui exuruntur.

Libros magicæ artis apud se neminem habere licet: & si penes quoscúque reperti sint, bonis ademptis, ambustisque hiis publice, in insulam deportátur: humiliores capite puniuntur. Non tantum huius artis professio, sed etiam scientia prohibita est.

Si ex eo medicamine, quod ad salutem hominis, vel ad remedium datum erat, homo perierit, is qui dederit, si honestior fuerit, in insulam † relegatur deportatur: humilior autem capite punitur.

† *deportatur.*

Ad legem Pompeiam de paricidiis. *Tit.* XXIIII.

LEge Pompeia de paricidiis tenetur, qui patrẽ, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patronum, patronam occiderit. Hi etsi antea insuti culleo in mare præcipitabantur, hodie tamẽ viui exuruntur, vel ad bestias dantur.

Ad legem Corneliam testamentariam. Tit. XXV.

LEge Cornelia testamentaria tenetur, qui testamentum, quódve aliud instrumentum falsum, sciens dolo malo scripserit, recitauerit, subscripserit, subiecerit, suppresserit, amouerit, resignauerit, deleuerit quódve signum adulterinum sculpserit, fecerit, expresserit, amouerit, reserauerit: quive nũmos aureos, argẽteos adulterauerit, lauerit, cõflauerit, raserit, corruperit, vitiauerit, vultúve Principum signatam monetam, præter adulterinam reprobrauerit, honestiores quidem in insulam deportantur, humiliores autem aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur. Serui autẽ post admissum manumissi capite puniuntur.

Qui ob falsum testimonium perhibendum, vel verum non perhibendum pecuniam acceperit, dederit, Iudicémve, vt sentẽtiam ferat vel non ferat, corruperit corrumpendúmve curauerit: humiliores capite puniũtur, honestiores publicatis bonis cum ipso Iudice in insulam deportantur.

Iudex, qui contra sacras Principum Cõstitutiones, contráve ius publicum, quod apud se recitatum est, pronuntiat, in insulam deportatur.

INTERPRETATIO. *Quicunque Iudex oblatas sibi in iudicio leges, vel iuris species audire noluerit, & contra eas iudicauerit, ex ea re conuictus in insulam deportatur.*

Qui rationes, acta, libellos, album propositum, testationes, cautiones, chirographa, epistolas, sciẽs dolo malo in fraudem alicuius deleuerit, mutauerit, subiecerit, subscripserit, quíve æs inaurauerit, argentauerit, quíve cum argẽtum vel aurum poneret, æs, stamnúmve subiecerit, falsi pœna cohercetur.

Amplissimus Ordo decreuit eas tabulas, quæ publici, vel priuati cõtractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, vt in summa marginis ad mediam partem perforatæ, et triplci lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, vt exteriores scripturæ fidem interiori seruent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.

Qui

Qui viui testamẽtum aperuerit, recitauerit, resignauerit, pœna legis Corneliæ tenetur, & plerunque aut humiliores in metallum damnãtur, aut honstiores in insulam deportantur.

Si quis instrumenta † vtilitatis suæ à Procuratore vel Cognitore aduersario prodita esse conuicerit, tam Procurator, quàm Cognitor, si humiliores sunt, in metallum damnantur: si honestiores, adempta dimidia parte bonorum in perpetuum relegantur.

† suis.

INTERPRET. *Instrumenta penes se deposita quicunque alteri, altero absente, reddiderit, vel aduersario prodiderit, pro personæ eius condicione, aut in metallum dãnantur, aut in insulam relegantur.*

Qui falsis instrumentis, actis, epistolis, rescriptis, sciens dolo malo vsus fuerit, pœna falsi cohercetur. Ideóque humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam deportantur.

Qui sibi falsum nomen imposuerit, genus parentésve finxerit, quo quid alienum interceperit, possederit, pœna legis Corneliæ de falsis cohercetur.

Qui insignibus altioris ordinis vtuntur, militiamque cõfingunt, quo quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honestiores in insulam deportantur.

Siqui de Iudicis amicitiis & familiaritate mẽtientes, euentus sentẽtiarum eius vendunt, quídve obtentu nominis eius agũt: conuicti pro modo delicti aut relegantur, aut capite puniuntur.

Ad legem Iuliam de vi publica & priuata. Tit. XXVI.

LEge Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate præditus, ciuem Romanum antea populum, nunc Imperatorem appellãtem, necauerit necauerítve iusserit, torserit, verberauerit, condemnauerit, ínve publica vincula duci iusserit. Cuius rei pœna in humiliores capite, in honestiores insulæ deportatione cohercetur.

Hac lege excipiuntur, qui artem ludicram faciunt. Iudicati etiam & confessi & qui ideo in carcerem duci iubentur, quòd ius dicenti non obtemperauerint, quíve cõtra disciplinam publicam fecerint. Tribuni etiam militum, & Præfecti classium, alarúmve, vt sine aliquo impedimento legis Iuliæ per eos militare delictum coherceri possit.

INTERPRETATIO. *Lege Iulia decretum est, vt pro violentia publica dãnetur, quicunque Iudex appellantem, vt ad Principis præsentiam ducatur, ingenuum hominem, vel ciuem Romanum factum torserit, occiderit, vel occidi iusserit, vel in vinculis publicis adstrinxerit, vel flagellis ciciderit, aut damnare præsumpserit. Pro qua re humiliores personæ iudicio capitis puniuntur, honestiores in insulam relegantur. Sed à legis istius pœna de aliquibus præceptum est, etiamsi ad Principem appellauerint, posse torqueri, vel damnari, si qui in ludicra arte offenderint, vel iudicio fuerint condemnati, aut de crimine suo confessi. Et qui propter hoc in carcerem rediguntur: quia secundum leges sententiæ Iudicis parêre noluerint: vel si contra disciplinam publicam commisisse aliquid conuincãtur. Tribuni quoque militum, & præpositi nauium, & præfecti alarũ, & hi omnes sine impedimẽto legis Iuliæ, etiam post appellationem possunt pro culpæ suæ qualitate aut damnari, aut verberari.*

Lege Iulia de vi priuata tenetur, qui quem armatis hominibus possessione,

De nouationibus. Tit. VIII.

NOn solum per nosmetipsos nouamus quod nobis debetur, sed per eos etiam, per quos stipulari possumus, veluti per filiumfamiliàs, vel per seruum iubendo vel ratum habendo. Procurator quoque noster ex iussu nostro receptum est vt nouare possit.

INTERPRETATIO. *Nouatio est, quoties causa nouatur.*

De stipulationibus. Tit. IX.

SVbstitutus heres, ab instituto, qui sub cõdicione scriptus est, vtiliter sibi institutum hac stipulatione cauere compellit, ne petita bonorum possessione res hereditarias diminuat. Hoc autem casu, ex die interpositæ stipulationis, duplos fructus præstare compellitur. Huius enim præiudicium à superiore differt, quo quæritur, an ea res de qua agitur, maior sit centum sestertiis. Ideóque in longiorẽ diem concipitur.

INTERPRETAT. *Substitutus heres, eum qui sub condicione heres institutus est, adita hereditate compellere potest, vt sibi heres institutus caueat, id est, cautione promittat, hanc ipsam hereditatem à se in nullo penitus minuendam. Quo facto, si quid de hereditate fuerit imminutum, duplos fructus eius rei à die cautionis institutus aut heres instituti redhibere compellitur.*

Ex die accepti iudicij dupli fructus computantur. Et tam dantes quàm accipientes, heredes quoque eorum, Procuratores, cognitorúmque personæ, itémque sponsores eadem stipulatione comprehenduntur, eorum quoque quorum nomine promittitur.

INTERPRETATIO. *Ex die, qua de causa fuerit iudicatum, si in redhibitione mora facta fuerit, dupli fructus computantur, & tam hij qui addicti fuerint, quàm etiã heredes eorum, vel Procuratores, aut cognitores, vel fideiussores eadem promissio comprehendit, qui etiam tenendi sunt, quorum nomine facta fuerit promissio.*

Quoties iudicatum solui stipulatione satisdatur, omissa eius actio rei iudicatæ persecutionem non excludit.

INTERPRETATIO. *Si quãdo causa per iudicium fuerit terminata, & iudicati solutio fideiussione interposita fuerit repromissa, si is cui fideiussio præbita est, huius rei actionem qualibet ratione tardauerit, à persecutione rei quæ addicta est non excluditur.*

Emancipati liberi prę̨teriti, si velint se miscere paternæ hereditati, & cum hiis, qui in potestate remanserint, communis patris diuidere hereditatem, antequam bonorum possessionem petant, de conferendo cauere cum satisdatione debebunt. Quod si satisdare non possunt, statim ex fide bonorum confusionem, excepto peculio castrensi, facere cogendi sunt.

INTERPRETATIO. *Emancipati filij si patris testamento fuerint prætermissi, & se paternæ hereditati cum reliquis fratribus miscere voluerint, de cõfundendis rebus, quas à patre emancipationis tempore perceperint, fideiussores dare compelluntur, qui eos omnia diuisioni refusuros sua fideiussione promittant. Quod si huiusmodi fideiussores non dederint, statim fide media confusionem rerum omnium, quas acceperũt, facere compelluntur: exceptis tamen rebus, quas de castrensi peculio habere probantur.*

De contrahenda auctoritate. *Tit. X.*

OB metum impendentis damni vicinus vicino satisdare debet, additis sponsoribus super eo, quod damni acciderit. De communi pariete, vtilitatis causa hoc cœpit obseruari, vt ædificet quidem, cui ædificare interest: cogatur verò socius portionis suæ impensas agnoscere.

INTERPRETATIO. *Si quando aliquibus vicinus paries ruinæ metum videatur ostendere, inuicem sibi datis fideiussoribus, promittere debent, vt si cui vicinus paries damnum fecerit, à socio sarciatur. Sed si ab vno ex hiis communis paries propter metum ruinæ fuerit reparatus, expensas fabricæ socius illi pro portione sua præstare cogẽdus est.*

De donationibus. *Tit. XI.*

SPecies extra dotem à matre, in honorem nuptiarum, præsente filia genero traditæ, donationem perfecisse videntur.

Probatio traditæ, vel nõ traditæ possessionis, non tam in iure, quàm in facto consistit. Ideóque sufficit ad probationem, si rem corporaliter teneant.

INTERPRETATIO. *Si inter aliquos de tradita, aut non tradita re nascatur intentio, huius rei probatio non in iure, aut in scriptura, sed in facto constat. Ideo ad omnem probationem sufficit, si res ab eo, qui sibi traditam asserit, teneatur.*

Pater si filiofamiliæ aliquid donauerit, & in ea voluntate perseuerans decesserit, morte patris donatio conualescit.

Cũ vnius rei in duos donatio cõfertur, potior est ille cui res tradita est. Nec interest, posterior quis, an prior acceperit, & exceptæ nec ne personæ sint.

INTERPRETATIO. *Si aliquis vnam rem duobus per legitimas scripturas donauerit, vni prius, & alteri postea, non quærendum est in hiis donationibus, qui prior, qui posterior sit, sed qui rem tradẽte donatore possederit, is eam, cui est tradita possidebit. nec interest, vtrum in parentes, an in extraneos talis sit facta donatio.*

Inuitus donator de euictione rei donatæ promittere non cogitur, nec eo nomine, si promiserit, oneratur. Quia lucratiuæ rei possessor ab euictionis actione ipsa iuris ratione depellitur.

INTERPRETATIO. *Si aliquis rem iuris sui, scriptura interueniente, donauerit, euictionis pœnam sibi constituere inuitus non compellitur. Ad quam etiam si volens promiserit, non potest retineri. Quia res quæ lucrum alteri facit, damnum pro munere sui donatori inferre non poterit. Et si ad hanc rem is, cui donatum est, donatorem voluerit attinere, ab hac actione omnimodis remouetur.*

Ei qui aliquem à latrunculis, vel hostibus eripuit, in infinitum donare non prohibemur, si tamen donatio, & non merces eximij laboris appellanda est, quia contemplationem salutis certo modo æstimari non placuit.

INTERPRETATIO. *Si quis aliquem de imminenti periculo, id est, de latronum aut hostium persecutione, vel manu eripuit: quicquid vel quantum, aut si omnia ei is qui liberatus est, pro salutis suæ mercede donauerit, nec ab ipso donatore, nec ab heredibus eius repeti potest. Quia vitæ præmium nulla potest æstimatione pretij pensari.*

De

De iure fisci & populli. Tit. XII.

EIus bona, qui sibi ob aliquod admissum flagitium mortem consciuit, fiscus vendicat. Quod si tædio vitæ, aut pudore æris alieni, vel valetudinis alicuius impatientia hoc admisit, non inquietabuntur, sed ordinaria successione relinquentur.

INTERPRETATIO. *Si quis sibi pro aliquo admisso crimine mortem intulerit, facultates eius fiscus vendicat. Nam si ingratitudine malæ vitæ, aut propter verecundiam contracti enormis debiti, vel impatientia valetudinis, mortem sibi intulerit, bona eius suis, aut legitimis heredibus nullatenus auferuntur.*

Ei etiam velut indigno aufertur hereditas, qui affinem vel cognatum, cui ipse ab intestato successurus erat, testamentum facere prohibuit, aut ne iure subsisteret, operam dedit.

Si pater vel dominus id testamentum, quo filius eius vel seruus heredes instituti sunt, aut legatum acceperunt, falsum redarguant, nec obtineant, fisco locus est.

Ætati eius, qui accusat testamentum, si non obtineat, succurri solet in id, quod ita amisit: maxime, si Tutoris, aut Curatoris consilio actio instituta sit.

In ea prouincia, ex qua quis originem ducit, officium fiscale administrare prohibetur, ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videatur.

Quoties sine auctoritate iudicati Officiales alicuius bona occupant vel describunt, vel sub obseruatione esse faciunt, adito Procuratore, iniuria submouetur, & rei huius auctores ad Præfectos Prætorio puniendi mittuntur.

Litem in perniciem priuatorum fisco donari non oportet, nec ab eodem donata suscipi.

INTERPRETATIO. *Imperatorem litis causa heredem institui inuidiosum est. Nec enim calumniandi facultatem ex Principali maiestate capi oportet.*

Ex nuda pollicitatione nulla actio nascitur. Ideóque eius bona, qui se heredem Imperatorem facturum esse iactauerat, à fisco occupari non possunt.

Priuilegium fisci est, inter omnes creditores primum locum retinere.

Quicunque à fisco conuenitur, non ex indice, vel exemplo alicuius scripturæ, sed ex autentico conueniendus est, etsi contractus fides possit ostendi. Ceterum calumniosam scripturam vim iustę petitionis in iudicio obtinere non conuenit.

Eius bona, qui falsam monetam percussisse dicitur, fisco vendicātur. Quod si serui, ignorante domino, id fecisse dicantur, ipsi quidem summo supplicio afficiūtur, domino tamen nihil aufertur. Quia peiorem domini causam serui facere, nisi forte scierit, omnino non possunt.

De delatoribus. Tit. XIII.

OMnes omnino deferre alterum, & causam pecuniariam fisco nuntiare prohibentur. Nec refert, mares istud an feminæ faciant, serui aut ingenui, an libertini, an suos, an extraneos deferāt: omni enim modo puniuntur.

Serui fiscales, qui causam domino prodere, ac nuntiare contēdunt, deferrē non vidētur, subornati sanè reum prodere cogūtur, qui quod per se non potest, per alium deferat. Perinde autem subornatores ac delatores puniuntur.

INTERPRETATIO. *Si serui fiscales aliquid domino nuntiauerint atque prodiderint, delatores esse non videntur. Sane si aliquis eos ad hanc rem immiserit vel instigauerit, eum prodere compelluntur. Qui cùm proditus ab illis fuerit, ita puniri iubetur, quemadmodum delatores pro iuris ordine puniuntur.*

Damnati serui, siue post sententiam, siue ante sententiá dominorum facinora confessi sint, nullo modo audiuntur, nisi forte eos deferant maiestatis.

De quæstionibus habendis. *Tit. XIIII.*

IN criminibus eruendis quæstio quidem adhibetur, sed non statim à tormentis incipiédum est. Ideóque prius argumentis quærendum est, etsi suspicione aliqua reus vrgueatur, adhibitis tormentis de sociis & sceleribus suis confiteri compellitur.

Vnius facinoris plurimi rei ita audiendi sunt, vt ab eo primum incipiatur, qui timidior, & teneræ ætatis esse videatur.

De testibus. *Tit. XV.*

SVspectos gratiæ testes & eos vel maxime, quos accusato de domo produxerit, vel vitæ humilitas infamauerit, interrogari non placuit. In teste enim & vitæ qualitas expectari debet, & dignitas.

In affinem vel cognatum inuiti testes interrogari non possunt.

Aduersus se inuicem parentes & liberi, itémque liberti nec volentes ad testimonium admittendi sunt. Quia rei veræ testimonium necessitudo personarum plerunque corrumpit.

INTERPRETATIO. *Aduersus se inuicem testimonium parentes & filij, vel liberti dicere prohibentur. Quia veritatis professionem propinquitatis affectio impedire cognoscitur.*

Testes cùm de fide tabularum nihil dicitur, aduersus scripturam interrogari non possunt.

Qui falsa vel varia testimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut Curia submouentur.

In re pecuniaria tormenta, nisi cùm de rebus hereditariis quæritur, non adhibentur. Aliàs autem iureiurando, aut testibus explicantur.

De seruorum quæstionibus. *Tit. XVI.*

SEruum de facto suo in se interrogari posse, ratio æquitatis ostendit: Nec enim obesse ei debet, qui per seruum aliquid sine cautione commodat aut deponit.

INTERPRETATIO. *Seruum de facto suo in se interrogari posse præceptum est, vt si aliquid dominus eius per eum cuicunque sine cautione transmiserit, aut commodauerit, si ille, cui traditum est, negare voluerit, responsione serui, per quem res acta est, possit rei probatio non deesse.*

Iudex tutelaris, itémque C. viri, si aliter de rebus hereditariis, vel de fide generis instrui non possunt, poterût de seruis hereditariis habere quæstionem.

INTERPRETATIO. *Si quando rerum hereditariarum quantitas. Tutore agente requiritur, vt possit hereditatis quantitas inueniri, de seruis hereditariis haberi quæstionem iure præceptum est. Et si fortasse de filiis aliqua dubitatio habeatur, vt veritas inueniri possit, torqueri serui hereditarij iubentur.*

Serui

Serui alieni in alterius caput non nisi singuli torqueri possunt. Et hoc inuito domino non est permittendum, nisi delator, cuius interest quod intendit probare, pretia eorum, quanti dominus taxauerit, inferre sit paratus, vel certe deterioris facti serui subire taxationem.

Seruo, qui vltro aliquid de domino confitetur, fides non accommodatur: Nec enim oportet in rebus dubiis salutem dominorum seruorum arbitrio committi.

Serui in caput domini, neque à Præside, neque à Procuratore, tam in pecuniariis, quam in capitalibus causis interrogari non possunt.

Communis seruus in caput alterius ex dominis torqueri non potest.

Qui seruum ideo comparauit, ne in se torqueretur, restituto pretio poterit interrogari.

Seruus in caput eius domini, à quo distractus est, cuique aliquando seruiuit, in memoriam prioris dominij interrogari non potest.

Si seruus ad hoc fuerit manumissus, ne torqueatur, quæstio de eo nihilominus haberi potest.

Quæstioni eius latronis, quem quis obtulit, cum de eo confiteretur, fidem accommodari non conuenit, nisi id forte velandæ conscientiæ suæ gratia, quam cum reo habuit, fecisse doceatur.

INTERPRETATIO. *Si latro quæstioni subditus, de eo qui ipsum quæstioni obtulit, confiteatur, credulitatem confessioni eius non conuenit adhiberi, nisi forte pro tegenda conscientia sua eum quæstioni obtulisse rebus euidentibus approbatur.*

Neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest, nisi ingratum libertum patronus accuset, aut rei absentia defendatur.

INTERPRET. *In criminalibus causis nec accusator, nisi per se aliquem accusare potest, neque accusatus per Procuratorem, aut aliam personam se defensare permittitur, nisi forte ingratum libertum patronus accuset.*

Si pecunia data à Iudice reus absolutus esse dicatur, idque in eum fuerit comprobatum, ea pœna damnatur, qua reus damnari potuisset.

In conuictum reum, siue torqueri possit, siue non possit, pro modo admissi sceleris statuendum est.

INTERPRETATIO. *In eum reum, qui de obiecti criminis veritate conuincitur, siue torqueri possit, siue non possit, iudex quod ei visum fuerit iudicabit.*

Reis suis edere crimina accusatores cogendi sunt: Scire enim oportet, quibus sint criminibus responsuri.

De abolitionibus. *Tit. XVII.*

POst abolitionem publicam à delatore suo reus intra tricesimum diem repeti potest, postea non potest.

Summa supplicia sunt, crux, crematio, decollatio. Mediocrium autem delictorum pœnæ sunt, metallum, ludus, deportatio. Minimæ, relegatio, exilium, opus publicum, vincula. Sanè qui ad gladium dātur, intra annum consumendi sunt.

De abactoribus. *Tit. XVIII.*

ABactores sunt, qui vnum equum, duas equas, totidemq; boues vel capras decem aut porcos quinque abegerint. Quicquid vero intra hunc numerum fuerit ablatum in pœna furti pro qualitate eius, aut in duplum, aut in triplum conuenitur, vel fustibus cæsus, in opus publicum vnius anni datur, aut sub pœna vinculorum domino restituitur.

Si ea pecora, de quibus quis litigat, abierit, ad forum remittendus est atq; ita conuictus, in duplum, vel in triplum, furis more, damnatur.

De sacrilegiis. *Tit. XIX.*

QVi noctu & manu facta, prędandi ac depopulandi gratia, templum irrumpunt, bestiis obiiciűtur. Si vero per diem leue aliquid de templo abstulerint, vel deportantur honestiores, vel humiliores in metallum damnantur.

INTERPRETATIO. *Ista quæ de templo dicta sunt, de Ecclesia loqui intelligenda sunt, de reliquo interpretatione non eget.*

De incendiariis. *Tit XX.*

INcendiarij qui quid in oppido prædandi causa faciunt, capite puniuntur.

Qui casam aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum, aut in opus publicum damnantur, honestiores in insulam relegantur.

Fortuita incendia quæ casu venti ferente vel incuria ignem supponentis adusque vicini agros euadunt, si ex eo seges vel vinea vel oliuæ vel fructiferæ arbores concrement, datum damnum æstimatione sarciatur. Commissum vero seruorum, si domino videatur, noxæ deditione sarciatur.

Messium sane per dolű incensores, vinearum oliuarúmve aut in metallum humiliores damnantur, aut honestiores in insulam relegantur.

Qui noctu fructiferas arbores, manu facta, ceciderint, ad tẽpus plerunque in opus publicum damnantur, aut honestiores damnum sarcire coguntur, vel Curia submouentur, vel relegantur.

De vaticinatoribus, & Mathematicis. *Tit. XXI.*

VAticinatores, qui se Deo plenos assimulant, idcirco ciuitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicuius rei corrumperentur: vel certe ex eo populares animi turbarẽtur. Ideoque primum fustibus cæsi ciuitate pelluntur, perseuerãtes autem, in vincula publica coniiciuntur, aut in insulam deportantur, vel certe relegantur.

Qui nouas, & vsu, vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moueantur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur.

Qui de salute Principis, vel sũma reipublicæ, Mathematicos, Ariolos, Haruspices, Vaticinatores consulit, cum eo qui responderit capite puniuntur.

Non

Non tantum diuinatione quis,sed ipsa scientia,eiúsque libris melius fecerit abstinere. Quod si serui de salute dominorum cósuluerint,summo supplicio, id est cruce afficiuntur. Consulti autem si responsa dederint,aut in mettallum damnantur, aut in insulam relegantur.

De seditiosis. *Tit. XXII.*

AVctores seditionis & tumultus, vel cócitatores populi,pro qualitate dignitatis,aut in crucem tolluntur,aut bestiis obiiciuntur,aut in insulam deportantur.

Qui terminos effodiunt,vel exarant,arborésve terminales euertunt,vel qui conuellunt bodones, siquidem id serui sua spóte fecerint,in metallum damnantur, humiliores in opus publicum, honestiores in insulam, amissa tertia parte bonorum, relegantur, aut exulare coguntur.

Ciues Romani,qui se Iudaico ritu, vel seruos suos circuncidi patiuntur, bonis ademptis in insulam perpetuo relegantur: medici capite puniuntur.

Iudæi si aliæ nationis comparatos seruos circunciderint, aut deportantur, aut capite puniuntur.

Ad legem Corneliam de sicariis & veneficis. *Tit. XXIII.*

LEx Corneliam pœnam deportationis infligit eis,qui hominem occiderint,eiúsve rei causa,furtíve faciendi cum telo fuerint.Et qui venenum hominis necandi causa habuerit, vendiderit, parauerit,falsum testimonium dixerit,quo quis periret, mortísve causas præstiterit. Ob quæ omnia facinora, in honestiores pœna capitis vindicari placuit:humiliores vero in crucem tolluntur,aut bestiis obiiciuntur.

qui hominem occiderit aliquando absoluitur. Et qui non occidit, vt homicida damnatur.Consilium enim vniuscuiusque,non factum puniendum est.Ideoque qui cum vellet occidere, id casu aliquo perpetrare non potuerit, vt homicida punietur. Et is, qui casu iactu teli hominem imprudéter occiderit,absoluitur.

Qui latronem cædem sibi inferentem, vel aliàs quélibet stupro occiderit, puniri non placuit. Alius enim vitam,alius pudoré publico facinore defendit

Iudex, qui in caput fortunasq; hominis pecuniam accepit, in insulam,bonis ademptis deportetur.

Mandatores cædis perinde vt homicidæ puniuntur.

Si putator ex arbore cum ramum deiiceret,non proclamauerit,vt vitaretur, atque ita præteriens eiusdem ictu perierit, etsi in legem non incurrit, in metallum damnatur.

Qui hominem inuitum, libidinis aut promercij causa castrauerit, castrandúmve curauerit,siue is seruus,siue liber sit, capite punitur. Honestiores,publicatis bonis in insulam deportantur.

Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi id dolo non faciant,tamen mali exempli res est. Humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum relegantur. Quod si ex hoc homo aut mulier perierit, summo supplicio afficiuntur.

Qui sacra impia nocturnáve vt quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint, faciendáve curauerint,aut cruci suffiguntur, aut bestiis obiiciuntur.

Qui viui testamẽtum aperuerit, recitauerit, resignauerit, pœna legis Corneliæ tenetur, & plerunque aut humiliores in metallum damnãtur, aut honestiores in insulam deportantur.

Si quis instrumenta † vtilitatis suæ à Procuratore vel Cognitore aduersario prodita esse conuicerit, tam Procurator, quàm Cognitor, si humiliores sunt, in metallum damnantur: si honestiores, adempta dimidia parte bonorum in perpetuum relegantur. † *litis.*

INTERPRET. *Instrumenta penes se deposita quicunque alteri, altero absente, reddiderit, vel aduersario prodiderit, pro personæ eius condicione, aut in metallum dãnantur, aut in insulam relegantur.*

Qui falsis instrumentis, actis, epistolis, rescriptis, sciens dolo malo vsus fuerit, pœna falsi cohercetur. Ideóque humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam deportantur.

Qui sibi falsum nomen imposuerit, genus parentésve finxerit, quo quid alienum interceperit, possederit, pœna legis Corneliæ de falsis cohercetur.

Qui insignibus altioris ordinis vtuntur, militiamque cõfingunt, quo quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honestiores in insulam deportantur.

Siqui de Iudicis amicitiis & familiaritate mẽtientes, euentus sentẽtiarum eius vendunt, quídve obtentu nominis eius agũt: conuicti pro modo delicti aut relegantur, aut capite puniuntur.

Ad legem Iuliam de vi publica & priuata. Tit. XXVI.

LEge Iulia de vi publica damnatur, qui aliqua potestate præditus, ciuem Romanum antea populum, nunc Imperatorem appellãtem, necauerit necauerítve iusserit, torserit, verberauerit, condemnauerit, ínve publica vincula duci iusserit. Cuius rei pœna in humiliores capite, in honestiores insulæ deportatione cohercetur.

Hac lege excipiuntur, qui artem ludicram faciunt. Iudicati etiam & confessi & qui ideo in carcerem duci iubentur, quòd ius dicenti non obtemperauerint, quíve cõtra disciplinam publicam fecerint. Tribuni etiam militum, & Præfecti classium, alarúmve, vt sine aliquo impedimento legis Iuliæ per eos militare delictum coherceri possit.

INTERPRETATIO. *Lege Iulia decretum est, vt pro violentia publica dãnetur, quicunque Iudex appellantem, vt ad Principis præsentiam ducatur, ingenuum hominem, vel ciuem Romanum factum torserit, occiderit, vel occidi iusserit, vel in vinculis publicis adstrinxerit, vel flagellis ceciderit, aut damnare præsumpserit. Pro qua re humiliores personæ iudicio capitis puniuntur, honestiores in insulam relegantur. Sed à legis istius pœna de aliquibus præceptum est, etiamsi ad Principem appellauerint, posse torqueri, vel damnari, si qui in ludicra arte offenderint, vel iudicio fuerint condemnati, aut de crimine suo confessi. Et qui propter hoc in carcerem rediguntur: quia secundum leges sententiæ Iudicis parére noluerint: vel si contra disciplinam publicam commisisse aliquid conuincãtur. Tribuni quoque militum, & præpositi nauium, & præfecti alarũ, & hi omnes sine impedimẽto legis Iuliæ, etiam post appellationem possunt pro culpæ suæ qualitate aut damnari, aut verberari.*

Lege Iulia de vi priuata tenetur, qui quem armatis hominibus possessione,

domo, villa, agróve deiecerit, expugnauerit, obſederit, cluſerit, quíve vt fieret, homines cõmodauerit, locauerit, cõduxerit, quíve cœtũ, concurſum, turbã, ſeditionem, incẽdium fecerit, funerari, ſepelirive aliquem prohibuerit, funúsve eripuerit, turbauerit. Et qui eum, cui aqua & igni interdictũ eſt, receperit, celauerit, tenuerit, quíve cum telo in publico fuerit. templa, portas, aliúdve quid publicũ armatis obſederit, cinxerit, cluſerit, occupauerit. Quibus omnibus conuictis, ſi honeſtiores ſint, tertia bonorum eripitur, & in inſulam relegantur, humiliores in metallum damnantur.

Creditor chirographarius ſi ſine iuſſu Præſidis per vim debitoris ſui pignora, cum non haberet obligata, acceperit, in legem Iuliam de vi priuata committit. Fiduciávero & pignora apud ſe depoſita perſequi, & ſine auctoritate Iudicis vindicare non prohibetur.

Ad legem Iuliam peculatus. Tit. XXVII.

SI quis fiſcalem pecuniam adtrectauerit, ſurripuerit, mutauerit, ínve ſuos vſus conuerterit, in quadruplum eius pecuniæ, quam ſuſtulerit condemnatur.

Ad legem Iuliam repetundarum. Tit. XXVIII.

IVdices Pedanei, ſi pecunia corrupti dicantur, plerúque, à Præſide aut Curia ſubmouentur, aut in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur.

INTERPRETATIO. *Si Pedanei Iudices, id eſt, qui ex delegatione cauſas audiunt, in audientia cauſæ corrupti, contra iuſtitiam iudicaſſe conuicti fuerint, à Iudice prouinciæ aut Curia ſubmouentur, aut in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur.*

Ad legem Iuliam maieſtatis. Tit. XXIX.

LEge Iulia maieſtatis tenetur, is cuius ope, conſilio, aduerſus Imperatorem, vel rẽpub. arma mota ſunt, exercitúſve eius in inſidias deductus eſt: quíve iniuſſu Imperatoris bellũ geſſerit, dilectúmve habuerit, exercitum comparauerit, ſollicitauerit, deſerueritque Imperatorem. His antea in perpetuum aqua & igni interdicebatur, nunc vero humiliores beſtiis obiiciuntur, vel viui exurũtur, honeſtiores capite puniuntur. Quod crimen non ſolum facto, ſed & verbis impiis aut maledictis maxime exacerbatur.

In reum maieſtatis inquiri prius conuenit, quibus opibus, qua factione, quibus in hoc auctoribus fecerit. Tanti enim criminis reus, non obtentu adulationis alicuius, ſed ipſius admiſſi cauſa puniẽdus eſt. Et ideo cum de eo quæritur, nulla dignitas à tormentis excipitur.

Ad legem Iuliam ambitus. Tit. XXX.

PEtiturus magiſtratus, vel prouinciæ ſacerdotium, ſi turbã ſuffragiorum cauſa conduxerit, ſeruos cõuocauerit, aliámve quam multitudinem conduxerit, conuictus vt vis publicæ reus in inſulã deportatur.

De

De pœnis militum. Tit. XXXI.

SI pecunia accepta miles custodiam dimiserit, capite puniẽdus est: & certè quæritur, cuius criminis reus dimissus esse videatur.

Qui custodiam militi prosequenti magna manu excusserunt, capite puniuntur.

Quando appellandum sit. Tit. XXXII.

QVoties iusiurandum postulatur, eo tempore appellandum est, quo defertur, non quo iuratur.

INTERPRETATIO. *Si quando dum causa à Iudice auditur, sacramentum petente vno ex litigatoribus alter obtulerit, litigator qui Iudicibus appellare voluerit, tunc appellare debet, quando sacramentum offertur, non postquam iuratur.*

De cautionibus & pœnis appellationum. Tit. XXXIII.

NE liberum quis & solutum haberet arbitrium retractãdæ & reuocandæ sententiæ, & pœnæ & tempora appellatoribus præstituta sunt. Et nisi iustè appellauerint, tempora ad cauẽdum in pœna appellationis quinque dierum præstituta sunt. Igitur morans in eo loco vbi appellauit, cauere debet vt ex die acceptarum literarum continui quinque dies computentur. Sin vero longius, salua dinumeratione integri quinque dies cum eo ipso quo literas acceperit computantur.

INTERPRETATIO. *Propter superfluam appellatorum licentiam, ne in retractandis, vel reuocandis sententiis liberum habere arbitrium viderentur, & tempora appellationis, & pœnæ constitutæ sunt, vt quicunque Iudici, qui causam eius audiuit, appellare & ad alium Iudicem prouocare voluerit, infra quinque dies apellet, & hiis ipsis quinque diebus ad Iudicem ad quem prouocauerit, sine aliqua dissimulatione perueniat. Et ipse dies, quo accepit literas, in hiis quinque diebus specialiter computetur. Quod si longius iter sit, exceptis hiis quinque diebus, spatium dierum quo iter agi possit computetur.*

Ne quis in captionem verborum in cauendo incidat, expeditissimum est, pœnã ipsam, vel quid aliud pro ea deponere. Necesse enim non habet sponsorem quis fideiussorémve dare, aut præsens esse, sed si contra eum fuerit pronuntiatum, perdit quod deposuit.

INTERPRETATIO. *Si quando inter litigatores de dando præsentiæ suæ fideiussore contentio est, si aliquis in captione verborũ præiudicium timeat, & propter hoc fideiussorem dare nolit, potest certum aliquid de rebus suis pœnæ causa deponere. Sed si contra eum fuerit iudicatum, & ipse defuerit, perdit quod deposuit.*

Quoties in pœna appellationis cauetur, tam vnus quàm plures fideiussores, si idonei sunt, dari possunt. Sufficit etiam per vnum idoneum indemnitatis pœna consuli.

Si plures appellant, vna cautio sufficit. Et si vnus caueat, omnibus vincit.

INTERPRETATIO *Sin vna causa multi appellent, vnam pro omnibus fieri sufficit cautionem. Et si in communi causa vnus cauerit, & vicerit, omnibus quibus vna causa est, vicisse videntur.*

Cum à pluribus sententiis prouocatur, singulæ cautiones exigendæ sunt, &

de singulis pœnis spondendum est.

INTERPRETATIO. *Cum de multis causis à Iudicum sententiis appellatũ fuerit, singulæ cautiones de singulis sententiis faciendæ sunt. Et in singulis cautionibus singulæ pœnæ specialiter ab appellatoribus inserendæ.*

Modus pœnæ, in qua quis cauere debet, specialiter in cautione exprimẽdus est, vt † sit in qua stipulatio cõmittatur. Aliter enim recte cauisse non videtur.

† *sciat.*

Assertor si prouocet, in eiusmodi tertiam cauere debet, quanti causa æstimata est.

In omnibus pecuniariis causis magis est vt in tertiam partem eius pecuniæ caueatur.

De Literis dimissoriis. Tit. XXXIIII.

AB eo cui appellatum, ad eum qui de appellatione cogniturus est, literæ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgò Apostoli appellãtur, quorum postulatio & acceptio intra quintũ diẽ ex officio faciẽda est.

INTERPRETATIO. *Ista iam superius sub titulo de cautionibus & pœnis appellationum interpretata est.*

Qui intra tempora præstituta dimissorias nõ postulauerit, vel acceperit, vel reddiderit, præscriptione ab agendo submouetur, & pœnam appellationis inferre cogitur.

De reddendis causis appellationum. Tit. XXXV.

MEritum appellationis causæ capitalis, & ipsam rationem status, non nisi per nosmetipsos prosequi possumus. Nemo enim absens aut duci in seruitutem potest, aut damnari.

INTERPRETATIO. *Si quando in causa capitali, similiter in causa status, id est ingenuitatis vel seruitutis appellatum fuerit, non per Procuratores, sed ipsis præsentibus est agendum: quia nemo absens aut capite damnari potest, aut sententiam seruitutis excipere.*

Moratorias appellationes, & eas quæ ab executoribus & confessis fiunt, recipi non placuit.

INTERPRETATIO. *Quicunque non confidentia iustæ causæ, sed causæ afferendæ moræ, ne contra eum sentẽtia proferatur, appellauerit, vel si de facto suo cõfessus, ne addicatur appellare voluerit, huiusmodi appellationes non recipiuntur.*

Eum qui appellat, cum conuicio ipsius Iudicis appellare non oportet. Ideóque quod ita factum est, arbitrio Principis vindicatur.

Post prouocationem quid obseruandum sit. Tit. XXXVI.

QVoties possessor appellat, fructus medij temporis deponi conuenit. Quod si petitor prouocet, fructus in causa depositi esse non possunt, nec recte eorum nomine satisdatio postulatur.

INTERPRET. *Quoties post auditam causam Iudici possessor appellat, fructus possessionis de qua agitur, dum secundæ audientiæ euentus in dubio est, merito sequestrantur. Nam si petitor appellauerit, hoc ab eo non potest postulari: quia non potest sequestrare quod non habet.*

Si propter prædia vrbana vel mancipia appellatur, pensiones eorum vel mercedes,

mercedes, vecturæ etiam, si de naui agatur, deponi solent.

De meritis appellationum. *Tit. XXXVII.*

OMni modo probandum est, vt quoties iniusta appellatio pronuntiatur, sumptus quos dum sequeretur aduersarius impēdit, reddere cogatur non simplos, sed quadruplos.

INTERPRETATIO. *Si quando cuiuscunque appellatio iniusta comprobatur, sumptus quos post appellationem aduersarium suum compulit sustinere, non in simplum, sed in quadruplum reformare cogetur.*

Iulij Pauli Sententiarum receptarum libri quinti finis.

IVLIVS PAVLVS

LIB. II. INSTITVT.

TIT. DE DOTIBVS.

SI diuortium est matrimonij & hoc sine culpa mulieris factm est, dos integra repetetur. Quod si culpa mulieris factum est diuortiũ, in singulos liberos sexta pars dotis a marito retinetur, vsque ad mediam duntaxat partem dotis.

* * *

DOMITII VLPIANI

REGVLARVM LIB. SINGVLARIS.

De Legibus & moribus.

Lacunarũ quæ in exemplari authentico erant supplementum ex cõiectura denotat literarum certis contextus locis varietas, ceteris emendationibus in ordine libri receptis.

I*Mperfecta lex est veluti Cincia, quæ supra certum modum donari* prohibet, exceptis quibusdam cognatis, & si plus donatum sit, non rescindit.

Minus quam perfecta lex est, quę vetat aliquid fieri, & si factum sit, non rescindit: sed pœnam iniungit ei qui contra legem fecit, qualis est lex Furia testamentaria, quæ plus quàm mille assium legatum mortisve causa prohibet capere: præter exceptas personas: & aduersus eum qui plus ceperit, quadrupli pœnam constituit.

Lex aut rogatur,id est fertur:aut abrogatur, id est, prior lex tollitur:aut derogatur,id est,pars primæ tollitur:aut subrogatur, id est, adiicitur aliquid primæ legi:aut obrogatur, id est, mutatur aliquid ex prima lege.

Mores sunt tacitus consensus populi,longa consuetudine inueteratus.

De Libertis.

Libertorũ genera sunt tria,ciues Romani,Latini Iuniani, dedititiorũ numero. Ciues Romani,sunt liberti qui vindicta,cẽsu,aut testamento,nullo iure impediente manumissi sunt.

Vindicta manumittuntur,apud magistratum,Prætorímve velut Cõsulem, Proconsulem.

† PR, velut.

Censu manumittebantur olim,qui lustrali cẽsu, Romæ,iussu dominorum, inter ciues Romanos censum profitebantur.

Vt testamento manumissi liberi sint, lex duodecim Tabularum facit,quæ confirmat. * * * * * * * *. Hodie autem ipso iure liberi sunt ex lege Iunia,qua lege Latini sunt nominati, inter amicos manumissi.

Dedititiorũ numero sunt, qui pœnæ causa vincti sunt à domino, † quibus vestigia scripta fuerunt, qui propter noxam torti, nocentesque inuenti sunt,quíve traditi sunt vt ferro, aut cum bestiis depugnarẽt:vel in custodiam coniecti fuerunt,deinde quoquomodo manumissi sunt:idque lex Ælia Sentia facit.

† quibusue stigmata.

Eadem lege cautum est,vt minor triginta annorum seruus vindicta manumissus,ciuis Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit:ideo sine consilio manumissum Cæsaris seruum manere putat. Testamento verò manumissum perinde haberi iubet, atque si domini voluntate in libertate esset, ideoque Latinus fit.

Eadem lex eum dominum qui minor viginti annorũ est, prohibet seruum manumittere,præterquam si causam apud consilium probauerit.In consilio autem adhibentur Romæ quinque Senatores, & quinque Equites Romani: in prouincia viginti Receperatores, ciues Romani.

Ab eo domino qui soluendo non est,seruus testamento liber esse iussus,& heres institutus:etsi minor sit triginta annis, vel in ea causa sit, vt dediticius fieri debeat,ciuis Romanus & heres fit,si tamen alius ex eo testamẽto nemo heres sit. Quòd si duo pluresve liberi heredésque esse iussi sunt, primo loco scriptus liber & heres fit, quod & ipsum lex Aelia Sentia facit.

Eadem lex in fraudem creditoris & patroni manumittere prohibet.

Qui tantum in bonis,non etiam ex iure Quiritium seruum habet, manumittendo Latinum facit.

In bonis tantũ alicuius seruus est, velut hoc modo, si ciuis Romanus à ciue Romano seruum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. Nam quandiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emptoris est, ex iure Quiritium autem venditoris est.

Mulier quæ in tutela est,item pupillus & pupilla manumittere non possunt.

Communem seruum vnus ex dominis manumittẽdo, partem suam amittit:eaque adcrescit socio: maxime si eo modo manumiserit,quo si proprium haberet,ciuem Romanum facturus esset. Nam si inter amicos eum manumiserit

ſerit, pleriſque placet eum nihil egiſſe.

Seruus in quo alterius eſt vſusfructus, alterius proprietas, à proprietatis domino manumiſſus, liber non fit, ſed ſeruus ſine domino eſt.

Poſt mortem heredis, aut ante inſtitutionem heredis, teſtamento libertas dari non poteſt, excepto teſtamento militis.

Inter medias heredum inſtitutiones libertas data vtriſque adeuntibus non valet: ſolo autem priore adeunte, iure antiquo valet. Sed poſt legem Papiam Popeam, quæ partem non adeuntis caducam facit, ſiquidẽ primus heres vel ius antiquum habeat, valere eam poſſe placuit. Quod ſi non habeat, non valere conſtat, quòd loco non adeũtis, legatarij patres heredes fiunt. Sunt tamen qui & hoc caſu valere eam poſſe dicunt.

Qui teſtamento liber eſſe iuſſus eſt, mox quam vnus ex heredibus adierit hereditatem, liber fit.

Iuſta libertas teſtamento poteſt dari his ſeruis, qui teſtamenti faciendi & mortis tempore ex iure Quiritium teſtatoris fuerunt.

Lex Fuſia Caninia iubet teſtamento ex tribus ſeruis, non plures quàm duos manumitti: & vſque ad decem dimidiam partem manumittere concedit: à decimo vſque ad triginta, tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceat, æque vt ex priori numero: à triginta vſque ad centum quartam partem, æque vt decem ex ſuperiori numero liberari poſſint: à centum vſque ad quingentos, partem quintam ſimiliter, vt ex antecedenti numero viginti quinque poſſint fieri liberi. Et denique præcipit, ne plures omnino quàm centum, ex cuiuſquam teſtamento liberi fiant.

Eadem lex cauet, vt libertates ſeruis teſtamento nominatim dentur.

De ſtatuliberis.

QVi ſub condicione teſtamento liber eſſe iuſſus eſt, ſtatuliber appellatur.

Statuliber, quandiu pendet condicio ſeruus heredis *eſt*.

Statuliber ſeu alienetur ab herede, ſiue † ſuſcipiatur ab aliquo, libertatis condicionem ſecum trahit.

† *vſucapiatur*

Sub hac condicione liber eſſe iuſſus, ſi decem milia heredi dederit, & ſi ab herede abalienatus ſit, emptori dando pecuniam, ad libertatem perueniet: idque lex duodecim Tabularum iubet.

Si per heredem factum ſit, quo minus ſtatuliber cõdicioni pareat, proinde fit liber, atque ſi condicio expleta fuiſſet.

Extraneo pecuniã dare iuſſus, & liber eſſe, ſi paratus ſit dare, & is cui iuſſus eſt dare, aut nollet accipere, aut antequam acceperit moriatur, proinde fit liber, ac ſi pecuniam dediſſet.

Libertas & directò poteſt dari hoc modo, Liber eſto, Liber ſit, Liberũ eſſe iubeo: & per fideicommiſſum, vt puta, Rogo, Fidei committo heredis mei, vt Stichum ſeruum manumittat.

Is qui directò liber eſſe iuſſus eſt horcinus fit libertus: is autem cui per fidei commiſſum data eſt libertas, non teſtatoris, ſed manumiſſoris fit libertus.

Cuius fidei committi poteſt ad rem aliquam præſtãdam, eiuſdem etiam libertas fidei committi poteſt.

Per fideicommissum libertas dari potest tam proprio seruo testatoris, quàm heredis, aut legatarij, vel cuiuslibet extranei seruo.

Alieno seruo per fideicommissum data libertate, si dominus eum iusto pretio non vendat, extinguitur libertas, quoniam nec pretij computatio pro libertate fieri potest.

Libertas sicut dari, ita & adimi tam testamento quàm codicillis testamẽto confirmatis potest: vt tamen eodem modo adimatur, quo & data est.

De Latinis.

LAtini ius Quiritium consequuntur his modis, beneficio principali, liberis, iteratione, militia, naue, ædificio, pistrino: præterea ex Senatusconsulto, vulgò quæ sit ter enixa.

Beneficio principali Latinus ciuitatem Romanam accipit, si ab Imperatore ius Quiritium impetrauerit.

Liberis ius Quiritium consequitur Latinus, qui minor triginta annorum manumissionis tempore fuit. Nam lege Iunia cautum est vt si ciuem Romanam, vel Latinam vxorem duxerit testatione interposita, quòd liberorũ quærendorum causa vxorem duxerit, postea filio filiáve, nato natáve, & anniculo facto, possit apud Prætorem vel Præsidẽ prouinciæ causam probare, & fieri ciuem Romanum, tam ipse quàm filius, filiáve eius & vxor, scilicet si & ipsa Latina sit. Nam si vxor ciuis Romana sit, partus quoque ciuis Romanus est, ex Senatusconsulto quod auctore diuo Adriano factum est.

Iteratione fit ciuis Romanus, qui post Latinitatem quam acceperat maior triginta annorum, iterũ iuste manumissus est ab eo, cuius ex iure Quiritium seruus fuit. Sed huic concessum est, ex Senatusconsulto etiam liberis ius Quiritium consequi.

Militia ius Quiritium accipit Latinus, si inter Vigiles Romæ sex annis militauerit, ex lege Visillia. Preterea ex Senatuscõsulto cõcessum est ei, vt si triennio inter Vigiles militauerit, ius Quiritium consequatur.

Naue Latinus ciuitatem Romanam accipit, si non minorem quàm decem milia modiorum nauem fabricauerit, & Romam sex annis frumentum portauerit, ex edicto diui Claudij.

* * *

De his qui sui iuris sunt.

SVi iuris sunt familiarum suarũ principes, id est, paterfamiliæ, itemque materfamiliæ.

Qui matre quidem certa, patre autem incerto nati sunt, spurij appellantur.

De his qui in potestate sunt.

IN potestate sunt liberi parentum, ex iusto matrimonio nati.

Iustum matrimonium est, si inter eos qui nuptias contrahunt connubium sit, & tam masculus pubes quàm femina potens sit, & vtrique consentiant, si sui iuris sunt, aut etiam parentes eorum, si in potestate sunt.

Connubium

Connubium est vxoris iure ducendæ facultas.

Connubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis, cum Latinis autem & peregrinis, ita si concessum sit.

Cum seruis nullum est connubium.

Inter parẽtes & liberos infinitè cuiuscunque gradus connubium non est. Inter cognatos autem ex transuerso gradu, olim quidem vsque ad quartum gradũ matrimonia contrahi non poterant: nunc autem etiam ex tertio gradu licet vxorem ducere, sed tantum fratris filiam, non etiam sororis filiam, nec amitam, vel materteram, quamuis eodem gradu sit. Eam quæ nouerca, vel priuigna, vel nurus, vel socrus nostra fuit, vxorem ducere non possumus.

Si quis eam quam nõ licet, vxorem duxerit, incestum matrimonium contrahit, ideóque liberi in potestate eius non fiunt, sed quasi vulgò concepti spurij sunt.

Connubio interueniente, liberi semper patrem sequuntur: non interueniente connubio, matris condicioni accedunt, excepto eo qui ex peregrino & ciue Romana, peregrinus nascitur: quoniam lex Mensia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis condicionem sequi iubet.

Ex ciue Romano & Latina, Latinus nascitur: & ex libero & ancilla, seruus: quoniam cum his casibus connubia non sint, partus sequitur matrem.

In hiis qui iure contracto matrimonio nascuntur, conceptionis tempus spectatur: in his autem qui non legitime concipiuntur, editionis: veluti si ancilla conceperit, deinde manumissa pariat, liberum parit. Nam quemadmodum non legitime concepit, cùm editionis tempore libera sit, partus quoque liber est.

De *dotibus*.

DOs aut datur, aut dicitur, aut promittitur.

Dotem dicere potest mulier quæ nuptura est, & debitor mulieris, si iussu eius dicat † institutus, parens mulieris virilis sexus, per virilem sexum cognatione iunctus, velut pater, auus paternus. Dare, promittere dotem omnes possunt.

† *instit. tutor.*

Dos aut profectitia dicitur, id est, quam pater mulieris dedit: aut aduentitia, id est, ea quæ à quouis alio data est.

Mortua in matrimonio muliere, dos à patre profecta, ad patrem reuertitur, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet.

Aduentitia autem dos semper penes maritũ remanet, pręterquam si is qui dedit, vt sibi redderetur stipulatus fuit, quæ dos specialiter receptitia dicitur.

Diuortio facto, siquidẽ sui iuris sit mulier, ipsa habet actionem, id est, dotis repetitionem. Quòd si in potestate patris sit, pater adiunctæ filiæ persona habet actionem reuera, nec interest aduentitia sit dos, an profectitia.

Post diuortium defuncta muliere, heredi eius actio non aliter datur, quàm si moram in dote mulieri reddenda maritus fecerit.

Dos si pondere, numero, mensura contineatur, annua, bima, trima die reddetur, nisi si, vt præsens reddatur, conuenerit. Reliquæ dotes statim reddũtur.

Retentiones ex dote fiunt, *aut propter liberos*, aut propter mores, aut propter impensas, aut propter res donatas, aut propter res amotas.

Propter liberos retētio fit, si culpa mulieris aut patris cuius in potestate est, diuortium factum sit. Tunc enim singulorum liberorum nomine sextæ retinentur ex dote: non plures tamen quàm tres sextæ in retentione sunt, non in petitione.

Dos quæ semel functa est, amplius fungi non potest, nisi aliud matrimonium sit.

Morum nomine, grauiorum quidem sextæ retinentur: leuiorum autem octaua. Grauiores mores sunt, adulteria tantum: leuiores, omnes reliqui.

Mariti mores puniuntur, in ea quidem dote, quæ a die reddi debet ita, propter maiores mores præsentem dotem reddit: propter minores senum mensum die. In ea autem, quæ præsens reddi solet, tantum ex fructibus iubetur * reddere, quantum in illa dote quadriennio redditur repensatio facit.

Impensarum species sunt tres: aut enim necessariæ dicuntur, aut vtiles, aut voluptuosæ.

Necessariæ sunt impensæ, quibus non factis dos deterior futura est, velut si quis ruinosas ædes refecerit.

Vtiles sunt, quibus nō factis quidem deterior dos non fuerit, factis autem fructuosior effecta est, veluti si vineta & oliueta fecerit.

Voluptuosæ sunt, quibus neque omissis deterior dos fieret: neque factis fructuosior effecta est: quod euenit in viridiariis & pictoris, similibusq; reb⁹.

De iure donationum inter virum & vxorem.

INter virum & vxorem donatio non valet, nisi certis ex causis: id est, mortis causa, diuortij causa, serui manumittendi gratia. Hoc amplius principalibus Constitutionibus concessum est mulieri, in hoc, donare viro suo, vt is ab Imperatore lato clauo, vel equo publico, similíve honore honoretur.

Si maritus diuortij causa res mouerit, rerum quoque amotarum actione tenebitur.

Si maritus pro muliere se obligauerit, vel in rem eius impenderit, diuortio facto, eo nomine cauere sibi solent stipulatione tribunitia.

In potestate parentum sunt etiam hi liberi, quorum causa probata est, per errorem cōtracto matrimonio inter dispares † condignis personas. Nam seu ciuis Romanus Latinam, aut peregrinam, vel eam quæ dediticiorum numero est, † quasi per ignorantiam vxorem duxerit, siue ciuis Romana per errorem peregrino, vel ei qui dediticiorum numero est: aut etiam si Latino ex lege Ælia Sentia nupta fuerit, causa probata ciuitas redditur tam liberis quàm parentibus, præter eos qui dediticiorum numero sunt, & ex eo fiunt in potestate parentum liberi.

† conditione

† quasi ciuem

De Adoptionibus.

NOn tantum naturales liberi in potestate parentū sunt, sed etiam adoptiui.

Adoptio fit, aut per populum, aut per Prætorem, vel Præsidem prouinciæ. Illa adoptio quæ per populum fit, specialiter arrogatio dicitur.

Per populum qui sui iuris sunt, arrogantur. Per Prætorem autem, filiifamiliæ à parentibus dantur in adoptionem.

Arrogatio

Arrogatio Romæ tantum fit. Adoptio autem etiam in prouincia apud Præsides.

Per Prætorem, vel Præsidem prouinciæ adoptari tam masculi quàm feminæ, & tam puberes quàm impuberes possunt. Per populum verò Romanum, feminæ quidem non arrogant. Pupilli autem quondam non poterant arrogari: nunc autem possunt ex Constitutione Diui Antonini.

Hi qui generare non possunt velut spado, vtroque modo possunt adoptare. Idem iuris est in persona celibis.

Item is qui filium non habet, in locum nepotis adoptare potest.

Si paterfamiliæ arrogandum se dederit, liberi quoque eius quasi nepotes, in potestate fiunt arrogatoris. Feminæ verò neutro modo possunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in potestate habent.

De his qui in manu sunt.

Farreo conuenitur in manum, certis verbis, & testibus X. pręsentibus, & solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.

* * *

Qui in potestate mancipióve sunt, quemadmodum eo iure liberentur.

Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est si postea quam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus, sui iuris fit. Id enim lex duodecim Tabularum iubet his verbis. Si pater filium ter venundauit, filius à patre liber esto. Ceteri autem liberi præter filium tam masculi quàm feminæ, vna mancipatione manumissionéque sui iuris fiunt.

Morte patris filius, & filia sui iuris fiunt. Morte autem aui nepotes ita demum sui iuris fiũt, si post mortẽ aui in potestate patris futuri non sunt: velut si moriente auo pater eorum aut iam decessit, aut de potestate dimissus est. Nam si mortis aui tempore pater eorum in potestate eius sit, mortuo auo, in patris sui potestate fiunt.

Si patri, vel filio, aqua & igni interdictum sit, patria potestas tollitur, quia peregrinus fit is cui aqua & igni interdictum est. Neque autem peregrinus ciuem Romanum, neque ciuis Romanus peregrinum in potestate habere potest.

Si pater ab hostibus captus sit, quamuis seruus hostium fiat, tamen cùm reuersus fuerit, omnia pristina iura recipit iure postliminij. Sed quandiu apud hostes est, patria potestas in filio eius interim pendebit. Et cùm reuersus fuerit ab hostibus, in potestate filium habebit. Si verò ibi decesserit, sui iuris filius erit. Filius quoque si captus fuerit ab hostibus, similiter propter ius postliminij, patria potestas interim pendebit.

In potestate parentum esse desinunt, & hi qui Flamines Diales inaugurantur, & quæ virgines Vestæ capiuntur.

De Tutelis.

TVtores constituuntur tam masculis, quàm feminis. Sed masculis quidem impuberibus duntaxat propter ætatis infirmitatem, feminis autem tam impuberibus, quàm puberibus, & propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam.

Tutores aut legitimi sunt, aut Senatusconsultis constituti, aut moribus introducti.

Legitimi tutores sunt, qui ex lege aliqua descendunt. Per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege duodecim Tabularum introducuntur seu propalam, quales sunt agnati, seu per consequentiam, quales sunt patroni.

Agnati sunt, à patre cognati virilis sexus, per virilem sexum descendentes, eiusdem familiæ, veluti patrui, fratres, filij fratris patruelis.

Qui liberum caput mancipatum sibi, vel à parente, vel à quoemptionatore manumisit, per similitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur.

Legitimi tutores, alij tutela in iure cedere possunt.

Is cui tutela in iure concessa est, Cessicus tutor appellatur: qui siue mortuus fuerit, siue capite minutus, siue alij tutela processerit, redit ad legitimum tutorem tutela. Sed & si legitimus decesserit, aut capite minutus fuerit, cessitia quoque tutela extinguitur.

Quantum ad agnatos pertinet, hodie cessitia tutela non procedit: quoniam permissum erat in iure cedere tutela feminarum tantum, non etiam masculorum. Feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustinet.

Excepta tutela patronorũ, legitima tutela capitis diminutione amittitur.

Capitis minutionis species sunt tres, maxima, media, minima.

Maxima capitis diminutio est, per quam & ciuitas, & libertas amittitur: veluti cum incensus aliquis venerit, aut quod mulier alieno seruo se iunxerit denunciante domino, & ancilla facta fuerit, ex Senatusconsulto Claudiano.

Media capitis diminutio dicitur, per quam sola ciuitate amissa libertas retinetur: quod fit in eo cui aqua & igni interdicitur.

Minima capitis diminutio est, per quam & ciuitate & libertate salua status duntaxat hominis mutatur: quod fit adoptione, & in manum conuentione.

Testamento quoque nominatim tutores dati, confirmantur eadem lege duodecim Tabularum, his verbis, Vti legassit super pecunia, tutelâve suæ rei, ita ius esto: qui tutores datiui appellantur.

Dari testamento tutores possunt liberis qui in potestate sunt.

Testamẽto tutores dari possunt hi, cum quibus testamẽti faciendi ius est, præter Latinum Iunianum. Nam Latinus habet quidem testamenti factionem, sed tamen tutor dari non potest. id enim lex Iunia prohibet.

Si capite diminutus fuerit tutor testamento datus, non amittit tutelam: sed si abdicauerit se tutela, desinit esse tutor. Abdicare autem est dicere nolle se tutorem esse in iure. Cedere autem tutela testamento datus non potest. nam & legitimus in iure cedere potest, abdicare se non potest.

Lex Atilia iubet mulieribus, pupillisve non habentibus tutores, dari à Prætore, & maiore parte Tribunorũ plebis, quos tutores Atilianos appellamus. Sed quia lex Atilia Romæ tantum locum habet, lege Iulia & Titia prospe-

ctum est,vt in prouincia quoque similiter à Pręsidibus earum dentur tutores.

Lex Iunia tutorem fieri iubet Latino, vel Latinis impuberibus eum cuius etiam ante manumissionem ex iure Quiritium fuit.

Ex lege Iulia de maritandis ordinibus, tutor datur à Prætore vrbis ei mulieri virginíve,quam ex hac ipsa lege nubere oportet,ad dotem dandam,dicendam,promittendámve, si legitimum tutorem pupillum habeat. Sed postea Senatus censuit, vt etiam in prouincia quoque, similiter à Pręsidibus earum ex eadem causa,tutores dentur.

Præterea etiam in locum muti, furiosíve tutoris, alterum dandum esse tutorem,ad dotem constituendam Senatus censuit.

Item ex Senatusconsulto tutor datur mulieri ei cuius tutor abest, præterquam si patronus fit qui abest.Nam in locum patroni absentis alter peti non potest,nisi ad hereditatem adeũdam,& nuptias contrahendas. Idémque permisit in pupillo patroni filio.

Hoc amplius Senatus censuit, vt si tutor pupilli pupillæve suspectus,à tutela submotus fuerit, vel etiam iusta de causa excusatus,in locum eius tutor alius detur.

Moribus tutor datur mulieri,pupillóve,qui cum tutore suo lege,aut legitimo iudicio agere vult,vt auctore eo agat, (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest) qui Prætorianus tutor dicitur, quia à Prætore vrbis dari consueuit.

Pupillorum pupillarúmque tutores & negotia gerunt, & auctoritatem interponunt. Mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponunt.

Si plures sunt tutores, omnes in omni re debent auctoritatem accommodare, præter eos qui tunc dati sunt. nam ex his vel vnius auctoritas sufficit.

Tutoris auctoritas necessaria est mulieribus quidem in his rebus, si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligẽt, si ciuile negotium gerant, si libertæ suæ permittant in contubernio alieni serui morari, si rem mancipi alienent. pupillis autem hoc amplius, etiam in rerum nec mancipi alienatione, tutoris auctoritate opus est.

Liberantur tutela masculi quidem pubertate. Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes appatet, id est qui generare possit. Procolciani autem,eum qui quatuordecim annos expleuit. verum Priscus eum puberẽ esse,in quem vtrumque concurrit,& habitus corporis, & numerus annorũ. Feminæ autẽ tutela liberantur. * * * * * * * * * *

De Curatoribus.

CVratores aut legitimi sunt,id est, qui ex lege duodecim Tabularum dantur:aut honorarij,id est,qui à Prætore constituuntur.

Lex duodecim Tabularum furiosum,itémque prodigum,cui bonis interdictum est,in curatione iubet esse agnatorum.

A Prætore constituitur curator,quem ipse Prætor voluerit,libertinis prodigis, itémque ingenuis qui ex testamento parentis heredes facti male dissipant bona. his enim ex lege curator dari non poterat:cùm ingenuus quidem non ab intestato, sed ex testamento heres factus sit patri: libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur,cùm seruilis cognatio nulla sit.

Præterea dat curatorem ei etiam qui nuper pubes factus, donec negotia sua tueri non potest.

De celibe, orbo, & solitario patre.

LEge Iulia prohibentur vxores ducere, Senatores quidem liberíque eorum libertinas, & quæ ipsæ, quarúmve pater, matérve artem ludicram fecerit: item corpore quæstum facientem. Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, à lenone lenáve manumissam, & in adulterio deprehensam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit. Adiicit Mauricianus, & à Senatu damnatam.

De pœna legis Iuliæ.

FEminis lex Iulia, à morte viri anni tribuit vacationem: à diuortio, sex menses. Lex autem Papia à morte viri, biennij: à repudio, anni & sex menses.

De *decimis.*

VIr & vxor inter se matrimonij nomine decimam capere possunt. Quòd si ex alio matrimonio liberos superstites habeant, præter decimam quam matrimonij nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum accipiunt. Item communis filius, filiáve, post nonum diem amissus, amissáve, vnam decimam adiicit: duo autem, post nonum diem amissi, duas decimas adiiciunt. Præter decimam, etiam vsumfructum tertiæ partis bonorum eius capere possunt: & quandoque liberos habuerint eiusdem partis proprietatem. Hoc amplius mulier præter decimam petet dotem legatam sibi.

De solidi capacitate inter virum & vxorem.

ALiquando vir & vxor inter se solidum capere possunt: velut si vterque vel alteruter eorum nondum eius ætatis sunt qua lex liberos exigit: id est, si vir minor annorũ viginti quinque sit, aut vxor annorum viginti minor. Item si vtrique lege Papia finitos annos in matrimonio excesserint, id est, vir LX. annos, vxor L. Item si cognati inter se coierint vsque ad sextum gradum: aut si vir absit † & donec abesset, intra annum postquam abesse desierit, libera inter eos testamenti factio est. Si ius liberorum à Principe impetrauerint: aut si filium filiámve communem habeant: aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiserint: vel si duos trimos, vel tres post nonum diem amiserint, vt intra annum tamẽ & sex menses etiam vnus cuiuscũque ætatis impubes amissus, solidi capiendi ius præstat. Item si post mortem viri intra decem menses vxor ex eo pepererit, solidum ex bonis eius capit.

† *donec abesset, &*

Aliquando nihil inter se capiunt, id est, si contra legem Iuliam, Papiámque Popeam contraxerint matrimonium, Verbi gratia, Si famosam quis vxorem duxerit, aut libertinam, Senator.

Qui intra sexagesimum, vel quæ intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, licet ipsis legibus post hanc ætatem liberatus esset, perpetuis tamen pœnis tenebitur, ex Senatusconsulto Perniciano: sed Claudiano Sena-

tusconsulto maior sexagenario, si minorem quingenaria duxerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset vxorem.

Quòd si maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit, impar matrimonium appellatur, & Senatusconsulto Caluitiano iubetur non proficere ad capiẽdas hereditates, legata & dotes. Itaque mortua muliere, dos caduca erit.

De caducis.

QVod quis sibi testamento relictum, ita vt iure ciuili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, veluti cecidit ab eo. Verbi gratia, si celibi, vel Latino Iuniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel celebs legi paruerit, vel Latinus ius Quiritium cõsecutus sit, aut si ex parte heres scriptus, vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel pereger factus sit.

Hodie ex constitutione Imperatoris Antonini, omnia caduca fisco vindicantur, sed seruato iure antiquo liberis & parentibus.

Caduca cum suo onere fiunt, ideóque libertates, & legata, & fideicommissa, ab eo data, ex cuius persona hereditas caduca facta est, salua sunt: † scilicet & legata, & fideicommissa cum suo onere fiunt caduca. † sed &

Qui habeant ius antiquum in caducis.

ITem liberis & parentibus † testatores vsque ad tertium gradum lex Papia ius antiquum dedit, vt heredibus illis institutis, quod quis ex eo testamẽto non capit, ad hos pertineat, aut totũ, aut ex parte, prout pertinere possit. † testatoris

De dominiis & adquisitionibus rerum.

OMnes res aut mancipi sunt, aut nec mancipi.

Mãcipi res sunt prędia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quàm vrbana, qualis domus: Item iura prędiorũ rusticorum: velut via, iter, actus, & aquæductus: Item serui & quadrupedes quæ dorso, collóve domãtur, velut boues, muli, equi, asini: ceteræ res nec mancipi sunt. Elephanti & Cameli, quamuis collo dorsóve domentur, nec mancipi sunt: quoniam bestiarum numero sunt.

Singularum rerum dominia nobis adquiruntur mancipatione, traditione, vsucapione, in iure cessione, adiudicatione, lege.

Mancipatio propria species alienationis est, & rerum mancipi: eáque fit certis verbis, libripende, & quinque testibus pręsentibus.

Mancipatio locum habet inter ciues Romanos, & Latinos Colonarios, Latinósque Iunianos, eósque peregrinos, quibus commercium datum est.

Commercium est emendi vendendíque inuicem ius.

Res mobiles non nisi præsentes mancipari possunt, & non plures quàm quod manu capi possunt. Immobiles autem, etiã plures simul, & quæ diuersis locis sunt, mancipari possunt.

Traditio, propria est alienatio rerum nec mancipi. Harum rerum dominia ipsa traditione adprehendimus: scilicet, si ex iusta causa traditæ sunt nobis.

Vsucapione dominia adipiscimur, tam mancipi rerum quàm nec mancipi,

Vsucapio est autem, dominij adeptio, per continuationem possessionis anni, vel biennij. rerum mobilium, anni: immobilium, biennij.

In iure cessio quoque communis alienatio est, & mancipi rerum, & nec mancipi, quæ fit per tres personas in iure cedentes, vindicantes, addicentes.

In iure cedit dominus: vindicat is cui ceditur: addicit Prætor.

In iure cedi res etiam incorporales possunt, velut vsusfructus, & hereditas, & tutela legitima, & liberta.

Hereditas in iure ceditur, vel antequàm adeatur, vel postea quã adita fuerit.

Antequàm adeatur in iure cedi potest legitime ab herede: posteaquã adita est, tam à legitimo quàm ab eo qui testamento heres scriptus est.

Si ante quàm adeatur hereditas, in iure cessa sit, proinde heres fit cui cessa est, ac si ipse heres legitimus esset. Quòd si postea quàm adita fuerit, in iure cessa sit, is qui cessit, permanet heres, & ob id creditoribus defuncti manet obligatus: debita verò pereunt, id est, debitores defuncti liberantur.

Res autem corporales, quoties singulæ in iure cessæ sunt, transeunt ad eum cui cessa est hereditas.

Adiudicatione dominia nanciscimur, per formulam familię herciscundę, quę locum habet inter coheredes: & per formulam communi diuidundo cui locus est inter socios: & per formulam finium regundorum, quæ est inter vicinos. Nam si Iudex vni ex heredibus, aut sociis, aut vicinis rem aliquam adiudicauerit, statim illi adquiritur, siue mancipi, siue nec mancipi sit.

Lege nobis adquiritur, velut caducũ, vel erepturiũ ex lege Papia Popea. Itẽ legatũ ex lege duodecim Tabularum, siue mancipi res sint, siue nec mancipi.

Adquiritur autem nobis etiam per eas personas quas in potestate, manu, mancipióve habemus. Itaque siquidem (mancipio puta) acceperint, aut traditum eis sit, vel stipulati fuerint, ad nos pertinet.

Item si heredes instituti sint, legatúmve eis sit, & hereditatem iussu nostro adeuntes, nobis adquirunt, & legatum ad nos pertinet.

Si seruus alterius, in bonis alterius ex iure Quiritium sit, ex omnibus causis adquiret ei cuius in bonis est.

Is quem bona fide possidemus, siue liber, siue alienus seruus sit, nobis adquirit, ex duabus causis tantum, id est, quod ex re nostra, & quod ex operibus suis adquirit. Extra has autem causas, aut sibi adquirit, si liber sit: aut domino, si alienus seruus sit. Eadem sunt & in eo seruo, in quo tantum vsumfructum habemus.

De testamentis.

† *contestatio.*

TEstamentum, est mentis nostræ iusta † contentio, in id solenniter factum, vt post mortem nostram valeat.

Testamentorũ genera fuerunt tria, Vnum, quod calatis Comitiis: alterum quod in procinctu: tertium quod per æs & libram appellatum est. Illis duobus testamentis abolitis, hodie solum in vsu est quod per æs & libram fit, id est, per mãcipationem imaginariam. in quo testamento libræpens adhibetur, & familiæ emptor, & non minus quàm quinque testes, cum quibus testamenti factio est.

Qui in potestate testatoris est, aut familiæ emptoris, testis ad libræ pensa adhiberi non potest: quoniã familiæ mancipatio inter testatorem, & familię emptorem

emptorem fit:& ob id domeſtici teſtes adhibendi non ſunt.

Filio familiæ emente, pater eius teſtis eſſe non poteſt.

Ex duobus fratribus qui in † eodem patris poteſtate ſunt, alter familiæ emptor, alter teſtis eſſe non poteſt, quoniam quod vnus ex his mancipium accipit, adquirit patri, cui filius ſuus teſtis eſſe non debet.

† eiuſdem

Pater & qui in poteſtate eius eſt conſtitutus, duo fratres qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt, teſtes vtrique, vel alter teſtis, alter librępēs fieri poſſunt, alio familiam emente: quoniam nihil nocet ex vna domu plures teſtes alieno negotio adhiberi.

Mutus, ſurdus, furioſus, pupillus, femina, neque familiæ emptor, neque teſtis, librępénſve fieri poteſt.

Latinus Iunianus, & familiæ emptor, & teſtis, & librępēs fieri poteſt: quoniam cum eo teſtamenti factio eſt.

In teſtamento, quod per æs & libram fit, duæ res aguntur, familiæ mancipatio, & nuncupatio teſtamenti. Nuncupatur teſtamētum in hunc modum: Tabulas teſtamēti teſtator tenens ita dicit, Hæc vt in his tabulis cerífve ſcripta ſunt, ita † do, ita lego, ita teſtor, itaque vos Quirites teſtimonium † præbitote, quæ nuncupatio & teſtatio vocatur.

† al. dico, † perhibetote,

Filiusfamiliæ teſtamentum facere non poteſt: quoniam nihil ſuum habet, vt teſtari de eo poſſit. Sed Diuus Auguſtus Marcus conſtituit, vt filiusfamiliæ miles, de eo peculio quod in caſtris adquiſiuit, teſtamentum facere poſſit.

Qui de ſtatu ſuo incertus eſt (facito quod patre peregre mortuo, ignorat ſe ſui iuris eſſe) teſtamentum facere non poteſt.

Impubes licet ſui iuris ſit, teſtamentum facere non poteſt: quoniam nondum plenum iudicium animi habet.

Mutus, ſurdus, furioſus, itémque prodigus, cui lege bonis interdictum eſt, teſtamentum facere non poſſunt. Mutus, quoniam verba nuncupationis loqui non poteſt: ſurdus, quoniam verba familiæ emptoris exaudire nō poteſt: furioſus, quoniam mentem non habet, vt teſtari de ea re poſſit. Prodigus, quoniam commercium illi interdictum eſt, & ob id familiam mācipare non poteſt.

Latinus Iunianus, item is qui dedititiorum numero eſt, teſtamētum facere non poteſt. Latinus quidem, quoniam nominatim lege Iunia prohibitus eſt. Is autem, qui dedititiorum numero eſt, quoniam nec quaſi ciuis Romanus teſtari poteſt, cùm ſit peregrinus: nec quaſi peregrinus, quoniam nullius certę ciuitatis, † ſciens vt aduerſus leges ciuitatis ſuæ teſtetur.

† ciuis

Feminæ poſt duodecimum annum ætatis teſtamenta facere poſſunt, tutore auctore, donec in tutela ſint.

Seruus publicus, † Prætoriani, parte dimidia teſtamenti faciendi habet ius.

† P. Romani

Quemadmodum heres inſtitui debeat.

HEres inſtitui recte poteſt his verbis, Titius heres eſto, Titius heres ſit, Titium heredem eſſe iubeo. Illa autem inſtitutio, Heredem inſtituo, heredem facio, pleriſque improbata eſt.

Qui heredes instituì possunt.

HEredes institui possunt, qui testamenti factionem cum testatore habent.

Dediticiorũ numero heres institui nõ potest, quia peregrinus est. Cum quo testamenti factio non est, siquidem mortis testatoris tempore, vel intra diem cretionis, ciuis Romanus sit, heres esse potest. Quòd si Latinus manserit, lege Iunia, capere hereditatem prohibetur. Idem iuris est in persona cœlibis, propter legem Iuliam.

Incerta persona heres institui non potest, velut hoc modo, Quisquis primus ad funus meum venerit, heres esto. quoniam certum cõsilium debet esse testantis.

Nec municipia, nec municipes heredes institui possunt: quoniam incertum corpus est, vt neque cernere vniuersi, neque prohire de herede cernere possunt vt heredes fiant. Senatusconsulto tamen concessum est, vt à libertis suis heredes institui possint. Sed fideicommissa hereditas municipibus restitui potest: denique hoc Senatusconsulto prospectum est.

Deos heredes instituere non possumus, præter eos, quos Senatusconsulto, Constitutionibus Principum instituere concessum est: sicuti Iouem Tarpeium, Apollinem Didymæum, sicuti Martem in Gallia, Mineruam † Miliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, matrem deorum † Sipelensim quæ † Hysmirne colitur, & Cœlestem Salinensem Carthaginis.

Iliensem
† Cybelem
† Smyrnæ

Seruos heredes instituere possumus, nostros cum libertate, alienos sine libertate: communes, cum libertate, vel sine libertate.

Eum seruum qui tantum in bonis noster est, nec cum libertate heredem instituere possumus, quia Latinitatem consequitur: quod non proficit ad hereditatem capiendam.

Alienos seruos heredes instituere possumus: eos tamen quorum cum dominis testamenti factionem habemus.

Communis seruus, cum libertate recte quidem heres instituitur, quasi proprius pro parte nostra: sine libertate autẽ, quasi alienus, propter socij partem.

Proprius seruus cum libertate heres institutus, siquidem in eadem causa permanserit, ex testamento liber & heres fit, id est, necessarius.

Quòd si ab ipso testatore viuente manumissus, vel alienatus sit, suo arbitrio, vel iussu emptoris, hereditatem adire potest. Sed si sine libertate sit institutus, omnino non consistit institutio.

Alienus seruus heres institutus, siquidẽ in ea causa permãserit, iussu domini debet hereditatem adire. Quòd si viuo testatore manumissus aut alienatus à domino fuerit, aut suo arbitrio, aut iussu emptoris, poterit adire hereditatem.

Sui heredes instituendi sunt, vel exheredandi. Sui autem heredes sunt liberi quos in potestate habemus, tam naturales, quàm adoptiui: item vxor, quæ in manu est & nurus, quæ in manu est filij quem in potestate habemus.

Postumi quoque liberi, id est, qui in vtero sunt, si tales sunt vt nati in potestate nostra futuri sint, suorum heredum numero sunt.

Ex suis heredibus filius quidem neque heres institutus, neque nominatim exheredatus, non patitur valere testamentum. Reliquę verò personæ liberorum, velut filia, nepos, neptis, si præteritæ sint, valet testamentum.

Scriptis

Scriptis heredibus adcreſcunt, ſuis quidem heredibus in partem virilem: extraneis autem, in partem dimidiam.

Poſtumi quoque liberi cuiuſcunque ſexus omiſſi, quod valuit teſtamentum agnatione rumpitur.

Eos qui in vtero ſunt ſi nati ſui heredes nobis futuri ſunt, poſſumus inſtituere heredes: ſi quidem poſt mortem noſtram naſcãtur, ex iure ciuili: ſi verò viuentibus nobis, ex lege Iulia.

Filius qui in poteſtate eſt, ſi non inſtituatur heres, nominatim exheredari debet: reliqui ſui heredes vtriuſque ſexus aut nominatim, aut inter ceteros.

Poſtumus filius nominatim exheredandus eſt: filia poſtuma, ceteræque poſtumæ feminæ vel nominatim, vel inter ceteros: dummodo inter ceteros exheredatis aliquid legetur.

Nepotes & pronepotes ceteríque maſculi poſtumi præter filium, vel nominatim vel inter ceteros, cum adiectione legati ſunt exheredandi: ſed tutius eſt tamen nominatim eos exheredari: & id obſeruatur magis.

Mancipatos liberos, † qui in re ciuili, neque heredes inſtituere, neque exheredare neceſſe ſit, tamen Prætor iubet, ſi non inſtituantur heredes, exheredari maſculos omnes nominatim: feminas vel inter ceteros, alioqui contra tabulas bonorum poſſeſſionem eis pollicetur. † *quos iure*

Inter neceſſarios heredes, id eſt, ſeruos cum libertate heredes ſcriptos, & ſuos † ſit neceſſarios, id eſt, liberos qui in poteſtate ſunt, iure ciuili nihil intereſt, nam vtrique etiam inuiti heredes ſunt. Sed iure Pretorio ſuis & neceſſariis heredibus abſtinere ſe à parentis hereditate permittitur. Neceſſariis autem tantum heredibus abſtinendi poteſtas non datur. † *&*

Extraneus heres, ſiquidem cum cretione ſit heres inſtitutus, cernendo fit heres: † ſiue ſine cretione, pro herede gerendo. † *ſi verò*

Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tanquam dominus vtitur: velut qui actionem rerum hereditariarum facit: aut ſeruis hereditariis cibariam dat.

Cretio eſt, certorum dierum ſpacium, quod datur inſtituto heredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hereditatem necne: velut, Titius heres eſto, cernitóque in diebus centum proximis, quibus ſcieris, poteríſque: niſi ita creueris, exheres eſto.

Cernere eſt verba cretionis dicere, ad hunc modum, Cùm me Mæuius heredem inſtituerit, eam hereditatem adeo cernóque.

Sine cretione heres inſtitutus, ſi conſtituerit nolle ſe heredem eſſe, ſtatim excluditur ab hereditate, & amplius eam adire non poteſt.

Cum cretione verò heres inſtitutus, ſicut cernendo fit heres, ita non aliter excluditur, quàm ſi intra diem cretionis non creuerit. Ideóque etiam ſi conſtituerit nolle ſe heredem eſſe, tamen ſi ſuperſint dies cretionis, pœnitentia actus cernendo heres fieri poteſt.

Cretio autem vulgaris dicitur, aut continua. Vulgaris, in qua adiiciuntur hæc verba, Quibus ſcieris, poteríſque. Continua, in qua non adiiciuntur.

Ei qui vulgarem cretionem habet, dies illi † dantur, computantur, quibus ſcit ſe heredem inſtitutum eſſe, & potuit cernere. Ei vero qui cõtinuam habet cretionem, etiam illi dies computantur, quibus ignorauit ſe heredem inſtitutum: aut ſciuit quidem, ſed non potuit cernere. † *tantum*

Heredes aut instituti dicuntur, aut substituti. Instituti, qui primo gradu scripti sunt: substituti, qui secundo gradu, vel sequētibus heredes scripti sunt, velut, Titius heres esto, cernitóque in diebus proximis centum, quibus scies poterísque, *nisi* ita creueris, *ex*heres esto. Tunc Mæuius heres esto, cernitóque in diebus, & reliqua: Similiter & deinceps substitui potest.

Si sub imperfectam cretionem heres institutus sit, id est, non adiectis his verbis, Si non creueris, exheres esto, sed si ita, Si nō creueris, tunc Mæuius heres esto. Cernendo quidem, superior inferiorem excludit: non cernendo autem, sed pro herede gerēdo, in partē admittit substitutum. Sed postea Diuus Marcus constituit, vt & pro herede gerendo, ex asse fiat heres. Quod si neque creuerit, neque pro herede gesserit, ipse excluditur, & substitutus ex asse fit heres.

Quemadmodum testamenta rumpuntur.

Testamentum iure factum infirmatur duobus modis: si ruptum, aut irritum factum sit.

Rumpitur testamentum mutatione, id est, si postea aliud testamentum iure factum sit. Item agnatione, id est, si suus heres agnascatur, qui neque heres institutus, neque vt oportet, exheredatus sit.

Agnascitur suus heres, aut agnascendo, aut adoptando, aut in manum conueniendo, aut in locum sui heredis succedendo: velut nepos mortuo filio, vel emancipato. Aut manumissione, id est, si filius ex prima, secundáve mancipatione manumissus, reuersus sit in patris potestatem.

Irritum fit testamentum, si testator capite diminutus fuerit, aut si iure facto testamento, nemo extiterit heres.

Si is qui testamentum fecit ab hostibus captus sit, testamentum eius valet: siquidem reuersus fuerit, iure postliminij: si † non ibi decesserit, ex lege Corneliana: quæ perinde successionem eius confirmat, atque si in ciuitate decessisset.

† *vero.*

Si septem signis testium signatum sit testamentum, licet iure ciuili ruptum vel irritum factum sit, Prætor scriptis heredibus iuxta tabulas, bonorum possessionem dat, si testator & ciuis Romanus, & suæ potestatis cùm moreretur fuit, quæ bonorum possessio cum re, id est, cum effectu habetur: si nemo alius iure heres sit.

Liberis impuberibus in potestate manentibus tam natis quam postumis heredes substituere parentes possunt duplici modo, id est, aut eo quo extraneis, vt si heredes non extiterint liberi, substitutus heres fiat: aut proprio iure, id est, si post mortem parentis heredes facti, intra pubertatē decesserint, substitutus heres fiat.

Etiam exheredatis filiis substituere parentibus licet.

Non aliter impuberi filio substituere quis heredem potest, quàm si sibi quis heredem institueret, vel ipsum filium, vel quemlibet alium.

Milites quomodocunque fecerint testamenta, valent, id est, etiam sine legitima obseruatione. Nam principalibus Constitutionibus permissum est illis quomodocunque vellent, quomodocunque possent testari: ídque testamentum quod miles contra iuris regulam fecit, ita demum valet, si vel in castris mortuus sit, vel post missionem intra annum.

De

De Legatis.

LEgatum, eſt quod legis modo, id eſt, imperatiuè, teſtamento relinquitur. Nam ea quæ precatiuo modo relinquuntur, fideicommiſſa vocantur.

Legamus autem quatuor modis, per vindicationem, per dānationem, ſinendi modo, per præceptionem.

Per vindicationem his verbis legamus, Do, lego: capito, ſumito, ſiue habeto.

Per damnationem his verbis, Heres meus damnas eſto dare, dato, facito: heredem meum dare iubeo.

Sinendi modo ita: Heres meus damnas eſto ſinere Lucium Titium ſumere illam rem, ſibíque habere.

Per præceptionem ſic, Lucius Titius illam rem præcipito.

Per vindicationem legari poſſunt res, quæ vtroque tempore ex iure Quiritium teſtatoris fuerunt, mortis, & quando teſtamētum faciebat: præterquam ſi pondere, menſura, numero, contineantur. in his enim ſatis eſt, ſi vel mortis duntaxat tempore fuerint ex iure Quiritium.

Per damnationem omnes res legari poſſunt, etiam quæ non ſunt teſtatoris, dummodo tales ſint quæ dari poſſint.

Liber homo, aut res populi, aut ſacra, aut religioſa, nec per damnationem legari poteſt: quoniam dari non poteſt.

Sinendi modo legari poſſunt res propriæ teſtatoris, & heredis eius.

Per præceptionem legari poſſunt res, quæ etiam per vindicationem, ſi ea res quæ non fuit, vtroque tempore, teſtatoris, ex iure Quiritium, per vindicationem legata ſit, licet iure ciuili non valeat legatum, tamen Senatuſconſulto Neroniano firmatur: quo cautum eſt, vt quod minus pactis verbis legatum eſt, perinde ſit: ac ſi optimo iure legatum eſſet.

Optimum autem ius legati per damnationem eſt, ſi duobus eadem res per vindicationem legata ſit: *ſiquidem diſiunctim, ſingulis* partes debentur: ſi vero coniunctim, velut Titio & Seio, hominem Stichum do, lego, iure ciuili, concurſu, partes fiebant. Non currente altero, pars eius alteri adcreſcebat, ſed poſt legem Papiam Popeam, non capientis pars caduca fit.

Si per damnationem eadem res duobus legata ſit, ſiquidem coniunctim, ſingulis partes debentur: & non capientis pars iure ciuili in hereditatem remanebat: nunc autem caduca fit: quod ſi diſiunctim, ſingulis ſolidum debetur.

Optione autem legati, per vindicationem data, legatarij electio eſt, veluti hominem optato, eligito. Idémque eſt, & *ſi generaliter legauerim Titio* hominem, at ſi ita heres meus damnas eſto hominem dare, heredis electio eſt *quem* velit dare.

Ante heredis inſtitutionem legari non poteſt, quoniam & poteſtas teſtamenti ab heredis inſtitutione incipit.

Poſt mortem heredis legari non poteſt, ne ab heredis herede legari videatur: quod iuris ciuilis ratio non patitur. In mortis autem heredis tempus legari poteſt: velut cùm heres moriatur.

Pœnæ causa legari non potest: Pœnæ autem causa legatur, quod coërcendi heredis causa relinquitur, vt faciat † quidem aut non faciat, non vt † legatarum pertineat, vt puta hoc modo, Si filiam tuam in matrimonio Titio cōlocaueris, decem milia Seio dato.

† *quid* † *ad legatarium.*

Incertæ personæ legari non potest: veluti, Quicunque filio meo filiam suā in matrimonio conlocauerit, ei homini tot mi...... dato. Sub certa tamen demonstratione incertæ personæ legari potest: velut, Ex cognatis meis qui nūc sunt, qui primo ad funus meum venerit, ei heres meus illud dato.

Neque ex falsa demonstratione, neque ex falsa causa legatum infirmatur: falsa demonstratio est, velut, Titio fundum, quem à Titio emi, do, lego. Cùm is fundus à Titio emptus non sit, falsa causa est: velut, Titio, quoniam negotia mea curauit, fundum do, lego, vt negotia eius nunquam Titius curasset.

A legatario legari non potest.

Legatum ab eo tantū dari potest, qui *ex sua persona heres est*. Ideóque filiofamiliç heredi instituto, vel seruo, neque à patre, neque à domino legari potest.

Heredi à semetipso legari non potest.

Ei qui in potestate, manu, mancipióve est scripti heredis, sub condicione legari potest, vt requiratur quo tempore dies legati cedit, in potestate heredis non sit.

† *legari potest.*

Ei cuius in potestate, manu, mancipióve est heres scriptus † legari non potest.

Sicut singulæ res legari possunt, ita vniuersarum quoque summa legari potest. vt puta, Meuius heres meus cum Titio hereditatem meam partito, diuidito: quo casu dimidia pars bonorum .... legata videtur. Potest autem & alia pars, velut tertia vel quarta legari: quæ species partitio *appellatur*.

Vsusfructus iure ciuili legari potest earum rerum, quarum salua substantia vtendi fruendi potest esse facultas, & tam singularum rerum, quàm plurium, id est, partis.

Senatusconsulto cautum est, vt etiam si earum rerum quæ in abusu continentur, vt puta vini, olei, tritici vsusfructus legatus sit, legatario res tradantur, cautionibus interpositis de restituendis eis, cùm vsusfructus ad legatariū pertinere desierit.

† *P. R.*

Ciuitatibus omnibus, quæ sub imperio † Prætoriani sunt, legari potest: idque à diuo Nerua introductum, postea à Senatu auctore Adriano diligentius constitutum est.

Legatum quod datum est, adimi potest, vel eodem testamento, vel codicillis testamento confirmatis: dum tamen eodem modo adimatur quomodo datum est.

Ad heredem legatarij legata non aliter transeunt, nisi si iam die legatorum cedente legatarius decesserit.

Legatorum quæ pure vel in diem certum relicta sunt, dies cedit antiquo quidem iure, ex mortis testatoris tempore: per legem autem Papiam Popeam, ex apertis tabulis testamenti. Eorum verò quæ sub condicione relicta sunt, cùm condicio extiterit, Falcidia iubet, non plus quàm dodrantem

totius

totius patrimonij legari, vt omnimodo quadrans integer apud heredem remaneat.

Legatorum perperam solutorum repetitio non est.

De fideicommissis.

Fideicommissum, est quod non ciuilibus verbis, sed precatiuè relinquitur: nec ex rigore iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.

Verba fideicommissorum in vsu fere sunt hæc, Fideicommitto, peto, volo dari, & similia.

Etiam nutu relinquere fideicommissum, in vsu receptum est.

Fideicommisso relinquere possunt, qui testamentum facere possunt, licet non fecerint. Nam intestato quis moriturus fideicommissum relinquere potest.

Res per fideicommissum relinqui possunt, quæ etiam per damnationem legari possunt.

Fideicommissa dari possunt his † qui legari potest.

† *quibus legari nō potest.*

Latini Iuniani fideicommissum capere possunt, licet legatum capere non possint.

Fideicommissum & ante heredis institutionem, & post mortem heredis, & codicellis etiam non confirmatis testamento, dari potest, licet legari non possit.

Item Græce fideicommissum scriptum valet, licet legatum Græce scriptum non valeat.

Filio qui in potestate est, seruóve, heredibus institutis, seu his legatum sit, patris vel domini fideicommitti potest, quamuis ab eo legari non possit. Qui testamento heres institutus est codicellis etiam non confirmatis rogari potest, vel vt hereditatē totam, vel ex parte alij restituat, quamuis directò heres institui, ne quidem confirmatis codicellis possit.

Fideicommissa non per formulam petuntur, vt legata, sed cognitio est Romæ quidem Consulum, aut Prætoris, qui fideicomissarius vocatur: in prouinciis vero, Præsidum prouinciarum.

Pœnæ causa certæ vel incertæ personæ, ne quidem fideicommissa dari possunt.

Is qui rogatus est alij restituere hereditatem, lege quidem Falcidia *locum* non habente, quoniam non plus ..... puta quàm dodrantem restituere rogatus est, ex Trebelliano Senatusconsulto restituit, vt ei & in eum dentur actiones, cui restituta est hereditas. Lege autem Falcidia interueniente, quoniam plus quàm dodrantem, vel etiam totam hereditatem restituere rogatus sit, ex Pegasiano Senatusconsulto restituit: † vel deducta parte quarta, ipse qui scriptus est heres, *hereditatem restituat*, & in ipsum actiones conseruentur: is autem qui recipit hereditatem, legatarij loco habeatur.

† *vt.*

Ex Pegasiano Senatusconsulto restituta hereditate, commoda & incommoda hereditatis communicantur inter heredem & eum cui reliquæ partes restitutæ sunt, interpositis stipulationibus ad exemplum partis & pro parte stipulationum. Partis autem & pro parte stipulationes proprie dicuntur, quæ

de lucro & damno communicando ſolent interponi inter heredem & legatarium partiarium, id eſt, cum quo partitus eſt heres.

Si heres damnoſam hereditatem dicat, cogetur à Prætore adire, & reſtituere totam, ita vt ei & in eum qui recipit hereditatem actiones dentur, proinde atque ſi ex Trebelliano Senatuſconſulto reſtituta fuiſſet: ídque vt ita fiat Pegaſiano Senatuſconſulto cautum.

Si quis in fraudem tacitam fidem adcommodauerit, vt non capienti fideicommiſſum reſtituat, nec quadrantem eum deducere Senatus cẽluit: nec caducum vindicare ex eo teſtamento, ſi liberos habeat.

Libertas dari poteſt per fideicommiſſum.

De legitimis heredibus.

INteſtatorum ingenuorum hereditates pertinẽt, primum ad ſuos heredes, id eſt, liberos qui in poteſtate ſunt, ceteróſque qui in liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſunt, ad conſanguineos, id eſt, fratres & ſorores ex eodem patre. Si nec hi ſunt, ad reliquos agnatos proximos, id eſt, cognatos, virilis ſexus, per mares deſcendentes, eiuſdem familiæ: id enim cautum eſt lege duodecim Tabularum hac. Si inteſtato moritur, cui ſuus heres nec extabit, agnatus proximus familiã habeto. Si defunctus ſit filius, ex altero filio mortuo, iam nepos vnus, vel etiam plures ad omnes hereditas pertinet, non vt in capita diuidatur, ſed vt in ſtirpes, id eſt, vt filius ſolus mediam partem habeat, & nepotes quotquot ſunt, alteram dimidiam. Aequum eſt enim nepotes patris ſui loco ſuccedere, & eam partem habere, quam pater eorum ſi viueret, habiturus eſſet.

Quandiu ſuus heres ſperatur heres fieri poſſe, tamdiu locus agnatis non eſt: velut ſi vxor defuncti prægnans ſit, aut filius apud hoſtes ſit.

Agnatorum hereditates diuiduntur in capita, veluti ſi ſit fratris filius, & alterius fratris duo pluréſve liberi: quotquot ſunt ab vtraque parte perſonæ, tot fiunt portiones, vt ſinguli ſingulas capiant.

Si plures eodem gradu ſunt agnati, & quidam eorum hereditatem ad ſe pertinere noluerint, vel ante quàm adierint, deceſſerint, eorum pars adcreſcit his qui adierint. Quod ſi nemo eorum adierit, ad inſequentem gradum ex lege hereditas non tranſmittitur: quoniam in legitimis hereditatibus ſucceſſio non eſt.

Ad feminas vltra conſanguineorum gradum legitima hereditas non pertinet: itaque ſoror fratri ſororive legitima heres fit.

Ad liberos matris inteſtatæ hereditas ex lege duodecim Tabularum non pertinebat: quia feminæ ſuos heredes non habent. Sed poſtea IMP. Antonini & Commodi oratione in Senatu recitata, id actum eſt, vt ſine in manu conuentione, matrum legitimæ hereditates ad filios pertineant, excluſis conſanguineis, & reliquis agnatis.

Inteſtati filij hereditas ad matrem ex lege duodecim Tabularum non pertinet: ſed ſi ius liberorum habeat, ingenua trium, libertina quatuor legitima heres fit ex Senatuſconſulto Tertulliano: ſi tamen ei filio neque ſuus heres ſit, quíve inter ſuos heredes ad bonorũ poſſeſſionem à Prætore vocatur: neque pater ad quem lege hereditas bonorúmve poſſeſſio cum re pertinet, neque fra-

frater consanguineus. Quod si soror consanguinea sit, ad vtrasque pertinere iubetur hereditas.

De libertorum successionibus vel bonis.

Libertorum intestatorum hereditas primum ad suos heredes pertinet: deinde ad eos quorum liberti sunt, velut patronum, patronam, liberósve patroni.

Si sit patronus & alterius patroni filius, ad solum patronum hereditas pertinet.

Item patroni filius patroni nepotibus obstat.

Ad liberos patronorum hereditas defuncti pertinet, vt in capita, non in stirpes diuidatur.

Legitimæ hereditatis ius quod ex lege duodecim Tabularum descẽdit, capitis minutione amittitur.

De possessionibus dandis.

Bonorum possessio datur, aut contra tabulas testamenti, aut aduersus tabulas intestati.

Contra tabulas bonorum possessio datur liberis emancipatis, testamento præteritis, licet legitimo non ad eos pertineat hereditas.

Bonorum possessio contra tabulas liberis tam naturalibus, quàm adoptiuis datur. Sed naturalibus quidem emancipatis: non tamen & illis, qui in adoptiua familia sunt. Adoptiuis autem, his tantum qui in potestate manserunt.

Emancipatis liberis ex edicto datur bonorum possessio, si parati sunt cauere patribus suis, qui in potestate manserunt bona, quæ moriente patre habuerunt, se collaturos.

Secundum tabulas bonorum possessio datur scriptis heredibus, scilicet si eorum quibus contra tabulas competit, nemo sit, aut petere nolint.

Etiamsi iure ciuili non valeat testamentum, forte quod familiæ mancipatio vel nuncupatio defuit, si signatum testamentum sit, non minus quàm septem testium ciuium Romanorum signis, bonorum possessio datur.

Intestati datur bonorum possessio per septem gradus. Primo gradu liberis. Secundo legitimis heredibus. Tertio proximis cognatis. Quarto familiæ. Quinto patrono, patronæ, liberísve patroni, patronæve. Sexto viro, vxori. Septimo cognatis manumissoris, quibus per legem Furiam plus mille asses capere licet. Et si nemo sit ad quem bonorum possessio pertinere possit, aut sit quidem, sed ius suum omiserit, populo bona deferuntur ex lege Iulia caducaria.

Liberis bonorum possessio datur, tam his qui in potestatem vsque in mortis tempus fuerunt, quàm emancipatis: item adoptiuis, non tamẽ etiam in adoptione datis.

Proximi cognati bonorum possessionem accipiunt, non solum per feminini sexus personam cognati, sed etiam agnati capite diminuti. Nam licet le-

gitimum ius agnationis capitis minutione amiserint, natura tamen cognati manent.

Bonorum possessio datur parentibus & liberis intra annum, ex quo petere potuerunt: ceteris, intra centum dies: Qui omnes intra id tempus si non petierint bonorum possessionem, sequens gradus admittitur, perinde atque si superiores non essent: idque per septem gradus fit.

Hi quibus ex successorio edicto bonorum possessio datur, heredes quidem non sunt, sed heredis loco constituuntur, beneficio Prætoris. Ideóque seu ipsi agant, seu cum his agatur, fictitiis actionibus opus est: in quibus heredes esse finguntur. Bonorum possessio aut cum re datur, aut sine re. Cum re, si is qui accepit, cum effectu bona retineat. Sine re quum alius iure ciuili euincere hereditatem possit: veluti si suus heres intestati, bonorum possessio sine re est, quoniam suus heres euincere hereditatem iure legitimo posit.

De bonis libertorum.

Ciuis Romani liberti hereditatem lex duodecim Tabularum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit. ideóque siue testamento facto decedat, licet suus heres ei non sit, seu intestato, & suus heres ei sit, quanuis non naturalis, sed vxor, puta quæ in manu fuit, vel adoptiuus filius, lex patrono nihil præstat. Sed ex edicto Prætoris seu testamento libertus moriatur, † aut vt nihil, aut minus quàm partem dimidiam bonorum patrono relinquat, contra tabulas testamenti partis dimidiæ bonorum possessio illi datur, nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi relinquat, siue intestato decedat, & vxorem forte in manum vel adoptiuum filium relinquat, æquè partis mediæ bonorum possessio contra suos heredes patrono datur.

† *vt aut*

In bonis libertæ patrono nihil iuris ex edicto datur. Itaque seu intestata moriatur liberta, semper ad eum hereditas pertinet.

Licet liberi sint libertæ, quoniam non sunt sui heredes matri, obstat patrono lex Papia Popea, postea libertas quatuor liberorum iure, tutela patronorum liberauit. & cùm intulerit, iam posse eas sine auctoritate patronorum testari, prospexit vt pro numero liberorum libertæ subprestitum virilis pars patrono debeatur.

Liberi patroni virilis sexus, eadem iura in bonis libertorum parentum suorum habẽt, quæ & ipse patronus. Feminæ verò, ex lege quidem duodecim Tabularum, perinde ius habent, atque masculi patronorum liberi.

Contra tabulas autem testamenti liberti, aut ab intestato contra suos heredes non naturalis bonorum possessio eis non competit. Sed si ius trium liberorum habuerunt, etiam hæc iura ex lege Papia Popea nanciscuntur.

Patronæ ex bonis libertorum illud ius tantum habeant, quod lex duodecim Tabularum introduxit. Sed postea lex Papia patronæ *ingenuæ* duobus liberis honoratæ, libertinæ tribus, id iuris dedit quod patronus habet ex edicto.

Item liberis ingenuæ trium liberorum iure honoratæ, eadem lex id ius dedit, quod ipsi patrono tribuit.

MODESTINVS

MODESTINVS REGVLARVM LIB. III.
SVB TITVLO DE BONIS LIBERTORVM & de testamentis.

CVM in testamento dies & consules adiecti non sunt, non nocet quominus valeat testamentum.

* * *

INCIPIT LEX DEI QVAM DEVS PRAECEPIT AD MOYSEN.

MOYSES DEI SACERDOS HÆC DICIT. *Si quis percusserit hominem ferro, & occiderit eum, morte moriatur. Sin autem manu lapideve quo mori possit percusserit, & mortuus fuerit, homicida est: morte moriatur. Si autem per inimicitiam inpulerit eum, vel inmiserit super eum aliquod vas ex insidiis, & mortuus fuerit: vel per iram percusserit eum manu & mortuus fuerit, morte moriatur.* I.

PAVLVS quoque libro quinto Sententiarum sub titulo ad Legem Corneliam de sicariis & veneficis, dicit. Lex Cornelia pœnam deportationis infligit ei qui hominem occiderit, eiusque rei causa, furtive faciẽdi cum telo fuerit: & qui venenum hominis necandi causa habuerit, vẽdiderit, parauerit, falsum ve testimonium dixerit quo quis perisset, mortisve causam prȩstiterit. Quæ omnia facinora in honestiores pœna capitis vindicari placuit: humiliores verò aut in crucem tolluntur, aut bestiis subiiciuntur.

Reponi possit suis quibusque libris & titulis si desint quæ hic referuntur ex Codicibus Gregorian. & Hermogeni simul ex sentẽtiis Pauli & Regulis Vlpiani.

VLPIANVS libro VII. de officio Proconsulis, sub titulo De sicariis & veneficis. Capite primo legis Corneliȩ de sicariis cauetur, vt is prȩtor Iudéxve quæstionis, cui sorte obuenerit quæstio de sicariis, eius quod in vrbe Roma propius mille passus factũ sit, vti quærat cum Iudicibus qui ei ex lege sorte obuenerint, de capite eius qui cum telo ambulauerit hominis necãdi furtive faciẽdi causa, hominemve occiderit, cuius id dolo malo factũ fuerit. & reliqua. Relatis verbis legis modo ipse loquitur Vlpianus. Hæc lex non omnẽ qui cum telo ambulauerit, punit: sed eum tantũ qui hominis necandi, furtive faciẽdi causa telum gerit,† coercit, cõpescit. Item eum qui hominẽ occidit, coercit: nec adiecit cuius cõdicionis hominẽ, vt & ad seruum & peregrinũ pertinere hæc lex videatur.

† *gesserit*

ITEM Paulus libro quo supra & titulo, dicit. Homicida est, qui aliquo genere teli hominem occidit, mortisve causam præstitit.

ITEM de casualibus homicidis MOYSES legaliter dicit. SI AVTEM *non per inimicitias inmiserit super eum aliquod vas non insidians, vel lapidem quo moriatur non per dolum, & ceciderit super eum, & mortuus fuerit, si neque inimicus eius, neque quæsierit malefacere ei, iudicabitis inter eum qui percusserit & proximum*

mortui secundum iudicia hæc, & liberabitis percussorem.

VLPIANVS libro & titulo qui supra relati. Distinctionem casus & voluntatis in homicidio seruari rescripto Hadriani confirmatur. Verba rescripti. Et qui hominem occidit, absolui solet, scilicet si non occidendi animo id amisit: & qui non occidit, sed voluit occidere, pro homicida damnatur. E re itaque † constituendum est * ex quo ferro percussit ipsa † funditus. Nam si gladium instrinxit, aut telo percussit, quid dubium est quin occidendi animo percusserit.† Sic lapide percussit, aut cucuma, aut cum forte rixaretur, ferro percussit, sed non occidendi mente. Ergo hoc exquirite, & si voluntas occidendi fuit, vt homicidam seruum supplicio † cum iure iubete affici.

† constituēda est, & † voluntas † Si claui

† maiore

PAVLVS libro quinto titulo quo supra. Qui hominem occidit, aliquando absoluitur: & qui non occidit, vt homicida damnatur. Consilium enim vniuscuiusque, non factum puniendum est. Ideoque qui cum vellet occidere, casu aliquo perpetrare non potuit, vt homicida punitur: & is qui casu teli hominem inprudenter ferierit, absoluitur. Quod si in rixa percussus homo fuerit, quoniam ictus quoque ipsos contra vnumquemque contemplari oportet, ideo humiliores in ludum aut in metallum damnantur, honestiores dimidia parte bonorum multati relegantur.

ITEM Gregorianus libro IIII. ad legem Corneliam de sicariis & veneficis, talem Constitutionem ponit. Imperator Antoninus A. Aurelio Herculano & aliis militibus. Frater vester rectius fecerit si se Præsidi prouinciæ obtulerit: cui si probauerit non occidendi animo Iustam a se percussam esse, remissa homicidij pœna secundum disciplinā militarem sententiam proferet. Proposita prid. Kal. Febr. Læto II. CONS.

ITEM Gregorianus eodem titulo & libro talem Constitutionem ponit. IMP. Alexander Aurelio Fauio, & aliis militibus. Si modo pro quo libellum dedistis nō dolo præstitit, mortem minime perhorrescat. Crimen quippe ita contrahitur si & voluntas occidendi intercedat. Ceterùm ea quæ ex inprouiso casu potius quàm fraude accidunt, fato plerumque non noxæ inputantur. Prop. XIII. Kal. Aug. Alexandro CONS.

ITEM Gregorianus eodem libro & titulo tale rescriptum dedit. † quod si dominum. Habe Agato K. NB. Qualitas precum IulI Antonini clementiam nostram facile commouit: quippe quod asseueret homicidium se non voluntate sed casu fortuito fecisse, cum calcis ictu mortis occasio præbita videatur. Quod si ita est, neque super hoc ambigi poterit, omni eum metu ac suspicione quod ex admissi discrimine sustinet, secundum id quod adnotatione nostra comprehensum est, volumus liberari. Dat. prid. Kal. Dec. Diocltiano A. IIII. & Maximiano COSS.

†Imp. Diocl. & Maxim. AA.

VLPIANVS libro & titulo quo supra. Cum quidam per lasciuiam causam mortis præbuisset, comprobatum est factum Taurini EgnatI Proc. Bæticæ à Diuo Hadriano, quod eum in quinquennium relegasset. Verba Consultationis & rescripti ita se habent † em. Inter Claudium, Optime Imperator, & Euaristum † cognouit, quod Claudius Lupi filius in cōuiuio dum sago iactatur, culpa Marij Euaristi ita male acceptus fuerit, vt post diē quintū moreretur.

† E. H. † cognoui

geretur. Adque apparebat nulla inimicitia cum Euaristi fuisset nec cupiditatis, culpam coercendum credidit, vt ceteri eiusdem ætatis iuuenes emendarentur. Ideoque Mario Euaristo vrbe, Italia, prouincia Bæticæ in quinquennium interdixit: decreuit & impendi causa duo milia patri eius persolueret Euaristus, quod manifesta eius fuerat paupertas,† vel res. Verba rescripti. Pœnam Mari Euaristi recte † & Taurine moderatus es ad modum culpæ. Refert enim & in maioribus delictis consulto aliquid admittatur, an casu. Et sane in omnibus criminibus distinctio hæc pœnam aut iustitiam prouocare debet, aut temperamentum admittere.

† vel. Resc.

† & ordine

MODESTINVS libro differentiarum sexto, sub titulo de scientibus & ignorantibus, generaliter loquitur. Nonnunquam per ignorantiam delinquentibus iuris ciuilis venia tribui solet, si modo rem facti quis non iuris ignoret, quæ scilicet consilio delinquentibus præstari non solet. Propter quod necessarium est, addita distinctione considerare vtrum sciente an ignorante aliquo quid gestum proponatur. & reliqua.

PAVLVS libro & titulo quo supra. Qui telum tutandæ salutis causa geret, non videatur hominis occidendi causa portare. Teli autem appellatione non tantum ferrum continetur, sed omne quod nocendi causa portatum est.

Explicit titulus de Sicariis & homicidis casu vel voluntate.

Incipit de atroci iniuria.

MOYSES DICIT.

II.

SI autem contenderint duo viri, & percusserit alter alterum lapide aut pugno, & non fuerit mortuus, decubuerit autem in lectulo, & si surgens ambulauerit homo fortis in baculo, sine crimine erit ille qui eum percusserat: præter cessationis mercedem dabit ei & medico inpensas curationis.

VLPIANVS libro regulari sub titulo De iniuriis. Iniuria si quidem atrox, id est grauis rerum non sine Iudicis arbitrio æstimatur. Atrocem autem æstimare solere Prætorem adque collegi ex facto, vt puta si verberatus vel vulneratus fuerit. & reliqua.

PAPIANVS libro definitionum secundo sub titulo De iudicatis. Per hominem liberum noxiæ deditum si tantum adquisitum sit quantum damnum dedit, manumittere cogendus est a Prætore qui noxæ deditum accepit. sed fiduciæ iudicio non tenetur.

VLPIANVS libro XVIIII. ad edictum, sub titulo, Si fatebitur iniuria occisum esse in simplum. & cum diceret. RVPISSE eum vtique accipiemus qui vulnerauerit, vel virgis, vel loreis, vel pugnis cedit, vel telo † cum aliovis genere † cederet hominis corpus, vel tumorem fecerit,† vel ita demum si damnum datum est. De cetero si in nullo seruum pretio viliorem deterioremve fecerit, † ad Aquiliam cessat, iniuriarumque erit agendum. Ergo & si pretio quidem non sit deterior factus seruus, verum sumptus in salute eius & sanitate facti sunt, in hæc † nec mihi videtur damni Aquilia † lege posse.

† aut

† al. scinderet

† al. sed

† act. Aquilia

† &

† agi

Paulus libro singulari & titulo de iniuriis. Generaliter dicitur iniuria omne quod non iure fit. Specialiter † alia est contumelia, quam Græci ΑΔΙΚΙΑΝ vocant. Nam cum Prætor † noster aduersum nos pronunciaret, iniuriam nos accepisse dicimus. Vnde apparet non verum esse quod Labeo putabat, apud Prætorem iniuriam ΥΒΡΙΝ duntaxat significare. † communem omnibus enim iuris est, quod semper aduersus bonos mores fit, ídque non fieri alicuius interest. Hoc edictum ad eam iniuriam pertinet quæ contumeliæ causa fit. Fit autem iniuria vel in corpore, dum cædimur: vel verbis, dum conuitium patimur: vel cum dignitas læditur, vt cum matronæ vel prætextatæ comites abducuntur. Iniuriarum actio aut legitima est, aut honoraria. legitima ex lege duodecim tabularum, Qui iniuriam alteri facit, quinque & viginti sestertiorum pœna subit. quæ lex generalis fuit libero trecentos seruos CL. pœnam subito sextertiorum.

† alias
† iniuste

† communem enim omnibus nomē iniuria est.

IDEM Paulus eodem libro singulari, sub titulo Quemadmodum iniuriarum agatur. Qui autem iniuriarum in quid aget, certum dicat quid iniuriæ factum sit, & taxationem ponat non minorem quàm quanti vadimonium fuerit. Certum dicit qui suo nomine demonstrat iniuriam, neque ita vt per disiunctionem hoc aut illud accidisse comprehendat, sed vt necesse habeat aut vnam nomini suo rem destinare, aut plures ita complecti vt omnes eas accidisse cogatur probare. Certum autem an incertum dicat, cognitio ipsius Prætoris est. Demonstrat autem hoc loco Prætor non vocem agentis, sed qualem formulam edat. Certum non dicit qui dicit pulsatum, si sit verberatus, sed & partem corporis demonstrat, & quem in modum, pugno puta, an fuste, an lapide, sicut formula posita est, QVOD AVLI AGERII PVGNO † MOLA PERCVSSA EST. Illud non cogitur dicere, dextra an sinistra, nec qua manu percussit. Ita si dicat infamatum se esse, debet adicere quēadmodum infamatus sit. Sic enim & formula concepta est, QVOD NVMEDIVS NIGIDIVS ILLVM INMISIT AVLO AGERIO INFAMANDI CAVSA.

† MALA.

PAVLVS libro Sententiarum sub titulo ad legem Corneliam de sicariis & veneficis. Causa mortis idonea non videtur, cum cæsus homo post aliquos dies officium diuturnæ vitæ retinēs decessit, nisi forte fuerit ad necem cæsus, aut lætaliter vulneratus.

Incipit de iure & sæuitia dominorum.

MOYSES DICIT.

III.

SI * *quis percusserit seruum aut ancillam virga, & mortuus fuerit in manibus eius, iudicio vindicetur. Quod si superuixerit die vno, aut duobus, nō vindicabitur. pretium enim ipsius est.*

PAVLVS libro Sententiarum sub titulo ad legem Corneliam de sicariis & veneficis. dicit.

SERVVS si plagis defecerit, nisi id dolo fiat, dominus homicidij reus non potest postulari. Modum enim castigandi & in seruorum cohercitione placuit temperari.

VLPIANVS

VLPIANVS libro octauo de officio Proconsulis, sub titulo De dominorum sæuitia. Si dominus in seruum sæuierit, vel ad pudicitiam turpémque violationem conpellat, quæ sint partes Præsidis ex rescripto Diui Pij ad† Aurelium Marcianum Proconsulem Bæticæ manifestatur: Cuius rescripti verba hæc sunt. Dominorum quidem potestatem in seruos suos inlibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi. Sed dominorum interest ne auxilium contra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur iis qui iuste deprecantur. Ideóque cognosce de querellis illorum qui ex familia Iuli Sabini ad statuam confugerunt, & siue durius habiti quam æquum, vel † infamiæ iniuria adfectos cognoueris, venire iube, vt in potestatem Sabini non reuertantur. Quod si meæ Constitutioni fraudem fecerit, sciet me admissum seuerius exsecuturum. Diuus etiam Adrianus Vmbram quandam matronam in quinquennium relegauit, quod ex leuissimis causis ancillas atrocissime tractaret. Item Diuus Pius ad libellum Alfi Iuli rescripsit hæc verba. Seruorum obsequium non solum imperio, sed & moderatione, & sufficientibus præbitis, & iustis operibus contineri oportet. Itaque & ipse curare † debet iuste ac temperate † & vos tractare vt & facili requirere † eo possit nisi apparuerit vel † in parente inpendiis esse, vel atrociorem † dominationem sæuitiam exercere, necesse habeat Proconś. v. c. ne quid tumultuosius contra accidat, præuenire † se, & ex mea iam auctoritate ad alienandos eos cōpellere Grauione & Romulo coss.

† al. Aelium
† al. infami
† debes
† tuos
† eos posse ne si
† imparēte
† dominatione
† te

GREGORIANVS libro XVIIII. sub titulo De accusationibus. IMPP. DIOCLITIANVS & MAXIMIANVS AA. Aurelio Sacrato militi. Cum seruum tuum vi ægritudinis grauiter oppressum fati munus implesse proponas, propter inmoderatam castigationem calumniæ causationem emergere, † innotitiæ ratio, cuius fiduciam geris, non permittit. PP. Non. Decemb. Dioclitiano A. III. & Aristone coss.

† innocētia

Explicit titulus de dominorum sæuitia cohibenda.

Incipit de adulterio.

MOYSES DIXIT.

IIII.

QVICVNQVE *mœchatus fuerit cum muliere proximi sui, morte moriatur qui mœchatus fuerit & quæ mœchata fuerit. Quod si aliquis seduxerit virginem non desponsatam & stuprauerit eam, ducat eam sibi in vxorem. Quod si renuerit pater eius & noluerit eam dare illi in vxorem, pecuniam inferet patri in quantum est dos virginis.*

PAVLVS libro singulari de adulteriis sub titulo. Breuem interpretationem de adulteris cohercendis facturus per ipsa capita ire malui, ordinémque legis seruare. Et quidem primum caput legis Iuliæ de adulteriis prioribus legibus pluribus abrogat. Secundo vero capite permittit † pater filias suas quas in potestatem habet, † vt in ea quæ † auctore cum in potestate esset viro in manum conuenerit, adulterum domui suæ generíve sui deprehenderit, † in quem eam rem socerum adhibuerit, vt is pater † cum adul-

† patri si in filia quam
† aut
† auctore eo
† inque
† eum

† *In vidua* terum sine fraude occidat, ita vt filiam in continenti occidat. † Inuidia autem filia qui adulterum deprehensum occiderit, & in continenti filiam, licito iure hoc factum Marcellus libro xxxi. Digestorum scribit. Auctoritate quoque † pater posse † interficeret vel Cons. † verum vel patronum † suum in filiam adulterum deprehenderit, eodem libro Marcellus probat. Sed si filiam non interfecerit, sed solum adulterum, homicidij reus est. Si ex interuallo filiam interfecerit, tantundem est, nisi persequutus interfecerit. Continuatione enim animi videtur legis auctoritate fecisse.

† *legis patrem*
† *interficere*
† *verum*
† *si eum*

IDEM Paulus eodem singulari libro & titulo. Certæ autem enumerantur personæ, quas viro liceat occidere in adulterio deprehensa vxore, quamuis vxorem non liceat. Ergo secundum leges viro etiam filio familias permittitur etiam domi suæ deprehensum adulterum interficere seruum, & eum qui auctoramẽto rogatus est ad gladium, vel etiam illum qui operas suas vt cum bestiis pugnaret, locauit. Sed & iudicio publico damnatum licere interficere in adulterio deprehensum, vel libertinum vel suum vel paternum, & tam ciuem Romanum quam Latinum. Sed & patris & matris, & filij & filiæ libertũ permittitur occidere: quo loco & deditius haberetur. Debet autẽ profiteri apud eum cuius iurisdictio est eo loco vbi occidit, & vxorẽ dimittere. Quod si non fecerit, i[illegible]pune non interficit. Sciendum est autem Diuum Marcum & Commodum rescripisse, eum qui adulterum inlicite interfecerit, leuiori pœna puniri. Sed & Magnus Antoninus pepercit eis qui adulteros inconsulto calore ducti interfecerunt. & reliqua.

IDEM Paulus eodẽ libro singulari & titulo. Iure mariti vel patris qui accusat, potest & sine calumniæ pœna vinci: si iure extranei accusat, potest calumniæ pœna vinci: si iure extranei accusat, potest calumniæ pœna puniri, sed tãtum post duo menses. Intra quatuor menses vtiles expertus, licet talis sit qui alias accusare non possit, vt libertinus, aut minor vigintiquinque annorũ, aut infamis, tamen ad accusationem admittitur, vt & Papianus libro xv. scripsit.

PAPIANVS libro xv. responsorũ sub titulo ad legem Iuliam de adulteris. Ciuis Romanus qui sine connubio sibi peregrinam in matrimonio habuit, iure quidem mariti eam adulteram non postulat, sed ei non opponetur infamia, vel quod libertinus rem sestertiorum triginta milium aut filium non habuit, propriam iniuriam persequenti.

PAVLVS libro singulari & titulo quo supra. In vxorem adulterium vindicatur iure mariti, non etiam sponsam. Seuerus quoque & Antoninus ita rescripserunt.

PAPIANVS libro singulari de adulteriis. Quærebatur an pater emãcipatã filiam iure patris accusare possit. Respondit. Occidẽdi quidem facultatẽ Lex tribuit eam filiam quam habet in potestatem, aut eo auctore in manũ conuenit: sed accusare iure patris ne quidem emancipatam filiam pater prohibetur.

PAPIANVS eodem singulari & titulo. Cum patri lex Regia dederit in filiã vitæ necisque potestatem, quod bonum fuit lege comprehendi, vt potestas fieret etiam filiam occidendi, vellem mihi rescribere. nam scire cupio. Respõdit. Numquid ex contrario præstat nobis argumentum hæc adiectio, vt non videatur lex non habenti dedisse, vt videatur maiore æquitate ductus adulterum occidisse, cum nec filiæ pepercerit?

IDEM

IDEM. SI pater qui adulterum occidit,& filiæ suæ pepercit, quæro quid aduersus eum sit statuendum? Respondit. Sine dubio iste pater homicida est. Igitur tenebitur lege Cornelia de Sicariis. Plane si filia non voluntate patris,sed casu seruata est,non minimam habebit defensionem pater,quod forte filiam. * Nam lex ita punit homicidam,si dolo malo homicidium factum fuerit. Hic autem pater non ideo seruauit filiam quia voluit,sed quia occidere eam non potuit.

PAPIANVS idem. SI maritus vxorem suam in adulterio deprehensam occidit,an in legem de Sicariis incidit, quæro. Respondit. Nulla parte legis marito vxorem occidere conceditur. Quare ea parte contra legem fecisse eum non dubitantur non ambigitur. Sed si de pœna tractas non † his quæ aliquid eius honestimo calori permittetur,ambigitur. Sic dicit non dubitantur, vt non quasi homicida puniatur capite vel deportatione, sed vsque ad † exitium pœna eius statuitur.

* † quis

† exilium

ITEM SIC. DE mancipiis alterius marito vel patre accusante quæstionem habendam palam esse: An idem extraneo accusatori permitti debeat, quæro. Respondit. Potest videri ea ratio fuisse permittendi istis personis de seruis quæstionem habere, vt diligentius dolorem animi sui, item iniuriam lecti & domus,non translaticie persequerentur.Sed quoniam non facile tale delictum sine ministerio seruorum admitti creditum est, ratio eo perduxit, vt etiam extraneo accusante mancipia quęstioni tormentorum subbiicerentur à Iudicibus.

PAVLVS libro Sententiarum sub titulo de adulteriis. PERMITTITVR tam adoptiuo quàm naturali patri,adulterum cum filia cuiusque dignitatis domi suæ vel generi sui deprehensum sua manu occidere. Filiusfamiliæ pater si filiam in adulterio deprehenderit, verbis quidem legis prope est vt non possit occidere,permittitur tamen etiam ei vt occidat. Maritus in adulterio deprehensos non alios quam infames & eos qui corpore quæstum faciunt,seruos etiam & liberos, excepta vxore quam prohibetur, occidere potest. Maritum qui vxorem deprehensam cum adultero occidit,quia hoc inpatientia iusti doloris admisit, lenius puniri placuit. Occiso adultero dimittere statim maritus debet vxorem, atque ita triduo proximo profiteri cum quo adultero,& in quo loco vxorem deprehenderit. Inuenta in adulterio vxore maritus ita demum adulterum maritus occidere potest,si eum domi suę deprehendat. Eum qui in adulterio deprehensam vxorem non statim dimiserit,reum lenocinij postulari placuit. Serui vero tam mariti quam vxoris in causa adulterij torqueri possunt: nec his libertas sub specie inpunitatis data valebit. *

Explicit Titulus IIII.

Incipit de stupratoribus.

MOYSES DICIT. QVI *manserit cum masculo mansione muliebri, aspernamentum est,ambo moriantur:rei sunt.* v.

PAVLVS libro Sentētiarum sub titulo de adulterIs. QVI masculum liberum invitum stuprauerit, capite puniuntur. qui vo-

luntate sua stuprum flagitiúmque impurum patitur, dimidia parte bonorum suorum multatur, nec testamentum ei ex maiore parte facere licet.

Hoc quidem iuris est, mentem tamen legis Moysis, Imperatoris Theodosij Constitutio ad plenum secuta cognoscitur.

† Vrbē Romanam virtutum
† agreste illud a
† seculo
† Principiū
† Amant. atque Karis. nobis.

ITEM Theodosianus. IMPP. VALENTINIANVS, Theodosius & Arcadius AAA. ad Orientium Vicarium vrbis Romæ. Non patiamur † vrbis Romæ virtutē omniū matrē diutius effœminati in viros pudoris cōtaminatione fœdari, & † ageste illud ad priscis conditoribus robur fracta molliter plebe tenuatū, convicium † sæculi vel cōditorum inrogare vel † principium. Orienti † AGVC nouis. Laudanda igitur experientia tua, omnes quibus flagitiosus luxus est viri corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia, nihílque discretum habere cum feminis, occupatos, vt flagitij poscit immanitas, atque omnibus seductos, pudet dicere, virorum lupanaribus, spectante populo flammis vindicibus expiabit, vt vniuersi intelligant sacrosanctum cunctis esse debere hospitium virilis animæ, nec sine summo supplicio alienum expetisse sexum, qui suum turpiter perdidisset. Pp. prid. Id. Maias, Romæ, In atrio Mineruæ.

Explicit titulus de stupratoribus.

Incipit de incestis nuptiis.

MOYSES DICIT. *Quicunque concubuerit cum muliere vxore patris sui, pudenda patris sui detexit, morte moriātur: ambo rei sunt. Et quicunque concubuerit cum nuru sua, morte moriantur. ambo rei sunt.*

VLPIANVS libro Regulari De nuptiis sub titulo. INTER parentes & liberos cuiusque gradus sint, connubium non est. Inter cognatos autem ex transverso gradu, olim quidem matrimonia cōtrahi non poterant, nunc autem ex tertio gradu licet vxorem ducere, sed tātum fratris filiam, non etiam sororis, nec amitam, nec materteram, quamvis eodem gradu sint. Eam quæ nouerca, vel priuigna, vel quæ nurus vel socrus fuit, vxorem ducere non possumus. Si quis eam quam non licet, vxorem duxerit, incestum matrimonium contrahit, ideóque liberi in potestate eius non fiunt, sed quasi vulgo concepti, spurij sunt.

PAVLVS libro Sententiarum De nuptiis sub titulo. INTER parentes & liberos iure ciuili matrimonia contrahi non possunt, nec filiam sororis aut neptem ducere possumus. Proneptē ætatis ratio prohibet. Adoptiua cognatio impedit nuptias inter parētes ac liberos omnimodo: inter fratres eatenus quatenus capitis minutio non intervenit. Nec socrum, nec nurum, præuignam nec nouercam aliquando citra pœnam incesti vxorem ducere licet: sicut nec amitam, aut materteram. sed vel cognatam contra interdictum duxerit, remisso mulieri iuris errore, ipse pœnam adulterij legis Iuliæ patitur, non etiam ducta.

GREGORIANVS libro quinto De nuptiis sub titulo. Exemplum literarum Dioclitiani & Maximiani Impp. talem coniunctionem grauiter puniri commemorat.

EXEMPLVM Edicti Dioclitiani & Maximiani nobilissimorum Cæsarum. QVONIAM piis religiosísque mentibus nostris ea quæ Romanis legibus

legibus caste sanctéque sunt constituta, venerabilia maxime videntur atque æterna religione seruanda, dissimulare ea quæ à quibusdam in præteritum nefarie incestéque commissa sunt, non oportere credimus, cùm vel cohibenda sunt, vel etiam vindicanda, insurgere nos disciplina nostrorum temporum cohortatur. Ita enim & ipsos immortales Deos Romano nomini, vt semper fuerunt, fauentes atque placatos futuros esse non dubium est, si cunctos sub imperio nostro agentes, piam religiosámque, & quietam, & castam in omnibus more colere perspexerimus vitam. In quo id etiam prouidendum quam maxime esse censuimus, vt matrimoniis religiose atque legitime iuxta disciplinam iuris veteris copulatis, tam eorum honestati qui nuptiarum coniunctiones sectātur, quam etiam his qui cum deinceps seruata religione nascentur, incipiat esse consultum, & honestate nascendi etiam posteritas ipsa purgata sit. Id enim pietati nostræ maxime placuit, vt sanctè necessitudinū nomina obtineant apud affectus suos piam ac religiosam cōsanguinitati debitā caritatem. Nefas enim credere est ea quæ in præteritum à compluribus constat esse commissa, cùm pecudum ac ferarum promiscuo ritu, ad inlicita connubia instinctu exercendæ libidinis, sine vllo respectu pudoris ac pietatis irruerint. Sed quæcunque antehac vel imperitia delinquentium, vel pro ignorantia iuris, Barbaricæ inmanitatis ritu ex inclitis matrimoniis videntur admissa, quamquam essent seuerissime vidicanda, tamen contemplatione clementiæ nostræ ad indulgentiam volumus pertinere: ita tamen vt quicunque in anteactum tempus inlicitis incestísque se matrimoniis polluerunt, hactenus adeptos se esse nostra indulgentia sciant, vt post tam nefaria facinora, vitam quidem sibi gratulentur esse concessam, sciant tamen non legitimos se suscepisse liberos quos tam nefaria coniunctione genuerunt. Ita enim fiet vt de futuro quoque nemo audeat inefrænatis cupiditatibus obedire, cùm & sciant ita præcedentes admissores istiusmodi criminum venia liberatos, vt libertorum quod inlicite genuerunt † successiones careatur, quæ iuxta vetustatem Romanis legibus negabatur. Et optassemus quidem nec ante quicquam eiusmodi esse commissum, quod esset aut clementia remittendum, aut legibus corrigendum. Sed & post hanc religionem sanctitatémque in connubiis copulandis volumus ab vnoquoque seruari, vt se ad disciplinam legésque Romanas meminerint pertinere, & eas tantum sciant nuptias licitas quæ sunt Romano iure permissæ. Cum quibus autem personis tam cognatorum quam ex adfinium numero contrahi non liceat matrimonium, hoc edicto nostro complexi sumus: cum filia, nepte, proneptéque, matre, auia, proauia: & ex latere amita ac matertera, sororis filia, & ex ea nepte. Itémque ex adfinibus priuigna, nouerca, socru, nuru, ceterísque quæ antiquo iure prohibentur, à quibus cunctos volumus abstinere. Nihil enim nisi † hanc tantum ac venerabiles nostra iura custodiunt, & ita ad tantam magnitudinem † Romanam gesta cunctorum non mirum fauore pervenit, quoniam omnes leges sua religione sapiēti pudorísque obseruatione devinxit. Quare hoc edicto nostro volumus omnibus palam fieri, quod præteritorum venia per clemētiam nostram contra disciplinam † videtur indulta, ad ea tātum delicta pertineat quę in die tertio Kal. Ianuariarū Tusco & Anulino CONSS. † videntur esse commissa. Si qua autem contra Romani nominis decus sanctitatémque legum,

† successione careant.

† sanctum * ac venerabile

* † Romana maiestas cunctorum numinum

† veterem

† dicentur

post supradictum diem deprehéduntur admissa, digna seueritate plectentur. Nec enim vllam in tam nefario scelere quisquam æstimet veniam se consequi posse, qui tam euidenti crimini, & post edictum nostrum non dubitabit † insuere. Dat. Kal. Mai. Damasco, Tusco, & Anulino coss.

† inhærere

HERMOGENIANVS sub titulo de nuptiis. IMPP. DIOCLITIANVS & Maximianus AA. Fl. Flauiano. His qui incestas nuptias per errorem contrahunt, ne pœnis subiiciantur, ita demum clementia Principum subvenit, si postea quam errorem suum rescierint, ilico nefarias nuptias dirimerint. PP. Id. Mar.* & Diogene cons.

Hanc quoque constitutionem Gregorianus titulo de nuptiis inseruit, quæ est tricesima & secunda, aliis tamen & die & coss.* id est CONSTITVTIO PP. V. ID. IVN. DIOCLITIANO TER ET MAXIMIANO AVGVSTIS.

PAPIANVS libro singulari de adulteriis. Qui sororis filiã vxorẽ duxerat per errorẽ, antequã præueniretur à delatore, dirimit coitum: quæro an adhuc possit accusari. Respondit. Ei qui coniunctione sororis filiæ bona fide abstinuit, pœnam remitti palam est: quia qui errore cognito diremit coitum, creditur eius voluntatis fuisse, vt, si scisset se in eo necessitudinis gradu positum, non fuisset tale matrimonium copulaturus.

Idem dicitur in eos qui incestas nuptias contraxerunt. Maledicti tamen sunt omnes incesti per legem, cum adhuc rudibus populis ex diuino nutu cõdita Isdem abstipulantibus sancirentur. Et vtique oẽs maledicti puniti sunt, quos diuina & humana sentẽtia cõsona voce damnauit. Lex diuina sic dicit.

MALEDICTVS (inquit) dixit Moyses. *Qui concubuerit cum vxore patris sui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum sorore sua de patre aut de matre: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum nuru sua: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui cõcubuerit cum socru sua: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum sorore patris sui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui cõcubuerit cum sorore matris suæ, & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui concubuerit cum sorore vxoris suæ, & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui dormierit cum vxore fratris sui: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus qui dormierit cum omni pecore: & dicit omnis populus, Fiat, Fiat.*

Explicit Titulus de adulteris, stupratoribus & incestis.

Incipit de furibus & pœna eorum.

Quod si duodecim tabularum nocturnum furem autem si se aut telo defendere, interfici iubent, scitote, Iurisconsulti, quia Moyses prius hoc statuit, si ut lectio manifestat.

VII.

MOYSES DICIT. *Si perfodiens nocte parietem inuentus fuerit fur, & percusserit eum alius & mortuus fuerit hic, non est homicida is qui percusserit eum. Si autem sol ortus super eum, reus est mortis percussor, & ipse morietur.*

PAVLVS libro Sententiarum V. ad legem Corneliam De sicariis & veneficis. Si quis furem nocturnum vel diurnum cum se telo defenderet, occiderit, hac quidem lege non tenetur: sed melius fecerit qui eum comprehensum, transmittendum ad Præsidem magistratibus obtulerit.

VLPIANVS libro VIII. ad Edictum sub titulo, Si quadrupes pauperiem dederit,

dederit. INIVRIA occisum esse merito adicitur. Non enim sufficit occisum, sed oportet iniuria id esse factum. Proinde si quis seruum latronem occiderit, lege Aquilia non tenetur, quia non *occidit. Sed & quemcunque alium ferro se petentem qui occiderit, non videbitur iniuria occidisse. Proinde si furem nocturnum quem lex duodecim tabularum omnimodo permittit occidere, aut diurnum quem eâque lex permittit, sed ita demum si se telo defendat, videamus an lege Aquilia teneatur. Et Pomponius dubitat † nunc hæc lex non sit in vsu. Et si quis noctu furem occiderit, non dubitamus quin lege Aquilia teneatur. Sin autem cùm posset adprehendere, maluit occidere, magis est vt iniuria fecisse videatur. Ergo etiam lege Cornelia tenebitur. Iniuriam autem accipere hîc nos oportet non quemadmodum & circa iniuriarum actionem, contumeliam quandam, sed quod non iure factum est, hoc est, contra ius, id est, si culpa quis occiderit. & reliqua.

† num

VLPIANVS libro octauo de officio Proconsulis sub titulo De furibus. FVRES ad forum remittendi sunt diurni, nocturníque extra ordinem audiendi, & causa cognita puniendi, dum pœna eorum sciamus operis publici modum non egrediendum. Idem & in balneariis furibus. Sed si se telo fures defendunt, vel effractores, vel ceteri similes, nec quemquam percusserunt, metalli pœna humiliores, honestiores vero relegatione adficiendi erunt.

PAVLVS libro Sententiarum sub titulo De furibus. FVRTI quocumque genere damnâtus, famosus efficitur. Fur est qui rem alienam contrectat. Furtorum genera sunt quatuor, Manifesti, nec manifesti, concepti & oblati. Manifestus fur est qui in faciendo deprehẽsus est, & intra terminos eius loci vnde furatus est, comprehensus est, vel antequam ad eum locum quo destinauerat, pervenerit. Nec manifestus est fur, qui intra rapiendo quidem comprehensus non est, sed eum fecisse negari non potest. Concepti actione tenetur apud quem furtum est inventum. Oblati actione is tenetur qui rem furtiuam alij obtulit, ne apud se inueniretur. Furti actione is agere potest cuius interest rem non perisse. † Conceptiua autem agere potest qui rem concepit & invenit, Oblati agere potest penes quem res † concepti inuenta est.

† al. concepti is
† al. concepta &.

Explicit Titulus de furibus.

Incipit de falso testimonio.

MOYSES DICIT. VIII.

SI steterit testis iniustus aduersus hominem accusandum, accusans eum impietatis, stabunt duo homines quibus est inuicem contentio, ante Deum, & ante sacerdotes, & ante Iudices quicunque fuerint in illis diebus. Cùm inquisierint Iudices diligenter, & inuentus fuerit testis iniustus testificans iniusta, insurgentes aduersus eum facietis ei sicut voluit malefacere, & delebitis malum de medio vestrum, & ceteri audientes timebunt, nec audebunt mala facere inter vos.

PAVLVS libro singulari De pœnis omnium legum sub titulo, Ad legem Iuliam de adulteris. QVI falsum testimonium dixerit, proinde tenebitur ac si lege Cornelia testamentaria damnatus esset.

PAVLVS libro Sententiarum quinto sub titulo De testibus & de questio-

nibus. HI qui † falsum vel * aliqua testimonia dixerunt, vel † vtriusve parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut curia submouentur.

† falsa vel obliqua al. falsè vel variè † al. vtrique.

IDEM libro * ad legem Corneliam de sicariis & veneficis. LEX Cornelia pœnam deportationis infligit ei qui hominem occiderit, eiúsque rei causa furtíque faciendi cum telo fuerit, & qui venenum hominis necandi causa habuerit, vendiderit, parauerit, falsúmve testimonium dixerit quo quis periret, mortísve causam præstiterit. Quæ omnia facinora in honestiores pœna capitis vindicari placuit: humiliores vero aut in crucem tolluntur, aut bestiis subiiciuntur.

PAVLVS libro Sententiarum v. sub titulo Ad legem Corneliã testamentariam. Hi qui ob falsum testimonium perhibẽdum pecuniam acceperint, dederint, iudicémve vt sententiam ferat vel non ferat, corruperint, corrumpendúmve curauerint, humiliores capite puniuntur, honestiores publicatis bonis cum ipso Iudice in insulam † deponantur.

† al. deportantur.

IDEM eodem libro & titulo. FALSVM est quicquid in veritate non est, sed pro vero adseueratur.

VLPIANVS sub titulo De pœna legis Corneliæ testamẽtariæ libro VIII. * Præterea factum est Senatusconsultum * Statilio & Tauro Consulibus, quo pœna legis Corneliæ inrogatur ei qui quid aliud quam testamentum sciens signauerit, signaríve curauerit. Item qui falsas testationes faciẽdas, testamentáve falsa inuicem dicenda aut consignanda dolo malo curauerit, Licinio v. & Tauro CONSS. Item qui ob struendam aduocationem testimoniáve pecuniam acceperit, pactúsve fuerit, societatem coierit, aut aliquã delationem interposuerit. Item si quis coierit ad occisionem innocentium, Senatusconsulto quod Cotta & Messala factum est, coercẽtur. Sed & si quis ob venundandum vel denudandum non remittendúmve testimonium pecuniam acceperit, Senatusconsulto quod duobus Geminis CONSS. factum sit, pœna legis Corneliæ adficitur. Et reliqua.

* *

VIIII. ITEM MOYSES. FALSVM *testimonium non dabis aduersus proximum tuum.*

VLPIANVS libro VIIII. de officio Proconsulis ad legem Iuliam de vi publica & priuata. EADEM lege quibusdam testimonium omnino, quibusdam interdicitur inuitis, capite octogesimo & VII. & capite octogesimo octauo, in hæc verba, † his verbis. HOMINIBVS IN HAC LEGE IN REVM TESTIMONIVM DICERE NE LICETO, qui se ab eo parentéve eius, libertóve cuius eorum libertus † libertauerit, * quíve impubes erit, quíve eorum in integrum restitutus non est, quíve in vinculis custodiáque publica erit, quíve depugnandi causa auctoratus erit, quíve bestias depugnare locauit, locauerit, præterquam qui iaculandi causa ad vrbem missus est, erit, palámve corpore quæstum faciet, fecerit, quíve ob testimonium dicendum pecuniam accepisse iudicatus erit, néve quis eorum hac lege in reum testimonium dicat: Capite octogesimo septimo † his. HOMINES INVITI IN REVM testimoniũ ne dicant, qui sobrinus est ei reo, propioréve cognatione cõiunctus, quíve socer, gener, vitricus, priuignúsque eius erit. & reliqua.

† verba H. † liberauerit † his verbis

PAVLVS

PAVLVS libro Sententiarum v. sub titulo De testibus & quæstionibus. SVSCEPTOS testes & eos vel maxime quos accusator de domo eduxit, vel vitæ humilitas infamauerit, interrogari non placuit. In testibus enim & vitæ qualitas spectari debet & dignitas † si sint adfinem vel cognatum inuiti testes interrogari non possunt. Aduersus se inuicem parentes & liberi, itémque liberti nec volentes ad testimonium admittendi sunt, quia rei veræ testimonium necessitudo personarum plerumque corrumpit.

† *In adfin.*

Explicit Titulus de Familiari testimonio non admittendo.

Incipit de deposito.

MOYSES DICIT.

SI *aliquis dabit proximo suo argentum vel vas seruare, & furatum fuerit de domo hominis, si inuenitur qui furatus est, reddet duplum. quod si non fuerit inuentus fur, accedat is qui commẽdatum susceperat ante Dominum, & iurabit nihil se nequiter egisse de omni re commendata proximi sui, & liberabitur.* X.

MODESTINVS libro Differentiarum secundo De deposito vel commendato. COMMODATI iudicio conuentus etiam culpam præstare cogitur: qui vero depositi conuenitur, de dolo non etiam de culpa cõdemnandus est. Commodati enim contractu, quia vtriusque contrahentis vtilitas interuenit, vtrumque præstatur: in depositi vero cum sola deponentis vtilitas vertitur, ibi dolus tantum præstatur. Sed in ceteris quoque partibus iuris ista regula custoditur. sic enim & in fiduciæ iudicio, & in actione rei vxoriæ & dolus & culpa deducitur: quia vtriusque contrahentis vtilitas intervenit. In mandati vero iudicio dolus * non etiam tutoris vtilitas in administratione versatur. Depositi damnatus infamis est: qui vero commodati damnatur nõ fit infamis. alter enim propter dolum, alter propter culpam condemnatur. Actione depositi cõuentus ei Variarum nomine apud eundem Iudicem vtiliter experitur: at is cui res † cõmẽdata est, improbe ei Variarum exactionem intendit. Impensas tamen necessarias iure persequitur, quas forte in ægrum vel alias laborantem inpenderit. † Respõdit deposita si subripiatur, dominus † domus habet furti actionem, quamvis apud quem res deposita est intersit ob inpensas in rem factas se retinere: is vero cui res commodata sit, furti experiri debebit si modo soluẽdo fuerit. Actio commodati semper in simplum competit: depositi vero nonnumquam in duplum, scilicet si ruinæ, vel naufragij, vel incendij, aut tumultus causa res deponatur.

† *cõmodata*
† *Res apud alium*
† *quidem*

HERMOGENIANVS sub titulo De deposito huiusmodi inserit Constitutionem. IDEM Augustus & Cæsar Fl. Munatio. Eum qui suscepit depositum, dolum non etiam casum præstare certi iuris est. Cùm itaque proponas ignis vi quædam cremata de his quæ tibi fuere commendata, nec vllum dolum in subtrahendis rebus adhibitum, Rector prouinciæ nihil contra iuris rationem fieri patietur. Et quoniam nec tu quereris moras adhibita † [illegible]rietatem negotium inter vos ortum secundum iuris ordinem sua ratione decidetur. Subscripta VIII. Kal. Iul. Serdica. Augustis Cæsaribus.

† *veritate*

IDEM Augustus & Cæsar Fl. Aurelio Attenico Andronico. Eos penes quos vestem & argenti materiam deposuisse proponis, apud Rectorem prouinciæ convenit interrogari. Quod siue teneant, siue dolo fecerunt quominus possint restituere, secūdum bonam fidem tibi satisfacere conpellet. Subscripta VI. Kal. April. Syrmio Cæss. COSS.

IDEM Augustus & Cæsares Aurelio & Eustatio & Diosimo. Is qui depositum suscepit vltra dolum, si non aliud specialiter conuenit, præstare nihil necesse habet. Cuius memor iuris Rector prouinciæ partium allegationibus auditis pro ereptorum qualitate sua ordinabit sentētia. Subscripta XIIII. Kal. Nou. Appiaria.*

IDEM Augustus & Cæsares Septimæ & Quadrat. ILLE qui dolo malo depositum non restituit, suo nomine conuentus ad eius cum infamiæ periculo restitutionem vrguetur. Scripta Id. Dec. Nicomedia Cæsaribus COSS.

PAVLVS libro secundo Sententiarum sub titulo De deposito. DEPONERE possumus apud alium id quod nostri iuris est vel alieni. Depositum est quasi diu positum. Seruandum est quod ad breue tempus custodiendum datur. Deponere videtur qui in metu ruinæ, incendij, naufragij, apud alium custodiæ causa deponit. Deponere videtur & is qui suspectam habens vel minus idoneam custodiam domus, vel vim latronum timens, apud aliquem rem custodiendam commendat. Si † sacellum vel argentum deposuero, & is penes quem depositum fuit me inuito contrectauit, & depositi & furti actio mihi in eum conpetit. Ob res depositas dolus tantum præstari solet. In iudicio depositi ex mora & fructus veniūt, & vsuræ rei depositæ præstantur. Si quis rem penes se positam apud alium deposuerit, tam ipse directam, quam is qui apud eum deposuit, vtilem actionem depositi habere possunt. Si pecuniam deposuero † eam háncque tibi commisero, mutuum magis videtur quam depositum, ac per hoc periculo tuo erit. Si rem apud te depositam vēdideris, eámque redimeris, postquam perdideris semel admisso dolo perpetua depositi actione teneberis. Ex causa depositi lege duodecim tabularum in duplum actio datur, edicto Prætoris in simplum.

† al. sacellum vel argentum signatum

† eámque vtendam

GREGORIANVS libro IIII. sub titulo De deposito. IMP. Alexander A. Mestrio militi. Incursu latronum ornamenta deposita apud interfectum ab eis, perierunt. Detrimentum ad heredes eius qui depositum accepit, qui dolum tantum præstare debent, non pertinet. Quod si ex prætextu latrocinij commissi res quæ in potestate heredis sunt non restituuntur, tam depositi quam ad exhibendum actio, sed & in rem vindicatio conpetit. Prop. VII. Kal. Iul. Maximiano bis & Vrbano COSS.

PAVLVS libro Responsorum quinto sub titulo Ex locato & conducto. IMP. Antoninus Iulio Agrippino. Dominus horreorum periculū vis maioris, vel efracturæ latronum præstare non cogitur. his cessantibus si quid ex † positis rebus inlæsis extrinsecus † horrei damnū depositorum sarciri debet. Prop. IIII. Non. Nou. Antonino III. CONS. Paulus respondit, Satis præpositam Constitutionem declarare his qui horrea locant, maiorem vim imputari non posse.

† al. depositis
† al. horreis perierit

Explicit Titulus de deposito.

Incipit

Incipit de abigeatoribus.

MOYSES DICIT

SI QVIS innolauerit vitulum aut ouem, & occiderit, aut vendiderit, quinque vitulos restituet pro vitulo vno, quatuor oues pro oue vna. Quod si non habet vnde reddat, venundetur pro furto. XI.

PAVLVS libro Sententiarum sub titulo De abigeatoribus. ATROCES pecorum abactores plerumque ad gladium vel in metallũ, nonnumquã autẽ in opus publicum dãtur. Atroces autem sunt qui equos & greges ouium de stabulo vel de pascuis abigunt, vel si id sæpius aut à ferro conducta manu faciunt.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. ABIGEATORES sunt qui vnum equum, vel duas equas, totidémque boues, vel capras decem, porcos quinque abegerint. Quidquid vero intra hunc numerum fuerit ablatum, pœna furti pro qualitate eius aut in duplum, aut in triplum convenitur, aut fustibus cæsus in opus publicum vnius anni datur, aut sub pœna vinculorum domino restituitur.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. Si ea pecora de quibus quis litigauerat, abegerit, ad forum remittendus est, atque ita convictus in duplum vel triplum furis more damnatur.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. QVI bouem vel equum errantem, quódve aliud pecus abduxerit, furem magis eum quam abigeatorem constitui placuit.

PAVLVS libro singulari de pœnis paganorũ, sub titulo De abigeis, *dixit.* CVM durius abigei damnantur, & ad gladium † tradantur. Itáque Diuus Pius ad Concilium Bæticæ rescripsit. Qui pecora de quibus litigabat, abegit, ad forum remittendus est, & si victus fuerit, in duplum vel quadruplum condemnandus. *† tradũtur, itaque*

VLPIANVS libro octauo de officio Proconsulis sub titulo De abigeis. DE abigeis puniẽdis ita Diuus Adrianus rescripsit Cõcilio Bæticæ. Abigei cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solent. Puniuntur autem durissime non vbique, sed vbi frequentius est hoc genus maleficij: alioqui † nec in opus, & nonnumquam temporarium damnantur. Ideóque puto apud vos quoque sufficere genus pœnæ, quod maximo huic maleficio inrogari solet, vt ad gladium abigei dentur: aut si quis tam notus & tam grauis in abigendo fuit, vt prius ex hoc crimine aliqua pœna adfectus sit, hunc in metallum dari oportere. Rescriptum Diui Adriani sic loquitur, quasi grauior pœna sit metalli: nisi forte hoc sensit Diuus Adrianus gladij pœnã dicendo, ludi damnationem. Est autem differentia inter eos qui ad gladium, & eos qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati, confestim consumuntur, vel certe intra annum debent consumi. Hoc enim † damnatis continetur. Enimuero qui in ludum damnantur, non vtique consumuntur, sed etiam pileari & rudem accipere possunt post † inter palam. Si quidem post quinquẽnium pileari, post triennium autem rudem induere eis permittitur. Eodem rescripto Diui Adriani diligentissime expressum est, non vbique parem esse pœnam abigeorum. *† al. &* *† mãdatis* *† interuallum*

ITEM Vlpianus libro & titulo qui supra. ABIGEI autem proprie hi habentur qui pecora ex pastu & ex † fermentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigei studium quasi artem exercent, equas de grege, vel boues de armentis abducentes. Ceterum si quis bouem aberrantem vel equum in † solitudinem abduxerit, non est abigeus, sed fur potius. Sed & qui porcum vel capram vel Berbicem abducunt, non tam grauiter vt hi qui maiora animalia abigent, plecti debent. Quanquam autem Adrianus metalli pœnam, item operis vel etiam gladij præstituerit, adtamen qui honestiori loco nati sunt non debent ad hanc pœnam pertinere, sed aut relegandi erunt, aut remouendi ordine. Romæ tamen etiam bestiis subiici abigeos videamus. Et sane qui cum gladio abigunt, non inique hac pœna adficiuntur.

† al. armentis

† al. in solitudine relictum

Explicit de Abigeis.

Incipit de incendiariis.

XII.

MOYSES DICIT. *Si exibit ignis & inuenerit spinas, & comprehenderit areas, vel spicas, aut campum, æstimationem restituet ille qui succendit ignem.*

PAVLVS libro Sententiarũ sub titulo de incendiariis. QVI casam aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum aut in opus publicum damnantur, honestiores in insulam relegantur. Fortuita incendia quæ casu venti ferente vel incuria ignem supponentis, ad vsque vicini agros euadunt, & si ex eo seges, vel vinea, vel oliua, vel fructiferæ arbores concrementur, datum damnum æstimatione sarciatur.

IDEM Paulus eodem libro & titulo. COMMISSVM vero seruorum si domino videatur, noxæ deditione sarcitur. Messium sane per dolum incensores, vinearum oliuarúmve, aut in metallum humiliores damnantur, aut honestiores in insulam relegantur.

IDEM Paulus libro & titulo qui supra. INCENDIARII quicquid in oppido prædandi causa faciunt, facile capite puniuntur.

VLPIANVS libro octauo de officio Proconsulis. DE naufragiis & incendiariis lex quidem Cornelia aqua & igni interdici iussit, sed variç sunt punitionum*. Nam qui data opera in ciuitate incendium fecerunt, si in humillimo loco sunt, bestiis subiici solent: si in aliquo gradu & Romæ id fecerunt, capite puniri, † aut certe * adficiendi sunt qui hæc committunt. Sed ei qui non data opera incendiũ fecerit, plerumque ignoscitur, nisi in lata & incauta negligentia vel lasciuia fuit.

† al. aut certe deportatione in insulam

PAVLVS libro singulari de pœnis paganorum, sub titulo De abigeis, dicit. INCENDIARII qui in oppido prædæ causa id admiserint, capite puniuntur: qui casu insulam aut villam non inimicitia incenderint, leuius. Fortuita enim incendia ad forum remittenda sunt, vt damnum vicini sarciatur.

VLPIANVS libro ad Edictum sub titulo Si fatebitur iniuria occisum esse, in simplum, * & cùm doceret. ITEM si insulam meam adusseris vel incenderis, Aquiliæ actionem habebo. Idémque est & si arbustũ meum, vel villã meam. Quod si dolo quis insulam exusserit, etiam capitis pœna plectitur quasi incendiarius. Item si quis insulam voluerit exurere, & ignis etiam ad vicini insulam

sulam peruenerit, Aquilia teneb itur † lege vicini etiam non minus inquilinis ob res eorum exustas, & ita Labeo libro xv. Responsorum refert. Sed si stipulam in agro tuo incenderis, ignisque peruagatus ad prædium vicini peruenerit, & illud exusserit, Aquilia lex locum habeat, an in factum actio sit, fuit quæstio. Sed plerisque Aquilia lex locum habere non videtur: & ita Celsus libro XXXVII. Digestorum scribit. Id enim, si stipulam incendentis ignis fugit, Aquilia lege eum non teneri, sed in factum agendum, quia principaliter hic exussit, sed dum aliud legit sic ignis præcessit. Cuius sententia sic rescripto Diui Seueri comprobata est in hæc verba. * Profiteri propter ignem babuli gratia factus culpa seruorum Vectoriæ Atiliæ euagatus agrum tuum vt proponis, depopulatus est, ad exemplum legis Aquiliæ noxali iudicio acturus, si litis æstimatio permittitur, iudiciũ cùm adire potest. Videlicet non est visa Aquilia sufficere. Si † forte seruus quæ idem cõductores coloni ad fornacem obdormissent, & villa fuerit exusta. † muneris scribit ex † loca conuentum præstare debere, si neglegens in † legendis ministeriis † fuit tenetur ceterorum si alius ignem subierit fornaci, alius neglegenter custodierit † tenetur namque qui non custodit † si nihil hic fecit quæ recte ignem subiecit non peccauit: quemadmodum si hominem medicus recte secuerit, sed neglegenter vel ipse vel alius † curauerit Aquilia cessat. Quid ergo est? Et hic puto ad exemplum Aquiliæ dandam actionem, † tamen eum † qui fornacem obdormiuit, † vel neglegenter curauit, siue homo periit siue debilitatus est. Nec quisquam dixerit in eo qui obdormiuit, rem eum humanam & naturalem passum, cùm deberet vel ignem extinguere, vel ita munire vt non euagaret. Item libro vi. ex Viuiano relatum est, si fornum secundum parietem communem haberes, an damni iniuria teneris? Et † agit non posset, † id Aquilia lege, quia nec cum eo qui focum haberet. Ideo æquum putat in factũ actionem dandam, sed non proponit exustum parietem. Sane enim quæri potest. † Nondum mihi damnum dederit, † & ita ignem habeat vt metuã ne mihi det, æquum sit me † inter actionem idem in factũ * imperare. fortassis enim de hoc senserit Proculus: nisi quis dixerit damni non facti sufficere cautionẽ. Sed & si † quis serui inquilini insulam † exusserit, libro x. Vrseius refert Sabinum respondisse, lege Aquilia seruorum nomine dominum noxali iudicio conueniendum, ex locato autem dominum teneri negat. Proculus autem R. cum coloni serui villam exusserint, colonum vel ex locato † lege Aquilia, ita vt colonus seruos posset noxæ dedere: & si vno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agẽdam. Item Celsus libro XXVII. Digestorum scribit, si cùm apes meæ ad tuas aduolassent † totas exusserit, quosdam negare competere legis Aquiliæ actionem, inter quos & Proculum, quasi apes domini mei non fuerint. Sed id falsum esse Celsus ait, cùm apes reuenire soleant, & fructui † missi sunt. Sed Proculus eo mouetur quod nec mansuet[æ], nec ita clausæ fuerint. † hđ. Ipse autem Celsus ait nihil inter has & columbas interesse, quæ si manu refugiunt, domi tamen fugiunt.

† al. etiã vicino nõ minus etiam

*

† al. fornicarius

† al. Neratius

† al. locato

† al. eligẽdis fuit. Ceterũ

† al. an tenebitur qui subiecerit. Namque

† al. nihil fecit. Qui

† curauerit, siue homo perierit siue debilitatus est

† tam in

† qui ad

† quam in eum qui neglegenter custodit. Nec quisquam

† agi

† ait

† si nõdum

† sed

† interim actionem in factum impetrare

† cuius

† exusserint

† vel teneri

† eas exusseris.

† mihi

† hic deest.

Explicit titulus de incendiariis.

Incipit de terminia mota.

XIII. MOYSES DICIT. *Non transmouebis terminos proximi tui quos constituerunt patres tui vel Principes possessionis tuæ.*

PAVLVS libro Sententiarum sub titulo, Finium regũdorum. In eum qui per vim terminos deiecit vel amouit, extraordinem animaduertitur.

VLPIANVS libro VIIII. De officio Proconsulis, sub titulo De termino moto. EOS qui terminos mouerunt non impune id facere debere Diuus Adrianus Terentio Gentiano XVII. Kal. Septembriarum se III. CONSL. rescripsit: quo rescripto pœnam variam statuit. Verba rescripti ita se habent. Pessimum factum eorum qui terminos finium causa inpositos abstulerunt, dubitari non potest. Pœnæ autem modus ex condicione personæ & mente facientis † magistratui pœnam. Si splendidiores sunt personæ quæ conuincuntur, † condubito quin occupandorũ aliorum finium causa id admiserint. & possunt ad tempus vt cuiusque compatitur ætas, relegari, & sic in biẽnium aut triennium ad opus publicum dari. quod si per ignorantiam aut fortuitu lapides † visus causa furati sunt, sufficit eos verberibus coërceri.

† al. magistratui potest. Nam si

† non dubito

† vsus

Explicit de terminia mota.

Incipit de plagiariis.

XIIII. MOYSES DICIT. *Quicunque plagiauerit quemquam in Israel, & vendiderit eum, morte moriatur.*

PAVLVS libro Sententiarum v. sub titulo ad legem Fabiam. LEGE Fabia tenetur qui ciuem Romanum ingenuum, libertinum, seruúmve alienum seruauerit, vendiderit, vinxerit, comparauerit. Et olim quidem huius legis pœna summaria fuit: sed trãslata est cognitio in Præfectos vrbis, itémque Præsidis prouinciæ extraordinem meruit animaduersionem. Ideóque humiliores aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur, honestiores adempta dimidia parte bonorũ † impp. relegantur. Si seruus sciente domino alienum seruum subtraxerit, vendiderit, celauerit, in ipsum dominum animaduertitur. Quod si id domino ignorante commiserit, in metallum datur.

† in perpetuum

VLPIANVS libro VIIII. de officio Proconsulis sub titulo Ad legem Fabiam. FREQVENS est etiam legis Fabiæ cognitio in tribunalibus Pręsidum: quamquam quidam Procuratores Cæsaris vsurpauerint quam Romæ tam in Prouinciis. Sed enim iam eo peruentum est Constitutionibus, vt Romæ quidem Præfectus vrbis solus super ea re cognoscat, si intra miliarium centesimum sit in via commissa. enimuero si vltra centesimum, Pręfectorum prętorio erit cognitio. In prouinciam enim Præsidum prouinciarum. nec aliter Procuratori Cæsaris hæc cognitio iniungitur quam Præsidis partibus in prouincia fungatur. Plane post sententiam de Fabia latam Procuratoris partes succedunt. Huius certæ adtamen Procuratori qui illam prouinciam regit, licet de capitalibus causis cognoscere nec soleat, tamen vt de lege Fabia possit cognoscere Imp. Antoninus constituit. Idem legis Iuliæ de adulterIs coercendis cõstitutione Imperatoris Antonini quæstionem accepit.

accepit. Lege autem Fabia tenetur qui ciuem Romanum eundémque qui in Italia liberatus sit, celauerit, vinxerit, vinctumque habuerit, vendiderit, emerit, quíve in eam rem socius fuerit: cui capite primo eiusdem legis pœna iniungitur, Si seruus † qui sciẽte domino fecerit, dominus eius† sextertiis quinquaginta milibus eodem capite punietur. Eiusdem legis capite secundo tenetur qui alieno seruo persuaserit vt dominum fugiat, quíve alienum seruum inuito domino celauerit, vendiderit, emerit dolo malo, quíve in ea re socius fuerit, iubeturque † populus ex tertiam quinquaginta milia dare. & reliqua. Sciendum tamen est ex Nouellis constitutionibus capitali sententia plagiatores pro atrocitate facti puniendos: quamuis & Paulus supra relatis speciebus, crucis & metalli pœnam huiusmodi reis irrogauit.

† plagium
† sextertiũ quingentis
† populo sextertium quingenta

Explicit titulus de plagiariis.

Incipit de Mathematicis & Manichæis.

MOYSES DICIT.

NON *inueniatur in te qui lustret filium tuum aut filiam tuam, nec diuinus apud quem sortes tollat: nec consentiat venenariis inpostoribus qui dicunt quid conceptum habeat mulier. quoniam fabulæ seductoriæ sunt. Nec intendas prodigia, nec interroges mortuos. Non inueniatur in te augurator, nec inspector auium, nec maleficus, aut incantator, nec Pitonem habens in ventrem, nec aruspex, nec interrogator mortuorum, nec portenta inspiciens. Omnia namque ista a Domino Deo tuo damnata sunt, & qui fecerit hæc. Propter has enim abominationes Deus eradicauit Chaldæos a facie sua. Tu autem perfectus eris ante Dominum Deum tuum. Gentes enim istæ quas tu possides, auguria & sortes & diuinationes audiebant.* XV.

VLPIANVS libro VII. de officio Proconsulis, sub titulo De mathematicis & vaticinatoribus.

PRÆTEREA † interdictos est Mathematicorum callida inpostura & obstinacitate persuasio. Nec hodie primum interdici eis placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique extat Senatusconsultum Pomponio & Rufo coss. factum, quo cauetur vt Mathematicis, Chaldæis, ariolis & ceteris qui similem † incertum fecerunt, aqua & igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur: & sic * eternus gentium qui si id fecerit vt in eum animaduertatur. Sed fuit quæsitum vtrum scientia huiusmodi hominum puniatur, an exercitio, & professio. Et quidem apud veteres dicebatur professionem eorum nõ noticiam esse prohibitam: postea variatum. Nam dissimulandum † est nonnumquam inrepsisse in vsum, vt etiam profiterentur & publice † reprehenderent. Quod quidem magis per contumaciam & temeritatem eorum factũ est qui † visi erant vel consulere vel exercere, quam qui fuerat permissum. Sæpissime denique interdictum † est fere ab omnibus principibus, ne quis omnino huiusmodi ineptiis se inmisceret: & varie puniti sunt hi qui id exercuerunt, pro mensura scilicet & consultationis. Nam qui de principis salute, capite puniti sunt, vel qua alia grauiore pœna adfecti. Enimvero siquidem suasorum que leuius inter hos habentur quam vaticinatores, hij quoque plectẽdi sunt: quoniam nonnumquam contra publicam quietem imperiumque populi Romani inprobandas artes exercent. Extat denique decretum Diui

† interdicta
† artem
† non est
† respenderent
† ausi
† &
*

Pij ad Pacatum legatum prouinciæ Lugdunensis, cuius rescripti verba quia multa sunt, de fine eius ad locum hæc pauca subiecit. Denique & Diuus Marcus eum qui motu Cassiano vaticinatus erat & multa quasi extinctu Deorum dixerat, in insulam Syrum relegauit. Et sanè non debent inpune ferre huiusmodi homines, qui sub obtentu & monitu Deorum, quædam vel renunciãt, vel iactant, vel scientes † eos fingunt.

† deos

GREGORIANVS libro VII. de maleficis & Manicheis sub titulo comp. Maximus Dioclitianus & Maximianus nobilissimi AA. Iuliano Proc. Africæ. * Otia maxima interdum homines in communionem condicionis naturæ hominum modum excedere hortantur, & quædam genera inanissima ac turpissima doctrinæ superstitionis inducere suadent, vt sui erroris arbitrio pertrahere & alios multos videantur, Iuliane Karissime. Sed Dij inmortales prouidentia sua ornare & disponere dignati sunt quæ bona & vera sunt, & multorum & bonorum & egregiorum virorum & sapientissimorum consilio & tractatu inlibata probarentur & statuerentur: quibus nec obuiam ire nec resistere fas est: neque reprehendi a noua vetus religio deberet. Maximi enim criminis est † sed tractare quæ semel ab antiquis tractata & definita † sunt statũ & cursum tenent ac possident. Vnde pertinaciam prauæ mentis nequissimorum hominum punire ingens nobis studium est. Hi enim qui nouellas & inauditas sectas † deterroribus religionibus obponunt, vt pro arbitrio suo † prauum excludant quæ diuinitus concessa sunt. quoniam nobis de quibus solertia tua serenitati nostræ retulit Manicheos audiuimus eos nuperrime velut noua inopinata prodigia in hunc mundum de Persica aduersaria nobis gente progressa vel orta esse, & multa facinora ibi committere: populos namque quietos perturbare, nec non & ciuitatibus maxima detrimenta inserere: & verendum est ne forte, vt fieri adsolet, accendenti tempore conẽtur execrandas consuetudines & † istebas leges Persarum innocentioris naturæ homines Romana gente modestã atque tranquillam, & vniuersum orbem nostrum veluti venenis de suis maliuolis infigere. Et quia omnia quæ pandit prudentia tua in relationem religionis illorum genera maleficiorum statutis euidentissimorum exquisita & adinuenta commenta, ideo eorum mænas atque pœnas debitas & condignas illi statuimus. Iubemus namque auctores quidem ac principes vna cum abominandis scripturis eorum seueriori pœnæ subiici, ita vt flammeis ignibus exurantur: consentaneos vero & vsque ad eos contentiosos capite puniri præcipimus, & eorum bona fisco nostro vindicari sancimus. Si qui sane etiam honorati aut cuiuslibet dignitatis vel maioris personæ ad hanc inauditã & turpem atque per omnia infamem sectam, vel ad doctrinam Persarum se transtulerunt, eorum patrimonia fisco nostro adsociari facies: ipsos quoque † Forensibus vel Proconensibus metallis dari. Vt igitur stirpitus amputari † malis hæc nequitiæ de sæculo beatissimo nostro possit, deuotio tua iussis ac statutis tranquillitatis nostræ maturius obsecundare. Dat. prid. Kal. * April. Alexandriæ.

† retractare
† suum
† veterioribus
† prauo
† Histaspeas *
† Fenẽsibus
† talis hac nequitia.

Explicit titulus de Mathematicis, maleficis & Manicheis.

Incipit

Incipit titulus XVI. de legitima succeßione.

SCRIPTVRA DIVINA SIC DICIT.

XVI.

FILIÆ Salfadæ adstantes ante Moysem & Eleazarum sacerdotem & principem omnemque Senatum filiorum Israel in foribus tabernaculi testimonij, dixerunt: Pater noster mortuus est, & filij non fuerunt ei, sed filiæ. & ideo non deleatur nomen patris nostri de medio tribus suæ. non est ei masculus. date nobis possessionem in medio fratrum patris nostri. Et obtulit Moyses petitionem earum Domino Deo: & locutus est Dominus Moysi, dicens: Recte filiæ Salfadæ locutæ sunt: & ideo dabitis eis possessionem hereditatis in medio fratrum patris earum. Et dicimus hæc filiis Israel: Homo si decesserit & filios non habuerit, dabitis hereditatem proximo eorum de tribu eius, & possidebit omnia eius. Et erit hæc filiis Israel iustificatio iudiciorum, secundum quæ constituit Dominus Moysi.

GAIVS Institutionum libro III. legitimas sic ordinat succeßiones. INTESTATORVM hereditates lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes existimantur liberi qui in potestate morientis fuerint, veluti filius, filia, vel nepos neptísve, pronepos proneptísve ex nepote † filio nato prognatus prognatáve. nec interesse naturales liberi an adoptiui. Ita demũ tamẽ nepos neptísve, & pronepos proneptísve suorũ heredũ numero sunt, si præcedens persona † desierit * siue alia ratione, veluti emancipatione. Nam si per † idem tempus quo † quisque morietur, filius in potestatẽ eius sit, nepos ex eo suus heres esse non potest. Idem & in ceteris deinceps liberorum personis dictum intellegimus. Vxor quoque quæ in manu eius est † Is sua heres est: quia filiæ loco est. item nurus quæ in filij manu est. nam & hæc neptis loco est. sed ita demum erit sua heres si filius cuius in manu erit, dum pater moritur in potestate eius non sit. Idémque dicimus & de ea quæ in nepotis manu matrimonij causa sit. quia proneptis loco est. Postumi quoque qui si viuo parente nati essent, in potestate eius futuri forent, sui heredes sunt. Idem iuris est de his quorum nomina ex lege Ælia Sentia vel ex Senatusconsulto post mortem patris causa probata in potestate eius futuri essent: & de eo filio qui ex prima secundáque emancipatione post mortem patris manumittitur, intelligimus. Cum filius filiáve & ex altero filio nepotes neptésve existent, pariter ad hereditatem † vocantur, nec qui gradu propior est vlteriorem excludit. Æquum enim videtur nepotes neptésve in patris sui locum portionéque succedere. Pari ratione etsi nepos neptísve sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptísve, simul vocantur. Et quia placebat nepotes neptésve, item pronepotes proneptésve in patris sui locum succedere, conueniens † non in capita, sed in stirpem hereditates diuidi: vt filius dimidiam partem hereditatis fruat, ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam. Item si ex duobus filiis nepotes extent, ex altero filio vnus forte vel duo, ex altero tres aut quattuor, † altera dimidiam. * *De agnatis.* Si nullus sit suorum heredum, tũc hereditas pertinet ex eadem lege duodecim tabularum ad agnatos. Vocantur autem agnati qui legitima cognatione iuncti sunt. Legitima autem cognatio hæc est quæ per virilis sexus personas coniungitur. Ita qui eodem patre nati sunt fratres, agnati sibi sunt, qui etiam consanguinei vocantur: nec requiritur an matrem eandem habuerint. Item patruus fratris filio, & inuicem is illi

† ex filio

† defierit in potestate parentis esse siue morte id acciderit

† id

† quis moreretur.

† ei

† aui vocatur.

† visum est non

† ad vnum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres vel quatuor altera dimidia.

agnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles inter se, id est, qui ex duobus fratribus progenerati sunt, quos plerique etiam consobrinos vocāt. Qua ratione scilicet etiam ad plures gradus agnationis peruenire potuerimus. Non tamen omnibus simul agnatis dat lex duodecim tabularum hereditatem, sed his qui tūc cum certum est aliquem intestato decessisse, proximo gradu sunt. nec in eo iure successio est. Ideóque si heres proximus omiserit, vel antequam hereditatem adierit, decesserit, sequentibus nihil iuris ex lege competit. Ideo autem non mortis tempore † certum fuerit aliquem intestatum decessisse † quam si quis testamento facto decesserit, melius esse visum est tunc requiri proximum, cum certum esse cœperit neminem ex testamento heredem fore. Quod ad feminas attinet, hoc iure aliud in ipsarum hereditatibus capiendis placet, aliud in ceterorum ab his capiendis. Nam & feminarum hereditates proinde agnationis iure redeunt atque masculorum. nostræ vero hereditates ad feminas vltra consanguineorum gradum non pertinent. Itaque soror fratri sororíve legitima heres est. amita vero & fratris filia heres esse non potest. Sororis autem nobis loco est etiam mater aut nouerca, quæ per in manum conuentionem apud patrem nostrum ius filiæ cōsecuta est. Si quis defunctus erit, si sit frater & alterius fratris filius, sicut ex superioribus intellegitur, frater potior est, quia gradu præcedit. sed alia † faciat iuris interpretatio inter suos heredes. Quod si defuncti nullus frater exstet, sed sint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet. sed quæsitum est si dispari numero sint, forte nati ex vno vnus vel duo, & ex altero tres aut quatuor, vtrum in stirpes diuidenda sit hereditas, sicut inter suos heredes iuris est, an potius in capita. Iamdudum autem placuit in capita diuidendam hereditatem. Itaque quotquot erunt ab vtraque parte personæ † in tot portiones * fuerunt. Si nullus agnatus sit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat. Qui sint autem gentiles primo Commentariorum & vltimum est. & cum illic admonuerimus gentilitium ius in desuetudinem abiisse, superuacuum est hoc quoque loco de ea re curiosius tractare.

*

† sed eum certum

† quia

† fuerat

† tot portiones fient

PAVLVS libro sententiarum VII. sub titulo De † testamētorum successionibus. Intestati dicuntur qui testamentum facere non possunt, vel ipsi linum, vt intestati decederent, abruperunt: vel hi quorum hereditas repudiata est, cuiúsve condicio defecerit. Sine iure Prætorio factum testamentum † abiecta doli expectatione obtinebit. Eorum quorum testamenta rumpuntur, aut inrita fiunt, ipso quidem iure testamenti decedunt * Intestatorum hereditas lege duodecim tabularum primum suis heredibus, deinde agnatis & aliquando quoque gentibus deferebatur. Sane † consanguineis lex non adprehenderat interpretatione prudētium primum inter agnatos locum acceperunt. Sui heredes sunt hi primo loco filius, filia in potestate patris constituti: nec interest adoptiui sint an naturales & secundum legem Iuliam Papiámve quæsiti, modo maneant in potestate. Qui sui heredes sunt, ipso iure heredes etiam ignorantes constituuntur, vt furiosi, aut infantes, & peregrinantes, quibus bonorum possessionis propter Prætoriam actionem non erat necessarium. In suis heredibus adeo ad mortem testatoris rerum hereditariarum dominium continuatur, vt nec tutoris auctoritas pupillo, nec furiosis curator sit necessarius, nisi forte † soluenda sit hereditas: quamuis etiam furiosus si resipuerit, & pupillus

† intestatorum

† abiecta doli exceptione

† cōsanguineis lex nō adprehendit: at.

*

† soluendo non sit

pillus si adoleuerit, abstinere possint. Post mortem patris natus, vel ab hostibus reuersus, aut ex primo secundóve mancipio manumissus, cuiúsve erroris causa probata, licet non fuerint in potestate, sui tamē patri heredes efficiuntur. Post filios, filias, ad intestatorum successionem inter suos veniunt nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, ac deinde masculino sexu post filium descendentes, si nullus parentum impedimento ipsis in aui potestate vel proaui familia remanserit. Parentes enim liberis suis cum quibus in potestate fuerūt ipsi, ordine successionis obsistunt. Filij si cum nepotibus ex alio filio susceptis in familia retinentur, ab intestato ad patris successionem cum fratris filiis vocantur: quibus in patris sui partem venientibus, hereditas in stirpes non in capita diuiditur, ita vt filius & plures nepotes singulos semisses habeant. Idque euenit si † ab eo ex duobus filiis in patrum numero nepotes successerint. Ex filia nepotes sui heredes non sunt. in aui enim materni potestate alienam familiam sequentes, ipsa ratione esse non possunt. Eo tempore suus heres cōstituendus est, quo certum est aliquem intestatum decessisse: quod ex euentu deficientis condicionis, & ortu nepotis qui viuo auo post mortem patris natus, iniri potest. Quem filius emancipatus suscepit, vel adoptauit, sui heredis locum in aui successione, sicut ipse pater, obtinere non potest: Adoptiuus tamen ne quasi cognatus bonorum possessionem eius potiri potest. Si sui heredes non sunt, ad agnatos legitima hereditas pertinebit, inter quos primum locum consanguinei obtinent. Agnati autem sunt cognati virilis sexus per virilem descendentes, sicut filius fratris, & patruus, deinceps & tota succesio. Inter agnatos & cognatos hoc interest. In agnatis enim etiam cognati continentur: inter cognatos vero agnati non comprehenduntur. Et ideo patruus agnatus est & cognatus, auunculus autem cognatus tantummodo est. Consanguinei sunt eodem patre nati, licet diuersis matribus, qui in potestate fuerunt mortis tempore, adoptiuus quoque frater si non sit emancipatus, & hi qui post mortem patris nati sunt, vel causam probauerunt. Soror iure consanguinitatis tam ad fratris quam ad sororis hereditatem admittitur. Consanguineis non existentibus, agnatis defertur hereditas, provt quis alterum gradu præcesserit. Quod si plures eodem gradu consistunt, simul admittuntur. Si sit frater defuncti, & fratris filius & nepos, † fratres & non existentes * filius fratris nepoti præfertur. Sed si duorum fratrum sint liberi, non in stirpes sed in capita hereditas distribuitur, scilicet vt pro numero singulorum † virium distribuatur hereditas. Feminæ ad hereditates legitimas vltra cōsanguineas successiones non admittūtur, Id quod iure ciuili Voconia † rationem videtur effectum. ceterum lex duodecim tabularum sine vlla discrepatione sexus cognatos admittit.

† tam

† fratre herede nō existente

† viritim

† rogatione

VLPIANVS libro singulari sub titulo de legitimis hereditatibus, INTESTATORVM gentilitiorum hereditates pertinent primum ad suos heredes, id est, liberos qui in potestate sunt, ceterósque qui liberorum loco sunt. Si sui heredes non sint, ad consanguineos, id est fratres & sorores ex eodem patre. Si nec hi sunt, ad reliquos agnatos virilis sexus per mares descendentes eiusdem familiæ. His enim cautum est lege duodecim tabularum hac, SI INTESTATVS MORITVR CVIVS HERES NEC † EST AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM † HABEATVR. Si agnatus defuncti non sit,

*

† ESCIT

† HABETO

eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat his verbis, SI GNATVS † NESCIT GENTILES FAMILIAM HERES HANC. nec * gentilitia iura in vsu sunt.

† NEC ESSIT.

ITEM ab intestato institutionum. Ab intestato quoque hereditas defertur aut per ius ciuile, aut per Prætoris beneficium. per ius ciuile suis heredibus, vel liberis qui in potestate fuerunt, filij filiæ & deinceps qui in locum defuncti parentis, qui ex eodem nati sunt, succedunt.

ITEM eodem libro. Post suos ab intestato legitimi admittuntur, primum consanguinei, ij sunt fratres & soror qui in eiusdem potestate patris fuerunt, & si ex diuersis matribus nati sunt. Consanguineos & adoptio facit, & adrogatio, causæ probatio, & in manu conuentio.

ITEM eodem libro. Et consanguineis legitimi vocantur. hi sunt agnati qui nos per patris cognationem contingunt virilis sexus. Nam sciendum feminis vltra consanguineas, hereditates legitimas non deferri. Suis Prætor solet emancipatos liberos, itemque ciuitate donatos coniungere data bonorum possessione: sic tamen vt bona, si quæ propria habent, his qui in potestate manserunt, conferant. Nam æquissimum putauit neque eos bonis paternis carere, per hoc quia non sunt in potestate, neque præcipua bona propria habere, cum partem sint ablaturi suis heredibus.

ITEM libro qui supra. * De suis heredibus. Post consanguineos Prætor vocat cognatos. Cognati autem sunt qui nos per patrem aut matrem contingunt. Post cognatos virum & vxorem. Et hæc si qui decessit, non fuit libertinus vel stirpis libertinæ. Ceterum si libertinus est vel libertina, ad patronum eius legitima hereditas patronámve lege duodecim tabularum refertur.

† Liberti.

ITEM eodem libro. Post familiam † patroni vocat Prætor patronum & patronam: item liberos & parentes patroni & patronæ. deinde virum & vxorem, mox cognatos patroni & patronæ. Quod si is qui decessit liber fuit ex remancipatione manumissus, lex quidem duodecim tabularum manumissori legitimam hereditatem detulit, sed Prætor æquitate motus decem personas cognatorum ei prætulit has, patrem, matrem, filium, filiam, auum, auiam, nepotem, neptem, fratrem, sororem, ne quis occasione iuris, sanguinis necessitudinem vinceret. Sed Imperator noster in hereditatibus quæ ab intestato deferuntur eas solas personas voluit admitti quibus decimæ inmunitatem ipse tribuit.

CONSVLTATIO

CONSVLTATIO VETERIS CVIVSDAM IVRISCONSVLTI.

CONSVLVISTI me vtrum inter fratrem & sororem habita de rebus diuidendis pactio virtutem aliquam possit retinere, quam tamen pactionem dicis mulierem illam metu mariti & imperio subscripsisse, & ignorasse quæ vel quales condiciones ipsi pactioni fuissent inditæ vel insertæ. Ergo si ita est quemadmodum tua Consultatione significas, pactum huiusmodi iure dissoluitur. Nec stare poterit, quia legum beneficiis omnimodis impugnatur. † Primoréque iuxta id quod proposuisti capite, inuiti pactio & metu coacti ipsis legibus de pactis clamantibus apertissime infirmatur. nam manifeste constitutum est, ne quispiam pacisci cogatur inuitus. Dein textus memoratarum legum sic continet, quas libero arbitrio & voluntate confecit. Quis erit tam destitutus sapientia & vacuus intellectu, vt dicat illam pactionem fortem & firmam esse debere, quam mulier metu coacta mariti subscripsit imperio? Ac sic liberam voluntatem & proprium arbitrium non intelligitur habuisse. Ac per hoc ipso legum capite, sicut iam supradictum est, tale pactum nullius iudicatur esse momenti, quantum leges subter annexæ testãtur. *Ex corpore Gregoriani lib.* II. IMP. SEVERVS A. *Iulio Conserturino.* Ea quæ per vim & metum gesta sunt etiam citra principale auxilium irrita esse debere iampridem constitutũ est. *Accepta Kal. Iul. Dextro* II. *& Crispino Coss. Item alia ex corpore & libro supradicto. Imp. Antoninus* A. *Iuliæ Basilæ.* Pacta quæ ab inuitis contra leges Constitutionésque fiunt, nullam vim habere indubitati iuris est, & cet. PP. V. Kal. AVG. ANTONINO A. VI. *& Albino Coss.* IMP. ALEXANDER A. DIONYSIO, ad locum. Pactum quod mala fide factum est, irritum esse & cetera. PP. II. *Id. Sept.* ALEXANDRO AVG. CONS. *Item alia eodem libro & corpore.* IMPP. DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS AA. AVRELIO HERACLIDI. Si non ex mandato vxoris tuæ, aduersario eius cautionem remisisti, idque euidentibus documentis monstrari potest, quod citra conscientiam vxoris tuæ & ea inuita factum est, carebit effectu. PP. VIII. *Id. Sept. Diocletiano* V. *& Maximiano* III. *Coss. Item alia eodem libro & corpore.* IMPP. CARVS & NVMERIANVS AA. AVRELIO.

† *Primo ordineque.*

Cùm fraudis studio transactionem interpositam esse dicas, quod inte vos gestum est infirmat iuris auctoritas. Et reliqua. PP. VI. ID. DECEMB CARO & CARINO COSS. Ergo si leges seruantur & custodiuntur Principum statuta, pactionem de qua locuti sumus manifestissimum est nullas vires habere. Nam hoc loco Theodosiani legem de pactis pro hoc credidi inserendam, quia initium ipsius Constitutionis tale est vt dicat, Si aduersum pacta vel transactiones quas libero arbitrio & voluntate confecit, putauerit esse veniendum, & pœnam reddat & emolumenta perdat & infamiam incurrat. Sed ille qui liberum arbitrium habuit, non ille qui inuitus fecit & faciendi liberam voluntatem non habuit.

Secundo loco me consulendum sub hac voce duxisti, vt diceres diuisionem in castello sic factam à marito mulieris ipsius, vt illa nesciente, domus cum membris suis vel hospitiis circumiectis diuisa sit sine conscientia vxoris. Si ea prædictus maritus fecerit, nulla æqualitate seruata, nulla compensatione in omnibus custodita, ad hæc verba ex legum Cõstitutione respondi, maritum in negotiis vxoris sine mandato non rectè aliquid definire, nec posse aliquid firmum & stabile esse, quod sine conscientia vxoris de rebus vxoriis visus fuerit transegisse: præsertim si doceatur inutilis esse & sine æqualitate vel compensatione ipsa diuisio. Notum est, quòd etiam si mandato vxoris niteretur, & fraudulenta diuisio vel minus æqualis posset ostendi, vacua & inanis specialiter remaneret. Adde quod sine vxoris conscientia maritus dicitur definisse, qualem poterit habere virtutem? aut quid valebit cùm primùm vxor hoc refragari voluerit? Sed ne fortè dicat amplexa es diuisionem & acquieuisti rebus diuisis, respondendum est legaliter & pro omni veritate hoc specialiter habendum, quia etiam inter maiores personas & legales si fraudulenta diuisio facta probetur, legibus rescinditur, & à Iudice diuisio ipsa æstimantibus magnis viris ad meliora reducitur, & facta compensatione firmior diuisio constituitur, sicut lex infra scripta euidenti lectione declarat. *Ex corpore Gregor. libro III. Imperatores Diocletianus & Maximianus* AA. *Aureliæ Seueræ.* An diuisio quam iam factam esse proponis conuelli debeat, Rector prouinciæ præsente parte diuersa diligenter examinabit, & si fraudibus eam non caruisse prospexerit, quando etiam maioribus in perperam factis diuisionibus soleat subueniri, quod improbum atque inæqualiter factum esse constiterit, in melius reformabit. P P. XVII. *Kal. Iul. Ipsis VI. & Constantio* III. *Coss.* Item alia eodem libro & corpore *Impp. Diocletianus & Maximianus* AA. *Aproniæ Mammæ.* Si diuisio inter te & sororem tuam non bona fide facta est, etiam citra principalis restitutionis auxilium, quod etiam maioribus tribui solet, ad æquitatis temperamentum reformari potest, & cet. P P. VI. KALEND. IVL. MAXIMIANO II. & AQVILIA CONSVLIBVS.

Tertio loco vel capite interrogandum me specialius censuisti, vtrum contra iudicium iri possit, quod aduersus maritum in causa mulieris prius datum est, eo quod mandato vsus fuerit vxoris suæ, & in causa ipsa victus abscesserit, & contra eum iudicium prolatum fuerit. Addidisti etiam quod mandatum neque gestis legaliter fuerit allegatum, nec satisdatorem dedisset ille

ille ipse procurator ab vxore factus, & sic causam dixisset, Quod si verum est, illud iudicium dici non potest. Sed nec Iudices sine verecundia & turpitudine erunt, qui personam in ipso litis initio non inquisierunt, sicut est legum: nec fecerunt vt satisdatorem daret procurator, quod & consuetudinis est. Et reuera legaliter obseruatur. Ac præterea si hoc factum non est, nullam personam habuit litigandi. Sed nec illi potuerunt in causa proferre iudicium, vbi fuit procuratoris ludificatoria, inanis & nulla persona. Quid potest esse miserius? quid abiectius? quid legibus sic contrarium, vt ingrediatur audientiam sedentibus Iudicibus ille qui nullam in se habeat firmitatem, & citra legum solemnia vanas actiones intendat. Respice leges subter adiectas. Tunc intelliges, quod qui mandato vtitur, satisdatorem dare debet. Sed in illo mandato hoc futurum est, vbi aut verbo mandatur aut gestis epistola mandati legitur allegata. Ergo testimonium legum, sicut iam dictum est, sequentium diligenter attendite. Sic agnoscetis Iudicium stare non posse, vbi ad agendum solemnis persona, id est solemniter ordinata, ingressa non fuerit. *Ex Pauli Sententiarum lib.*1. Voluntarius procurator qui se negotiis alienis offert rem ratam dominum habiturum cauere debet. *Item alia eodem libro & corpore.* Actoris procurator non solum absentem defendere, sed & rem ratam dominum habiturum satisdare cogitur. *Item alia eodem libro & corpore.* Petitoris procurator rem ratam dominum habiturum desiderante aduersario satisdare cogendus est. quia nemo in re aliena idoneus est sine satisdatione. *Item alia eodem libro & corpore.* Si satis non det procurator absentis, actio ei absentis nomine non datur. Quid apertius quàm leges suprà scriptæ declarant, quòd nulla actio per procuratorem sine satisdatione intendi potest aut proponi. Ergo si actio non datur illi procuratori qui satis non dederit, quomodo poterit dici aut nominari iudicium vbi accusationis vestigium nullatenus inuenitur? Quid testificantur principes per Constitutiones innumeras, nisi nulla esse debere iudicia, vbi procurator satisdationem non dederit aut rem ratam dominum habiturum euidentissima sponsione firmarit? Attentus audi quid loquitur lex subter adiecta: tunc intelliges cadere iudicia quæ sine procuratoris satisdatione fuerint omnino prolata. *Ex corp. Theodosiani lib.* 11. I*mpp. Valentinianus & Valens* AA. Commune negotium & quibusdam absentibus agi potest, si præsentes rem ratam dominum habiturum cauere sint parati: vel si quod ab his petitur, iudicatum solui satisdatione firmauerint. P P. VI. *Id. Decem. Diuo* Iouiano *&* *Varroniano Coss.* Item eodem libro & titulo. IMPPP. GRATIANVS, VALENTINIANVS & THEODOSIVS AAA. PANCRATIO PF. P. In principio quæstionis persona inquiri debet, vtrum ad agendum negotium mandato vtatur accepto. quibus rite & solemniter constitutis potest esse sententia. præteritis autem his nec dici controuersiæ solent, nec potest esse iudicium, &c. *Dat. prid. Non. Apr. CP. Antonio & Syagrio Coss.*

In Dei nomine quid tractari aut obseruari debeat quoties pacta inter partes emissa fuerint, si cõdiciones tales interponantur quæ nec legibus nec rationi cõueniũt, quid agere aut obiicere aduersario debeas lectionib[9] subter adnexis poteris euidẽtius informari, quia tantũ dubiis rebus pacisci possumus. De re-

bus enim certis & incertis & futuris aut de crimine transigi nulla penitus ratione potest. *Paulus Sentent. lib. 1. tit. de pact. & conuentionibus vel transactionibus.* Functio dotis pacto mutari non potest, quia priuata conuentio iuri publico nihil derogat. In bonæ fidei contractibus pactum conuentum alio pacto dissoluitur, & licet exceptionem pariat, replicatione tamen excluditur, eodem lib. & tit. Enimuero si de re iudicata aliqua pactio interponatur, stare legibus non potest. Ad quam pactionem excludendam, harum Pauli sententiarum proferes lectionem. Post rem iudicatam pactum nisi donationis causa interponatur, seruari non potest. lib. 1. tit. De transact. *Item eod. lib. & tit.* Neque contra leges neque contra bonos mores pacisci possumus. De criminibus propter infamiam nemo cum aduersario pacisci potest. Idem lib. 3. tit. de institu. hered. Pacta vel condiciones contra leges vel decreta principum vel bonos mores nullius sunt momenti. *Ex corpore Hermogeniani tit. de pact. & transact. Impp. Diocletianus & Maximianus* AA. *Seuastiano.* Neque ex nudo nascitur pacto actio, neque si contra bonos mores verborum intercessit obligatio, ex his actionem dari conuenit & reliqua. PP. IIII. Kal. Iun. iisdem Coss. *Item eodem corpore & lib. Iidem* AA. *&* CC. *Flauio Rumitalo.* Inter cetera, & ad locum. Pactum neque contra bonos mores neque contra leges emissum valet. & reliq. PP. *Id.* * AA. *Coss.* Item eodem corpore & tit. *Iidem* AA. *&* CC. *Zeuxiano Antonino.* Pacto transactionis exactio iudicati non tollitur. Vnde si pater tuus condemnatus iudicio, post transegit & soluit, solutione magis quàm transactione tuum defende negotium. & reliq. PP. XVIIII. *Kal. Ian. ipsis* AA. *Coss.*

In Dei nomine quid tractari debeat quotiens aduersarius aliqua sibi directa, sublata, proposita intendit actione reposcere, primore in loco debet personam suam quæ sit ad repetendum idonea, euidenter ostendere. Et dum claruerit eum ad repetendum personam habere legitimam, in genere actionis quid aut quantum aut quas species in modum & mensuram vel summam & quantitatem debet specialiter designare & indubitanter exprimere. Quæ vniuersa secundum leges subter adnexas hi qui iudicaturi sunt petitorem implere compellunt, qui si aut neglegere aut satisfacere legibus fortasse nequiuerit, caussam perdat, secundum leges subter adnexas. Quibus modis caussa petitor cadit leges lib. 1. Paul. Sentent. tit. de eo qui causa cadit. Ita, Causa cadimus aut loco aut summa aut tempore aut qualitate. Loco, alibi: Summa repetendo: tempore ante petendo: qualitate eiusdem rei speciem meliorem postulantes. Item lib. 1. Pauli sentent. Sub titulo, Si hereditas vel quid aliud petatur. Hereditas pro ea parte peti debet pro qua ad nos pertinet Alioquin plus petendi periculum incurrimus & caussam perdimus. *Ex corpore Hermogeniani tit. de calumniatorib. & plus petendo. Impp. Diocletianus & Maximianus* AA. *Aurelio Dextro.* Inter cetera, & ad locum. Si tutor vel curator plus petierit, causa cadit: quod cùm factum esse dicas, frustra à nobis remedium quæris, quia te ratio iuris impugnat. PP. IIII. Id *Decemb. Nicomediæ.* CONSTANTIO ET MAXIMO COSS. Idem eodem corpore. ET IISDEM AA. ET CC. CLAVDIO MENANDRO. Quotiescunque ordi-

ordinatis actionibus aliquid petitur. Ideo petitor cogitur specialiter genus litis edere, ne plus debito, aut eo quod competit, postuletur. Siue itaque fideicommissum, siue fundus, siue pars fundi, siue domus, siue pars domus, siue debitum aut quodcumque petatur, specialiter designari debet petitionis summa vel quantitas cùm genus litis editur. Si quis itaque plus ab eo quod ei competit vel debetur petierit, rem & causam de qua agitur perdit. plus enim petitur, sicut responsis prudentum continetur, Summa, loco, tempore, causa, qualitate, æstimatione. Vnde instructus istius lege rescripti excipe aduersarium apud Iudicem competentem, quem si iudex plus petiisse perspexerit, extinctis aduersarij tui petitionibus pro partibus tuis sententiam dicet. PP. MEDIOLANO. XII. KALEMDAS APRILIS, TVSCO ET AQVILINO, COSS. Hic require qualiter actionis * edito pulsato fiat.

* cautio à pulsato

Iuuante Deo quid tractari debeat aduersus eum qui se heredem dicit alicuius, aut ad se hereditatem personæ cuiuslibet æstimat posse competere. Et dum agere forsitan tentauerit, primore in loco debet euidenter ostendere se personam habere legitimam, & hoc dum ostenderit, vt iuris legúmque dictat auctoritas, genus actionis edere debet, in quo manu sua subscribat, quo dato genere actionis, acceptis triduanis induciis, quarto die respondeat aduersarius suus, vt leges præcipiunt, responsionibus saluis pulsato quæ de iure & legibus suffragantur, salua etiam actione calumniæ. quia dum calumniator qui pulsat ostensus fuerit, qualis sit pœna calumniæ legibus subter adnexis ostenditur, sic tamen vt ipse probet quemadmodum sua intersit & ostendat ad se vniuersa quæ repetit pertinere. Illud præcipuè summa cum cautela obseruari oportet, vt si aduersarius scripturam aliquam donationis ostenderit, & primore in loco fidem faciat scripturæ, quam dum fecerit, in eadem munificentia singulæ quæque res si scriptæ fuerint quæ donantur, sicut leges iubent, valet facta donatio, & si eas dum vixit in bonis suis habuit, aut eius iuri vel dominio competebant, aut si lite contestata de hac luce migrauerit, quæ vniuersa qualiter & quibus modis adstruere, defensore vel aduersario diuinitatis auxilio resistere debeas, inferius continentur adscripta. Et ne fortè dicat aduersa pars aliqua sibi principali rescripto aut præceptione fuisse concessa, ad huiusmodi versutiam potest pulsatus modis omnibus replicare, principem ea semper velle concedere quæ legibus rationíque conueniunt: quia causa quæ nullam de legibus sortitur firmitatem in præiudicium alterius à principe non potest sumere firmitatem, sicut idem inferius declaratur. Petitio hereditatis cuius defunctus litem non erat contestatus ad heredem non transmittitur. Lib. I. Sententiarum, tit. 6. Si hereditas vel quid aliud petatur. Qui petit hereditatẽ, ipse probare debet ad se magis quàm ad eum qui possidet, siue ex testamento, siue ab intestato pertinere. Idem eodem libro & titulo. Eas res quas quis iuris sui esse putat, petere potest: ita tamẽ vt ipsi incũbat necessitas probandi eas ad se pertinere. Idem eod. leges lib. & tit. iiij. In petitione hereditatis ea veniũt quæ defunctus mortis tẽpore dereliquit, vel ea quæ post mortem ante aditam hereditatẽ ex ea quæsita sunt. Eod. lib. & tit. Si hereditas vel quid aliud petatur. lib. II. Sent. Pauli tit. ex empto &

vendito. Heredibus debitoris aduersus creditorem qui pignora vel fiducias distraxit nulla actio datur, nisi à testatore inchoata ad eos transmissa sit. Lib. III. Paul. sent. tit. de legatis. Post diem legati cedentem actio quæ inchoata non est, ad heredem non transmittitur.

Item qualiter donatio fieri debeat, ex corpore Hermogeniani tit. de donat. inter vir. & vxor. *Impp. Diocletianus & Maximian. A A. Septimio Sabiniano* Cùm de bonis tuis partem quidem tertiam penes te retinuisse, partem verò tertiam in eum quem tu in potestate habebas, ac tertiam in emācipatum donationis titulo contulisse commemores, non est iuris incerti in eum quidem qui in sacris familiæ tuæ remanet, destinationem magis paternæ voluntatis factam quàm perpetuam donationem peruenisse, nec in emancipatum translatam. si generaliter idem pater tertiam bonorum donasti, quia generaliter bonorum portionem donari non posse cum singulæ res nominari debeant quæ donatione, emancipatione vel in iure cessione transferuntur & reliqua. *Dat. prid. Kal. Mai. Heraclea ipsis* A A. *Coss*. Idem eod. lib. & tit. *Impp. Diocletian. & Maximian.* A A. *Cretiano Maximo*. Nec venditio donationis causa bonorum omnium valet, sed rerum singularum nominatim donatio facta capit effectum, & cet. *Dat. VIII. Kal. Ianu. Cæsarib. Coss.*

Item leges legatum si per codicillos dimissum fuerit, sine testamento valere non posse. Ex corpore Hermogeniani tit. de donat. int. vir. & vxor. *Iisdem* A A. & CC. *Aurelio Altino*. Inter cetera & ad locum. Codicillis autem sine testamento legatum nec adimi nec dari potest. *Datum sub die VIII. Kal. Ian. Nicomedia*. CC. *Coss.*

Item leges qua pœna calumniatores plectendi sint. Ex corpore Hermogeniani tit. de calumniatorib. *Impp. Diocl. & Max.* A A. *Quintiano*. Tibi magis quàm aduersario qui per calumniam petit supplicas, contra quem iudicio tutelæ conuenit excipi actionem ad quam respondere debes, quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulatæ calumniæ decimæ partis eius quod competit, tibi condemnari eum desiderare potes. *PP. XI. Kalend. Nouemb.* A A. *Coss.*

Item leges, qualiter petitor probare debeat quòd intendit non ab aduersario instrui. Ex corpore Hermogeniani tit. ad exhib. *Impp. Dioclet. & Maximian.* A A. *Aurelio Diogeni*. Nimis graue est quòd petitis vrgeri ad exhibitionem partem diuersam eorum per quos sibi negotium fiat. vnde intelligitis quod intentioni vestræ proprias adferre debeatis probationes, non aduersum se ab aduersariis adduci. *PP. Kal. Mai.* A A. & CC. *Coss*. Idem eodem corpore tit. Vbi agi debeat. *Impp. Dioclet. & Maximian.* A A *Flauianæ*. Inter cetera & ad locum. Quæcumque ad te pertinentia detineri dicis ab his quorum meministi vel probaueris tibi deberi, Præses prouinciæ restitui prouidebit. *PP. VII. Id. Ian.* A A. *Coss*. Idem eodem corpore tit. de Instrumen. *Impp. Diocletian. & Maximian.* A A. *Iulio Pancratio*. Inter cetera & ad locum. Omissis itaque istiusmodi moris, si intentionem suam incipiat aduersarius tuus implere, perscriptionibus temporis vel alterius & tu causam magis tuam defende, habens securitatem victoriæ, si quod intendit aduersarius tuus probationibus implere non possit. PP. DD. *Dioclet.* V. A. & *Maximia A. Coss*. Item leges, quòd scriptura quæ nullam de legibus habeat firmi-

firmitatem firmari hanc à Principe non debere. Eodē corp.tit.de testament. *Impp.Diocletian.Maximian.&* A A.*Aurelio Secūdino Optioni.* Inter cetera & ad locū.Scriptura quæ nec iure nec legibus cōsistit nec à nobis hanc confirmari conuenit, quippe cùm beneficia citra cuiusdam iniuriam petentibus decernere minimè soleamus. P P.V I I.*Kalend.Nouemb.Martianopoli.*CC.*Coss.*Item leges qualiter quod actor habuit, hoc eius heredi possit competere. Ex corpore Hermogeniani titul.de successionibus.*Impp.Dioclet.& Maximia.* A A. *Aurelio Asterio.* Inter cetera & ad locum. Si secundum edicti formam testamentum signatum extitit, bona quæ cum moreretur actor tuus, eius fuerūt, solemniter petes,& rel. P P.I I I.*Kal.April.Sirmio* CC.*Coss.* Idem eodem corpore tit.de pact. & transact.*Impp.Dioclet.& Maxim.* A A. *Eusebio.* Inter cetera & ad locum. Manifesti atque euidentis iuris est, antequam cerneret vel pro herede gereret, vel bonorum possessionem peteret defuncta, successionem,eam non potuisse ad heredes suos transmittere.PP.X.Kal.MArt.Iisdem A A.Coss. Item leges qua pœna calumniatores plectendi sunt lib.1.Sentent. tit. de calumniato. Calumniosus est qui sciens prudénsque per fraudem negotium alicui comparat.Idem lib.v.titul.de priuat.& pub.iudic. Omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectendi sunt. Quantum ad nos delatæ pactionis textus insinuat, potius cōtra bonos mores chartola ipsa litigij seminarium propagauit, quàm tum vtili deliberatione adsurgentium iurgiorum scandala resecauit. Dignoscitur itaque calliditas dictantis non habuisse prudentiam. Dum igitur contra legum iurísque ordinem veniens iustam arbitrij ignorauit custodire mensuram,quæ tanta duarum personarum dignitas potuit reperiri, aut quæ intra regionem tanta fuit defectio iudicantium, vt nec triumuirale iudicium etiam de rebus iudicatis malè paciscētium non tam electio, sed quod verius dici constat facilitas eligisset de rebus enim iudicatis soli Principi & contra Iudices licuit iudicare,aut si ita conuenerat vt iudicij vinculum solueretur. Ergo pactio ipsa iudicij ordinem & Cōstitutionem infirmat, quæ discingit quòd tamen non paciscendo sed donando fieri potuisset, secundum sententiam Pauli iuridici,cuius sententias sacratissimorum Principum scita semper valituras ac diualis Constitutio declarauit. Pauli sent.1.lib.de pact. Nec contra leges nec contra bonos mores pacisci possumus. Item eod.lib.& tit.Pactum contra ius aut Constitutiones aut S.C.interpositum nihil momenti habet. Item ex corpore Pauli de pact. & conuentis. Post rem iudicatam pactum nisi donationis causa interponatur, seruari non potest. Intelligis memoratæ pactionis Constitutionem iuridici auctoris sententiis vacuam. Quid inquam vlterius requirendum?dicit pars aduersa. Pacti sumus libero arbitrio, nullo cogentis imperio:sibi bonis moribus constet. Si certum non contra iussa & Senatusconsulta, quæ iudicata sunt prius effectui cōtradantur,& de his quæ altercationi superesse noscūtur, si dignus ac legalis numerus Iudicum qui cuncta lata sententia moderatione discingat. Certè si necesse est rusticis improbísque moribus aliquid amplius satisfieri,ipsi duo quos quasi prȩfata carthola nominauit sub prȩsentia electarum personarum, defensore quoque adhibito appellentur, vt si præsumunt aut putant iustum vel legale, audiant quæ partes iurgantium crediderint intimanda, & si ipsius cartholæ quæ iam dignoscitur iuris formulis vacuata, modū æstimant se su-

plere, promant de agnitis legis sententiam, tunc & ipsi sentient quid sit temeritas iudicantis, vbi minor numerus post maiorem, præterea & religiosorum quos non summi Pontificatus honor attollit, contra res iudicio terminatas præsumpserit ferre sententiam, ac si destiterint, contestatio allegetur, illos aut differre, aut non præsumere aut electionem impleant paciscentium. Demùm si quæ in contentionem veniunt, aut ampliori numero Iudicum aut summæ potestatis sunt arbitrio decernenda: deinde verò quod minimè fuerat necessarium consultationem nostram tuis vtilitatibus sciscitari, si auus maternus nepoti aliqua contulisse noscatur, vtrum in iure eius manere debeant, an matri in possessione sua consorti persuasionibus lubricis imputari, pro eo fortasse quod vsufructuaria mater sit de proprietate filij constituta, ac si filiæ proprium vel cuilibet extraneo aliquid reliquisset, domino de facultate sua testari non licuit. Cúmque etiam si pater filij superesset, nec ad ipsum ab auo materno quod nepoti collatum fuerat, pertineret. Hoc etiam C. Th. declarat auctoritas, quod tamen superfluum penes electas magnificásque personas fieri iudicamus: sed necesse est vt ignorātia rusticitatis, vel tergiuersationis iniquitas directis semper oblationibus comprimatur. Ex Theodosiani lib. IX. sub tit. de mat. & bo. & mat. gen. cretione sublata. *Impp. Hono. & Arcad.* A A. *Florentio præf. vrb.* ad locum. Quicquid auus, auia, proauus, proauia, nepoti, nepti, pronepoti, pronepti cuiuslibet tituli largitate contulerint, id est, testamento, fideicommisso legato, codicillo, donatione vel etiam intestati successione pater filio filiáve integra inlibatáque custodiat. *Dat. prid. Id. Octob. Mediolano*, OLIBRIO ET PROBINO COSS. Luce clarius constitit patefactum, nec matri visum obesse vt de reliqua facultate possessionē debitam consequatur, & circa nepotem munus auiaticum perpetua liberalitate mansurum. Hoc & consultorum iura declarant, quæ necessarium tractatui nostro non duximus adhiberi.


Adde dū sollicitudinis tuæ cura tractauit, vt de effractoribus & manifesto crimine comprehensis quam Iudex debuit ferre sentētiā, tractatus nostri pagina declaret, aut si maritus quem iudiciariæ potestatis cingit auctoritas, de seruis qui res vxorias manifesto crimine abstulisse conuicti sunt peremptoriam debuerit ferre sententiā, quasi id obiici possit, in propria causa quis iudicet stultè, huic lex diuorum Principum quæ infra legitur, opponēda, maritū illa tantùm negotia vxoris velut extraneum auctorem prosecuturū quæ procuratio emissa perscripserit. Ex corpore Theodosiani. *Imppp. Theodosius & Arcadius & Honorius* A A A. *Victori Proc. Asiæ.* Procurator licet maritus sit id solùm exequi debet quod procuratio emissa præscripserit. *Dat. V. kal. Iul.* THEODOSIO A. III. ET ABVNDANTIO COSS. Agnoscis maritum velut extraneum causam vxoriam prosecutum. Agnosce & Iudicem de manifestis reis non potuisse tardare sententiam. Item ex corpore Theodosiani lib. IX. tit. De accusationibus & inscriptio. *Impp. Arcad. & Honorius* A A. Ne diuersorum criminum rei, vel desidia Iudicum, vel quadam leuitatis ambitione per prouincias detenti in carcerem crudelius differantur, moneantur omnes Iudices productos è custodiis reos discussioni debitæ subiicere, & quod leges suaserint definire. *Dat.* III. *Non. August.* CP. ARCADIO III. ET HONORIO COSS. Hoc etiam specialiter post hanc legem Iudex sibi

ſibi metuat inferendum, quòd ſi dignam tardaſſet ex lege ferre ſententiam, dum Principum præcepta diſpexerat, ipſe legibus damnabitur. Vnde ex corpore Theodoſiani ſub titulo de diuerſis reſcriptis, id eſt, auctoritatibus. *Imp. Conſtantinus* A. & *Iulianus Cæſ. ad Taurum* P F.P. *ad locum.* Multabuntur Iudices qui reſcripta contempſerint aut diſtulerint. *Dat.* III. *Non. Iul.* CONSTANTINO A. VII. ET IVLIANO COSS. Intelligat nunc improbus accuſator cinctum iudicem & vxoria velut externa debuiſſe negotia definire, & non licuiſſe vt alienum reatum metueret, cui de manifeſtis reis nō licuit tardare ſententiam. Ex corpore Hermogeniani. *Impp. Valens & Valentinianus* A A. *ad Voluſianum* PF.V. Poſt ſententiam paciſci non licere iuris ordine præcauetur. Vnde cùm ſupplicans iniquè ſe oppreſſum, & poſt ſententiam ſacri auditorij depactum eſſe commemoret, Voluſiane Parens Kariſſime atque amantiſſime, amota pœna quam pacto contra ius facto ſerenitas tua ineſſe præuiderit, legum auxilio conſulat ſupplicanti. *Dat.* IIII. *Id. Aug. Mediolani. Iidem* A A. *Pompeio Fauonio.* Hereditatem quam tibi competere iure confirmas, negotij merito diſcuſſo approbatis allegationibus, reſtituet legum fonte demanans ſententia iudicantis, remota videlicet pactione quam dolo patuerit elicitam. *Dat.* VIII. *Id. Febr. Alleg. Non. Kal. April. in Baſilica Thermarum. Comm.* IPSIS AA. COSS. *Iidem Aug. Mamertino* PF. P. Inter cet. & ad locum. Pacta quidem per vim & metum apud omnes ſatis conſtat caſſata viribus reſpuenda. *Dat.* XII. *Kal. April.* IPSIS AA. COSS. *Idem* AA. *ad Valentinianum Conſularem Piceni.* Non dubium eſt eum à fide placiti receſſiſſe qui quæ promiſerat implere noluit, Valētiniane cariſſime. Proinde ſi aduerſario ſuperſedente quominus explicare ea quæ ſponderat, fides placiti vacillat, familiares litteræ quas ad ſe miſſas dicit, ſupplici Exoperio non oberunt. Fines etiam quos temeratos adſeuerat amota præſcriptione temporis hi qui peruaſerunt, vt ratio iuris eſt, redhibere cogantur. *Alleg.* III. *Kal. Maij Flauia Feneſtri in Secretario* IPSIS AA. COSS. *Iidem* AA. *Heliæ Bauoniæ.* Lites trahi, & ſub quodam potentiæ terrore infimos fatigari iudiciorum expectat inuidia: vnde ſi aduerſarium tuum longè à filij tui ſucceſſione poſitum hæc in te quæ precibus texuiſti excogitaſſe conſtiterit, Rector prouinciæ hominis, qui nec paciſcendi, nec conloquendi de negotio ſubſtantiam habuit, impudentiam ſubmoueat, reddíque faciat quicquid claruerit vſurpatum, nec impudentia vindicet quod concedere leges & iura non poſſunt. Maximè cùm memores nec à prima pactione quæ ſubſtantiam non habebat, ſecunda conuentione diſceſſum: ſed etiam inaniter reſediſſe, quod non iam pactio, ſed quædam vſurpatitiis non ſubſiſtentibus cauſis immoderatio doceatur. *Dat.* III. *kal. Aug. Mediolani*, IPSIS AA. COSS. IMPP. *Valens & Valentinianus* AA. *Ampeliæ.* Ea quæ heredes inter ſe tranſactione interpoſita compoſuerint, firma illibatáque perſeuerabunt. Et ideò ſecundum fidem inſtrumenti conpetens tibi portio à poſſeſſoribus cum fructibus reſtituetur, per virum clariſſimum Proconſularem Africæ, amicum noſtrum fide geſtorum diligenti examinatione comprobata. *Dat.* III. *Non. Iul. Sirmio*, DIVO IOVIANO ET VARRON. COSS. *Impp. Valentinia. & Valens* AA. *Felici Conſulari Macedoniæ.* Inter cetera, & ad locum. Si ſeruilibus contuberniis ſeſe mulieres quondam ingenuæ ſubdiderint, & nunc contemnentes dominum minoris ætatis

Ex Dosithei magistri Grammatica.

IVRIS ciuilis vt quid † appositiciũ appellatur ex pluribus partibus constat.* Sed Constitutiones Imperatoris similiter † honorandum quid est & Prætoris Edictum similiter vel Proconsulis.* Ex eo enim consenserunt peritum * & ad sumptus ex responsis ista dicere. Lex enim ceteræ partes iusti appellantur.* Regulus enim ex sequenti mihi ad ea studia necessarium ante omnia scire.* Nec enim vnius sunt condicionis, sed variæ. Quæ singula pertinentia ad hanc narrationem referenda sunt in ordine. Omnes enim aut ingenui sunt, aut liberti.* Sed vt magis possint singula declarari, melius videtur incipere à libertis † de Latinis scribere ne sæpius eadem interpretari.* Primum ergo videamus quale est quod dicitur eos qui inter amicos † veteres manumittebantur non esse liberos, sed domini voluntate in libertate morari, & tantum seruiendi metu dimitti. Antea enim vna libertas erat † vindicta, vel testimonio, vel in censu: & ciuitas Romana competit manumissis, quæ appellatur legitima libertas. Hi autem qui domini voluntate in libertate erant, manebant serui, & manumissores audebãt in seruitutem denuo eos per vim ducere: Interueniebat Prætor & non permittebat manumissum seruire. Omnia tamen tãquam seruus adquirebat manumissori, † vel si quid stipulabatur, vel si per scripturam acceperat, vel ex quacũque causa alia adquisierat, domini hoc faciebat: * hoc est manumissi ad patronum pertinebat. Sed nunc habent propriam libertatem qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Iuniani: quoniam lex Iunia quæ libertatem eis dedit, exæquauit eos Latinis colonariis qui tunc erant ciues Romanorum, & nomen suum in ciuitatem dederant. In his qui inter amicos manumittuntur volũtas domini † spectatur quæ iubet eos fieri Latinos quos dominus liberos esse voluit. † Hoc tamen cùm ita habeant debet promissum manumittentis habere dominus. Vnde si per vim coactus verbi gratia ab aliquo vel ab vnoquoque hominum manumiserit, nõ veniet seruus ad libertatem: quia non intelligitur voluisse qui coactus manumisit. Similiter vt possit habere libertatem talis esse debet, vt Prætor eius vel Proconsule * ad alium pertinere, non potest vindicta manumittere obstante vsufructu, & si manumiserit eum vindicta, faciet seruum sine domino * sed Latinum. † Peregrinus manumittens seruum non potest Latinum facere, quoniam lex Iunia quæ Latinorum genus induxit, non pertinet ad peregrinos, sicut & † Octauianus probat. Prætor nõ permittit manumissum seruire, nisi aliter lege † peregrina confirmatũ fuerit. Minor viginti annorum manumittere nec vindicta potest, nec testamento. Itaque nec Latinum facere potest. Tantùm autem apud consilium potest manumittere seruum suũ causa probata. Hic autem qui manumittitur quotcumque sit annorum, Latinus fit, & solum ei † hoc procedit libertas vt iterum manumitti possit & ciuis Romanus fieri. Mulier sine tutoris auctoritate nisi liberorum ius habeat. Tũc enim ex vindicta sine tutore potest manumittere. Vnde si mulier absens liberum esse iusserit quæ ius liberorum non habet, quæsitum est si tutores eius auctoritatem commodent eo tempore quo epistula scribitur seruo à domina*, Iulianus negat. Existimat enim eo tempore debere auctoritatem præstare in

† ἐντιθημένον.
† *honorarium quod.*
† περὶ ῥωμάιων.
† *apud veteres.*
† ἐκ προσασ[illegible]ς ἢ κατὰ διαθήκην ἢ ἐν ἀποτιμήσει.
† ἃ ἐπιπεπερωτάτω ἢ κατὰ γραφὴν εἰλήφει.
† *spectatur ex lege Iunia.*
† τοῦτο οὕτως ἔχοντες ὀφείλουσιν προαίρεσιν, &c.
† ξένος.
† *Octauen**.
† ἑλλήνων.
† *ad hoc* τούτω.


Tritauus
Patruus maximus
Atauus
Patruus maior
Patrui maioris filius
Abauus
Patruus magnus
Patrui magni filius
Patrui magni nepos
Proauus
Patruus
Patrui filius
Patrui nepos
Patrui pronepos
Auus
Frater
Fratris filius
Fratris nepos
Fratris pronepos
Fratris abnepos
LEGE HEREDITATES
Pater
QVEMADMODVM REDEANT
EGO
CONSANGVINEI SVNT INTER SE.
HI QVOQVE SVNT INTER SE CONSANGVINEI.
ITEM CONSANGVINEI SVNT INTER SE.
ET HI INTER SE SVNT CONSANGVINEI.
SVNT QVOQVE INTER SE CONSANGVINEI.
ITEM IJ SVNT INTER SE CONSANGVINEI.
Filia quæ in potestate est
Neptis quæ in potestate est
Proneptis quæ in potestate est
Abneptis quæ in potestate est
Adneptis quæ in potestate est
Trineptis quæ in potestate est

PAPIANI LIBER RESPONSORVM.

De patris vel matris donatione & munificentia dominorum. *Tit. I.*

Videantur antiqua Burgũdionum leges.

DOnationem quam pater de rebus propriis in filiũ filiámve conscripserit, si gestis fuerit allegata, & si eá pater apud Iudicem locorum probatis læsionis causis non reuocauerit, aut ipsa donatio dodrantem, id est, nouem vncias non excedit secundũ legem Theodosiani lib. VIII. ad Philippum. PF. P. promulgatam, de remouendis donationibus, firmissimam permanere.

De maternis etiam donationibus hoc totum quod suprà simili condicione seruabitur. Sanè si mater quæ donationem in filium filiámve fecit ad secundas transierit nuptias, donationem quam fecit nullatenus habebit licentiam remouendi secundum legem Theodosiani lib. VIII. ad Orfitium PF. V.

De donationibus dominorum perpetem firmitatem accipientibus etiam circa heredes & proheredes lege firmatur, id est, ex corpore Theodosiani lib. XI. tit. XX. Strategio Com. R. P.

De homicidiis. *Tit. II.*

HOmicidam tam ingenuum quàm seruum, si extra Ecclesiam inueniatur, morte damnari, si voluntarie homicidium factũ sit. Si verò casu vel vitandæ mortis causa dicatur admissum, ad Principis notitiam per relationem Iudicis est referendum, & eius sententia expectanda, secundum legem ex corpore Nouellarum Theodosij & Valentiniani ad Maximum Patricium datam. Si verò ad Ecclesiam seruus homicidij reus fortè confugerit, quia lex Theodosiani lib. VIII. ad Antiochũ data ab Ecclesia nullum inermem permittit abduci, indulta vita pro eo quem occidit ipse deseruiat. Qui verò armatus se intra Ecclesiam tueri temptauerit secundum legem ipsam, cum conscientia Episcopi abstrahatur.

De ingenuo verò homicida intra Ecclesiam posito, de interempti pretio Principis est expectanda sententia, quia de pretio occisorum nihil euidenter lex Romana constituit. † Domnus noster statuit obseruari, vt si ingenuus ab ingenuo fuerit interemptus, & homicida ad Ecclesiam confugerit, is ipse qui homicidium admisit, cum medietate bonorum suorum occisi heredibus seruiturus addicatur, reliqua medietas facultatis eius heredibus relinquatur.

† al. Dominus noster Theodoric⁹ Rex Francorum.

Si verò seruus cuiuscũq; occisus fuerit ab ingenuo & ipse homicida ad Ecclesiã cõuolauerit, secundũ serui qualitatẽ infrascriptũ domino eius pretiũ cogatur exoluere, hoc est, pro actore C. sol. pro ministeriali LX. pro aurifice electo C. pro fabro ferrario L. pro carpẽtario XL. pro aratore aut porcario aut viruicario aut aliis seruis 30. Hoc ex pręscripto Domni Regis cõuenit obseruari.

De

De libertatibus. *Tit. III.*

Manumiſſione ſerui ciues Romani efficiuntur, quæ aut teſtamēto legitimo, aut tabulis in Eccleſia recitatis ſecundum mandatum manumiſſoris ſcriptis, à ſacerdotibus, id eſt, aut Epiſcopis cum Preſbyteris, aut Preſbyteris cum Diaconibus ſubſcriptis, firmitatis robur accipiat ſecundum legem Theodoſiani à Conſtantino latam, quę eſt ſub tit. De manumiſſionibus in Eccleſia, ad Oſium Epiſcopum datam.

Libertus Principis Romana ciuitate donatus à Principe & manumiſſus de bonis ſuis hac ratione teſtetur, vt fiſco debita medietas reſeruetur, in cuius hereditate nepotes ex filia ſuccedere non iubentur, ſecūdum Gregoriani legem à Gordiano Principe ad Calpurnium militem latam.

De ſollicitationibus & furtis. *Tit. IIII.*

SI quis in plagij ſcelere fuerit deprehēſus atque conuictus, vt aut ingenuum aut ſeruum ſollicitare præſumpſerit aut vendere, capite puniatur ſecundum Theodoſiani legem lib. IX. ſub tit. Ad legem Fabiam, datam ad Domitium Celſum Vic. Africæ. Quod ſi ad Eccleſiam reus confugerit, quid domino aut parenti pro facto ipſius criminis ſatisfacere debeat Principis eſt expectanda ſententia.

De furtis etiam obiectis & probatis hæc forma ſeruabitur, vt ingenuus furtum oblata quadrupli ſolutione diſſoluat, ſeruus verò pro furti crimine aut à domino ad vindictā tradatur aut res traditæ ei qui damnū pertulit cum vindicta à ſerui domino reformētur ſecundum ſententiam Pauli ſub tit. De furtis. Quod ſi caballū vel duos boues vel duas equas furto ingenuus vel ſeruus abſtulit, morte damnetur.

De iniuriis vel cædibus admiſſis. *Tit. V.*

SI quis forte temerarie aut vulnus aut fracturam oſſium inflixerit, aut in conuicia atrocia forte prorupeit, ſolutio vel vindicta pro facti ipſius qualitate in Iudicis arbitrio & æſtimatione conſiſtat ſecundum regulam Gaij ſub tit. De iniuriarum actione. Eſt enim grauis quæ in publico vel in foro ab humiliore perſona inluſtriori infertur. Si vero ſeruus in iis criminibus agnoſcitur, cæſus ſub pœna vinculorum temporalium domino reſtituatur ſecundum ſententiam Pauli lib. V.

De fugitiuis inquirendis vel diſcutiendis. *Tit. VI.*

DE fugitiuis, vbicūque perſona huiuſcemodi inuenta fuerit, ſeu ſe ingenuum dicat eſſe ſeu ſeruum, locorum Iudicibus aut à domino ſi ad eius notitiam peruenerit, aut ab actore qui poſſeſſioni præeſt, diſcutiendus intra annum debet præſentari, ita vt Iudices perſonam ipſam propter ingenuitatis nomen ſine dubietate diſcutiāt. Quod ſi ſeruum aut colonum alienum, nationis duntaxat noſtræ, ſciens in domo vel in agro conſiſtentem Iudicibus non præſentat, aut admonitus à fugitiui domino eum adſignare diſſimulat, multam retentoris incurrat, ſicut vltima Theodoſiani lege De fugitiuis colonis, inquilinis & ſeruis conſtitutum eſt ad Florentium Com. S. L. lata. Quod ſi mulier ei cuius ager eſt, aut forte actori ſe domino neſciente coniunxerit, vicariam eiuſdem

meriti fugitiui domino dare debet. Quod si actor nesciente domino fugitiuum susceperit aut tenere præsumpserit aut Iudici præsentare distulerit, factum eius fustuario supplicio à Iudice vindicetur, & fugitiui dominus seruũ suum cum peculio quod habet exacta operarum solutione recipiat. Si verò in fisci prædiis inuenti fuerint, aduocatus fisci vel Procuratores condicioni simili teneantur, si ea quæ supra scripta sunt implere neglexerint.

De obiectione criminum, vel increpationibus. *Tit. VII.*

SI quis ingenuus ingenuo crimen intendẽs, quod obiicit se scripserit probaturum, si probatio defuerit inscribendi se cum eo quem accusat corporali supplicio licentia non negatur: ita vt caput aut facultatem suam obliget, sicut lex Theod. in lib. IX. sub titul. I. designat, quę ad Marinianum Vic. Hispaniæ data est. Si vero ingenuus seruum cuiuscunque putauerit inscribendum, aut caput suum aut facultatem integram nouerit obligari: quam nõ probato crimine domini seruus adquirat. Si verò seruus alienum seruum alterius domini crediderit incusandum, inscriptione dominorum Iudicis examinatio, si ita necessitas adserit, etiam adhibitis suppliciis ordinem veritatis inquirat: quicunque verò calumniam crimini probatus fuerit euicisse, si obiecta non conuicerit, pœnæ simili subiacebit, secundum legem Theodosiani titulo quo supra ad Consules, Prætt. Tribb. pleb. & Senatum latam.

Accusandi verò permissum quæ persona non habeat legibus designatur, hoc est ne seruus dominum, vel patronum libertus, seu familiaris præter solum crimen maiestatis accuset. Crimina verò maiestatis hæc sunt quæ legibus designantur: id est aduersus Principem adpetitio tyranni.

De violentiis. *Tit. VIII.*

SI quis violentiam ita conuincitur admisisse, vt collectis turbis per vim inruens deiiciat possidentem, nec cum ciuili, quod legum est, actione pulsauerit, capitali sententia feriatur. Si tamen rem de qua possidentem depulit sui iuris non esse conuicerit, tum demum est vt pœna supra scripta damnetur. Quod si suam quidem proprietatem esse cõuicerit, medietas eius rei in sua firmitate permaneat, alia medietas propter admissam violentiam fisci viribus societur secundum legem Theod. lib. IX. sub tit. de vi pub. & pri. ad Bassum P. V. datam. Si verò serui inscio domino violentiam huiusmodi quæ supra scripta est intulerint, morti subdantur. quod si per discussionem Iudicis conscio domino violentia probatur admissa, dominus pronuntietur infamis, serui metallis deputentur. De eo verò qui per tumultum solum occupat aut peruaserit, actio intenditur, & si conuictus fuerit rem indebite tenuisse, post conuentionem duplos fructus cum rei ipsius restitutione dissoluat. Si vero simpliciter rem possidet vsque ad conuentionis tempus simplos fructus dissoluat, post conuentionem duplos, sicut dictum est, inferat repetenti. Quod si rem mobilem vel sese mouẽtem per vim quis rapuerit, intra annum quadrupli solutione multabitur, post annum verò simpli satisfactione soluetur.

De

De raptu virginum & viduarum. *Tit.* IX.

RAptorum probata crimina taliter punienda sunt, vt si puellã cum parentibus nihil ante depecti rapuerint aut volẽtem abduxerint, vnà cum facinoris ipsius intercurrentibus vel admissoribus puniantur. Nec parẽtibus liceat de hoc crimine cum raptore sub qualibet pactione componere: quod si facere præsumpserint, interfecto raptore compositores ipsius criminis in exilium deputantur. Puellę quæ tali se condicione iunxerit parentum successio denegatur, cuius admissi persecutio intra quinquennium exercenda est, post quinquennium actione persequendi criminis denegata secundũ legem Theod. lib. IX. ad populũ datam. Quod si deuota Deo puella de coniunctione viri consenserit, filij tali contubernio nati, punitis, iuxta Theod. legẽ ad Secundũ PF. P. datam, his qui se taliter cõiunxerãt, in hereditatem non veniãt, qui etiamsi principali beneficio præstito nitãtur, filij legitimi haberi non possunt, nec successionẽ eorum poterunt vindicare, sed facultas ipsa proximis parẽtibus adquirenda est secundum Gaij regulam.

De successionibus diuersis. *Tit.* X.

PAtri matríve intestatis filij filięúe æquo iure succedant, quod si filius habens filios forte decesserit, in locum patris nepotes neptésque ex filio nati natæúe eãdem quam pater eorum habiturus erat capiant portionem. Si verò filiæ superstitibus parẽtibus obierint, tertiam de portione matris filij eius perdant, & in bessem portionis maternæ succedant: triens verò ille auunculis siue materteris, id est, matris fratribus vel sororibus adquiratur, secundum legem Theod. lib. v. sub tit. de legit. hered. ad Constantinum PF. P. Galliarum promulgatam. Quod si defunctus ipse filios nõ habeat aut nepotes ex filio, & nepotes tantũ ex filia relinquat, in dodrantem, id est, in tribus hereditatis portionibus nepotes auo auiæúe succedant: quarta verò, id est, Falcidia adsignatur defuncti parentis fratri eiúsque filio, nepoti ac pronepoti per virilem sexum venientibus. Si verò nepotibus competens portio ab auo, id est, quarta portionis paternæ & maternæ non dimittatur, de inofficioso eandem quę competit contra heredes institutos moueãt actionem, quod in suprascripta lege ponitur insertum.

De successione verò matrum vel patrum qualiter defuncto succedant euidenter exprimitur, vt in hereditate defuncti filij mater tertiã, bessem patruus vel si plures fuerint, patrui consequantur, quem etiam filius patrui & nepos per virilem sexum veniens debet accipere secundum legem Theod. lib. v. tit. suprascripto ad Bassum PF. V. datam. Quòd si defunctus nec matrem habuerit nec filios, nec nepotes: auus ei auiáque succedat quę personę si defuerint, pronepotes pronepetésve ad hereditatem veniant, quibus etiam non extantibus proauo & proauiæ locus successionis aperitur.

De successionibus verò à latere venientibus, frater vel soror fratris vel sororis heres erit secundum gradum qui constitutus est, & non alterius fratris vel sororis filij. In capita inter fratris filios hereditas diuidetur, ita vt quanti fuerint fratrum filij singulas & æquales portiones tollant.

Sciendum tamen est agnatos etiam longiore gradu positos cognatis proximioribus anteferri. Agnati sunt per virilem sexum veniẽtes. Cognati qui per

feminas veniūt, quia si in propinquitate venerit femina, soluta agnatione fit cognatio. Quod si agnati defuerint, cognatus gradu proximus ad successionem ceteris cognatis interponitur.

De luctuosis hereditatibus. *Tit. XI.*

DEfuncto filio pater succedit: quod si patrem non habuerit, auus paternus iure succedit: quod si & ille defuerit, fratres defuncti succedunt. Si nec ipsi fuerint, mater succedit: quod si fuerit defuncta mater, frater & soror. Mater per fratrem excluditur, & in successionem frater cum sorore æqua sorte succedit: quod si frater non fuerit, mater cū filiabus quātæcunque fuerint æquales capiunt portiones, secūdum sentētiam Pauli lib. 4. De intestatorum successionibus, ad S.C. Tertullianum.

De commotione litium. *Tit. XII.*

IS qui petitor est, litem & genus actionis suæ edere debet: quod nisi intra triduum fecerit, causam perdit. Edere autem hoc est, vt manu sua quid petat quídve obiiciat scriptum ei quē pulsat ante iudicium det. Sciendum est in omnibus negotiis per se causas suas vnumquemque dicere debere, aut certe mandatum gestis allegatum in personā quā voluerit legitimū esse faciendum, quia nec feminæ, nec infamia notato, nec minori actio vlla mandatur. Quod si mandare voluerit is qui actionem suscepit, fideiussorem idoneum det, qui quod fuerit iudicatum promittat implere. aliter quicunque alienæ causæ se miscuerit, pro calumniatore damnatur, hoc est, vt infamis iudicio expellitur in exilium deputandus. Criminales verò actiones nullatenus posse mandari, nisi ab Episcopis & presbyteris, ad quos tamen mandati exitus reuertetur. Messiuis feriis & vindemialibus, Paschalibus etiam XV. diebus & Natalis Domini VIII. Dominicis etiam diebus cererísque Epiphaniæ & Quinquagesimæ, nulla prorsus sunt litigia contingenda: quod si factum fuerit, erit seuerissimè vindicandum. Fiscalia vero negotia Dominicis & feriatis diebus licet.

De inquirendis animalibus & rebus. *Tit. XIII.*

SI quis ingenuus quærentem aut animalia aut res suas, domum ad quærendum intrantem prohibuerit, pro fure teneatur, ita vt rei quæ requiritur quadruplum soluat, hac tamen ratione, vt tribus ingenuis testibus vbi suspicionem inueniendi furti habuerit, ingrediatur. Quòd si colonus aut seruus taliter requirentē prohibuerit, fustuario supplicio à Iudicibus eius præsumptio vindicetur, & ab eo rei perditæ simplum exoluatur, secundum speciem Gaij, qui hoc de prohibitis statuit.

De damnis animalium, vel si quid per ea casu euenerit. *Tit. XIV.*

SI animal cuiuscūque damnum intulerit, aut æstimationem damni dominus exoluat, aut animali cedat. quod etiā de cane & bipido placuit obseruari, secundū speciē Pauli Sent. lib. 1. tit. Si quadrupes pauperiē fecerit. De cane etiā sub eodē titulo comprehensum est, vt si cacuum canē habēs in plateis aut in viis publicis, eum diurnis horis in ligamina nō redegerit, quidquid damni fecerit, id à domino dissoluatur. His illud

lud adiectũ, vt si quis caballum quódve aliud animal habens scabidũ, ita dimiserit, vt vicinorum gregibus permixtus proprium inferat morbum, quidquid damni per eum datum fuerit, similiter ab eo resarciatur. Incendij etiam vel naufragij casus aut ruinæ si per casum commodatum perierit, is cui commodata res est ad rei solutionem teneri non potest, nisi fortè suam rem liberasse probetur, cum de eodem casu rem commodatam eripere potuisset, secundum sententiam Pauli lib. II. tit. De commodato, deposito, pignore & fiducia.

De ablatis pigneribus & fideiussoribus. Tit. XV.

DEbitor solutionem differens potest ad satisfactionem pignerum vsurpatione compelli, quod tamen sine sententia Iudicis facere non licebit, secundum Hemogeniani Constitutionem sub tit. De pigneribus Diocletiani & Maximiani ad Viuentium, Herennium, Antigonum, & aliam ad Septimum datam. Oblato debito vel deposito, pignus à creditore sine dilatione reddendum est, sub eodem tit. Obligatis cautione mancipiis, debitor promisit se vsuras præstaturum, ea mancipia creditor intra statutum tempus de domo debitoris abduxit. Operas eorum in vsuras specialiter imputandas sub eodem Hermogeniani tit. lege comprehensum est. Filiisfam. seruis vel colonis in contractibus nihil iure permissum est, hoc est, filiifam. in damnum parentum in eadem regione positorum nihil possunt pacisci, & si quid pacto adquisiuerint, id patri iure indubitanter adquirunt, nec citra mandatum patris quidquam possunt promittere. Quòd si pater apud hostes est, vel infirmitate laborat, tunc contractus filij legitimus iudicatur. Nec seruus nec colonus peculium suum distrahere potest, insuper emptor furti actione tenetur secundum Constitutionem Hermogeniani sub tit. De eorum contractibus qui alieno iuri subiecti sunt, & Theodosiani legem lib. v. sub tit. Ne colonus inscio domino suo alienet peculium vel litem inferat ei ciuilem, ad Nebridium Vic. Asiæ, & vt Gregoriani Constitutionibus lib. XII. sub tit. De sponsoribus, tenetur insertum. Quod si quis à debitore suo fideiussorem de solutione acceperit, in potestate habeat creditor aut fideiussorem tenendi, aut qui debitor prior extiterit, quod tamen ante Iudicem creditor profiteri debet, quem eorum ad solutionem malit eligere. Si quis fideiussor pro quocunque debitore aut per iudicium aut per dictum aut per chirographum delegatus extiterit, & constituta die quæ fide dixit exsoluerit, vt summam soluti debiti recipiat, & semper ille distulerit, post trinam conuentionem dupli redhibitione pro inficiante damnabitur, secundum legem Aquiliam, quæ negantes debitum dupli satisfactione condemnat.

De fugitiuorum furtis. Tit. XVI.

SI seruus etiam in fuga positus furtum fecerit damnúmve dederit, & reuersus ad dominũ fuerit, nisi pro sui qualitate dominus soluere paratus sit, pro culpa eum aut dare præsentem aut absentem cedere cogendus est, secundum regulam Pauli Sententiarum.

De mulieribus ad secundas aut tertias nuptias transeuntibus.
Tit. XVII.

MVlieribus ad secundas nuptias intra anni spatium transire non licet, quod si fecerint, infames habentur, ita vt hereditatem mariti, etiamsi dimissa sit, non habeat, pari & in donatione nuptiali condicione seruata. Ad secundas verò nuptias post designatum spatium transeuntes donationem mariti prioris vsusfructus iure possidere, & à marito dimissa eis posse proficere, secundum Constitutionem Impp. Honorij & Theodosij ad Ioannem PF.P. datam.

De clausis itineribus vel aliis seruitutibus. *Tit.* XVIII.

VIam publicam vel inter agros communiter dimissam nec possideri nec intercludi nec exartari posse, quod si factum fuerit, auctorem facti ad eius munitionem solum cōpelli, & ad munitionem viarū pro modo patrimonij in nullo penitus excusari. Hoc etiam de pontium reparatione seruandum esse. Aquæ cursum & adquiri & amitti biennio constat. Viam, iter, actum, hoc est vbi carpenta vel carra ducuntur, similiter biennio adquiri & amitti posse. Agri quoque communis nullis terminis limitati exæquationem inter consortes nullo tempore denegandam. Syluarum, montium & pascuorum, vt vnicuique pro rata suppetit, esse communia. De seruitute luminis vel aëris similiter constitutum est vt inter priuatorum fabricas x. pedes, inter publicas xv. dimittantur, secundum legem Theodosij lib. IIII. sub tit. de ædificiis priuatorum.

De superuentoribus. *Tit.* XIX.

SI quis superuentu siue diurno siue nocturno quemque fuerit adgressus, & domus alienas expugnauerit, effregerit aut expoliauerit, capite puniatur, cum quolibet genere armorū fuerit deprehensus. Receptores etiam adgressorum vel latronū eadem pœna plectantur. Hi qui per incendium voluntarie immissum quibuscunque rebus damnum intulerint, capite puniantur. Qui verò inimicitiarum causa incendium probati fuerint admisisse, honestiores in exilium, viliores in metallum deputentur. Si quis autem dolo focum fecerit vt exinde † ad areas ac tecta arborésque fructiferas fortè perueniat, damnum quod euenerit æstimatione sarcietur. Qui fructiferas arbores nocturnis aut diurnis horis quolibet tempore quamlibet ingenuus cecidisse probatur, infamis effectus damnum æstimatione Iudicis sarcire cogatur. quod si vilior persona fuerit, ad tempus in exilium redigatur. In seruo restituta res etiam digno supplicio vindicetur.

† ad aras.

De corruptis mulieribus. *Tit.* XX.

SI quis mulierem ingenuam vel virginem per vim stuprauerit, occidatur. quod si ancillam corruperit inlata violentia quicunque ingenuus, iuxta pœnam legis Aquiliæ alterius mācipij restitutioni teneatur obnoxius. Quod si fortè seruus hoc fecerit, pro ingenua occidatur, pro ancilla verò iudicante Iudice fustuario supplicio subiacebit secundum speciem Pauli Sententiarum. Coniunctio verò Iudæi cum Christiana, lege inhibetur, vt nec Iudæus Christianam nec Christianus Iudæam accipiat, quod factum pro adulterio vindicatur iuxta legem Theodosij lib. IX. tit. de adulteriis.

De

De his qui hominem inlicite aut sine causa ligauerint. Tit. XXI.

SI qui ingenuum natum vendiderint vel ligauerint, honestiores personæ damnantur in exilium, viliores metallis deputãtur exceptis his qui captiuitatis iugo tenentur obnoxij, secundum speciem Pauli Sẽtentiarum lib. v.

De diuortiis. Tit. XXII.

COnsensu partis vtriusque repudium dari, & matrimonium posse dissolui, quod si pars viri repudium dare vxore contradicente voluerit, non aliter ei licebit, nisi aut adulteram esse conuincat, aut veneficam aut conciliatricem, quorum vnum nuptialem donationem reuocare potest. Quòd si mulier nolente marito repudium dare voluerit, non aliter fieri hoc licebit, quam si maritum homicidam probauerit aut sepulchrorum violatorem aut veneficum. quod si vnum ex his probauerit, & maritum dimittet & collatam in eum dotem & donationem quam marito fecerat iure reuocabit, iuxta legem Theodosiani sub tit. de repudiis promulgatam.

De donationibus. Tit. XXIII.

DOnatio ab auo vel auia, proauo vel proauia maternis ita ad eos quibus conlata fuerit pertineat vt patri nullatenus adquiratur. A linea verò paterna memoratorum donationes, vel si quid filiisfam. præter expressas personas quorumcumque largitate confertur, patri eorum proprietatem indubitanter adquiri. Donationes etiam vel dotes quas ex matrimonio filius vel filia in familia positi consequuntur, ad eorum proprietatem quibus conlatæ sunt, remota patrum adquisitione sine dubio pertinere, secundum Theodosiani legem sub tit. de maternis bonis & materni generis & de cretione sublata, & alia subsequenti sub eodem libro, De bonis quæ filiisfam. ex matrimonio adquiruntur. Sciendum tamen donationes tam auiaticas quàm nuptiales gestorum solenni allegatione firmandas, præter illas nuptiales donationes quæ intra cc. solidorum sunt taxatæ conlationem. Gesta autem secundum locorum consuetudinem fieri placuit. Nec interest apud quem defensorem fuerint celebrata secundum legem Theodosij sub tit. De donationibus. Sciendum etiam vsufructuarias donationes sine traditione constare. quia vsusfructus pro donatione computatur. quod si vsufructuaria donatio non fuerit, & traditio subsequuta etiam non fuerit, legibus infirmatur. Donationes verò nuptiales has tantum sine gestis admitti, quas ætate minores, id est, positi intra x x v. annos accipiunt, etiamsi summam cc. solidorum probẽtur excedere. De animalibus, vestibus, gemmis, vel quocunque metallo vel aliis quæ pódere, numero, mensura constant, omnem donandi solennitatem in sola traditione posse constare. Hæc verò quæ puellæ patrem habenti, hac vsusfructus mentióne adscripta, tradita fuerint, & patre exigenti adsignata non fuerint, quærantur. In nuptialibus vero auorum donationibus nepotes vel neptes ex filia cum auunculis vel materteris in trientem & bessem debere succedere, quia dum eis inofficiosi actionem eandem lex tribuit quam filiis,

constat eos liberorum locum obtinere, secundum legem Theod. lib. v. sub tit. de legitimis hereditatibus ad Constantinum PF. P. Galliarum.

De sacramentis. Tit. *XXIIII.*

SI à Iudice statutum fuerit, aut inter partes conuenerit, vt de rebus dubiis sacramenta præbeantur, eum solum debere iurare, à quo aliquid repetitur, nec ab aliis personis sacramenta requiruntur. Præstito autem sacramento, omnis causæ ipsius repetitio conquiescat. Hic sacramenti ordo notatis infamia denegatur, secundum Constitutionem Gregoriani & Hermogeniani.

De latronibus. Tit. *XXV.*

SI criminosi conuicti fuerint, puniantur, nec crimen illorum filios aut vxores, qui conscij non probantur, poterit implicare, secundum iuris Constitutionem.

De *adulteriis.* Tit. XXVI.

MAritus si adulterum cum vxore inuenerit ita vt vnum sint & sese commisceant, liberum arbitrium habebit vtrumque vno ictu ferire, secundum legem Nouellam Maioriani, qui exinde ad ius vetus omnia reuocauit.

De puellis vel mulieribus sponsatis. XXVII.

SI quis arras sponsaliorum nomine dederit, & pater vel mater acceptis arris, & eo qui arras dederat refutato, alium fortasse receperit, arras in quadruplum esse reddendas. Si verò puella per se aut per quemcunque propinquorum vel tutorum arras acceperit, & nuptias voluerit excusare vel alium fortasse suscipere, pœnam suprascriptam de propria facultate dissoluat, actione contra illum qui inconsultè arras susceperit reseruata. Hoc etiam constitutum est vt si qui dedit arras intra biennium nuptias celebrare tardauerit, tum mulier alij se matrimonio sociare impunè possit. Similiter constitutum, vt qui datis arris puellam declinat accipere, id quod arrarum nomine datum probatur amittat, & quod vicissim à patre puellæ muneris gratia acceperat, reformet.

Si quis caballis ossum aut scandulam ligauerit. XXV*III.*

SI quis caballo ligando ossum vel scandulam vel pannum rubrum ita eum turbauerit vt pereat, si factum suum non negauerit, simpli hoc satisfactione componat. Si negauerit & conuictus fuerit, dupli, secundum legem Aquiliam, qua inficiantes duplo tenentur.

De *apparitoribus.* *Tit.* XXIX.

NE quis omnino exequi præceptionem præsumat, nisi Principis officij apparitorum probatoria ordinatus, & ab his quos præceptione conueniunt, de causis singulis, seu de vniuersis, seu in vnum consortes pulsati fuerint, non amplius executores quàm solidum in sportulas requirant. Hi verò qui conueniuntur si quos consortes habent

bent in principio litis denuntiare debebunt, vt & ipsi audientiæ tempore deesse non possint. Agrorum verò consortes si diuisæ sunt quæcunque agro portiones, habent quod cuicunque in agro sua portio in singulorum possessione esse fecerit. Ipsi etiam apparitores cognoscant, quod eis à suscepto officio discedere non licebit, nisi vacationis beneficium à Principe officij consequantur.

De præscriptione temporum. Tit. XXX.

ID constat legibus constitutum, vt tricennalem Constitutionem in hereditariis causis & in repetitione legatorum, in pecuniariis, id est, chirographariis debitis & viuentium cautionibus, repertis fugitiuus, aduersus fiscum vel respub. de infirmanda operum munitione vel pro notitia testamentorum, custodiant iudicantes. Reliquæ verò causæ intra expansos metarum suarum terminos finiantur, id est de inofficiosis testamentis & immodicis donationibus, hoc est vbi Falcidia filiis non reseruatur, intra quinquennium eas debere proponi & peragi, & de non numerata pecunia. De seruitutibus verò superiori tit. comprehensum est quid Iudices debeant obseruare. Si quis duas centesimas sibi quem stipulari fecerit aut fieri pertulerit, etiam pecuniæ præstitæ amissione multabitur, secundum legem Theod. De vsuris. Intra annum criminalem quæstionem & proponi debere & finiri, secundum legem Nouellam, vel diuersorum auctorum Constitutiones, quæ sunt per titulos superius indicatæ.

De falsariis & falsis testibus. Tit. XXXI.

FAlsarios aut multari aut deportari in exilium constitutum est. Hoc est etiam de illis qui obiectam falsitatem probare non potuerint obseruandum, secundum legem Theod. quæ de falsariis lege Cornelia data est.

De interpellationibus & appellatione. Tit. XXXII.

AVctorem cuiuscunque negotij, id est petitorem aduersarium suum interpellare debere, nec eum qui pulsandus est longius trahere, & pulsatus sub eius audientia respondeat ad cuius sententiam conuenitur, sic tamen si in eius territorio is possessor esse cognoscitur, quod si in eius territorio non possidet, tum demum pulsati Iudicem actor adeat. Quòd si audientiæ tempore quælibet pars ad Principem prouocare deliberat, abiudicare Iudices non præsumat. Appellationis sane tempora hæc sunt. Prolata sententia quisquis appellare voluerit, intra dies quinque per libellos data petitione appellet, contestans se ad audientiam Principis prouocare. Ceterum præsentibus secundum leges data & relecta sententia postea non potest reuocari. Iudici quoque neque suam neque alienam sententiam liceat refragari. quia hæc discussio soli Principi reseruatur. quia legum litigia sententiis ac pactionibus terminata iterum non possunt terminari.

De rebus agnatis. *Tit.* XXXIII.

SI quis res proprias agnoscat, nec eius manus aut aliquid cautionis opponatur, res suas præsumendi habeat liberam potestatē: quod si postmodum male agnouisse aut præsumpsisse conuincitur, res male præsumptas dupla satisfactione restituat.

De venditione. *Tit.* XXXIIII.

IN emendi & vendendi contractibus hic ordo seruandus est, vt qui rem sui iuris vendiderit, repetendi eam postea non habeat facultatem. Venditionem verò ex hoc maxime ius firmitatis accipere, si traditione celebrata possessio fuerit subsequuta. Vt ille iterum videatur possidere qui vendidit, documenti professio firmitatem precariæ possessionis obtineat. Quòd si quis vendidisse fuerit approbatus, emptori in duplum melioratæ rei teneatur obnoxius. fructus enim malæ fidei possessor ante conuentionem simplos ex lege præstabit, secundum legem Theod. vel Sententiam Pauli. Res verò quæ repetuntur, vt si quædam actio præcessit, vt de quibus litigatur, nec vendi nec donari possunt, nisi forte vt dominus procurator litis quicunque per mandatum fuerit institutus. Sciendum etiam est factam qualiterlibet commutationem vicem emptionis obtinere, secundum legem Theod. De cognitoribus & procuratoribus. Arra pro qualibet re à venditore suscepta ab eo qui emit, venditionem perfectam esse. Pretium tamen postmodum ab emptore venditori impletur, de quo inter ipsos conuenerit aut virorum bonorum æstimatione constiterit, secundum Sententiam Pauli.

De tutelis minorum. *Tit.* XXXV.

TVtores legitimi agnati sunt, id est per virilem sexum à paterna linea venientes, qui ad tutelam vsque ad XIIII. ætatis annum vocantur, vt fratres primum, fratres patrueles, patrui, id est patris fratres vel filij eorum, per virilem sexum, vt dictum est, venientes. Quibus omnibus mater si tutelam suscipere voluerit, licito iure præponetur. Sciēdum tamen est cognatos sicut ad successionem, sic ad tutelam non vocari. Pupilli verò post impletum XIIII. annum curatores sibi ipsi petere debebunt, pupillæ impleto XII. anno sibi ipsæ petant, quia tutor vsque ad illud tempus rationem tutelæ administrare debet, qua ratione completa, pupillus per curatorem facultatem suam gubernare debebit. Si verò mater tutorem filio intra annum non petat, & ad secundas nuptias transeat aut fortè non transeat, successionem filij si intra pubertatem moriatur pro culpa non petiti tutoris amittat, & agnatis vel si hi defuerint cognatis qui ad successionem iuris veniūt deferantur. Secundi verò mariti bona præteritæ tutelæ ratiociniis teneantur obnoxia, secūdum legem Nouellam De tutoribus pupillis nominandis. Tutelæ vero actione ab exordio petiti curatoris vsque ad XXX. ætatis annum, id est, per annos XVI. qui tutelam gesserunt rationem reddere coguntur. Tutores etiam si legitimi inueniantur, excusantur, si quatuor masculos filios habeant, si morbo perpeti & sontico teneantur, vt si furiosi aut mente insani agnoscā-
tur.

tur. Ætatis etiam beneficio sexagenarij ab his oneribus excusantur. Tres quoque tutelæ sic liberant, vt ad quartam etiamsi euenerit non vocentur. Præterea lapsis & circumscriptis pupillis integri restitutio datur, vt nominatis rebus petita integri restitutione quæ male ac circumscriptoriè in præiudicium suum acta sunt vacuentur, quæ restitutio ita futura est, vt impleto xxv. & cùm xxvi. annum ingreditur euocatus ante defensorem testib. qui ætatem eius nouerint annos suos prius professione aut relationibus testium probet, ibíque profiteatur aduersus quas causas vel quas personas integri restitutionem nominet, eíque contra illum quem non nominauerit actio non patebit, quæ restitutio vsque ad finem annorum xxviii. concessa est, post quos annos minoribus ad agendum quinquẽnium beneficio principali delatum est, secundum legem Nouellam.

De filiis legitimis siue naturalibus. Tit. XXXVI.

NVptiæ legitimè contrahuntur si consensu parentum aut ingenuorum virorum interueniente nuptiali donatione legitime celebrátur. Quòd si parentes defuerint, honestarum personarum consensus perficit nuptias, si tamen nuptialis donatio solenniter celebretur. alioquin filij inde nati legitimorum locum obtinere non poterunt, & erit in hereditate successioni locus his qui ab intestato per agnationem, vel si agnatio defuerit per cognationem fortè succedunt. Naturales sane si ex ancilla nati fuerint & non manumittantur, à domino inter hereditaria mancipia computantur. Quòd si aut ex ingenua fuerit naturalis aut ex liberta aut certe libertina, vltra tres vncias matri cum filiis naturalibus dare amplius non licebit: hac ratione, vt donatio nuptialis in hereditatis supputationem non veniat, sed ea quæ donatione nuptiali fuerint supra tres vncias deputata, naturalibus iure debeantur. Quòd si aliquid vltra per donationem aut testamentum aut per suppositam quamcumque personam illis fuerint derelicta, ab herede legitimo legibus reuocetur, secundum Theod. legem De naturalibus filiis & matribus eorum latam. Si inter collegiatum siue seruum & ingenuam consensu fuerit contubernium initum, nuptiæ non vocantur: & qui ex ipsis nati fuerint deteriorem lineam sequuti dominis adquiruntur. Sciendum etiam est secundum legem Nouellam, si quis ingenuus colonæ ancillæve aut ingenua seruo colonóve se iunxerit, salua ingenuitate discedendi licentiam non habere, secundum legem Nouellam sub titulo de aduenis.

De pactis & transactionibus. Tit. XXXVII.

DE pactis hæc forma seruanda est, si quis maior ætate paciscatur condicionibus pacti maneat obligatus, si tamen potestatis suæ est, hoc est filiusfam. non est, aut nullo metu aut imperio ad pacta venire compellitur. Quòd si placitorum ordinationem adtemptet excedere, aut nolit implere, ad solutionem pœnæ contentæ pacto cum emolumenti amissione tenendus est & infamiæ maculam sustinebit, secundum legem Theod. sub tit. de pactis & transactionibus. Sciendum tamen quod si quisquam se metu coactum ad pacta venisse causetur, intra an-

num probaturus huiusmodi moueat & peragat actionem, quo tempore præterito nullam sibi denique de vi déque metu suppetere nouerit actionem secundum Constitutionem Gregoriani. De successione viuentium sua vel aliena neminem pacisci posse, nec huiusmodi scripturam nomen pacti legibus vindicare, secundum legem Gregoriani & Hermogeniani. Cessionis verò firmitatem ita subsistere si eius rei ita per euidentem professionem voluntaria & euidens cessio teneatur, hoc est si cessionis nomine scriptura cuiuslibet rei cedentis voluntaria professione firmetur. Quòd si de vi & metu is qui cessit queri voluerit, intra annum similiter instituat & peragat actionem, secundum Theod. legem lib. IIII. tit. Qui lege Iulia cedere possunt.

De terminis transgreßis & euulsis. *Tit.* XXXVIII.

Qvicunque terminos aut limites aut arbores terminales, quæ decusas accipiunt, celebrata præsumptione euellere, abscindere & signa impressa eradicare tentauerit, conuictus eodem loco vbi testimonia fuerint, vitæ terminum sub incendio sortiatur. Si nouos terminos occultè posuerit, pœna falsarij teneatur, secundum Sententiam Pauli. Si verò terminis, limitibus, arboribúsque transgressis vicini agri iura peruasisse conuincitur, si intra x x x. annos pulsatus existat, duplum terræ spatium quam peruaserat cum fructu solutione restituat, & hoc secundum legem Nouellam.

Sine censu vel reliquis comparari nihil poße. *Tit.* XXXIX.

AGros comparari non posse nisi eis censum statutum, qui possessionem ingressi fuerint, susceperint dissoluendum, quod si probatur, à venditionis tempore soluti tributi reliqua emptor dissoluat, & tributum præsenti delegatione suscipiat, quod si factum non fuerit, venditor etiam pœnam legis, quæ de hoc in Theodosiano continetur excipiat.

De iure postliminij. *Tit. XL.*

SI quis seruus post captiuitatem redierit, ad ius domini reuertatur: & si ingenuus redierit, iura libertatis integra se nouerit recepisse, nec ea tempora ei ad quamcúque causam obesse, quibus in regione alia captiuitate detentus est.

Ne quis in sua causa iudicet. *Tit. XLI.*

THeodosij lege euidenter exprimitur, in sua causa neminem ius dicere, neque sententiam promulgare posse.

Ut nemo potentiorum nomina inlicitè pretendat, aut titulos prædiis suis adfigat. *Tit. XLII.*

LEgali sanctione constat expressum, neminem ad deludẽdum pulsantem & ad differendam iustitiam, potentum quorumcunque personas in lite posse prætendere, nec titulos prædiis suis adfigere, vt pulsantem terreat, aut actione competenti excludat.

De

De liberali causa vel de operis libertorum. *Tit.XLIII.*

SI quis intra xxx. annos sub ingenuitatis specie vagantem in seruitutem reuocare voluerit, non aliter quam apud Iudicem statum eius pulset, vbi si conuictus fuerit, alia tot mancipia dabit, quanta in seruitutem petebat. Ille verò pulsatus tertiò debet adire iudicia, & si voluntarius adsertor sit, aut defensorem ingenuitatis inuenire non potuerit, à Iudice fide integra & moribus idoneus deputetur. His verò qui de seruitute in libertinitatem aut ingenuitatem reclamare tentauerint, ista beneficia denegantur, sed vincti in foro statuuntur, vt si quis eos defendere voluerit, habeat liberam potestatem. quod si nec defensorem inuenire potuerint in seruitutem à domino retrahuntur. Hoc secundum legem Theod. quæ de liberali causa lata est. Egentem patronum libertus alere compellitur. Hoc secundum legem Gregoriani de operis libertorum. Latini aliter intelligi non possunt, nec aliter intelligendi sunt, quam si inter amicos pronuntiante domino ad conuiuium euocentur, ita vt illis amicis vbi conueniunt sic dominus contestetur eum causa Latinitatis ad suum adhiberi conuiuium. Quòd si cum eo seruus manducauerit, non causa Latinitatis, sed paupertatis propter solatium, præiudicium domino heredibúsque ex conuiuio adferri non poterit.

De testamentis. *Tit. XLIIII.*

TEstamenta si holographa manu fiant, probata, manu veritatis sine testibus integram capiunt firmitatem. Si verò testes adhibeantur, quibus testator subscribendum suum offerat testamentum, ciues Romani testes adhibendi sunt numero competenti quinque aut septem. Hi ad testamentum iure adhiberi possunt quorum testimonium merito recipitur, & cum quibus nobis est testamenti factio, secundum legem Theodosij & Valētiniani ad Florentium PF.P. datam. Militibus verò aliter si velint testamentum facere, permissum est, quibus licet & sine competenti testium numero testari, & filios præterire, nec inofficiosi querela eorum constat testamenta posse disrumpi. Testamentis verò ciuium Romanorum si filius præteritus fuerit, vel nepos ex filia, rumpuntur: si vero filia aut neptis ex filia, non rumpuntur, sed extraneis in dimidiam partem, suis heredibus in æqualem accrescunt. Testamenta quibus filiis aut nepotibus Falcidia non dimittitur, nullo iure subsistunt. Fratres verò de inofficioso fratris testamento agere non possunt. Item filius vel filia sine filiis morientes matrem sine Falcidia præterire non possunt, vt valeat testamentum.

De corporatis. *Tit. XLV.*

COrporibus publicis id conseruandum est secundum Constitutionem Nouellam Leonis & Seueri, vt si ex Marcialitano * lito, Andorinico vel quocunque alio corpore publico & colono aut ancilla filij nati inueniantur aut fuerint procreati, ei adquirantur cuius colonum aut colonam, seruum aut ancillam esse constiterit,

nec à seruili aut colonaria condicione illo modo corpus publicum eorum genus quasi corporatos à fisco faciat postea requiri, sed omnis cognatio possessoris commodis adquiratur, quod lege euidenter exprimitur, quæ ad Basilium PF.P. data est.

De consortibus. Tit. XLVI.

DE consortibus etiam hoc sequentibus pro ratione subiunctum est, vt petitor quem voluerit de consortibus pulset, & quem voluerit pro sua voluntate prætereat, ea tamen condicione, vt qui pulsati non fuerint, nullum præiudicium patiantur, sed cum voluerint suas instituant actiones, secundum legem de consortibus.

Papiani liber feliciter explicit.

NOTÆ IVRIS

NOTAE IVRIS A MAGNONE COLLECTÆ.

Hæc iuris omnia libens Rex accipe Carle,
Offert deuotus quæ tibi Magno tuus.

AVG.	*Augustus.*
AA.	*Augusti.*
A.	*Augustalis.*
AVR.	*Aurelius.*
AG.	*Agit.*
AGꝛ.	*Ager.*
A.	*Aut.*
AT.	*Autem.*
AC.	*Actio.*
ACM.	*Actionem.*
ACB.	*Actionibus.*
AMN.	*Amantissime.*
AM.	*Amicus.*
ATR.	*Auctoritas.*
A.Mꝛ.	*Actio mandati.*
AP.	*Apud.*
AP.P.	*Appellatio.*
APA.	*Amputata.*
ACC.	*Accepta.*
ADI.	*Adiutor.*
ADI.P.	*Adiutor prouinciæ.*
ADŁ.	*Ad locum.*
ADF.	*Ad finem.*
ADQS.	*Ad quæstorẽ, vel, ad quæstionem.*
APT.	*Ad potestatem tuam.*
AP.A.	*Apud acta.*
ACO.	*Accusatio.*
APPB.	*Appellationibus.*
AVCTIB.	*Auctoritatibus.*
A.T.	*Auctoritas tua.*
ALL.	*Allegata.*
AQI.S.	*Aquiliana stipulatio.*
ANN.P.	*Annonæ præfecto.*
AQ.L.	*Aquileia.*
AFR.	*Africæ.*
ANT.	*Antestatus.*
ASI.	*Asiæ.*
ACH.	*Achaia.*
APVŁ.	*Apuliæ.*
A.PPO.	*Apud præfectum prætorio.*
A.PP.VRB.	*Apud præfectum vrbi.*
AT.	*Auctor tutor.*
ANT.	*Antonius.*
AŁ.	*Antelata.*
AVR.	*Aurelius.*
AA.V.	*Alter ambóue.*
AD.AM.	*Atque amantissime.*

A.V.PꝛS.	*Agens vice Proconsulis.*
BA.	*Bona.*
BP.	*Bonorum possessio.*
BF.	*Beneficium.*
B.	*Bus.*
BI.	*Breuis.*
BFD.	*Beneficium dedit.*
BFO.	*Beneficio.*
BF.	*Bona fide.*
BOF.	*Bona fortuna. vel, Bonum factum.*
BFII.L.	*Beneficij loco.*
BE.	*Bonorum emptor.*
B.PO.	*Bonorum possessio.*
B.PN.	*Bonorum possessionem.*
BOR.	*Bonorum.*
BN.	*Bene.*
BC.	*Bona caduca.*
BV.	*Bona vacantia.*
BT.	*Breui tempore.*
BPT.	*Bona paterna.*
BEO.	*Bonorum emptio.*
B.G.	*Bona gratia.*
BF9T.	*Bona fide contractum.*
BM.	*Bonæ memoriæ.*
Bꝯ.	*Balbius.*
BM.	*Bona materna.*
CA.	*Causa.*
U.	*Cum.*
9.ꝛ.	*Con.*
9.	*Contra.*
C.	*Causa.*
CC.	*Causa cognita.*
CD.	*Contradictio.*
CT.	*Certum tempus.*
CꝯRN.	*Comes rerum nitentium.*
CR.PI.	*Causa Reip.*
CL.V.	*Clarissimus vir.*
CAMP.	*Campania.*
CVR.P.	*Cursus publicus.*
CDO.	*Conditio.*
CORS.	*Corsicæ.*
CRI.	*Consulari.*
COR.	*Correctori.*
CC.VV.	*Clarissimis viris.*
C.M.V.	*Clarissimæ memoriæ vir.*

ããã

C.M.F.	*Clarissimæ memoriæ femina.*
CP.	*Clariss. puer.*
C S L.	*Comes sacrarum largitionum.*
C R P.	*Comes rei priuatæ.*
C OM.	*Comes.*
C.LARGN.	*Comes largitionum.*
C.O. P.	*Comites ordinis primi.*
9 S N VS.	*Constantinus.*
9 S V S.	*Consensus.*
C VI.	*Cuius.*
COM.OR.	*Comes Orientis.*
C M V7.	*Centesimum miliarium.*
C. R.	*Ciuis Romanus.*
C S.	*Causas.*
C AL A.	*Calumnia.*
C OVSI A.	*Controuersia.*
C.D.R.N.C.	*Cautum de re non necessaria.*
C D M.	*Comes domesticorum.*
C.Q. R.F.	*Cautúmque ratum fore.*
C A L A B.	*Calabria.*
C A.M.V.	*Causa memorati viri.*
C. M. D.	*Centum milia denariorum.*
C.V.IV D.	*Centumuirale iudicium.*
C T R I O.	*Centurio.*
C L.	*Claudius.*
CF.	*Confinius.*
CS.	*Cæsar.*
CP.	*Corpus.*
CP T V S.	*Corporatus.*
C A T.	*Cautus.*
CD.	*Certo die.*
C T.	*Certo tempore.*
C.D.E.R.N.E.	*Cuius de ea re notio est.*
C9.	*Cautio.*
C9N S.	*Cautiones.*
CS A.	*Cæsar Augustus.*
C O MO B.	*Comitia Obriziaca.*
C.	*Cornelius.*
CT.	*Contractus.*
C R 7.	*Contrarium.*
CC.	*Circum.*
C M.	*Causa mortis.*
C V I 7.	*Cuius.*
C.R.C.P.	*Cuius rei causa promittis.*
CS.	*Consiliarius.*
CM.	*Capitis minutio.*
C.C.C.	*Cum consilio conlocutus.*
D.	*Dedicauit.*
DD.	*Dedicauerint.*
D M L.	*Dolum malum.*
D.M.	*Dijs manibus.*
D.M.	*Domus mortui.*
Ꝺ.	*Dixit.*
D D.	*Deinde.*
ꝹꝹ.	*Dixerunt.*
D.	*Donatio.*
D O T.	*Dotem.*
D.P.	*Dotem petit.*
D.Q. S.	*Die quo supra.*
D T.	*Duntaxat.*
D.	*Diuus.*
D.C.	*Diuus Cæsar. dicis causa.*
D.C.A.	*Diuus Cæsar Augustus.*
D N.	*Dominus.*
DP.	*Diuus Pius.*
D.A.	*Diuus Augustus.*
DB.	*Deuotus.*
D.V.	*Deuotus vir.*
D.P.	*Deuota persona.*
Ꝺ.	*Dampnat.*
D.L.	*Do lego.*
D C T.	*Decretum.*
DꝹ.	*Dotis dictio.*
DF.	*Defunctus.*
DIG.	*Dignus.*
DIG.M.	*Dignus memoria.*
D.Q.R.	*De qua re.*
D V L.	*Dulcissimus.*
D I L.	*Dilectissimus.*
DPC.	*Deprecatio.*
D. T.	*Dotis tempore.*
D.	*Diuus.*
DS.	*Deus.*
D T.	*Dentur.*
Ꝺ.	*Dam.*
D Q.	*Denique.*
D.BO.	*De beneficio.*
DMO.	*Domino.*
DAT.	*Data.*
D O C S.	*Diocletianus.*
DEL O.	*Delatio.*
D.I.S 7.	*Decimus Iulius Siluanus.*
D Q.A.T.	*Denique auctoritas tua.*
D N M.	*Dominum.*
D D.N N.	*Domini nostri.*
Ꝺ. P.	*Decretum principis.*
D CRIO N7	*Decuriones.*
D.O P A	*Data opera.*
D.A.	*Dicto audiens.*
D T A.M.	*Diuina manu.*
Ꝺ O.S.	*Domus sua.*
D A T.	*Datiano.*
DON B.	*Donationibus.*
D.F T.	*Directum factum, vel potius, defunctum.*
D BA T.	*Debuerat.*
D CR A T.	*Decuerat.*
D. F.Q.	*Domi forísque.*
D.N.E.	*Dubium non est.*
D. N. P.	*Dubitari non potest.*
ꝸꝹ T.	*Dictum decies.*
DELNIS.	*Decretum legationis.*
D.P.	*De periculo.*
D. L.	*De libello.*
D.C.S.	*De consilij sententia.*

DN.	*Damnum.*
D.Ↄ.	*Damnatus.*
D.R P.	De *Republica.*
DES.	De *statu.*
DE. S.I.	De *statu ingenuitatis.*
D M°.	*Dum modo.*
DECB.	*Decembres.*
D F P.	*Dare facere præstare.*
D.M.A.	*Dolum malum abesse.*
D. S. A.	*Diuersæ scolæ auctores.*
ET.	*Etiam.*
ET. N^c.	*Etiam nunc.*
EI9.	*Eius.*
E.	*Est.*
EↃ M°.	*Eiusmodi.*
EE.	*Esse.*
ER.	*Erunt.*
E G.	*Eger, vel Ergo.*
E P.	*Epistola.*
E P M.	*Epistola misit.*
E NↃ.	*Enim.*
EE T.	*Esset.*
E DO.	*Editio.*
EE M.	*Essem.*
E A T.	*Eatur.*
E X7.	*Existimo.*
E X9.	*Existimatio.*
E X P R T.	*Experientia tua.*
E D.	*Edictalis.*
EE L7.	*Exemplum.*
E M A.	*Emissa.*
E T M. D.	*Et manu diuina.*
E D.	*Edictum.*
E X9 ÷	*Existimationi.*
E X7 C L, T.	*Excellentia tua.*
E X S.C.	*Ex Senatusconsulto.*
E X I.Q.	*Ex iure Quiritium.*
E X 99.	*Ex communi consensu.*
F.	*Filius.*
F A.	*Filia.*
F.F A M.	*Filiusfamilias.*
FF.	*Fratres.*
FA.	*Femina.*
F.C.L.	*Fraudationis causa latitare.*
F R.	*Finium regundorum.*
FFↃ.	*Fratris filius.*
F LↃ.	*Flauius.*
F°.	*Forte.*
FR.	*Forum.*
FM.	*Fati munus.*
F.M.I.	*Fati munus impleuit.*
F.C.	*Fideicommissum.*
F F.	*Fecerunt.*
F.F.	*Fabricauerunt.*
FF.	*Fundauerunt.*
F S R.	*Fideiussor.*
FV.	*Fuerit.*
F V A.	*Fabia vel Fuuluia.*
F O.	*Fortes.*
FV.	*Fuit, fuerit.*
FI.	*Fidei.*
F.	*Fundus.*
F IC A.	*Fiducia.*
F O B.	*Fusionibus.*
FE.	*Factum est.*
F D.	*Fundum.*
F A M A.	*Familia.*
FL C A.	*Falcidia.*
F V A T.	*Fuerat.*
F L A M.	*Flamina.*
F L A V.	*Flauianus.*
F H C D.	*Familiæ herciscundæ.*
F F A E.	*Filius familiæ.*
F E B.	*Februarum.*
F L P.	*Flamen perpetuus.*
FL D.	*Flamen Dialis.*
FL Q I.	*Flamen Quirinalis.*
F C T A S.	*Facultas.*
F A C TI B.	*Facultatibus.*
G.	*Gratia.*
G R.	*Gerit.*
G.	*Gaudium.*
GG.	*Gesserunt.*
G O R D.	*Gordianus.*
G.	*Gaius.*
G R A N S.	*Gratianus.*
G. V A L.	*Gaius Valerius.*
G. C.	*Gaius Cesar.*
G S.	*Grauitas.*
G.	*Genus.*
G R.	*Genus Regum.*
G M.	*Germanus.*
GF.	*Germanus frater.*
G FI.	*Germanus filius.*
GL.	*Gloria.*
G L P.	*Gloria parentum.*
G L D.	*Gloria decus.*
G T.	*Grauitas tua.*
G R A.	*Gratia.*
H.	*Honor.*
H.	*Honestus.*
H V.	*Honestus vir.*
H P.	*Honesta persona, vel honestus puer.*
H F.	*Honesta femina.*
H V.	*Honesta vita. His verbis.*
H L.	*Honesto loco.*
H L N.	*Honesto loco natus.*
H.	*Hora.*
-H-	*Heres.*
H H.	*Heredes.*
O H O.	*Homo.*
O H O N9.	*Homo honestus.*
H B.	*Hora bona, vel heres bonorum.*

H.M.	*Hora mala.*
H.P.	*Hora pessima, vel hereditatis possessio.*
HI.	*Hereditario iure.*
H P?	*Hic posuit.*
HF.	*Hic fundauit.*
H.DD.	*Hic dedicauit.*
H.B.V.P.	*Hereditatis bonorúmve possessio.*
H C.	*Hac.*
H T.	*Hereditatem.*
H VI.	*Huius.*
H V C.	*Hunc.*
H VI M.	*Huiusmodi.*
HONOR.	*Honorius.*
H IVS.	*Heres institutus.*
H S.	*In susum.*
HE R.F.	*Heredem facio.*
H.E.V.	*Heredem esse voluit.*
H.D.	*Hereditas diuisa.*
HE R B.	*Hereditatibus.*
H V.	*Aue.*
H R C.	*Honestæ recordationis.*
H M V.	*Honestæ memoriæ vir.*
H DNVS.	*Hadrianus.*
H.AD.	*Heredes Adriani.*
I.	*In.*
Ɨ.	*Inter.*
ƗƗ.	*Interea.*
Ɨ D.	*Interdum.*
Iᴬ.	*Intra.*
I.L.	*Intra limitem.*
I.C.	*Iurisc͠osultus, vel intra circulum.*
I.T.	*Intra tempus.*
I.T.C.	*Intra tempus constitutum.*
I MP.	*Imperator.*
IMPP.	*Imperatores.*
IMP.CS.	*Imperator Cæsar.*
IMP.A.	*Imperator Augustus.*
I. I.	*In iure.*
I.D.	*Iurisdictio.*
I. PS.	*In possessione.*
I. L. S.	*In loco sacro.*
I.D.P.	*Iuri dicundo præest.*
I. L.R.	*In loco religioso.*
I. L.D.	*In loco diuino.*
I.L.P.	*In loco præsenti.*
I.P.	*In publico. In platea.*
I.L.A.	*In loco absenti.*
I.SN.	*In Senatu.*
I.SN.R.	*In Senatu Romano.*
I.F°.	*In foro.*
I.F°.CS.	*In foro Cæsaris.*
I.F°.CS.A.	*In foro Cæsaris Augusti.*
I.F°.P ?.	*In foro pacis.*
I.F°. TR.	*In foro Traiani.*
I.F°.N.	*In foro Neruæ.*
I.F°. TR.	*In foro transitorio.*
I.F°. IVL.	*In foro Iuli.*
I.F°.POP?.	*In foro populi.*
I.F°. B.	*In foro boario.*
I.F°. FLM.	*In foro flaminio.*
I.I.	*Inibi.*
IXI.	Duodecies.
IXXI.	*Duodeuicies.*
IG.	*Igitur.*
I. Q.	*Iure Quiritium.*
I DNE.	*Iurisdictione.*
I Đ.	*Inde.*
I T.	*Item.*
IVD.	*Iudicium.*
I R.	*Iure.*
Ɨ.	*Iter.*
Ɨ RM.	*Interim.*
I L.	*Illustris.*
ID?V.	*Indulcatio. vel indulgentia.*
ID.	*Inde.*
II.	*Integris.*
II R 9.	*Integri restitutio.*
I V D O.	*Iudicio.*
I VD A.	*Iudicia.*
IA.	*Ita.*
I T Q.	*Itaque.*
INL.MA.T.	*Illustris Magnificentia tua.*
I 9.	*Interiectio, vel Interdictio.*
IVN.	*Iunias.*
IL. S. T.	*Illustris sublimitas tua.*
I EA.	*Interea.*
ID.AA.	*Iidem Augusti.*
I.A.R	*In aquæductus restitutionem.*
II.	*Iurisiurandi.*
IVL.	*Iulias.*
IVL ANVS.	*Iulianus.*
I.C.E.	*Iure cautum est.*
K.	*Kalendæ.*
K. IAN.	*Kalendas Ianuarias.*
K.F.	*Kalendas Februarias.*
K.M.	*Kalendas Martias.*
K.AP.	*Kalendas Apriles.*
K.M	*Kalendas Maias.*
K.IVN.	*Kalendas Iunias.*
K.IVL.	*Kalendas Iulias.*
K.AG.	*Kalendas Augustas.*
K. SEPT.	*Kalendas Septembris.*
K.OCT.	*Kalendas Octobris.*
K.NON.	*Kalendas Nouembris.*
K.DEC.	*Kalendas Decembris.*
K.Q.	*Kalendas Quintiles.*
K.S.	*Kalendas Sextiles.*
K.	*Karissime.*
KK.	*Karissimi.*
K.D.	*Kapite deminutus.*
K.C.	*Kapite census.*
K°.	*Kardo.*
K M.	*Kardo maximus.*

Kartago.

KAR.	*Kartago.*
K.C.	*Karthago ciuitas.*
K.P.	*Kardo positus.*
K.F.	*Kardo finalis.*
K.	*Kælius.*
K^a.	*Kastra.*
KMT.	*Kæli montanus.*
K.P.	*Kastra posuit.*
K.DD.	*Kastra dedititia.*
K.L.	*Capitis quinquagesimæ.*
LG.	*Legem.*
LT.	*Licet.*
LTP7PO.	*Longi temporis præscriptio.*
L.	*Lucius.*
L.T.	*Lucius Titius.*
L.C.	*Lucius Cornelius.*
L.M.	*Lucius Murena.*
L.	Locus.
L.SC.	*Locus sacer.*
L.DIV.	*Locus diuinus.*
L.DD.	*Locus dedititius.*
L.R.	*Locus religiosus.*
L.Q.S.	*Loco quo supra.*
LVD.	*Ludus.*
LG.D.	*Legem dedit, vel Legatum dedit.*
LG.	*Legauit.*
LVD.AP.	*Ludi Apollinares.*
LP.	*Libripens.*
L.P.	*Locus proprius.*
L.PL.	*Locus publicus.*
L.VAL.	*Lucius Valerius.*
L.EM.	*Locus emptus.*
L.CESS.	*Locus cessitius.*
L.M.D.	*Locus mortuo dedicatus.*
L.ADQ.	*Locus adquisitus.*
L.B.P.	*Locus bene possessus.*
L.M.P.	*Locus male possessus.*
L.II.	*Locus in iure.*
L.I.Q.	*Locus iuri Quiritium.*
L.II.ADF.	*Locus inter adfines.*
L.IMP.L.	*Loca imperialia.*
L.PB.	*Loca priuata.*
L.SA.PAL.	*Loca Sacri palatij.*
L.IC.	*Loca incerta.*
L.VAL.RF.	*Lucius Valerius Rufus.*
L.PI.	*Loca periculosa.*
MO.	*Modo.*
MC.	*Mancipium.*
MT.	*Mortis tempore.*
M.	*Mihi.*
MM.	*Matrimonium.*
M.FTI.	*Manifesti furti.*
M.	*Marcus.*
M.CS.	*Marcus Cæsar.*
MAX.	*Maximus.*
MAX.CS.	*Maximus Cæsar.*

MAX.PONT.	*Maximus Pontifex.*
M.P.TR.POT.	*Maximus pōtifex Tribunitiæ potestatis.*
M9.	*Miles.*
MM.	*Milites.*
M.L.	*Militis locus.*
M.AG.	*Militis ager.*
M^o.	*Modo.*
MG.	*Magis.*
MAG.	*Magister.*
MAG.MIL.	*Magister militiæ.*
MMT.	*Momentum.*
MMP.	*Momentum petit.*
MM.ACC.	*Momentum accepit.*
MM.L.	*Momenti loco.*
MFI.	*Mala fide.*
MFIP.	*Malæ fidei possessor.*
M.H.	*Malus homo.*
MF.	*Maleficus.*
M9.	*Martius.*
M.RF.	*Martius Rufus.*
MIN.	*Minor.*
M	Men.
M9.	Mus.
M^i.	*Mihi.*
M^i.	*Manifestum.*
M^i.	*Molestus.*
M^i.	*Male positus.*
MT.	*Mater.*
MVL.	*Mulier.*
M^a M^a	*Matertera.*
MVL.B.	*Mulieris bona, vel Mulier bona.*
MVL.M.	*Mulier mala.*
MNF.	*Manifestum.*
MF.L.	*Manifestus locus.*
MF.OPP.	*Manifestum oppidum.*
MF.TT.	*Manifestum territorium.*
M.M.	*Manu mancupióque.*
M.D.	*Manu diuina.*
NI.	*Nisi.*
NQ.	*Neque.*
NS.	*Nisi si.*
N.	*Nam.*
N9.	*Nec.*
N.	*Non.*
N^r.	*Noster.*
NOB.	*Nobis.*
NOB.P.	*Nobilissimus puer.*
NOP7.	*Non oportet.*
NP7.	*Non possunt.*
NLI.	*Nihil.*
NVO.	*Nunc verò.*
NE7.	*Necesse est.*
N^c.	*Nunc.*
N^o.	*Noster.*
N.	*Nihil.*
N.	*Nam.*
N^r N^r.	*Nostrum.*
N.	*Nisi.*

N M.	*Non minus.*
N.	*Nus.*
N Q.	*Namque.*
N.Q.	*Nusquam.*
N V.	*Non vis.*
N V V.	*Non vult.*
N O B. G.	*Nobilis genere.*
N O B. G.N.	Nobilis genere natus.
N O B.F.N.	*Nobilis familia natus.*
N R.	*Nero.*
N C.	*Nero Cæsar.*
N.C L.	*Nero Claudius.*
O.	*Oportet.*
O MB?.	*Omnibus.*
O O.	*Oportuit.*
O?.	*Os.*
O B.	*Obriziacum.*
O P?.	*Opus.*
O P P.	*Oppidum.*
O O.	*Omnino.*
OE.	*Oportere.*
O. C.	*Ope consilio.*
O. D. M.	*Operæ, donum, munus.*
P.	*Pre.*
PP.	*Propter.*
P.R.	*Populus Romanus.*
P.	*Pris.*
P.	*Pos.*
P?.	*Pro.*
P.	*Per.*
P O.	*Potest.*
P L.	*Placuit.*
P E.	*Peregrinum.*
P Q.	*Postquam.*
P S.?	*Possant.*
P R.	*Prætor.*
P. R. O.	*Pop. Romanus.*
P. R. S.	*Præses vel præsens.*
P R.P.	*Præses provinciæ.*
P.P.V.C.	*Præses provinciæ vir clarissimus.*
P. Q. R.	*Populúsque Romanus.*
P. KA.	*Parens karissime.*
P'	*Pri.*
P T.	*Præter.*
P' VG.	*Privilegium.*
P S.	*Possunt.*
P°.	*Poterit.*
P F.	*Præfectus.*
P F L.	*Patris filius.*
P F M.	*Paterfamilias.*
P P.	*Proposita.*
P'.	*Post.*
P C.	*Post Consulatum.*
P. C.	*Patres conscripti.*
P,A O.	*Patris actio principalis actio.*
	Popularis actio.

P.	*Pœnam.*
P I C.	*Periculum.*
P V.	*Provinciæ.*
P A T.	*Patricius.*
P.	*Publius.*
P R G'.	*Peregrinus.*
P C.	*Proconsul.*
P'C.L.	*Prisca lex. prisci Latini.*
P I C.	*Piceno.*
P I C. A N N.	*Piceno annonario.*
P I C. V R B.	*Piceno urbicario.*
P V.	*Præfectus urbi.*
P. P.	*Præfectus prætorio.*
PF. V I G.	*Præfectus vigilum.*
PF. A N N.	*Præfectus annonæ.*
P. CL. R.	*Præfectus classis Ravennatium.*
P. CL?.	*Præfectus Classis.*
P. Æ G.	*Præfectus Ægypti.*
P. S Y R.	*Præfectus Syriæ.*
P. I V D.	*Præfectus iudææ.*
P. G A L.	*Præfectus Galliarum.*
P. AF.	*Præfectus Africæ.*
P. AF. P.	*Præfectus Africæ provinciæ.*
PP. A V G.	*Perpetuo Augusto.*
P. S. T. Q. H.	*Præcipito sumito tibíque habeto.*
Q A ?.	*Quia.*
Q R 7.	*Quare.*
Q S.	*Quas.*
Q.	*Quod.*
Q.	*Quam.*
Q N.	*Quando & quoniam.*
Q.	*Quare.*
Q V A M 7.	*Quemadmodum.*
Q D.	*Quædam.*
Q?.	*Quia.*
Q S.	*Quis.*
Q VI.	*Quamvis.*
Q Q?.	*Quæque.*
Q.	*Qui.*
Q PP.	*Quippe.*
Q B9.	*Quibus.*
Q'.	*Que.*
Q.	*Quæ.*
Q Q.	*Quamquam.*
Q I S.	*Quis.*
Q.	*Quem.*
Q S.	*Quasi.*
Q.	*Quæstio.*
Q.	*Quærius.*
Q. R.	*Querius Relius. vel, Quæ res.*
Q'.	*Quantum.*
Q T.	*Quotiens.*
Q O T.	*Quo tempore.*
Q°.M°.	*Quomodo.*
Q Q.	*Quoque.*
Q° Q° M°.	*Quoquo modo.*

Q^a.	*Qua.*	S N.A.	*Senatoria auctoritate.*
Q R.	*Quare.*	S.	*Sunt.*
Q^a P P.	*Quapropter.*	S 9.	*Sed.*
Q. D. R.	*Qua de re.*	SA.	*Sententia.*
Q.D.R.P.G.V.	*Qua de re peto grauitatem vestrã.*	SD.	*Sententiam dedit.*
Q.D.R.P.L.V.	*Qua de re peto laudabilitatẽ vestrã.*	S. D.	*Sententiam dixit.*
Q.	*Quur.*	S.F.	*Satisfecit. Sacris faciũdis. Sine fraude*
Q ʒ N.	*Quenam.*	S F T.	*Satisfactum.*
Q. D.C.	*Qua de causa.*	SS.	*Sestis.*
Q. D. C. V.	*Qua de causa venit.*	S.	*Sunt.*
Q R O.	*Quaero.*	SN D.	*Sine dubio.*
Q^o MG.	*Quo magis.*	S.	*Ser.*
Q^i.	*Qui.*	S C L.	*Scilicet.*
Q T.	*Quintus.*	S N P.	*Sine periculo.*
Q 9 C 9.	*Quintus Celius.*	S N.P.M.	*Sine periculo mortis.*
Q M.	*Quintus Murena.*	SIGN.	*Signum.*
Q R.	*Quam rem.*	SS.	*Suprascriptus.*
Q L.	*Quem locum.*	S P M.	*Supra memoratus.*
Q. P. T.	*Quam patriam.*	S C S.	*Sanctus.*
Q. P R O V.	*Quam prouinciam.*	S C A.	*Sancta.*
Q^o. P.	*Quo petit.*	S C. M M.	*Sanctae memoriae.*
Q P.	*Quem petit.*	S P D.	*Supra dictus.*
Q R.	*Quem rogat.*	S C D.	*Secundum.*
Q ADS.	*Quem adserit.*	S^t.	*Statutum.*
Q. D I C.	*Quem dicit.*	S^t. TP.	*Statutum tempus.*
Q V.	*Quem vult.*	S^t. D.	*Statutum diem.*
R.	*Res.*	S^t. 9 S.	*Statutum Consulem.*
R T.	*Rescriptum.*	S^t. SN.	*Statutum Senatum.*
R P O N.	*Respondit.*	S.P.Q.R.	*Senatus populúsque Romanus.*
R D.	*Reddi.*	S C L.	*Sacrae largitiones.*
R.	*Rum.*	S CL C M.	*Sacrarum largitionum Comes.*
R.	*Respondit.*	S T. P.	*Stadium posuit.*
R.	*Romanus.*	S T. D D.	*Stadium dedicauit.*
R.	*Rem.*	S. S.M.	*Satis secundum mancipium.*
R S.	*Responsum.*		
R G.	*Recognoui.*	T R.	*Trans.*
R E G.	*Rege.*	T M.	*Tamen.*
R E C.	*Recuperatores.*	TRAC.	*Transactio.*
R.C.	*Romani Ciues.*	T R'.	*Ter.*
R.	*Rex.*	TR.P.	*Tribunitia potestas.*
R P.	*Respublica.*	T A B.	*Tabulae.*
R P^i.	*Rei priuatae.*	T'.	*Ton.*
R G L.	*Regulis.*	T'.	*Tum.*
R G.F 9.	*Regis filius.*	T^u T.	*Testamentum.*
R G. F A.	*Regis filia.*	T^i T.	*Testamenti.*
R.D.	*Regis domus vel donum.*	T^o T.	*Testamento.*
R. M.	*Regis munus.*	T.^c	*Tunc.*
R^a.	*Roma.*	T^r.	*Tur.*
R A V.	*Rauenna.*	T B.M.	*Tabulae matrimoniales.*
		T.	*Tunc.*
S D.	*Secundum.*	T^o.	*Tanto.*
S C7.	*Sicuti.*	T.	*Ter.*
S N.	*Senatus.*	T.	*Trans.*
S.C.	*Senatusconsultum.*	TP'.	*Tempus.*
S T.	*Sententia.*	T P. B.	*Tempus bonum.*
S V.	*Sine.*	T^i B.	*Tribunus.*
S N.	*Sine.*	T R.P L.	*Tribunus plebis.*

TB C.	*Tribunitia.*	V.F.	*Vsumfructum.*
T.	*Tullius.*	V C.	*Vsucapio.*
TIB.	*Tiberius.*	V B.	*Verba.*
TIB.CS.	*Tiberius Cæsar.*	V V.	*Velut.*
TIB. CL.	*Tiberius Claudius.*	VE T.	*Verum etiam.*
T.	*Tri.*	V G.	*Verbi gratia.*
T M.	*Terminus.*	VRB.	*Vrbis.*
TM.P.	*Terminum posuit.*	V. P.	*Vir perfectissimus.*
T M. DD.	*Terminum dedicauit.*	V IR.	*Virgo.*
T IB I.	*Tiberij.*	VIR. V.	*Virgo vestalis.*
T IB I. R.	*Tiberij Romæ.*	V.	*Vestes.*
TM.	*Termæ.*	VESP.	*Vespasianus.*
TM. DD.	*Termæ dedicatæ.*	VESP. CS.	*Vespasianus Cæsar.*
.T.	*Tem.*	VAL.	*Valerius.*
TB.	*Tibi.*	VAL. CS.	*Valerius Cæsar.*
TB.D.F.	*Tibi dulci filio.*	V.MVN.	*Vias muniuit.*
TB. D. F. M.	*Tibi dulci filio meo.*		
TB.D.F.M. AOPT.	*Tibi dulci filio meo. adoptiuo.*	X.	*Existimauit.*
		X.	*Existimatio.*
TRAI.	*Traianus.*	X.	*Xenodochus.*
		X.	*Decies.*
V.	*Vel.*		
VVT.	*Velut.*	YMN.	*Hymnum.*
VVI.	*Veluti.*		
V°.	*Vero.*	ZEN.	*Zenobius.*

NOTÆ IVRIS ANTIQVI EX VALERIO PROBO.

A.A.A.F.F.	*Aere auro argento flando feriundo.*
C.E.C.	*Coloni eius coloniæ.*
D.C.S.	*De consilij sententia.*
E.H.L.N.R.	*Eorum hac lege nihil rogatur.*
I.N.Q.Q.	*Iustis nuptiis quæsitus quæsita.*
L.I.D.A.C.	*Lex Iulia de adulteriis coërcendis.*
L.P.C.R.	*Latini prisci ciues Romani.*
M.E.M.D.D.E	*Municipibus eius municipij dare damnas esto.*
P.I.R.P.Q.I.S.I.F.P.R. E.A.D.P.	*Populus iure rogauit populúsque iure sciuit in foro pro rostris & ante diem pridie.*
Q.D.E.R.F.P.D.E.R.V.I.C.	*Quod de ea re fieri placeret, de ea re vniuersi ita censuerunt.*
Q.E.R.F.E.D.	*Quod eius rei factum esse dicetur.*
Q.F.E.R.I.S.F.	*Quod factum eius rei in Senatu fuerit.*
S.C.P.S.	*Senatusconsultum plebiscitum.*
S.F.S.	*Sine fraude sua.*
S.N.L.	*Socij nominis latini.*
S.Q.D.E.R.A.P.P.V.L.O.E.COSS. PRR.TR.PL.Q.N.S.Q.E.V. A.P.P.V.F.	*Si quid de ea re ad populum plebémve lati opus est, Consules, Prætores, Tribuni Plebis, qui nūc sunt, quod eis videbitur ad populum plebémue ferant.*
S.Q.S.S.E.Q.I.N.S.R.E.H.L.N.R.	*Si quid sacri sancti est, quod iure non sit rogatum eius hac lege nihil rogatur.*
S.R.L.E.I.Q.O.R.E.	*Siremps lex esto iísque omnium rerum esto.*
V.A.	*Veterano assignatum.*
V.D.P.R.L.P.	*Vnde de plano rectè legi posit.*
V.F.	*Vsusfructus.*
V.P.R.	*Veteri possessori redditum.*
A.L.Æ.	*Arbitrium litis æstimandæ.*
A.T.M.D.O.	*Aio te mihi dare oportere.*

C.E.D.

NOTÆ IVRIS EX VALERIO PROBO.

C.E.D.	*Conuictus esse dicetur.*
E.I.M.C.V.	*Ex iure manu consertum vocare.*
F.C.	*Fraudandi creditoris, vel fideicommissum.*
I.D.C.	*Iuris dicundi causa.*
I.D.	*Iudicium dabo, vel Iurisdictio.*
I.D.P.	*Iuri dicundo præest.*
I.D.T.S.P.	*In diem tertium siue perendinum.*
N.K.C.	*Non calumniæ causa.*
Q.A.N.Q.N.	*Quando ais neque nego.*
Q.B.F.	*Quare bonum factum.*
Q.N.T.S.Q.P.	*Quãdo negas, te sacramẽto quinquagenario prouoco.*
Q.I.I.T.C.P.A.F.A.	*Quando in iure te conspicio, postulo an fias auctor.*
S.N.S.Q.	*Si negat sacramento quærito.*
S.S.C.E.S.D.T.V.	*Secundum seruitutis causam eius serui dico tibi vindicias.*
P.I.A.V.P.V.D.	*Prætorem Iudicem arbitrúmve postulo vti det.*
C.C.	*Causa cognita.*
C.V.	*Centum viri. vel* Clarissimi *viri.*
D.M.F.V.C.	*Dolo malo fraudísve causa.*
F.E.D.	*Factum esse dicetur.*
H.S.	*Heredem solui.*
I.C.E.V.	*Iusta causa esse videbitur.*
I.S.	*Iudicatum solui.*
M.F.P.	*Malæ fidei possessor.*
P.C.	Patres *conscripti, vel Pactum conuentum. vel, pecunia constituta.*
P̄ D E. L. V.	*Præde litis vindiciarum.*
P.P.L.V.	*Pro præde litis vindiciarum.*
Q.A.M.	*Quemadmodum.*
Q.E.R.E.T.P.I.R.D.T.Q.D.T.D.D.P.F.	*Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorium dabo testibúsque duntaxat decem denuntiandi potestatem faciant.*
Q.M.	*Quomodo, vel Quo magis.*
Q.R.F.E.V.	*Quod recte factum esse videbitur.*
Q.S.S.S.	*Quæ supra scripta sunt.*

FINIS.

ERRATA.

Pagin. lin. 4. *ita distinguendum, deliberatione Constitutiones*, p. 17. l. 2. *Volusiano*. p. 18. l. 16. *PF. V.* p. 49. l. 6. *instituimus & l. 19 simili*. p. 50. l. 12. *VIIII.* p. 53. l. 17. *gradu* l. 42. *PF. P.* p. 84. l. 14. *agnatos*. p. 93. l. vlt. *Franitta*. p. 94. l. 16. *Theod. & Valentin.* p. 96. *tertia* p. 99. l. 30. *insolita deroget &c.* p. 108. l. 7. *Syriano* p 112. l. 18. *XIIII.* p. 113. l. 28. *XV. Kal. Ian.* p. 119. l. vlt. *Honorio III.* p. 123. l. 24. *Omnia citatoria*. p. 129. l. vlt. *centenarijs ex l. seq.* p. 132. l. 15. *ad Rufinum PF. P.* p. 133. l. 33. *Treuer.* p. 139. l. 26. *Constantinus*. p. 140. l. 5. *Helpidio PF. P.* & l. 34. l. *actuarijs*. p. 144. l. 2. *annonarum*. p. 148. l. 4. *manum*. p. 149. l. 18. *primus*. p. 150. l. 42. *Const. & Constans*. p. 163. l. 27. *Floriano PF. P.* p. 166. l. 42. *Castrensium* p. 177. l. 1. *praetextu*. p. 222. l. 4. *productos*. p. 224. l. 27. *sexus*. p. 226. l. 11. *Prid. Non. Apr.* p. 228. l. 3. *docebuntur*. l. 233. l. 24. *VIII. Kal. Feb* p. 271. l. 23. *negotijs*. p. 281. l. 36. *poscit* p. 282. l. 14. *VI. Kal. Nou.* p. 283. l. 37. *ambigant*. p. 299. l. 41. *exculpere* p. 319. l. 14. *denuntiatione*. p. 331. l. 34. *Andromacha*. p. 336. l. 27. *praescriptione*. p. 366. *Constantius*. p 400. l. 5. *Florentium Com. S. L.* p. 404. l. 23. *debiti*. p. 409. l. 13. *concursus*. p. 404. l. 43. *VI. Id. Sept.* p. 442. l. 39. *quos obnoxios &c.* p. 450. l. 41. *Romae*. p. 567. l. 19. *nos quibus &c.* p. 905. l. 18. *originario*.

EX RELIQVIIS VETERIS IVRIS ROM.

P. 1. l. 10. *esto hoc*. p. 14. l. 19. *Tredecies*. p. 25. l. 37. *vt ea distracta*. p. 42. l. 22. *adiri*. p. 47. l. 23. *foemina*. p. 54. l. 16. *dici*. p. 70. l. 32. *ostendit*. p. 72. l. 8. *abegerit*. p. 79. l. 14. *factum*. p. 87. l. 32. *pubertate*. p. 89. l. 28. *nec mancipi*. p. 89. l. 1 *quinquagenaria*. p. 96. l vlt. *relicta sunt*. p. 99. l. 25. *fratribus*. p. 161. *in marg. Hermogen.* p. 106. l. 17. *dediticius*. p. 107. l. 5. *homicidam*. l. 11. *dubitanter*. p. 109. *inlicitis*. p. 222. l. 35. *intestati*. p. 333. l. 37. *arbitri*. Cetera qui volet facile emendaturus est.